



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries  
and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-  
ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.







28.

23.



600005033H





*Arch? 1828*

# BREVIARIUM ROMANUM.

---

PARS VERNA.

*A dominica prima Quadragesimæ usque ad dominicam Trinitatis.*

---

PARISIIS, EX TYPOGRAPHICO ECCLESIASTICO POUSSIELGUE RUSAND,  
via vulgo dicta de Setres, n° 2.

**BREVIARIUM**  
**ROMANUM,**  
**EX DECRETO SS. CONCILII TRIDENTINI**  
RESTITUTUM,  
S. PII V, PONTIFICIS MAXIMI, JUSSU  
editum  
**CLEMENTIS VIII ET URBANI VIII AUCTORITATE**  
recognitum;  
**CUM OFFICIIS SANCTORUM**  
**HUC USQUE CONCESSIS.**



**PARISIIS,**  
**APUD RUSAND, BIBLIOPOLAM ECCLESIASTICUM,**  
via vulgo dicta du Pot-de-Fer, n. 8;

**Lugduni,**  
**APUD EUMDEM, REGIS ET CLERI TYPOGRAPHUM.**

1828.

23.



---

# SUMMA BULLARUM

## SUMMORUM PONTIFICUM

### PRO EDITIONE HUIUS BREVIARII.

**PIUS V**, bulla quæ incipit *Quod a nobis*, data Romæ septimo idus Julii anno 1568, significat causam edendi hujus Breviarii, nempe ad tollendam orandi varietatem.

Enarrat ea quæ in hac re præstiterit Paulus et Pius nomine quarti et quam ipse adhiberi operam curavit, ex decreto concilii tridentini.

Tollit et abolet omnino Breviarium a cardinale S. Crucis communitum, quod erat brevissimum; item alia breviaria romana, et alia quæ ex institutione vel consuetudine legitima non superant ducentos versus.

Permittit tamen ut antiquiora ducentis annis possint mutari in hoc Breviarium, iis omissis, si episcopus et universum capitulum consentiant.

Revocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, sententias et indulta precandi et psallendi more et ritu prædictorum Breviariorum suppressorum.

Præcipit observari hoc Breviarium in toto orbe, cum exceptione 200 locorum, de qua supra.

Statuit in eo nihil mutandum, addendum et detrahendum.

Obligat quosque qui tenentur horas canonicas recitare ut hoc Breviario, alias non satisfaciant muneri suo.

Iubet omnibus prælatis ut hoc introducant tam in choro quam in sacris chorum.

Tollit peccati obligationem quæ erat recitandi in choro Officium parvum B. Mariæ Virginis et Defunctorum, Psalmos Poenitentiales et Graduales juxta rubricas Breviarii.

Hortatur ut recitentur eadem, propositis indulgentiis dierum centis recitantibus Officium parvum B. Mariæ Virginis et Defunctorum; triginta recitantibus Psalmos Poenitentiales et Graduales, quando præscribitur ea præscribant.

Non tamen tollit laudabilem consuetudinem ubi est recitandi Officium parvum B. Mariæ Virginis in choro, imo eandem confirmat, et eandem tempus decernit obligationis ad usum Breviarii post ejusdem publicationem.

**CLEMENS VIII**, bulla quæ incipit *Cum in Ecclesia*, data Romæ die 10 Julii anno 1602, declarat se per viros pios et eruditos Breviarium *Vern.*



romanum a Pio V editum, et progressu temporis in multis depravatum, examinasse, et in statum pristinum restituisse, illudque sic restitutum in typographia vaticana imprimi et divulgari jussisse. Prohibet ne alibi imprimatur nisi juxta exemplar Vaticanum, et habita ordinariorum licentia, sub poena excommunicationis latae sententiae. Interdicit usum Breviariorum impressorum absque tali ordinariorum licentia in scriptis, quae fidem faciat de collatione facta praedictorum Breviariorum cum originali romano: cujus etiam licentiae copia initio vel in calce cujusque Breviarii semper imprimatur. Praedictis ordinariis prohibet ne aliquid addi, vel detrahi permittant, et haec sub poena excommunicationis, suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu ecclesiae. Verumtamen in gratiam pauperum Breviaria hactenus impressa vendere, apud se retinere, ac illis uti permittit.

URBANUS VIII, bulla quae incipit *Divinam psalmodiam*, data Romae die 25 januarii anno 1631, declarat se, piorum doctorumque virorum adhibita cura, Breviarium a Pio V editum, et a Clemente VIII recognitum, a pluribus mendis expurgasse; hymnos ad metri et latinitatis regulas revocasse; in Psalmis et canticis interpunctionem editionis vulgatae restituisse; sermones, homilias, et sanctorum historias, collatis veteribus manuscriptis, recognovisse. Quamobrem jubet ut juxta hanc correctionem Romae imprimatur, alibi juxta romanum exemplar excudatur, servatis conditionibus in suprascripta Clementis bulla enumeratis, quas fere iisdem verbis repetit, adjungens easdem condiciones servandas in impressione eorum quae a Breviario romano ortum habent, cujusmodi sunt Missalia, Diurnalia, Officia parva B. Mariae Virginis, Officia majoris hebdomadae, et alia id genus.

EX DECRETORUM REGISTRO S. RITUUM CONGREGATIONIS HÆC AD  
BREVARIUM ROMANUM ATTINENT.

SACRA rituum congregatio declaravit et decrevit non potuisse post bullam Pii V de Breviario romano, neque posse locorum ordinarios, tam saeculares quam regulares, addere kalendariis etiam propriis sanctorum officia, nisi ea duntaxat quae Breviarii romani rubricis, vel sacrae rituum congregationis, seu sedis apostolicae licentia conceduntur: neque propria auctoritate, quovis praetextu, mutare ritum qui habetur in kalendario romano seu rubricis Breviarii in altiorum ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum.

Item vetuit et prohibuit celebrari per totam civitatem vel dioecesim, etiam de cujuscumque ordinarii auctoritate, festum cum officio, eo quod in loco adsit ecclesia parochialis, vel regularis, vel abbatialis, aut aliqua reliquia; sed tantum in ipsius sancti ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus aut insignis reliquia, et non alibi.

Insignes autem reliquias declaravit esse caput, brachium, crus,

aut illam partem corporis in qua passus est martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab ordinariis approbata.

De sanctis episcopis locorum, martyribus, civibus, et aliis festis, de quibus in kalendario romano seu rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate constituitur; sed omnino consulatur sacra rituum congregatio.

Decretum quoque nuper editum super electione sanctorum in patronos, et impressum, omnino servetur.

Et hæc omnia decrevit, statuit, et mandavit, innovando pœnas constitutionis Pii V respective.

Facta demum relatione horum decretorum sanctissimo domino nostro Urbano, Papæ VIII, ea laudavit et approbavit, atque ab omnibus ubique sub prædictis pœnis servari præcepit, nec non in novis Breviariis de mandato Sanctitatis suæ imprimendis apponi jussit.

Loco † sigilli.

T. TEGRIMIUS

*Episc. Assisiens. Secret.*

#### EADEM PRO SANCTIS AD LIBITUM.

**E**ADEM sacra rituum congregatio, habita die 2 decembris 1675, statuit, ex mandato Clementis X, festa sanctorum ad libitum in posterum non esse transferenda, si eorum festivitas incidat in diem dominicum vel aliquem diem festorum mobilium; sed tunc illo anno eorum officia esse omittenda. Quod ipsum postea Innocentius, papa XI, in congregatione habita 24 januarii 1682, generali decreto confirmavit, et extendit insuper etiam ad octavas et natalitia sanctorum, de præcepto in aliqua religione vel diocesi, ex indulto apostolico, recitanda. Ita ut ne quidem dictis festis vel octavis festa ad libitum tunc incidentia possint recitari, sed omitti prorsus debeant.

Permisit tamen ut festum translatum, quod alias eo die celebrandum foret, in alium diem non impeditum transferatur, item ut eodem die omitti possit officium semel per hebdomadam aut mensem recitandum ex indulto apostolico, ut ita locus sit celebrando officio ad libitum.

#### EADEM PRO SANCTIS IN MARTYROLOGIO DESCRIPTIS.

**O**FFICIA sanctorum ratione corporis seu insignis reliquiæ recitanda ex decreto sacræ rituum congregationis 11 augusti 1691, intelligi debere de sanctis duntaxat in Martyrologio romano descriptis, et dummodo constet de identitate corporis seu reliquiæ insignis illiusque sancti qui reperitur in Martyrologio romano descriptus: de ceteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut qui a S. Sede non fuerit specialiter concessum, officia recitari et missas celebrari vetuerunt, non obstante quod ipsorum corpora vel insignes reliquiæ in ecclesiis asserventur, quibus tamen ab ordinariis locorum approbatis debitam fidelium venerationem (prout hactenus

servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque officio et missa, sub poenis de non satisfaciendo præcepto recitandi officium, aliisque in constitutione S. Pii V contentis die 11 augusti 1691, et sanctissimus approbavit die 19 octobris ejusdem anni 1691.

Loco † sigilli.

F. VALLEMANUS,  
S. R. C. Secretarius.

DECRETA GENERALIA CIRCA RUBRICAS.

\* Cum sacrorum rituum congregationi demisse supplicatum fuerit sequentia dubia declarare :

Primum, an, cum multis congregationibus, religionibus, sive ecclesiis vel nationibus concessum sit a sancta sede apostolica ut semel, vel pluries in singulis hebdomadis, vel mensibus celebrentur varia officia per annum, verbi gratia de sancto Sacramento vel de sanctis, in diebus non impeditis aliquo festo duplici vel semiduplici, facere liceat ejusmodi officia etiam in diebus sanctæ Quadragesimæ, Adventus, Vigiliarum et Quatuor Temporum, etiam si de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus officiorum concessionibus.

Secundum, an dies impeditus festo duplici vel semiduplici predictis officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est officium de festo duplici, vel semiduplici translato, quemadmodum dicitur responsum fuisse olim a sacra congregatione, quod scilicet festum duplex, vel semiduplex etiam translatum, nec non dies octavæ sit dies impeditus respectu talium Officiorum.

Tertium, an regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum religionum possint addere nomen sancti fundatoris in litanis, et Confiteor, itemque recitare officia et missas concessas aliis religionibus.

Sacrorum rituum eadem congregatio ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini Cardinalis Colloredo respondit.

Ad primum, negative, et hujusmodi indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum sive cum jejuniis, sive absque jejuniis, nec in feria secunda Rogationum, nec in illa feria in qua secundum rubricas sit reponendum officium dominicæ.

Ad secundum, affirmative.

Ad tertium, negative in omnibus.

Et ita declaravit, ac servari voluit, ac insuper ut declarationes seu decreta prædicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit die 20 martii 1706.

Loco † sigilli. G. CARD. CARPINENUS.

B. INGHIRAMI,

Sac. Rit. Congreg. Secret.

---

# DE ANNO

## ET EJUS PARTIBUS.

---

**A**nnus menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum; dies vero trecentos sexaginta quinque, et fere sex horas: tanto enim temporis intervallo sol zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt: hinc annus ille intercalaris, bissextus vel bissextilis dicitur.

## DE ANNI CORRECTIONE,

EJUSDEM NECESSITATE, AC KALENDARIO GREGORIANO.

Quod dictum est, annum continere trecentos et sexaginta quinque dies, et fere sex horas, intelligendum est sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas, et factum est ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem, qui causam dederunt ut æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII, non solum æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, a qua jam a concilio nicæno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582, præcedendo recesserat, quod a concilio ad xij kalendas aprilis fuerat constitutum, et xiv lunam paschalem suo in loco reposuit: sed viam quoque tradidit et rationem qua cavetur ut in posterum et æquinoctium vernum, et xiv luna paschalis a propriis sedibus nunquam removeantur.

Ut enim æquinoctium vernum ad xij kalendas aprilis restitueretur, statuit ut dicti decem dies in mense octobris ipsius anni 1582, eximerentur, et post quartam diem octobris, sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decimaquinta octobris; et ita error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne a xij kalendas  
a \*



aprilis æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis; qui quamvis bissextilis antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600, anno correctionis proximum, post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes bissextilis essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine bissexto transigerentur; quartus vero quisque centesimus esset bissextilis, ita ut anni 1700, 1800, 1900 bissextilis non sint; anno vero 2000, more consueto, dies bissextus intercaletur, februario dies 29 continente, idemque ordo intermitendi intercalandique bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

#### QUATUOR TEMPORA.

Quatuor Tempora celebrantur quarta et sexta feria ac sabbato post tertiam dominicam Adventus, post primam dominicam Quadragesimæ, post dominicam Pentecostes, post festum Exaltationis sanctæ Crucis.

#### NUPTIÆ QUANDO CELEBRARI NON POSSUNT JUXTA DECRETUM CONCILII TRIDENTINI.

A dominica prima Adventus usque in diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, sancta synodus solemnitates nuptiarum prohibet; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.

#### DE CYCLO DECENNOVENNALI AUREI NUMERI.

Cyclus decennovennalis aurei numeri est revolutio numeri 19 annorum ab 1 usque ad 19, qua revolutione peracta; iterum ad unitatem reditur. Verbi gratia: anno 1577 numerus cycli decennovennalis, qui dicitur aureus, est, 1 anno sequenti 1578 est 2, et ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius usque ad 19, qui aureus numerus cadet in annum 1595, post quem iterum ad unitatem redeundum est; ita ut anno 1596 aureus numerus sit rursus 1, et anno 1597 sit 2, etc.

Igitur ut aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella aureorum numerorum, cujus usus incipit ab anno correctionis 1582 inclusive, duratque in perpetuum. Ex ea enim aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582 reperietur hoc modo.

---

6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19.
1, 2, 3, 4, 5.

---

Anno 1582 tribuatur primus numerus tabellæ, qui est 6, secundus autem, qui est 7, sequenti anno 1583, et ita deinceps in infinitum, donec ad annum cujus aureum numerum quæris perveniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris; nam numerus in quem annus propositus cadit dabit aureum numerum quæsitum.

## DE EPACTIS ET NOVILUNIIS.

Epacta nihil aliud est quam numerus dierum quibus annus solaris communis dierum 365 annum communem lunarem dierum 354 superat, ita ut epacta primi anni sit 11, cum hoc numero annus solaris communis lunarem annum communem excedat: atque adeo sequenti anno novilunia contingant 11 diebus prius quam anno primo; ex quo fit, epactam secundi anni esse 22, cum eo anno rursum annus solaris lunarem annum superet 11 diebus, qui additi ad 11 dies primi anni efficiunt 22, ac proinde, finito hoc anno, novilunia contingere 22 diebus prius quam primo anno; epactam autem tertii anni esse 33, quia si rursus 11 dies ad 22 adjiciantur, efficietur numerus 33, a quo si rejiciantur 30 dies, qui unam lunationem embolismalem constituunt, relinquentur 3, atque ita deinceps. Progre- diuntur enim epactæ omnes per continuum augmentum 11 dierum, abjectis tamen 30, quando rejici possunt. Solum quando perventum erit ad ultimam epactam aureo numero 19 respondentem, quæ est 29, adduntur 12, ut abjectis 30 ex composito numero 41, habeatur rursum epacta 11 ut in principio. Quod ideo fit, ut ultima lunatio embolismica, currente aureo numero 19, sit tantum 29 dierum. Si enim 30 dies contineret ut aliæ sex lunationes embolismicæ, non redirent novilunia post 19 annos solares ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, contingerentque uno die tardius quam ante 19 annos. De qua re plura invenies in libro novæ rationis restituendi kalendarii romani. Sunt autem novemdecim epactæ, quot et aurei numeri, respondebantque ipsis aureis numeris ante kalendarii correctionem eo modo quo in hæc tabella dispositæ sunt.

## TABELLA EPACTARUM

*respondentium aureis numeris ante kalendarii correctionem.*

Aur. num.	1,	2,	3,	4,	5,	6,	7,	8,	9,	10,
Epactæ.	xj,	xxij,	iiij,	xiv,	xxv,	vj,	xvij,	xxviii,	ix,	xx,
	11,	12,	13,	14,	15,	16,	17,	18,	19.	
		xij,	xxiiij,	iv,	xv,	xxvj,	vij,	xviii,	xxix.	

Quia vero cyclus decennovennalis aurei numeri imperfectus est, cum novilunia post 19 annos solares non præcise ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam erit hic cyclus 19 epactarum. Quamobrem ita emendatus est, ut in posterum loco aurei numeri et dictarum 19 epactarum utamur 30 numeris epactalibus ab 1 usque ad 30 ordine progredientibus, quamvis ultima epacta, sive quæ ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc \*, propterea quod nulla epacta esse possit 30. Variis autem temporibus ex his 30 epactis respondent decem et novem aureis numeris variæ decem et novem epactæ, prout solaris anni ac lunaris æquatio exposcit: quæ quidem decem et novem epactæ progrediuntur, ut olim, per eundem numerum 11, addunturque semper 12 illi epactæ quæ respondet aureo numero 19, ut habeatur sequens epacta respondens aureo numero 1, ob rationem paulo ante dictam; id quod sequens tabella perspicuum faciet, quæ continet aureos numeros et epactas inter se respondententes ab anno 1700 inclusive usque ad annum 1900 exclusive. Quamvis autem vulgares epactæ mutantur in martio, re ipsa tamen in principio anni mutandæ sunt una cum aureo numero, in cujus locum hæc nostræ epactæ succedunt.

## ALIA TABELLA EPACTARUM

*respondentium aureis numeris ab anno 1700 inclusive ad annum 1900 exclusive.*

<i>Aur. num.</i>	10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19;
<i>Epactæ.</i>	ix, xx, j, xij, xxij, iv, xv, xxvj, vij, xvij,
	1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.
	*, xj, xxi, iij, xiv, xxv, vj, xvij, xxvij.

Itaque si epacta quocumque anno proposito invenienda sit, quærendus est aureus numerus illius anni in superiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori in quo propositus annus continetur congruit. Mox enim sub aureo numero in inferiori ordine tabellæ reperietur epacta anni propositi, vel certe hoc signum \*: ubi ergo illa epacta vel signum \* in kalendario inventum fuerit, eo die novilunium fiet. Invenietur autem aureus numerus vel ex antecedente canone, vel ex tabella epactarum proposito tempori congruente,tribuendo primum aureum numerum illius tabellæ illi anno a quo usus tabellæ incipit, et secundum aureum numerum sequenti anno, etc. Eodem modo reperietur epacta sine aureo numero, si prima epacta tabellæ tribuatur illo anno a quo ejus usus incipit, et secunda epacta sequenti anno, etc.

Exemplum : anno 1700 aureus numerus est 10; nempe primus primæ tabellæ. Erit ergo tunc epacta ix, quæ sub aureo numero 10 collocatur, fietque novilunium die 22 januarii, 20 februarii, 22 martii. Item anno 1701 aureus numerus est 11, cui in eadem tabella supposita est epacta xx; quæ toto eo anno in kalendario novilunium indicabit ut in januario die 11, in februario die 9, in martio die 11, etc.

## TABELLA LITTERARUM DOMINICALIUM

*ab anno 1700 inclusive usque ad annum 1800 exclusive.*

d	b A g	f	d c b	A	f e d	c
c		e		g		b
A g f	e	c b A	f	e d c	b	g f e
	d		g		A	

Usus hujus tabellæ hic est : anno 1700 tribuatur unica littera inferior c primæ cellulae, relicta littera d superiori, quia annus ille 1700 non est bissextilis, sed communis, et littera d fuit dominicalis præcedenti anno 1699; anno sequenti 1701 tribuatur littera b secundæ cellulae, etc.; item anno 1704 tribuantur geminæ litteræ f, e, quintæ cellulae, et sic deinceps aliis annis per ordinem aliæ cellulae tribuantur donec ad annum propositum pervenias, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris; nam cellula in quam annus propositus cadit, dummodo minor sit quam annus 1800, dabit litteram dominicalem propositi anni; quæ si unica occurrerit, annus erit communis; si vero duplex, bissextilis, et tunc superior littera dominicam diem ostendet in kalendario a principio anni usque ad festum S. Mathiæ apostoli inferior autem ab hoc festo usque ad finem anni.

## DE INDICITIONE.

Indictio est revolutio 15 annorum ab 1 usque ad 15; qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli a januario in bullis pontificiis; et quoniam indictio-  
num frequens usus est in diplomatibus, et scripturis publicis, facile  
annum indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex  
sequenti tabella, cujus usus perpetuus est : initium tamen sumit ab  
anno correctionis 1582.



---

10, 11, 12, 13, 14, 15, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

---

Nam si anno 1582 tribuas primum numerum, qui est 10, et sequenti anno 1583 secundum numerum, qui est 11, et sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris, cadet annus propositus in indictionem quæ quæritur.

## DE FESTIS MOBILIBUS.

Quoniam ex decreto sacri concilii nicæni Pascha ex quo reliqua festa mobilia pendent, celebrari debet die dominico qui proxime succedit xiv lunæ primi mensis, (is vero apud Hebræos vocatur primus mensis, cujus xiv luna vel cadit in diem verni æquinocitii, quod die 21 mensis martii contingit, vel propius ipsum sequitur) efficitur ut si epacta cujusvis anni inveniatur, et ab ea in kalendario notata inter diem octavum martii inclusive et quintum aprilis inclusive (hujus enim epactæ xiv luna cadit vel in diem æquinocitii verni, id est in diem 21 martii, vel eum propius sequitur) numerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim, proximus dies dominicus diem hunc xiv sequens (ne cum Judæis conveniamus, si forte dies xiv lunæ caderet in diem dominicum) sit dies Paschæ.

Exemplum: anno 1605 epacta est x et littera dominicalis b; et quoniam invenimus epactam x inter diem 8 martii et 5 aprilis inclusive positam esse e regione diei 21 martii, a quo inclusive si deorsum versus numerentur 14 dies, inveniemus xiv lunam die 3 aprilis, quæ est dominica, cum e regione illius sit littera dominicalis b. Ne igitur cum Judæis conveniamus, qui Pascha celebrant die xiv lunæ, sumenda est littera dominicalis b, quæ sequitur xiv lunam, nempe ea quæ e regione diei 10 aprilis collocatur; atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10 aprilis. Item anno 1604 epacta est xxix, et duplex littera dominicalis d c cum annus ille sit bissextilis. Si igitur ab epacta xxix, quæ e regione diei 1 aprilis ponitur inter diem 8 martii et 5 aprilis inclusive, numerentur dies 14, cadet xiv luna in diem 14 aprilis. Et quia tunc currit posterior littera dominicalis, nempe c, quæ post diem 14 aprilis, id est post xiv lunam collocata est e regione diei 18 aprilis, celebrabitur eo anno Pascha die 18 aprilis.

Ceterum ut facilius omnia festa mobilia inveniantur, compositæ sunt duæ sequentes tabulæ Paschales, una antiqua, et nova altera. Ex antiqua ita festa mobilia reperientur: in latere sinistro tabulæ accipiat epacta currens, et in linea litterarum dominicalium sumatur littera dominicalis currens, infra tamen epactam currentem: ita ut si littera dominicalis currens reperiat e regione epactæ currentis, assu-

menda sit eadem littera dominicalis proxime inferior; nam e regione hujus litteræ dominicalis omnia festa mobilia continentur.

Exemplum: anno 1822 epacta est vij et littera dominicalis f. Si igitur in tabula antiqua sumatur littera dominicalis quæ primo infra epactam vij occurrit, reperietur e regione hujus litteræ dominica Septuagesimæ die 3 februarii, dies Cinerum 20 februarii, Pascha 7 aprilis, Ascensio Domini 16 maii, Pentecostes 26 maii, et festum Corporis Christi 6 junii. Dominicæ autem inter Pentecosten et Adventum eo anno erunt 26 et Adventus celebrabitur die 6 decembris; et sic de ceteris. Item anno 1859 epacta est xxvj, et littera dominicalis b, quæ in tabula reperietur e regione epactæ xxvj. Quare sumenda est alia littera b, quæ proxime infra epactam invenitur, e regione cujus invenies Septuagesimam die 20 februarii, diem Cinerum 9 martii, Pascha 24 aprilis, etc.

Notandum autem est quod quemadmodum in anno communi, cadente littera dominicali e regione epactæ in tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra epactam, ut diximus; ita quoque in anno bissextili, si alterutra duarum litterarum dominicalium tunc currentium e regione epactæ reperiat, assumendæ sunt aliæ duæ similes litteræ proxime inferiores, ut festa mobilia inveniantur.

Ex tabula vero Paschali nova ita eadem festa mobilia reperientur. In cellula litteræ dominicalis currentis quærat epacta currens; nam e directo omnia festa mobilia deprehendentur. Ut anno 1823, in cellula litteræ dominicalis e, tunc currentis, e regione epactæ xviii, quæ eodem anno currit, habetur Septuagesima die 26 januarii, dies Cinerum 12 februarii, Pascha 30 martii, etc.

Sed sive antiqua sive nova tabula paschali utamur, inveniendæ sunt omnia festa mobilia in annis bissextilibus per litteram dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post festum S. Mathiæ apostoli, ne scilicet ambigamus utra duarum litterarum pro hoc aut illo festo indagando accipiendæ sit, ita tamen ut Septuagesimæ et diei Cinerum inventæ in januario aut februario addatur unus dies. Quod ideo fit quia ante diem S. Mathiæ currit prior littera dominicalis quæ in kalendario posteriorem semper sequitur; post festum autem S. Mathiæ in februario, licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita ut dies 24 februarii dicatur 25, et dies 25 dicatur 26, etc. Quod si dies Cinerum cadat in martium, nihil addendum est, quia tunc et littera posterior currit, et dies mensis propriis numeris respondent, cum dies intercalaris februario sit additus. Imo nisi per posteriorem litteram investigarentur, non inveniretur recte Septuagesima in anno bissextili, currente epacta xxiv vel xxv, et litteris Dominicalibus d c, ut in secundo ac tertio exemplo perspicuum fiet pro annis 4088 et 3784. Exempli gratia: anno 2096 bissextili epacta erit v, et litteræ Dominicales A g. Si igitur per posteriorem

litteram, quæ est g, Festa mobilia investigentur, reperietur Septuagesima die 11 februarii, et dies Cinerum 28 februarii. Si autem addatur unus dies, cadet Septuagesima in diem 12 februarii, quæ est dominica, et dies Cinerum in diem 29 februarii, quæ est feria quarta. Pascha autem et reliqua festa in eos dies cadent qui in tabula expressi sunt. Item anno 4088 bissextili epacta erit xxiv, et litteræ dominicales d c. Si igitur per litteram c, quæ posterior est, inquirantur festa mobilia, invenietur Septuagesima die 21 februarii, et si addatur unus dies, cadet in diem 22 februarii, quæ est dominica; dies autem Cinerum cadet in diem 10 martii, quare nihil additur, etc. Rursus anno 3784 bissextili epacta erit xxv, et litteræ dominicales d c. Ergo iterum per posteriorem, c reperietur Septuagesima die 21 februarii, hoc est, addita 1 die 22. Quod si per priorem litteram d in utroque horum duorum annorum agendum esset, nihil efficeretur, cum infra epactas xxiv et xxv littera d indicet Septuagesimam die 15 februarii, quod falsum esset, cum eo anno posterior littera c Pascha offerat die 25 aprilis, ac proinde Septuagesima die 22 februarii celebranda sit, ut liquido constat, si a die Paschæ, Dominicæ retro numerentur usque ad Septuagesimam.

In priori porro tabula Paschali antiqua reformata, epactis ad sinistram praposuimus aureos numeros eodem ordine quo ante emendationem kalendarii collocari solebant, ut ex iis festa mobilia invenirentur. Hoc autem idcirco a nobis factum est ut Pascha ceteraque festa mobilia a concilio nicæno usque ad annum 1582 quilibet indagare possit. Eodem autem prorsus artificio ex aureis numeris ita distributis festa mobilia eruuntur quo ex epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando festa hæc celebrata fuerint anno 1450. Quoniam eo anno aureus numerus fuit 7, et littera dominicalis d, si aureus numerus 7 in sinistro latere accipiatur, et prima littera d infra cum occurens, reperietur e regione hujus litteræ d Septuagesima die 1 februarii, dies Cinerum 18 februarii, Pascha die 5 aprilis, etc.

Adventus Domini celebratur semper die dominico qui propinquior est festo S. Andreæ apostoli, nempe a die 27 novembris inclusive usque ad diem 3 decembris inclusive: ita ut littera Dominicalis currens, quæ reperitur in kalendario a die 27 novembris usque ad diem 3 decembris indicet dominicam Adventus. Ut verbi gratia, si littera dominicalis est g, dominica Adventus cadet in diem 2 decembris, quia ibi est littera g in kalendario.

Ad finem tandem tabularum paschalium apposita est tabula temporaria multorum annorum, e regione quorum omnia Festa mobilia inveniuntur; quæ quidem tabula ex tabulis paschalibus excerpta est, ex quibus infinitæ aliæ erui possunt pro quibuscumque annis.



TABULA PASCHALIS

Att. omi.	Cyclus Epactarum.	Septua- gesima.	Dies Cinerum.
D.	23, 22, 21, 20, 19, 18, 17, 16, 15, 14, 13, 12, 11, 10, 9, 8, 7, 6, 5, 4, 3, 2, 1, *, 29, 28, 27, 26, 25, 25, 24.	18 jan. 25 jan. 1 feb. 8 feb. 15 feb.	4 feb. 11 feb. 18 feb. 25 feb. 4 mar.
E.	23, 22, 21, 20, 19, 18, 17, 16, 15, 14, 13, 12, 11, 10, 9, 8, 7, 6, 5, 4, 3, 2, 1, *, 29, 28, 27, 26, 25, 25, 24.	19 jan. 26 jan. 2 feb. 9 feb. 16 feb.	5 feb. 12 feb. 19 feb. 26 feb. 5 mar.
F.	23, 22, 21, 20, 19, 18, 17, 16, 15, 14, 13, 12, 11, 10, 9, 8, 7, 6, 5, 4, 3, 2, 1, *, 29, 28, 27, 26, 25, 25, 24.	20 jan. 27 jan. 3 feb. 10 feb. 17 feb.	6 feb. 13 feb. 20 feb. 27 feb. 6 mar.
G.	23, 22, 21, 20, 19, 18, 17, 16, 15, 14, 13, 12, 11, 10, 9, 8, 7, 6, 5, 4, 3, 2, 1, *, 29, 28, 27, 26, 25, 25, 24.	21 jan. 28 jan. 4 feb. 11 feb. 18 feb.	7 feb. 14 feb. 21 feb. 28 feb. 7 mar.
A.	23, 22, 21, 20, 19, 18, 17, 16, 15, 14, 13, 12, 11, 10, 9, 8, 7, 6, 5, 4, 3, 2, 1, *, 29, 28, 27, 25, 25, 25, 24.	22 jan. 29 jan. 5 feb. 12 feb. 19 feb.	8 feb. 15 feb. 22 feb. 1 mar. 8 mar.
B.	23, 22, 21, 20, 19, 18, 17, 16, 15, 14, 13, 12, 11, 10, 9, 8, 7, 6, 5, 4, 3, 2, 1, *, 29, 28, 27, 26, 25, 25, 24.	23 jan. 30 jan. 6 feb. 13 feb. 20 feb.	9 feb. 16 feb. 23 feb. 2 mar. 9 mar.
C.	23, 22, 21, 20, 19, 18, 17, 16, 15, 14, 13, 12, 11, 10, 9, 8, 7, 6, 5, 4, 3, 2, 1, *, 29, 28, 27, 26, 25, 25, 24.	24 jan. 31 jan. 7 feb. 14 feb. 21 feb.	10 feb. 17 feb. 24 feb. 3 mar. 10 mar.



TABELLA TEMPORARIA

Anni Dom.	Littera Domin.	Aur. numer.	Epacta.	Septuage- sima.	Dies Cinerum.	Pascha.
1828	fe	5	xiv.	3 febr.	20 febr.	6 apr.
1829	d	6	xxv.	15 febr.	4 mar.	19 apr.
1830	c	7	vi	7 febr.	24 febr.	11 apr.
1831	b	8	xvij	30 jan.	16 febr.	3 apr.
1832	A	9	xxvij	19 febr.	7 mar.	22 apr.
1833	f	10	ix	3 febr.	20 febr.	7 apr.
1834	e	11	xx	26 jan.	12 febr.	30 mar.
1835	d	12	i	15 febr.	4 mar.	19 apr.
1836	cb	13	xij	31 jan.	17 febr.	3 apr.
1837	A	14	xxij	22 jan.	8 febr.	26 mar.
1838	g	15	iv	11 febr.	28 febr.	15 apr.
1839	f	16	xv	27 jan.	13 febr.	31 mar.
1840	e d	17	xxvj	16 febr.	4 mar.	19 apr.
1841	c	18	vij	7 febr.	24 febr.	11 apr.
1842	b	19	xvij	23 jan.	9 febr.	27 mar.
1843	A	1	*	12 febr.	1 mar.	16 apr.
1844	g f	2	xj	4 febr.	21 febr.	7 apr.
1845	e	3	xxij	19 jan.	5 febr.	23 mar.
1846	d	4	ij	8 febr.	25 febr.	12 apr.
1847	c	5	xiv	31 jan.	17 febr.	4 apr.
1848	b A	6	xxv	20 febr.	8 mar.	23 apr.
1849	g	7	vj	4 febr.	21 febr.	8 apr.
1850	f	8	xvij	27 jan.	13 febr.	31 mar.
1851	e	9	xxvij	16 febr.	5 mar.	20 apr.
1852	d c	10	ix	8 febr.	25 febr.	11 apr.
1853	b	11	xx	23 jan.	9 febr.	27 mar.
1854	A	12	i	12 febr.	1 mar.	16 apr.
1855	g	13	xij	4 febr.	21 febr.	8 apr.
1856	f e	14	xxij	20 jan.	6 febr.	23 mar.
1857	d	15	iv	8 febr.	25 febr.	12 apr.
1858	c	16	xv	31 jan.	17 febr.	4 apr.
1859	b	17	xxvj	20 febr.	9 mar.	24 apr.
1860	A g	18	vij	5 febr.	22 febr.	8 apr.
1861	f	19	xvij	27 jun.	13 febr.	31 mar.
1862	e	1	*	16 feb.	5 mar.	20 apr.



# KALENDARIUM

## HUIUS PARTIS VERNÆ.

### FEBRUARIUS.

<i>Cyclus</i>	<i>L.</i>		<i>D.</i>	
<i>Epact.</i>	<i>D.</i>		<i>M.</i>	
xxj	d	vj	8	Joannis de Matha, conf., <i>duplex</i> .
xx	e	v	9	Apolloniæ, virg. et martyr.
xix	f	iv	10	Scholasticæ, virginis, <i>duplex</i> .
xviii	g	iiij	11	
xvij	A	<i>Prid.</i>	12	
xvj	b	<i>Idib.</i>	13	
xv	c	xvj	14	Valentini, presbyteri et mart.
xiv	d	xv	15	Faustini et Jovitæ, martyrum.
xiii	e	xiv	16	
xij	f	xiii	17	
xj	g	xij	18	Simeonis, episcopi et martyris.
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viii	c	ix	21	
vij	d	viii	22	<i>Cathedra sancti Petri Antiochiæ, duplex maj.</i>
vj	e	vij	23	Margaritæ de Cortona, <i>duplex (pro tota Italia et insulis adjacentibus)</i> .
v	f	vj	24	MATHIÆ APOSTOLI, dup. ii classis.
iv	g	v	25	
iii	A	iv	26	
	b	iii	27	
	c	<i>Prid.</i>	28	

In anno bissextili februius est dierum 29, et festum S. Mathiæ celebratur die 25 februarii, et bis dicitur *sexto kalendas*, id est die 24 et die 25, et littera dominicalis quæ assumpta fuit in mense januario mutatur in præcedentem : ut si in januario littera dominicalis fuit *A*, mutatur in præcedentem quæ est *g*, etc., et littera *f* bis servit, 24 et 25.



# MARTIUS.

Cyclus	L.	D.	D.
Epact.	D.	M.	
*	d	Kal.	1
iiii	e	vj	2
xxviii	f	v	3
xxvij	g	iv	4
xxvj	A	iiij	5
xxv	b	Prid.	6
xxiv	c	Non.	7
xxiii	d	viii	8
xxii	e	vij	9
xxi	f	vj	10
xx	g	v	11
xix	A	iv	12
xviii	b	iiij	13
xvii	c	Prid.	14
xvi	d	Idib.	15
xv	e	xviij	16
xiv	f	xvj	17
xiii	g	xv	18
xii	A	xiv	19
xi	b	xiiij	20
x	c	xij	21
ix	d	xj	22
viii	e	x	23
vii	f	ix	24
vi	g	viii	25
v	A	vij	26
iv	b	vj	27
iii	c	v	28
ii	d	iv	29
i	e	iiij	30
*	f	Prid.	31

Casimiri, conf., *semid.* cum *commem.* S. Lucii, papæ et mart.

Thomæ Aquinatis, confes. et eccl. doctoris, *duplex cum commem.* SS. Perpetuæ et Felicitatis, martyrum.

Joannis de Deo, conf., *duplex.*

Franciscæ Romanæ, viduæ, *duplex.*

Quadragesima martyrum, *semid.*

Gregorii, papæ, confes. et ecclesiæ doctoris, *duplex.*

Patricii, episc. et conf., *semid.*

JOSEPH, SPONSI B. V. M., *duplex ii classis.*

Benedicti, abbatis, *duplex.*

ANNUNTIATIO B. M. V., *duplex ii classis.*

Feria sexta post dominicam Passionis celebratur festum septem dolorum B. V. M., *duplex majus.*

# APRILIS.

<i>Cyclus</i>	<i>L.</i>	<i>M.</i>	
<i>Epact.</i>	<i>D.</i>	<i>D.</i>	
xxix	g	<i>Kal.</i>	1
xxviiij	A	iv	2 Francisci de Paula, conf., <i>duplex.</i>
xxviij	b	iiij	3
25 xxvj	c	<i>Prid.</i>	4 Isidori, episc., conf. et doct., <i>duplex.</i>
xxv xxiv	d	<i>Non.</i>	5 Vincentii Ferrerii, conf., <i>duplex.</i>
xxiiij	e	viiij	6
xxij	f	vij	7
xxj	g	vj	8
xx	A	v	9
xix	b	iv	10
xviiij	c	iiij	11 Leonis I, papæ, conf. et doct., <i>duplex.</i>
xviij	d	<i>Prid.</i>	12
xvj	e	<i>Idib.</i>	13 Hermenegildi, regis et mart., <i>semid.</i>
xv	f	xviiij	14 Tiburtii, Valeriani et Maximi, martyrum.
xiv	g	xviij	15
xiiij	A	xvj	16
xij	b	xv	17 Aniceti, papæ et martyris.
xj	c	xiv	18
x	d	xiiij	19
ix	e	xij	20
viiij	f	xj	21 Anselmi, episc., conf. et doct. <i>duplex.</i>
vij	g	x	22 Soteris et Caji, pontificum et martyrum, <i>semid.</i>
vj	A	ix	23 Georgii, martyris, <i>semid.</i>
v	b	viiij	24 Fidelis a Sigmaringa, Protomartyris, <i>duplex minus.</i>
iv	c	vij	25 MARCI EVANGELISTÆ, dupl. ii classis.
iiij	d	vj	26 Cleti et Marcellini, pontificum et martyrum <i>semid.</i>
ij	e	v	27
j	f	iv	28 Vitalis, martyris.
*	g	iiij	29 Petri, martyris, <i>duplex.</i>
xxix	A	<i>Prid.</i>	30 Catharinæ Senensis, virg., <i>duplex.</i>

# MAIUS.

<i>Cyclus</i>	<i>L.</i>	<i>D.</i>	<i>D.</i>
<i>Epact.</i>	<i>D.</i>	<i>M.</i>	
xxviii	b	Kal.	1 <i>Philippi et Jacobi Apostolorum</i> , dup. sec. clas.
xxvii	c	vj	2 <i>Athanasii</i> , episc. et conf., <i>duplex</i> .
xxvi	d	v	3 <i>Inventio S. Crucis</i> , dup. ii classis, et com. SS. <i>Alexandri</i> , <i>Eventii</i> , et <i>Theoduli</i> , mart., ac <i>Juvenalis</i> , ep. et conf., in <i>Laudibus tantum</i> .
25 xxv	e	iv	4 <i>Monicæ</i> , viduæ, <i>duplex</i> .
xxiv	f	iii	5 <i>Pii V</i> , papæ et conf., <i>duplex</i> .
xxiii	g	<i>Prid.</i>	6 <i>Joannis ante Portam Latinam</i> , <i>duplex maj.</i>
xxii	A	<i>Non.</i>	7 <i>Stanislai</i> , episc. et mart., <i>duplex</i> .
xxi	b	viii	8 <i>Apparitio S. Michaelis Arch.</i> , <i>duplex maj.</i>
xx	c	vii	9 <i>Gregorii Nazianzeni</i> , episc., conf. et eccl. doc- toris, <i>duplex</i> .
xix	d	vj	10 <i>Antonini</i> , episc. et conf., <i>semid.</i> , cum comm. SS. <i>Gordiani</i> et <i>Epimachi</i> , mart.
xviii	e	v	11 <i>Nerei</i> , <i>Achillei</i> , et <i>Domitillæ</i> , virg., atque <i>Pancratii</i> , mart., <i>semid.</i>
xvii	f	iv	12
xvi	g	iii	13
xv	A	<i>Prid.</i>	14 <i>Bonifacii</i> , martyr.
xiv	b	<i>Idib.</i>	15 <i>Ubaldi</i> , episc. conf., <i>semid.</i>
xiii	c	xvi	16 <i>Paschalis Baylon</i> , <i>duplex</i> .
xii	d	xv	17 <i>Venantii</i> , martyr, <i>duplex</i> .
xi	e	xv	18 <i>Petri Coelestini</i> , papæ et confes., <i>duplex cum</i> <i>commem.</i> S. <i>Pudentianæ</i> , virg.
x	f	xiv	19 <i>Bernardini Senensis</i> , conf., <i>semid.</i>
ix	g	xiii	20 <i>Felici</i> a <i>Cantalicio</i> , confes., <i>semid. pro tota</i> <i>Italia et insulis adjacentibus</i> .
viii	A	xii	21
vii	b	xi	22
vi	c	x	23
v	d	ix	24
iv	e	viii	25 <i>Gregorii VII</i> , papæ et conf., <i>dupl. cum com-</i> <i>mem.</i> S. <i>Urbani</i> , papæ et mart.
iii	f	vii	26 <i>Philippi Nerii</i> , conf., <i>dup. cum comm.</i> S. <i>Eleu-</i> <i>therii</i> , papæ et mart.
ii	g	vj	27 <i>Mariæ Magdalænæ de Pazzis</i> , virg., <i>semidu-</i> <i>plex (sed in tota Italia et insulis adja-</i> <i>centibus tantum duplex)</i> , cum <i>commemor.</i> S. <i>Joannis</i> , papæ et mart.

# MAJUS.

<i>Cyclus</i>	<i>L.</i>		<i>D.</i>	
<i>Epact.</i>	<i>D.</i>		<i>M.</i>	
i	A	v	28	
*	b	iv	29	
xxxi	c	iiij	30	Felicitis, papæ et mart.
xxviiij	d	<i>Prid.</i>	31	Petronillæ, virg.

# JUNIUS.

<i>Cyclus.</i>	<i>L.</i>		<i>D.</i>	
<i>Epact.</i>	<i>D.</i>		<i>M.</i>	
xxvij	e	<i>Kal.</i>	1	
25 xxvj	f	iv	2	Marcellini, Petri atque Erasmi, mart.
xxv xxiv	g	iiij	3	
xxiiij	A	<i>Prid.</i>	4	Francisci Caracciolo, confes., <i>duplex.</i>
xxij	b	<i>Non.</i>	5	
xxj	c	viiij	6	Norberti, episc. et confes., <i>duplex.</i>
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	
xviiij	f	v	9	Primi et Feliciani, martyrum.
xvij	g	iv	10	Margaritæ, reginæ Scotiæ, viduæ, <i>semid.</i>
xvj	A	iiij	11	<i>Barnabæ Apostoli</i> , <i>duplex maj.</i>
xv	b	<i>Prid.</i>	12	Joannis a S. Facundo, <i>duplex cum commem.</i> SS. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii, martyrum.
xiv	c	<i>Idib.</i>	13	
xiiij	d	xviiij	14	
xij	e	xvij	15	Viti, Modesti atque Crescentiæ, mart., <i>com.</i>
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	Marci et Marcelliani, mart.
viiij	b	xiiij	19	Gervasii et Protasii, mart., <i>commem.</i>

---

## DUÆ TABELLÆ

EX RUBRICIS GENERALIBUS EXCERPTÆ.

---

*In quarum prima statim videri poterit de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die festa occurrant.*

*In secunda vero quomodo Officium præcedens concurret in Vesperis cum Officio sequentis diei.*

*Ex utraque Tabella hoc ordine reperietur quod quæritur.*

Primum inveniatur numerus positus in quadrangulo illo in quo festa de quibus est controversia sibi invicem occurrunt : deinde legatur regula juxta dictum numerum descripta, et ex ea clare videbitur quid sit agendum.

Exempli gratia : Quadrangulus in quo sibi invicem occurrunt duplex primæ classis, et Dominica primæ classis erit qui est in angulo superiori primæ tabellæ, in quo signatus est numerus 1, quia si ad eum tam duplex quam Dominica prædicta ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem juxta dictum numerum apposita sic habet, 1 *Translatio de primo, Officium de secundo*, id est duplex primæ classis prædictum transferatur, et Officium fiat de Dominica primæ classis : quia cum in his regulis dicitur, de primo, seu præcedenti, intelligitur de festo in superiori parte tabellæ apposito, ut duplex prædictum : cum de secundo vel sequenti, intelligitur de festo in inferiori parte sub numeris apposito, ut Dominica prædicta.

In aliquibus autem quadrangulis nullus appositus est numerus, vel quia nullus occursus neque concursus esse potest, vel quia in propriis locis adnotatur in Breviario quid sit agendum.

Scire tamen oportet quæ sint Duplicia primæ et secundæ classis, et majora per annum, et quæ Dominicæ et feriæ majores dicantur.

### DUPLICIA PRIMA CLASSIS

*in quibus nulla fit commemoratio quorumcumque festorum occurrentium, nisi prout supra in Rubricis.*

Nativitas Domini.

Epiphania Domini.

Pascha Resurrectionis cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus.

Ascensio Domini.

Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.

Festum Corporis Christi.

Nativitas sancti Joannis Baptistæ.

Festum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Assumptio beatæ Mariæ virginis.

Festum omnium Sanctorum.

Dedicatio propriæ Ecclesiæ.  
 Patronus *vel* Titulus Ecclesiæ.  
**DUPLICIA SECUNDÆ CLASSIS**  
*in quibus de simplicibus fit commemoratio in Laudibus tantum.*  
 Circumcisio Domini.  
 Festum sancti Nominis Jesu.  
 Festum sanctissimæ Trinitatis.  
 Purificatio  
 Annuntiatio  
 Nativitas  
 Conceptio  
 Natalitia duodecim Apostolorum.  
 Festa Evangelistarum.  
 Festum S. Stephani Protom.  
 Festum SS. Innocentium.  
 Festum S. Joseph.  
 Inventio Sanctæ Crucis.  
 Festum sancti Laurentii.  
 Dedicatio S. Michaelis Archangeli.

**DOMINICÆ MAJORES.**

*Dividuntur in duas classes.*

DOMINICÆ PRIMÆ CLASSIS,  
*quæ nunquam omittuntur*  
 Prima Adventus. Prima Quadragesimæ. Passionis. Palmarum. Paschæ. In Albis. Pentecostes. Trinitatis.

DOMINICÆ SECUNDÆ CLASSIS,  
*quæ non omittuntur, nisi occurrente Patrono vel Titulari Ecclesiæ, et ejusdem Dedicatione, et tunc de iis fit semper commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus.*

Secunda  
 Tertia  
 Quarta  
 } Adventus.

Dominicæ  
 } Septuagesimæ.  
 } Sexagesimæ.  
 } Quinquagesimæ.  
 Secunda  
 Tertia  
 Quarta  
 } Quadragesimæ.

**DUPLICIA MAJORA PER ANNUM,**  
*quæ aliis duplicibus minoribus præferuntur.*

Transfiguratio Domini.  
 Exaltatio sanctæ Crucis.  
 Festum Septem Dolorum  
 Visitatio  
 Festum de Monte Carmelo  
 Festum ad Nives  
 Festum SS. Nominis  
 Festum de Mercede  
 Festum SS. Rosarii  
 Præsentatio

Beatæ Mariæ.

Conversio S. Pauli Apostoli.  
 Cathedra S. Petri, utraque.  
 Festum sancti Joannis ante portam latinam.

Apparitio S. Michaelis Archang.  
 S. Barnabæ Apostoli.  
 Festum S. Annæ, matris beatæ virginis Mariæ.

Festum S. Petri ad Vincula.  
 Festum S. Joachim confessoris.  
 Festum Decollationis S. Joannis Baptistæ.

Patronorum minus principalium.

**FERIÆ MAJORES**

*de quibus semper fit commemoratio.*

Adventus.  
 Quadragesimæ.  
 Quatuor Temporum.  
 Secunda Rogationum.





Infra illas octavas in quibus fit de festis occurrentibus, semiduplex occurrens in dominica, transfertur in proxime sequentem diem : quasi fuerit impedita alio simili festo, transfertur post octavam.

De octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Corporis Christi semper fit commemoratio quocumque festum in illis occurrente.

De aliis Octavis, quæ non sunt in kalendario, nihil fit a feria quarta Cinerum usque ad dominicam in albis, et a vigilia Pentecostes usque ad festum Trinitatis inclusive ; et a die 17 decembris usque ad Epiphaniam.

Dies octavæ nunquam transfertur : ideo quanquam Nativitas sancti Joannis Baptistæ occurrens in die Corporis Christi, transferatur in diem sequentem, non tamen transfertur octava, sed de ea fit tantum commemoratio in officio de octava Corporis Christi.

Si occurrat ut Patronus vel Titulus ecclesiæ descriptus sit eode die in kalendario cum aliis sanctis, in ea ecclesia fit tantum de Patrono vel Titulari absque commemoratione aliorum. Qui si in dicto kalendario descripti sint sub officio duplici, vel semiduplici, transferuntur in primam diem simili officio non impeditam, et de eis fit officium semiduplex : nisi tamen sint de majoribus festis, quia tunc translato quoque fiet officium duplex, ac si proprio die celebraretur. Si vero in kalendario omnes sint tanquam festum simplex, de aliis nihil fit.

De feriis Adventus et Quadragesimæ, quando de eis non fit officium, fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus cujuscumque festi : de Quatuor Temporibus, et feria secunda Rogationum, ac vigiliis, in Laudibus tantum. Si vero aliqua vigilia occurrat in Adventu Quadragesima, et Quatuor Temporibus, vel in diebus festorum duplicium primæ classis, sive Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Ecclesiæ, de ea nihil fit, nec etiam in Laudibus.



## QUANDO CONCURRIT.

Dominica major seu primæ et sec. classis cum,	0	4	3	4	4	3	3	3	3	3	0
Dominica minor, seu per annum,	0	4	3	4	4	3	3	1	1	1	0
Duplex primæ Classis,	2	2	4	2	4	4	4	0	4	6	4
Duplex secundæ Classis,	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	4
Patronus seu Titulus Ecclesiæ,	2	2	4	2	4	4	4	0	4	0	4
Duplex per Annum majus,	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	4
Duplex per annum minus,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Semiduplex,	4	5	3	4	5	3	3	1	1	1	5
Dies Octavæ,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Dies infra Octavam,	0	0	3	4	5	3	3	1	1	1	5
1. Totum de sequenti, nihil de præcedenti.	Sancta Maria in Sabbato.	Die infra Octavam.	Simplici.	Semiduplex.	Duplex per annum majore.	Duplex per annum minore.	Patronus, seu Titulus Ecclesiæ.	Duplex secundæ classis.	Duplex primæ classis.	Dominica quæcumque.	
2. Totum de præcedenti, nihil de sequenti.											
3. Totum de sequenti, commemoratio de præcedenti.											
4. Totum de præcedenti, commemoratio de sequenti.											
5. Capitulum de sequenti, commemoratio de præcedenti.											
6. Totum de digniori, commemoratio de minus digno.											
Simplex, et Sancta Maria in Sabbato, Feria, et Vigilia non concurrunt.											

Notandum quod in primis Vesperis diei octavæ Ascensionis, et Corporis Christi, totum officium fit de octava, cum commemoratione præcedentis festis duplicis, nisi fuerit festum solemne principale, vel primæ, vel secundæ classis: quia tunc de festo fieret Officium et commemoratio de octava.

In secundis Vesperis diei Octavæ Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis et Corporis Christi, de sequenti duplici fit tantum commemoratio, nisi illud fuerit primæ vel secundæ classis, seu Patronus vel Titulus, aut Dedicatio ecclesiæ, quia tunc de festo fieret Officium, et de Octava commemoratio. Et similiter die octava Corporis Christi in secundis Vesperis concurrente cum die Octava S. Joannis Baptistæ, Vesperæ erunt de octava Corporis Christi, cum commemoratione octavæ sancti Joannis.

In secundis Vesperis duplicis secundæ classis non fit commemoratio de die infra octavam, nisi quando de ea fieri debeat officium die sequenti.

Cum plures fiunt commemorationes, servetur hic ordo. De duplici, de dominica, de semiduplici, de die infra octavam; de feria majore, seu vigilia, de sancta Maria in sabbato, de simplici.

---

# ORATIO

## DICENDA ANTE DIVINUM OFFICIUM.

---

**A**PERI, Dómine, os meum ad benedicéndum nomen sanctum tuum : munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perversis, et aliénis cogitationibus : intelléctum illúmina, afféctum inflámma, ut digne, atténte, ac devóte hoc Officium recitáre váleam, et exaudiri mérear ante conspéctum divínæ Majestátis tuæ. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Dómine, in unióne illíus divínæ intentiónis, qua ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi Horas persólvo.

*Orationem sequentem devote post Officium recitantibus  
Leo Papa X defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit.*

**S**ACROSANCTÆ et indivíduæ Trinitáti, crucifixi Dómini nostri Jesu Christi humanitáti, beatíssimæ et gloriosíssimæ, semperque vírginis Mariæ fœcúndæ integritáti, et ómnium Sanctorum universitáti sit sempitérna laus, honor, virtus et glóriab omni creatúra, nobisque remissio ómnium peccatorum per infinita sæcula sæculórum.

R. Amen.

V. Beáta viscera Mariæ vírginis, quæ portavérunt ætérn Patris Fílium.

R. Et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum Pater noster.

Ave, María.

---

# ABSOLUTIONES

ET

## BENEDICTIONES

VENDE ANTE LECTIONES IN OFFICIO NOVEN ET TRIUM  
LECTIONUM.

IN PRIMO NOCTURNO,

ET PRO SECUNDA ET QUINTA FERIA.

ABSOLUTIO.

AUDI, Dómine Jesu Christe, preces servórum tuórum,  
miserére nobis : qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et  
regnas in sæcula sæculórum.

R. Amen.

BENEDICTIONES.

1. Benedictióne perpétua benedicat nos Pater ætérnus.

R. Amen.

2. Unigénitus Dei Fílius nos benedicere et adjuvare  
debetur.

3. Spíritus Sancti grátia illúminet sensus et corda nostra.

IN SECUNDO NOCTURNO,

ET PRO TERTIA ET SEXTA FERIA.

ABSOLUTIO.

1. pietas et misericórdia nos ádjuvet, qui cum Patre et  
Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum.

R. Amen.

BENEDICTIONES.

Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens.

R. Amen.

5. Christus perpétuæ det nobis gáudia vitæ.
6. Ignem sui amoris accéndat Deus in córdibus nostris.

## IN TERTIO NOCTURNO,

ET PRO FERIA QUARTA ET SABBATO.

## ABSOLUTIO.

**A**VINCULIS peccatórum nostrórum absólvat nos omnipotens et miséricors Dóminus.

R<sup>y</sup>. Amen.

## BENEDICTIONES.

7. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio.

R<sup>y</sup>. Amen.

8. Divínium auxílium máneat semper nobíscum.

9. Ad societátem civium supérnorum perdúcat nos Rex Angelórum.

*Si Officium fit de Sancto novem Lectionum, octava Benedictio erit*

Cujus festum cólimus, ipse, *vel* ipsa intercédant pro nobis ad Dóminum.

*Quando sunt plures dicitur, Quorum vel Quarum festum cólimus, ipsi, vel ipsæ intercédant pro nobis ad Dóminum.*

*Si Officium fit de S. Maria, octava Benedictio erit*

Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum intercédant pro nobis ad Dóminum.

*Si in ultima Lectione legendum sit aliud Evangelium cum Homilia, nona Benedictio erit*

Per Evangélica dicta deleántur nostra délicta.

*In Officio trium Lectionum dicuntur Absolutiones et Benedictiones prædictæ, ordine superius in Rubricis generalibus, et in prima Dominica de Adventu descripto: et in eo, quando non legitur Homilia cum Evangelio, et Benedictiones sumendæ sunt ex tertio Nocturno, prima Benedictio erit*

1. Ille nos benedícat qui sine fine vivit et regnat.
2. Divínium auxílium.
3. Ad societátem.

*In Officio trium Lectionum, quando legitur Homilia cum Evangelio, prima Benedictio erit*

1. *Evangelica lectio.*
2. *Divinum auxilium.*
3. *Ad societatem.*

*Si Officium fit de Sancto trium Lectionum, prima Benedictio erit*

1. *Ille nos benedicat qui sine fine vivit et regnat.*
2. *Cujus vel Quorum.*
3. *Ad societatem.*

*In Officio de sancta Maria in Sabbato, Absolutio et Benedictiones quæ ibidem ponuntur.*

---



# PSALTERIUM

DISPOSITUM

PER HEBDOMADAM,

CUM ORDINARIO OFFICII DE TEMPORE.

---

## PARS VERN.

---

DOMINICA AD MATUTINUM.

*Ante Matutinum et omnes Horas, præterquam ad Completorium, dicitur secreto :*

**P**ATER noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum : advénia regnum tuum : fiat volúntas tua, sicut in cœlo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hódie : et dimitte nobis débita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris : Et ne nos inducas in tentationem : sed libera nos a malo. Amen.

**A**VE, María, grátia plena : Dóminus tecum : Benedíctu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

*Vern.*

*In principio Matutini et Primæ, ac in fine Completorii, dicitur etiam Symbolum Apostolorum.*

**C**REDO in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dóminum nostrum : qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mortuus, et sepúltus : descendit ad inferos, tértia die resurrexit a mórtuis : ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis : inde venturus est judicare vivos et mórtuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiám Cathólicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.



*Deinde clara voce dicitur  
Versus :*

**D**OMINE, lábia mea apéries.

R. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

✠. Deus, in adjutórium meum inténde.

R. Dómine, ad adjuvándum me festína. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto: Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Laus tibi, Dómine, Rex æternæ glóriæ.

*Sic dicitur Laus tibi, Dómine, etc., ad omnes horas per totam Quadragesimam usque ad feriam quintam in Cœna Domini, et a Sabbato sancto dicitur Allelúia.*

*Invitatorium sequens dicitur in Dominicis tantum, a prima Dominica Quadragesimæ usque ad Dominicam Passionis.*

*Invitatorium.* — Non sit vobis vanum mane súrgere ante lucem, \* Quia promísit Dóminus corónam vigilántibus. *Repetitur* Non sit vobis vanum mane súrgere ante lucem, quia promísit Dóminus corónam vigilántibus.

PSALMUS 94.

**V**ENITE, exultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus faciém ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Non sit vobis vanum mane

súrgere ante lucem, quia promísit Dóminus corónam vigilántibus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repellet Dóminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Non sit vobis vanum mane súrgere ante lucem, quia promísit Dóminus corónam vigilántibus.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, et procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster: nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Non sit vobis vanum mane súrgere ante lucem, quia promísit Dóminus corónam vigilántibus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in deserto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt, et vidérunt ópera mea.

Non sit vobis vanum mane súrgere ante lucem, quia promísit Dóminus corónam vigilántibus.

Quadráginta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde: ipsi vero non cognovérunt

vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

Non sit vobis vanum mane surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus.

Glória Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Non sit vobis vanum mane surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus.

*Hymnus sequens dicitur in Dominicis et Feriis, usque ad Dominicam Passionis exclusive.*

## HYMNUS.

**Ex** more docti mystico  
Servemus hoc jejunium,  
Deno dierum circulo  
Ducto quater notissimo.

Lex et Prophætæ primitus  
Hoc prætulérunt, postmodum  
Christus sacravit, omnium  
Rex atque Factor temporum.

Utámur ergo párcius  
Verbis, cibis, et pótibus,  
Somno, jocis, et árcius  
Perstémus in custódia.

Vitémus autem nóxia,  
Quæ subruunt mentes vagas,  
Nullúmque demus cállidi  
Hostis locum tyránnidi.

Flectámus iram vindicem,  
Plorémus ante Júdicem,  
Clamémus ore súplici,  
Dicámus omnes cernui:  
Nostris malis offéndimus

Tuam, Deus, cleméntiam;  
Effúnde nobis désuper  
Remissor indulgéntiam.

Meménto quod sumus tui,  
Licet cadúci, plásmatis:  
Ne des honórem nóminis  
Tui, precámur, álteri.

Laxa malum quod fécimus,  
Auge bonum quod póscimus,  
Placére quo tandem tibi  
Possimus hic, et pépetim.

Præsta, beáta Trínitas,  
Concéde simplex Unitas,  
Ut fructuósa sint tuis  
Jejuniórum múnera.

Amen.

*Tempore Paschali.*

*Ad Matutinum, Invitatorium. — Surréxit Dóminus vere. \* Allelúia.*

*Psalmus Veníte, exultémus, 2.*

## HYMNUS.

**R**EX sempitérne Cœlitum,  
Rerum Créator ómnium,  
Æquális ante sæcula  
Semper parénti Fílius;

Nascénte qui mundo Faber,  
Imáginem vultus tui  
Tradens Adámo, nóbilem  
Limo jugásti spíritum,

Cum livor et fraus dæmonis  
Fœdásset humánum genus  
Tu carne amíctus, pérditam  
Formam refórmas, Artifex.

Qui, natus olim e Virgine,  
Nunc e sepúlcro násceris,  
Tecúmque nos a mórtuis  
Jubes sepúltos súrgere.

Qui Pastor ætérmus gregem  
Aqua lavas Baptismatis:  
Hæc est lavácrum méntium:  
Hæc est sepúlcrum criminum.

Nobis diu qui débitæ  
Redemptor affixus Cruci,  
Nostræ dedisti prodigus  
Prætiū salutis sanguinem.

Ut sis perenne mentibus  
Paschale, Jesu, gaudium,  
A morte dira criminum  
Vitæ renatos libera.

Deo Patri sit gloria,  
Et Filio, qui a mortuis  
Surrexit, ac Paráclito,  
In sempiterna sæcula.

Amen.

~~~~~

### IN I° NOCTURNO.

*Per Annum, Antiphona*  
Servite Dómino.

*Tempore Paschali, Anti-*  
*phona Allelúia.*

*Asteriscus (\*) notat pausam*  
*cantus in Choro.*

### PSALMUS I.

BEATUS vir qui non abiit in  
consilio impiórum, et in via  
peccatórum non stetit, \* et in  
cáthedra pestilentiae non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas  
ejus, \* et in lege ejus me-  
ditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum  
quod plantátum est secus de-  
cursus aquárum, \* quod fruc-  
tum suum dabit in témpore  
suo.

Et fólium ejus non défluat:  
\* et ómnia quaecúmque faciet  
prosperabúntur.

Nonsic ímpii, non sic: \* sed  
tanquam pulvis, quem próji-  
cit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii  
in iudicio: \* neque pecca-

tóres in concilio justórum.

Quóniam novit Dóminus  
viam justórum: \* et iter im-  
piórum peribit.

Glória Patri, et Filio, \* et  
Spirítui Sancto.

Sicut erat in principio, et  
nunc, et semper, \* et in sæ-  
cula sæculórum. Amen.

*Hic versus Glória Patri sem-*  
*per dicitur in fine omnium*  
*Psalmorum, nisi aliter no-*  
*tetur.*

### PSALMUS 2.

QUARE fremuérunt gentes,  
\* et pópuli meditáti sunt iná-  
nia?

Astitérunt reges terræ,  
et príncipes convenérunt in  
unum, \* advérsus Dóminum,  
et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eo-  
rum: \* et projiciámus a no-  
bis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irri-  
débit eos: \* et Dóminus sub-  
sannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in  
ira sua, \* et in furóre suo  
conturbábit eos.

Ego autem constitútus  
sum rex ab eo super Sion  
montem sanctum ejus, \* præ-  
dicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: \*  
Fílius meus es tu, ego hódie  
génui te.

Póstula a me, et dabo tibi  
gentes hæreditátem tuam, \*  
et possessiónem tuam térmi-  
nos terræ.

Reges eos in virga férrea, \*

et tanquam vas figuli confringes eos.

Etnunc, reges, intelligite; \* erudimini, qui iudicatis terram.

Servite Dómino in timóre, \* et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplinam, nequándo irascátur Dóminus, \* et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, \* beáti omnes qui confidunt in eo.

## PSALMUS 3.

**DOMINE**, quid multiplicati sunt qui tribulant me? \* multi insúrgunt advérsus me.

Multi dicunt animæ meæ: \* Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, \* glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: \* et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: \* et exurréxi, quia Dóminus suscepit me.

Non timébo millia pópuli circumdántis me: \* exúrge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussisti omnes adversántes mihi sine causa: \* dentes peccatórum contrivisti.

Dómini est salus: \* et super pópulum tuum benedictio tua.

## PSALMUS 6.

**DOMINE**, ne in furóre tuo

arguas me: \* neque in ira tua corripas me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infirmus sum: \* sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: \* sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: \* salvum me fac propter misericórdiam tuam,

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: \* in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per singulas noctes lectum meum: \* lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: \* inveterávi inter omnes inimicos meos.

Discédite a me, omnes qui operámini iniquitatem: \* quóniam exaudivit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudivit Dóminus deprecationem meam, \* Dóminus orationem meam suscepit.

Erubéscant et conturbéntur vehementer omnes inimici mei: \* convertántur et erubéscant valde velociter.

*Per Annum, Antiphona.*

Servite Dómino in timóre, et exultáte ei cum tremóre.

*Antiphona* Deus iudex justus.

## PSALMUS 7.

**DOMINE** Deus meus, in te sperávi: \* salvum me fac



ex ómnibus persequéntibus me, et libera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam; \* dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, \* si est iniquitas in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, \* decídám mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimicus ánimam meam, et comprehéndat, et concúlcet in terra vitam meam, \* et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge, Dómine, in ira tua: \* et exaltáre in finibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in præcépto quod mandásti: \* et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: \* Dóminus júdicat populos.

Júdica me, Dómine, secúndum justítiam meam, \* et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, \* scrutans corda et renes, Deus.

Justum adjutórium meum a Dómino, \* qui salvos facit rectos corde.

Deus iudex justus, fortis, et pátiens: \* numquid irás-citur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, glá-dium suum vibrábit: \* arcum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, \* sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam, \* concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apérui, et effódit eum, \* et incidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus: \* et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus: \* et psallam nómini Dómini Altíssimi.

#### PSALMUS 8.

**D**OMINE, Dóminus noster, \* quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua \* super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, \* ut déstruas inimicum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos ópera digitórum tuórum: \* lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? \* aut filius hóminis, quóniam visitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum: \* et consti-

taisti eum super ópera má-  
num tuarum.

Omnia subiecisti sub pé-  
dibus ejus, \* oves et boves  
universas : insuper et pécora  
campi ;

Vólucres cœli, et pisces  
maris, \* qui perámbulant sé-  
mitas maris.

Dómine, Dóminus noster,  
\* quam admirábile est nomen  
tuum in universa terra !

PSALMUS 9.

CONFITEBOR tibi, Dómine,  
in toto corde meo : \* narrábo  
omnia mirabilia tua.

Latábor et exultábo in te :  
\* psallam nómini tuo, Altis-  
sime.

In converténdo inimicum  
meum retrórsum : \* infirma-  
buntur, et peribunt a fácie tua.

Quóniam fecisti judícium  
meum et causam meam : \* se-  
disti super thronum, qui jú-  
dicas justitiam.

Increpásti gentes, et pé-  
riit impius : \* nomen eórum  
delésti in ætérnum, et in sæ-  
culum sæculi.

Inimici defecerunt frámeæ  
in finem, \* et civitátes eórum  
destruxisti.

Périit memória eórum cum  
sónitu : \* et Dóminus in ætér-  
num pérmanet.

Parávit in judicio thronum  
suum : \* et ipse judicábit or-  
bem terræ in æquitáte, judi-  
cábit pópulos in justitia.

Et factus est Dóminus re-  
fúgium páuperi, \* adjútor in

opportunitátibus, in tribula-  
tione.

Et sperent in te qui nové-  
runt nomen tuum : \* quóniam  
non dereliquisti quæréntes  
te, Dómine.

Psállite Dómino, qui hábi-  
tat in Sion : \* annuntiáte in-  
ter gentes stúdia ejus :

Quóniam requiréns sán-  
guinem eórum recordátus  
est : \* non est oblitus clamó-  
rem páuperum.

Miserére mei, Dómine : \*  
vide humilitátem meam de  
inimicis meis.

Qui exáltas me de portis  
mortis, \* ut annúntiem om-  
nes laudatiónes tuas in por-  
tis filiæ Sion.

Exultábo in salutári tuo,  
\* infixæ sunt gentes in inté-  
ritu, quem fecérunt.

In láqueo isto, quem abs-  
condérunt, \* comprehénsus  
est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus ju-  
dicia fáciens : \* in opéribus  
mánuum suárum compre-  
hénsus est peccátor.

Convertántur peccátóres  
in inférnum, \* omnes gentes  
quæ obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem  
oblívio erit páuperis : \* pa-  
tiéntia páuperum non perí-  
bit in finem.

Exúrge, Dómine, non con-  
fortétur homo : \* judicéntur  
gentes in conspéctu tuo.

Constitue, Dómine, legis-  
latórem super eos : \* ut

sciant gentes quóniam hómines sunt.

Ut quid, Dómine, recessisti longe, \* despicis in opportunitatibus, in tribulatione?

Dum superbit impius, incénditur pauper : \* comprehenduntur in consiliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ : \* et iniquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor : \* secúndum multitudinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus : \* inquinátæ sunt viæ illius in omni témpore.

Auferuntur júdicia tua a fácie ejus : \* ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo : \* Non movébor a generatióne in generatióne sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, et amaritúdine, et dolo : \* sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insidiis cum divitibus in occúltis, \* ut interficiat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respiciunt : \* insidiátur in abscondito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem : \* rápere páuperem, dum átrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum, \* inclinábit se, et cadet cum dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus : \* avértit fáciem suam, ne videat in finem.

Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua : \* ne ohliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit impius Deum? \* dixit enim in corde suo : Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem et dolórem consideras : \* ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper : \* órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris et maligni : \* quærétur peccátum illius, et non inve niétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, et in sæculum sæculi : \* peribitis, gentes, de terra illius.

Desidérium páuperum exaudivit Dóminus : \* præparatióne cordis eórum audivit auris tua.

Judicáre pupillo et húmili, \* ut non appónat ultra magnificáre se homo super terram.

#### PSALMUS 10.

**I**N Dómino confido : quómo dicitis ánimæ meæ : \* Trásmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretra, \* ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecisti destruxérunt : \* justus autem quid fecit?



Dóminus in templo sancto suo, \* Dóminus in cœlo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respiciunt : \* pálpebræ ejus interrogant filios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : \* qui autem diligit iniquitatem odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : \* ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justitias diléxit : \* æquitatem vidit vultus ejus.

*Per Annum, Antiphona.*

Deus judex justus, fortis et longánimis, numquid irascetur per singulos dies?

*Antiphona Tu, Dómine.*

PSALMUS 11.

SALVUM me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus : \* quóniam diminútæ sunt veritátes a filiis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum : \* lábia dolósa, in corde et corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, \* et linguam magníloquam.

Qui dixerunt : Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra a nobis sunt, \* quis noster Dóminus est?

Propter misériam inopum, et gémitum páuperum, \* nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári : \* fiducíaliter agam in eo.

Elóquia Dómini elóquia casta : \* argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos, et custódies nos \* a generatíone hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant : \* secúndum altitúdinem tuam multiplicásti filios hóminum.

PSALMUS 12.

USQUEQUO, Dómine, obliviscéris me in finem? \* Usquequo avértis faciém tuam a me?

Quándiu ponam consília in ánima mea, \* dolórem in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? \* respice, et exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte : \* nequándo dicat inimícus meus : Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me exultábunt si motus fúero : \* ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo : cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi : \* et psallam nómini Dómini altíssimi.

PSALMUS 13.

DIXIT insipiens in corde suo : \* Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis

suis : \* non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospexit super filios hóminum, \* ut videat si est intélligens, aut requirens Deum.

Omnes declinaverunt, simul inútiles facti sunt : \* non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlcrum patens est guttur eórum : linguis suis dolose agébant, \* venenum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictione et amaritudine plenum est : \* veloces pedes eórum ad effundendum ságuinem.

Contritio et infelicitas in viis eórum, et viam pacis non cognoverunt : \* non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscant omnes qui operántur iniquitatem, \* qui devorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocaverunt, \* illic trepidaverunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatione justa est, consilium inopis confudístis : \* quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutare Israel? \* cum avérterit Dóminus captivitatem plebis suæ, exultábit Jacob, et lætábitur Israel.

PSALMUS 14.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo : \* aut quis

requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine mácula, \* et operáatur justitiam :

Qui lóquitur veritatem in corde suo, \* qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, \* et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus : \* timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non decipit, \* qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc \* non movébitur in ætérnum.

*Per Annum, Antiphona.*

Tu, Dómine, servábis nos, et custódies nos.

*In Quadragesima, ✠.* Ipse liberávit me de láqueo venántium.

R). Et a verbo áspero.

*Tempore Passionis, ✠.* Erue a frámea, Deus, ánimam meam.

R). Et de manu canis única meam.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Allelúia. Lapis revolútus est, allelúia, ab óstio monuménti. Allelúia, allelúia.

✠. Surréxit Dóminus de sepúlcro. Allelúia.

R). Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia.

*Post versiculum cujuslibet Nocturni dicitur Pater noster secreto.*

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

ABSOLUTIO.

**EXAUDI**, Dómine Jesu Christe, preces servórum tuórum, et miserere nobis, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculórum.

R. Amen.

Ÿ. Jube, Domne, benedicere.

*Benedictio.* — Benedictione perpétua benedicat nos Pater æternus.

R. Amen.

*Deinde leguntur lectiones cum responsoriis, ut in Proprio de Tempore assignantur.*

*Pro secunda lectione, Benedictio.* — Unigénitus Dei Filius nos benedicere et adjuvare dignetur.

R. Amen.

*Pro tertia lectione, Benedictio.* — Spíritus Sancti grátia illúminet sensus et corda nostra.

R. Amen.

## IN IIº NOCTURNO.

*Per Annum, Antiphona* Bonórum meórum.

*Tempore Paschali, Antiphona* Allelúia.

PSALMUS 15.

CONSERVA me, Dómine, quó-

niam sperávi in te. \* Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, \* mirificávit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eórum : \* póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventicula eórum de sanguinibus : \* nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditatis meæ, et cálicis mei : \* tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : \* etenim hæreditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tribuit mihi intelléctum : \* insuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : \* quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea : \* insuper et caro mea requiescet in spe.

Quóniam non derelinques ánimam meam in inférno : \* nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo : \* delectationes in dextera tua usque in finem.

*Per Annum, Antiphona.*

Bonórum meórum non indiges; in te sperávi; consérva me, Dómine.

*Antiphona Propter verba.*

PSALMUS 16.

**E**XAUDI, Dómine, justítiam meam, \* inténde deprecaciónem meam.

Auribus pécipe oratió-  
nem meam, \* non in lábiis  
dolosis.

De vultu tuo judícium  
meum pródeat : \* óculi tui  
videant æquitates.

Probásti cor meum, et vi-  
sitásti nocte : \* igne me exa-  
minásti, et non est invénta in  
me iniquitas.

Ut non loquátur os meum  
ópera hóminum, \* propter  
verba labiórum tuórum ego  
custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sé-  
mitis tuis : \* ut non moveán-  
tur vestigia mea.

Ego clamávi, quóniam  
exaudísti me, Deus : \* inclina  
aurem tuam mihi, et exáudi  
verba mea.

Mirífica misericórdias tuas,  
\* qui salvos facis sperántes in  
te.

A resisténtibus dexteræ  
tuæ custódi me, \* ut pupillam  
óculi.

Sub umbra alárum tuárum  
prótege me : \* a fácie impió-  
rum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam  
circumdedérunt, ádipem  
suum conclusérunt : \* os eó-

rum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc cir-  
cumedérunt me : \* óculos  
suos statuérunt declináre in  
terram.

Suscepérunt me sicut leo  
parátus ad prædam : \* et sicut  
cátulus leónis hábitans in áb-  
ditis.

Exúrge, Dómine, præveni  
eum, et supplánta eum : \* éri-  
pe ánimam meam ab impio,  
frámeam tuam ab inimícis ma-  
nus tuæ.

Dómine, a paucis de terra  
divide eos in vita eórum : \* de  
abscónditis tuis adimplétus  
est venter eórum.

Saturáti sunt filii : \* et di-  
misérunt reliquias suas párvu-  
lis suis.

Ego autem in justítia ap-  
parébo conspéctui tuo : \* sa-  
tiabor cum apparúerit glória  
tua.

*Per Annum, Antiphona.*

Propter verba labiórum  
tuórum ego custodívi vias  
duras.

*Antiphona Diligam te.*

*Et non repetitur in Psal-  
mo, quod semper fit quando  
Antiphona incipit a primo  
versu Psalmi, et Psalmus  
tunc incipitur ab eo verbo in  
quo desinit Antiphona, sive  
integra dicatur, sive tantum  
inchoata, si tamen eadem  
sint verba, et continuetur An-  
tiphona cum Psalmo.*

PSALMUS 17.

**D**ILIGAM te, Dómine, forti-



túdo mea : \* Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

Deus meus adjutor meus : \* et sperábo in eum.

Protéctor meus, et cornu salutis meæ, \* et susceptor meus.

Laudans invocábo Dóminum : \* et ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis : \* et torréntes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me : \* præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, \* et ad Deum meum clamávi :

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam : \* et clamor meus in conspéctu ejus introívit in aures ejus.

Commóta est, et contrémuit terra : \* fundaménta móntium conturbáta sunt, et commóta sunt, quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus, et ignis a fácie ejus exársit : \* carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, et descendit : \* et caligo sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, et volávit : \* volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latibulum suum, in circúitu ejus tabernáculum ejus : \* ténebrósa aqua in núbibus áeris.

Præ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt, \* grando et carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam : \* grando et carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, et dissipávit eos : \* fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, \* et reveláta sunt fundaménta orbis terrárum.

Ab increpatióne tua, Dómine, \* ab inspiratióne spiritus iræ tuæ.

Misit de summo, et accépit me : \* et assúpsit me de aquis multis.

Eripuit me de inimícis meis fortíssimis, et ab iis qui odérunt me : \* quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ : \* et factus est Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem : \* salvum me fecit, quóniam voluit me.

Et retribuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam : \* et secúndum puritátem mánuum meárum retribuet mihi :

Quia custodívi vias Dómini, \* nec ímpie gessi a Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo : \* et justítias ejus non répuli a me.

Et ero immaculátus cum

eo : \* et observábo me ab iniquitate mea.

Et retribuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam : \* et secúndum puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris , \* et cum viro innocénte innocens eris.

Et cum elécto eléctus eris : \* et cum perverso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmílem salvum fácies : \* et óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam , Dómine : \* Deus meus, illúminat énebras meas.

Quóniam in te erípiar a tentatióne , \* et in Deo meo transgrédíar murum.

Deus meus impollúta via ejus : elóquia Dómini igne examináta : \* protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum ? \* aut quis Deus præter Deum nostrum ?

Deus qui præcinxit me virtúte : \* et pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum : \* et super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad prælium : \* et posuisti, ut arcum æreum, bráchia mea.

Et dedisti mihi protectiÓNem salútis tuæ : \* et dextera tua suscepit me.

Et disciplina tua corréxit

me in finem : \* et disciplina tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me : \* et non sunt infirmáta vestigia mea.

Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos : \* et non convértar donec deficiant.

Confríngam illos, nec póterunt stare ; \* cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtúte ad bellum : \* et supplantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedisti mihi dorsum , \* et odiéntes me disperdidisti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret, ad Dóminum : \* nec exaudivit eos.

Et commínuam eos ut púlverem ante fáciem venti : \* ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradic-tiÓNibus pópuli : \* constitues me in caput géntium.

Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi : \* in auditu auris obedívit mihi.

Filii aliéni mentíti sunt mihi ; \* filii aliéni inveteráti sunt, et claudicavérunt a sémitis suis.

Vivit Dóminus, et benedíctus Deus meus, \* et exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindictas mihi, et subdis pópulos sub me, \* liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me

exaltábis me : \* a viro iníquo eripies me.

Propterea confitebor tibi in nationibus, Dómine : \* et nómini tuo psalmum dicam.

Magnificans salútes regis ejus, et fáciens misericórdiam Christo suo David, \* et sémini ejus usque in sæculum.

*Per Annum, Antiphona.*

Diligam te, Dómine, virtus mea.

*In Quadragesima, V. Scá- pulis suis obumbrábit tibi.*

R. Et sub pennis ejus sperábis.

*Tempore Passionis, V. De ore leónis libera me, Dómine.*

R. Et a córnibus unicór- num humilitátem meam.

*Tempore Paschali, Anti- phona*

Allelúia. Quem quæris, mû- lier? Allelúia. Vivéntem cum mórtuis. Allelúia, allelúia.

V. Surrexit Dóminus vere. Allelúia.

R. Et apparuit Simóni. Allelúia.

Pater noster *secreto*.

V. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

R. Sed libera nos a malo.

**ABSOLUTIO.**

Lesus pietas et misericór- dia nos ádjuvet, qui cum Pa- tre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum.

R. Amen.

V. Jube, Domne, benedi- cere.

*Benedictio.* — Deus Pater omnipotens sit nobis propí- tius et clemens.

R. Amen.

*Pro quinta lectione, Be- nedictio.* — Christus perpé- tuæ det nobis gáudia vitæ.

R. Amen.

*Pro sexta lectione, Bene- dictio.* — Ignem sui amoris accéndat Deus in córdibus nostris.

R. Amen.

~~~~~

**IN IIIº NOCTURNO.**

*Per Annum, Antiphona*  
Non sunt loquélæ.

*Tempore Paschali, Anti- phona Allelúia.*

**PSALMUS 18.**

COELI enarrant glóriam Dei, \* et ópera mánuum ejus an- núntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, \* et nox nocti indicat scién- tiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, \* quorum non au- diántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : \* et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernácu- lum suum : \* et ipse tanquam sponsus procedens de thála- mo suo.

Exultávit ut gigas ad cur- réndam viam : \* a summo cœlo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : \* nec est qui



se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas : \* testimonium Domini fidele, sapientiam prestans parvulis.

Justitiae Domini rectae, laetificantes corda : \* praecceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi : \* judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum : \* et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea : \* in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me : \* et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero : \* et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complacent eloquia oris mei : \* et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine, adjutor meus, \* et redemptor meus.

*Per Annum, Antiphona.*

Non sunt loquela, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

*Antiphona* Exaudiat.

PSALMUS 19.

EXAUDIAT te Dominus in die tribulationis : \* protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto : \* et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui : \* et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum : \* et omne consilium tuum confirmet.

Laetabimur in salutari tuo : \* et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas : \* nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de caelo sancto suo : \* in potentatibus salus dexterae ejus.

Hi in curribus, et hi in equis : \* nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt : \* nos autem surreximus et erecti sumus.

Domine, salvum fac regem, \* et exaudi nos in die qua invocaverimus te.

*Per Annum, Antiphona.*

Exaudiat te Dominus in die tribulationis.

*Antiphona* Domine.

PSALMUS 20.

DOMINE, in virtute tua laetabitur rex : \* et super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei : \* et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis : \* posuisti in capite ejus

coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te : \* et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutari tuo : \* glóriam et magnum decorem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi : \* lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Domino : \* et in misericórdia Altissimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua omnibus inimicis tuis : \* dextera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : \* Dominus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : \* et semen eórum a filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala ; \* cogitavérunt consilia, quæ non potuérunt stabilire.

Quóniam pones eos dorsum : \* in reliquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Domine, in virtute tua : \* cantábitus et psalémus virtutes tuas.

*Per Annum, Antiphona.*

Domine, in virtute tua lætábitur rex.

*In Quadragesima, ✠. Scuto*

circumdabit te veritas ejus.

R). Non timébis a timóre noctúrno.

*Tempore Passionis, ✠. Ne perdas cum impiis, Deus, ánimam meam.*

R). Et cum viris sánguinem vitam meam.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Allelúia. Noli flere, María. Allelúia. Resurrexit Dominus. Allelúia, allelúia.

✠. Gavisi sunt discipuli. Allelúia.

R). Viso Domino. Allelúia. Pater noster secreto.

✠. Et ne nos indúcas in tentationem.

R). Sed libera nos a malo.

ABSOLUTIO.

**A** VINCLIS peccatórum nostrórum absólvat nos omnípotens et misericors Dominus.

R). Amen.

✠. Jube, Domne, benedicere.

*Benedictio.* — Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio.

R). Amen.

*Pro octava lectione, Benedictio.* — Divinum auxilium máneat semper nobiscum.

R). Amen.

*Pro nona lectione, Benedictio.* — Ad societátem civium supernórum perdúcat nos rex angelórum.

R). Amen.

*Sequens Hymnus a Septuagesima usque ad Pascha*

*non dicitur nisi in festis; a Paschate vero usque ad Pentecosten dicitur etiam in feriali officio, excepta feria secunda Rogationum. Quando vero non dicitur, ejus loco ponitur nonum aut tertium Responsorium.*

HYMNUS SS. AMBROSII

ET AUGUSTINI.

**T**E Deum laudamus; \* te Dóminum confitemur.

Te ætérnum patrem \* omnis terra venerátur.

Tibi omnes ángeli, \* tibi cœli et univérse potestátes,

Tibi chérubim et séraphim \* incessábili voce proclamant,

Sanctus, Sanctus, Sanctus, \* Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cœli et terra \* majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus \* apostolorum chorus,

Te prophetárum \* laudabilis númerus,

Te mártýrum candidátus \* laudat exércitus.

Te per orbem terrárum \* sancta confitétur Ecclésia

Patrem \* imménsæ majestátis;

Venerándum tuum verum \* et únicum Fílium,

Sanctum quoque \* Paráclitum Spíritum.

Tu rex \* glóriæ, Christe,

Tu Patris \* sempitérnus es Fílius.

Tu, ad liberándum sus-

ceptúrus hóminem, \* non horruísti Virginis úterum.

Tu, devicto mortis acúleo, \* aperuísti credéntibus regna cœlórum.

Tu ad dexteram Dei sedes \* in glória Patris.

Judex \* créderis esse ventúrus.

Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni, \* quos pretiósó sáanguine redemisti.

Ætérna fac cum sanctis tuis \* in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, \* et bédedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, \* et extólle illos usque in ætérnum.

Per singulos dies \* bédicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum, \* et in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto, \* sine peccáto nos custodire.

Miserére nostri, Dómine; \* miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, \* quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi; \* non confúndar in ætérnum.

~~~~~  
DOMINICA AD LAUDES.

Ÿ. Deus, in adjutórium meum inténde.

ŷ. Dómine, ad adjuvándum me festína.

Glória Patri, et Filio, et Spíritui Sancto: Sicut erat in

principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Laus tibi, Dómine, rex æternæ glóriæ *vel Allelúia pro temporis varietate.*

*Tempore Paschali, Antiphona Allelúia.*

## PSALMUS 92.

Dóminus regnávít, decórem indútus est: \* indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcinxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, \* qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: \* a sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine: \* elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos: \* a vóci bus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris, \* mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: \* domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

## PSALMUS 99.

JUBILATE Deo, omnis térra: \* servite Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, \* in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: \* ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Pópulus ejus, et oves pás-cuæ ejus: \* introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: *confitémini illi.*

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus; in ætérnum misericórdia ejus, \* et usque in generatióem et generatióem véritas ejus.

## PSALMUS 62.

DEUS, Deus meus, \* ad te de luce vigilo.

Sitívit in te ánima mea, \* quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et invia, et inaquósa: \* sic in sancto appáruí tibi, ut vidérem virtutem tuam et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: \* lábia mea laudábunt te.

Sic benedícám te in vita mea: \* et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea: \* et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te: \* quia fuisti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo: adhæsit ánima mea post te: \* me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ, \* tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo: \* quia obstrúctum est os loquéntium iniqua.



*Hic non dicitur Glória Patri.*

PSALMUS 66.

**D**EUS misereatur nostri, et benedicat nobis : \* illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam : \* in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus : \* confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes : \* quoniam iudicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi, Deus : confiteantur tibi populi omnes : \* terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus : \* et metuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri, et Filio.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

*Antiphona Surréxit Christus.*

CANTICUM TRIUM PUERORUM.

[ Danielis c. 3.]

**B**ENEDICITE, omnia ópera Dómini, Dómino ; \* laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite, ángeli Dómini, Dómino : \* benedicite, cœli, Dómino.

Benedicite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Dó-

mino : \* benedicite, omnes virtutes Dómini, Dómino.

Benedicite, sol et luna, Dómino : \* benedicite, stellæ cœli, Dómino.

Benedicite, omnis imber et ros, Dómino : \* benedicite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedicite, ignis et æstus, Dómino : \* benedicite, frigus et æstus, Dómino.

Benedicite, rores et pruina, Dómino : \* benedicite, gelu et frigus, Dómino.

Benedicite, glacies et nives, Dómino : \* benedicite, noctes et dies, Dómino.

Benedicite, lux et tenebræ, Dómino : \* benedicite, fulgura et nubes, Dómino.

Benedicat terra Dóminum : \* laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite, montes et colles, Dómino : \* benedicite, universa germinantia in terra, Dómino.

Benedicite, fontes, Dómino : \* benedicite, mária et flúmina, Dómino.

Benedicite, cete et omnia quæ moventur in aquis, Dómino : benedicite, omnes volucres cœli, Dómino.

Benedicite, omnes bestię et pecora, Dómino : \* benedicite, filii hóminum, Dómino.

Benedicat Israel Dóminum : \* laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite, sacerdotes Dó-

mini, Dómino : \* benedicite, servi Dómini, Dómino.

Benedicite, spíritus et ánimæ justórum, Dómino : \* benedicite, sancti et húmiles corde, Dómino.

Benedicite, Ananía, Azaria, Misael, Dómino : \* laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem et Filium cum Sancto Spíritu : \* laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedictus es, Dómine, in firmamento cœli : \* et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

*Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen. In alijs Canticis dicuntur.*

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Surréxit Christus de sepúlcro, qui liberávit tres púeros de camíno ignis ardentis. Allelúia.

*Antiphona Allelúia.*

PSALMUS 148.

LAUDATE Dóminum de cœlis : \* laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes ángeli ejus : \* laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol et luna : \* laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum : \* et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini ;

Quia ipse dixit, et facta

sunt : \* ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum et in sæculum sæculi : \* præceptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, \* dracones, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spíritus procellárum, \* quæ faciunt verbum ejus ;

Montes, et omnes colles ; \* ligna fructífera, et omnes cedri ;

Béstiae et unívrsa pécora ; \* serpéntes, et volúcres pennátæ ;

Reges terræ, et omnes pópuli ; \* príncipes et omnes júdices terræ ;

Júvenes, et vírgines ; senes cum junióribus laudent nomen Dómini : \* quia exaltátum est nomen ejus solius.

Conféssio ejus super cœlum et terram : \* et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : \* filiis Israel, pópulo appropinquánti sibi.

*Hic non dicitur Glória.*

PSALMUS 149.

CANTATE Dómino cánticum novum : \* laus ejus in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israel in eo, qui fecit eum : \* et filii Sion exúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : \* in tympano et psalterio psallant ei :

Quia beneplácitum est Dó-

mino in pópulo suo : \* et exaltábit mansuétos in salutem.

Exultábunt sancti in glória, \* lætabúntur in cubilibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : \* et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindictam in natió nibus : \* increpatiónes in pópulis :

Ad alligándos reges eórum in compédibus : \* et nóbiles eórum in mánicis férreis ;

Ut fáciant in eis iudicium conscriptum : \* glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

*Hic non dicitur Glória.*

PSALMUS 150.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus : \* laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : \* laudáte eum secundum multitudínem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : \* laudáte eum in psalterio et cithara.

Laudáte eum in tympano et choro : \* laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : \* omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, et Filio.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

*Capitulum proprium in Quadragesima.*

HYMNUS.

O Sol salutis, íntimis,  
Jesu, refúlge méntibus,  
Dum nocte pulsa grátior  
Orbi dies renáscitur.

Dans tempus acceptábile,  
Da lacrymárum rívilis  
Laváre cordis víctimam,  
Quam læta adúrat cháritas.

Quo fonte manávit nefas,  
Fluent perénnes lácrymæ,  
Si virga pœniténtiæ  
Cordis rigórem cónterat.

Dies venit, dies tua,  
In qua reflórent ómnia :  
Lætémur et nos in viam  
Tua redúcti dextera.

Te prona mundi máchina  
Clemens adóret Trínitas :  
Et nos novi per grátiam  
Novum canámus cánticum.

Amen.

✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

R). Ut custódiat te in ómnibus viis tuis.

*Antiphona ad Benedictus et Oratio propria.*

*Tempore Passionis, Hymnus Lustra sex.*

✠. Eripe me de inimíci meis, Deus meus.

R). Et ab insurgéntibus i me libera me.

*Tempore Paschali sequen Capitulum dicitur in feria Officio tantum, Hymnus autem etiam in Dominicis.*



## CAPITULUM.

[Rom., c. 6.]

**CHRISTUS** resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo.

## HYMNUS.

**AURORA** cœlum purpurat,  
Ether resultat laudibus,  
Mundus triumphans jubilat,  
Horrens avêrnus infremit :

Rex ille dum fortissimus  
De mortis infêrno specu  
Patrum senatum liberum  
Edûcit ad vitæ jubar.

Cujus sepulcrum plurimo  
Castode signabat lapis,  
Victor triumphat, et suo  
Mortem sepulcro fûnerat.

Sat fûneri, sat lácrymis,  
Sat est datum dolóribus :  
Surrexit extincor necis :  
Gamat coruscans Angelus.

Ut sis perénne méntibus  
Paschale, Jesu, gáudium,  
A morte dira criminum  
Vita renátos libera.

Deo Patri sit glória,  
Filio, qui a mórtuis  
Surrexit, ac Paráclito.  
In sempiterna sæcula.

Amen.

†. In resurrectione tua,  
Gloria. Allelúia.

¶. Cœli et terra læténtur.  
Gloria.

Ad Benedictus, Antiphona  
Gloria.

## CANTICUM ZACHARIE.

[Lucæ c. 1.]

**BENEDICTUS** Dóminus Deus Israel, \* quia visitávit, et fecit redemptionem plebis suæ :

Et eréxit cornu salutis nobis : \* in domo David pueri sui :

Sicut locútus est per os sanctórum, \* qui a sæculo sunt, prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris, \* et de manu ómnium qui odérunt nos :

Ad faciendam misericórdiam cum pátribus nostris : \* et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, \* datúrum se nobis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, \* serviámus illi,

In sanctitáte et justitia coram ipso, \* ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis : \* præibis enim ante faciém Dómini paráre vias ejus :

Ad dandam sciéntiam salutis plebi ejus : \* in remissionem peccatórum eórum :

Per viscera misericórdiæ Dei nostri : \* in quibus visitávit nos, óriens ex alto :

Illumináre his qui in tenebris et in umbra mortis sedent : \* ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri. Sicut erat.

*Deinde dicitur Antiphona, et Oratio propria; et post eam, si occurrat eo die aliquod festum simplex, fit de eo commemoratio. Postremo (si id tempus requirit) fiunt commemorationes de S. Maria, de Apostolis, et de Patrono Ecclesiæ in ordine aliarum commemorationum, secundum illius dignitatem, et ultimo loco de Pace, ut infra in Vesperis Sabbati.*

*In fine, si discedendum sit a Choro, dicitur una ex Antiphonis Beatæ Mariæ, ut habetur infra post Completorium.*

~~~~~  
DOMINICA AD PRIMAM.

Pater noster. Ave, Mariæ. Credo.

✠. Deus, in adiutorium, ut supra, 18.

HYMNUS.

JAM lucis orto sidere,  
Deum precemur supplices  
Ut in diurnis actibus  
Nos servet a nocentibus.

Linguam refrænans tem-  
peret,  
Ne litis horror insonet:  
Visum fovendo cõtegat,  
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,  
Absistat et vecordia:  
Carnis terat superbiam  
Potus cibique parcitas;

Ut, cum diēs abscēsserit,  
Noctēmq̃ue sors redūxerit,  
Mundi per abstinēntiam

Ipsi canamus glóriam.

Deo Patri sit glória,  
Ejúsque soli Filio,  
Cum Sp̃ritu Paráclito,  
Nunc, et per omne sæculum.

Amen.

*In Dominicis Quadragesimæ Antiphona propria.*

*Tempore Paschali, Antiphona Allelúia.*

PSALMUS 53.

DEUS, in nómine tuo sal-  
vum me fac: \* et in virtúte  
tua júdica me.

Deus, exáudi oratióem  
meam: \* áuribus p̃cipe  
verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexé-  
runt advérsus me, et fortes  
quæsiérunt ánimam meam:  
\* et non proposuérunt Deum  
ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat  
me: \* et Dóminus suscēptor  
est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis:  
\* et in veritáte tua dispérde  
illos.

Voluntárie sacrificábo ti-  
bi: \* et confitébor nómini  
tuo, Dómine, quóniam bo-  
num est:

Quóniam ex omni tribu-  
latióne eripuisti me: \* et su-  
per inimicos meos despéxit  
óculus meus.

*Sequens Psalmus Confité-  
mini Dómino dicitur tantum  
in Dominicis quando fit Of-  
ficiū de Dominica, ut in  
Psalterio, præterquam in  
Dominicis a Pascha usque*

*ad Pentecosten. A Septuagesima vero usque ad Pascha ejus loco dicitur Psalmus Dominus regnavit, ut supra in Laudibus, 19.*

## PSALMUS 117.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus : \* quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israel quóniam bonus, \* quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron : \* quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum : \* quóniam in sæculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum : \* et exaudivit me in latitudine Dóminus.

Dóminus mihi adjutor : \* non timebo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjutor : \* et ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Dómino, \* quam confidere in hómine :

Bonum est speráre in Dómino, \* quam speráre in principibus.

Omnes gentes circuiérunt me : \* et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdederunt me : \* et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut ignis, et exarsérunt sicut ignis.

*Vern.*

in spinis : \* et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impulsus evérsus sum ut cáderem : \* et Dóminus suscepit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus : \* et factus est mihi in salutem.

Vox exultatiónis, et salutis : \* in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtutem : déxtera Dómini exaltávit me, \* déxtera Dómini fecit virtutem.

Non móriar, sed vivam : \* et narrábo ópera Dómini.

Castigans castigávit me Dóminus : \* et morti non trádidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Dómino : \* hæc porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitebor tibi quóniam exaudisti me, \* et factus es mihi in salutem.

Lápidem, quem reproba-verunt ædificántes, \* hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud : \* et est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dóminus : \* exultémus, et lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac, o Dómine, bene prosperáre : \* benedictus qui venit in nómine Dómini.

Benediximus vobis de domo Dómini : \* Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, \* usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi: \* Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi quóniam exaudisti me: \* et factus es mihi in salutem.

Confitémini Dómino quóniam bonus: \* quóniam in sæculum misericórdia ejus.

PSALMUS 118.

**B**EATI immaculáti in vía: \* qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutántur testimónia ejus: \* in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operántur iniquitatem \* in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti \* mandáta tua custodiri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ, \* ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Tunc non confúndar, \* cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directiōne cordis: \* in eo quod didici judícia justitiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custodiám: \* non me derelinquas usquequáque.

In quo córrigit adolescén-  
tior viam suam? \* in custodiéndis sermónes tuos.

In toto corde meo exquisivi te: \* ne repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscondi eló-

quia tua: \* ut non peccem tibi.

Benedictus es, Dómine: \* doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, \* pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, \* sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor: \* et considerábo vias tuas.

In justificatióibus tuis meditábor: \* non oblivíscar sermónes tuos.

**R**ETRIBUE servo tuo, vivífica me: \* et custodiám sermónes tuos.

Revéla óculos meos: \* et considerábo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: \* non abscondas a me mandáta tua.

Concupivit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, \* in omni témpore.

Increpásti supérbos, \* maledícti qui declínant a mandátis tuis.

Aufer a me oppróbrium et contéptum: \* quia testimónia tua exquisivi.

Etenim sedérunt principes, et advérsus me loquebántur: \* servus autem tuus exercebátur in justificatióibus tuis.

Nam et testimónia tua meditatio mea est: \* et consilium meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima mea: \* vivífica me secúndum verbum tuum.



Vias meas enuntiávi, et exaudisti me : \* doce me justificationes tuas.

Viam justificationum tuarum instrue me : \* et exercébor in mirabilibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio : \* confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove a me : \* et de lege tua miserere mei.

Viam veritátis elégi : \* iudicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimóniis tuis, Dómine : \* noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucúrri, \* cum dilatásti cor meum.

*Sequens Symbolum dicitur in Dominicis tantum quando fit Officium de Dominica, ut in Psalterio.*

SYMBOLUM S. ATHANASII.

QUICUMQUE vult salvus esse, \* ante ómnia opus est ut teneat cathólicam fidem :

Quam nisi quisque integram inviolatámque serváverit, \* absque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem cathólica hæc est : \* ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in unitáte venerémur.

Neque confundentes personas, \* neque substantiam separántes.

Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, \* ália Spíritus Sancti.

Sed Patris, et Fílii, et Spí-

ritus Sancti una est divinitas, \* æquális glória, coætérna maiestás.

Qualis Pater, talis Fílius, \* talis Spíritus Sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, \* increátus Spíritus Sanctus.

Imménsus Pater, imménsus Fílius, \* imménsus Spíritus Sanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, \* ætérnus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres ætérni, \* sed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi; \* sed unus increátus, et unus imménsus.

Similiter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, \* omnípotens Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres omnípoténtes; \* sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, \* Deus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii; \* sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, \* Dóminus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres Dómini; \* sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquámque persónam Deum ac Dóminum confitéri christiána veritáte compéllimur : \* ita tres Deos aut Dóminos dicere cathólica religióne prohibémur.

Pater a nullo est factus,

\* nec creátus, nec génitus.

Fílius a Patre solo est, \* non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus Sanctus a Patre et Fílio, \* non factus, nec creátus, nec génitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Fílius, non tres Fílii; \* unus Spíritus Sanctus, non tres Spíritus Sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus; \* sed totæ tres persónæ coæternæ sibi sunt et coæquales.

Ita ut per ómnia, sicut jam supra dictum est, \* et únitás in Trinitáte, et Trínitas in unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse \* ita de Trinitáte sentiat.

Sed necessárium est ad æternam salutem \* ut Incarnatióem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus et confiteámur \* quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus et homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sæcula génitus: \* et homo est ex substántia matris in sæculo natus.

Perfèctus Deus, perfèctus homo, \* ex ánima rationali, et humana carne subsistens.

Æquális Patri secúndum divinitátem; \* minor Patre secúndum humanitátem.

Qui licet Deus sit, et homo, \* non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem, non conversiõe divinitátis in carnem, \* sed assumptiõe humanitátis in Deum.

Unus omnino non confusiõe substántiæ, \* sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationalis et caro unus est homo: \* ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra: descendit ad inferos: \* tértia die resurrexit a mortuis.

Ascéndit ad cœlos: sedet ad dexteram Dei Patris omnipoténtis: \* inde ventúrus est judicare vivos et mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis: \* et redditúri sunt de factis própriis ratióem.

Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam: \* qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc est fides cathólica, \* quam nisi quisque fidéliter firmitérque crediderit, salvus esse non póterit.

Glória Patri, et Fílio.

*In Dominicis Quadragesimæ, Antiphona propria.*

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.



## CAPITULUM.

[I. Tim., c. 1.]

**R**EGI sæculórum immortáli  
et invisibili, soli Deo honor  
et glória in sæcula sæculórum.

Amen.

R. Deo grátias.

R. *breve.* Christe, Fili Dei  
vivi, \* Miserére nobis.

*Et repetitur* Christe, Fili  
Dei vivi, miserére nobis.

✠. Qui sedes ad dexteram  
Patris.

R. Miserére nobis.

✠. Glória Patri, et Filio,  
et Spiritui Sancto.

R. Christe, Fili Dei vivi, mi-  
serére nobis.

✠. Exúrge, Christe; ádjuva  
nos.

R. Et libera nos propter  
nomen tuum.

*Prædictum Responsorium  
breve dicitur per totam Qua-  
dragesimam, et per Annum.*

*Tempore Paschali vero, id  
est a Dominica in Albis, us-  
que ad Sabbatum post Pen-  
tecosten, tam in Dominicis  
quam in Feriis, ac etiam in  
Festis eo tempore occurrenti-  
bus, dicitur idem Responso-  
rium modo sequenti, vide-  
licet:*

Christe, Fili Dei vivi, mi-  
serére nobis. \* Allelúia, al-  
lelúia. *Repetitur*, Christe, Fili  
Dei vivi, miserére nobis. \*  
Allelúia, allelúia.

✠. Qui surrexísti a mór-  
tuis.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri, et Filio, et  
Spiritui Sancto.

R. Christe, Fili Dei vivi,  
miserére nobis. \* Allelúia, al-  
lelúia.

✠. Exúrge, Christe; ádjuva  
nos. Allelúia.

R. Et libera nos propter  
nomen tuum. Allelúia.

*Sed in Festo Ascensionis,  
et per totam Octavam, ac  
etiam Feria sexta, et Sabbato  
post Octavam, ubi dicitur*  
✠. Qui surrexísti a mór-  
tuis. Allelúia, allelúia, *dicitur* ✠. Qui  
scandis super sidera. Allelúia,  
allelúia.

*Similiter in Festo Pente-  
costes usque ad Sabbatum  
sequens dicitur* ✠. Qui sedes  
ad dexteram Patris. Allelúia,  
allelúia.

*Sequentes Preces non dicun-  
tur in Duplicibus, nec infra Oc-  
tavas; sed tunc, dicto respon-  
sorio brevi, dicitur Dóminus  
vobiscum, et Oratio Dómine  
Deus omnipotens, ut infra, 31.*

**K**YRIE, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Pater noster *secreto*.

✠. Et ne nos indúcas in  
tentatióem.

R. Sed libera nos a malo.

Credo in Deum *secreto*.

✠. Carnis resurrectionem.

R. Vitam ætérnam. Amen.

✠. Et ego ad te, Dómine,  
clamávi.

R. Et mane oratio mea praveniet te.

✠. Repleatur os meum laude.

R. Ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

✠. Domine, averte faciem tuam a peccatis meis.

R. Et omnes iniquitates meas dele.

✠. Cor mundum crea in me, Deus.

R. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

✠. Ne projicias me a facie tua.

R. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

✠. Redde mihi lætitiā salutāris tui.

R. Et spiritu principalī confirma me.

✠. Adjutorium nostrum in nōmine Dōmini.

R. Qui fecit cælum et terram.

*Deinde Hebdomadarius facit Confessionem.*

**C**ONFITEOR Deo omnipotēti, beatæ Mariæ semper virgini, beāto Michaēli Archangelo, beāto Joānni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere: mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beātum Michaēlem Archangelum, beātum

Joānnem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos fratres, orare pro me ad Dōminum Deum nostrum.

*Chorus respondet:*

**M**ISEREATUR tui omnipotens Deus, et, dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.

R. Amen.

*Deinde repetit Confessionem, et ubi dicitur vobis fratres et vos fratres, dicatur tibi pater et te pater.*

*Facta Confessione a Choro, Hebdomadarius dicit:*

**M**ISEREATUR vestri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.

R. Amen.

**I**NDULGENTIAM, absolutiōnem, et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dōminus.

R. Amen.

*Et prosequitur ✠. Dignāre, Domine, die isto.*

R. Sine peccato nos custodire.

✠. Miserere nostri, Domine.

R. Miserere nostri.

✠. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

R. Quemadmodum speravimus in te.

✠. Dómine, exáudi oratió-  
nem meam.

R. Et clamor meus ad te  
véniat.

✠. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

## ORATIO

**D**OMINE Deus omnipotens,  
qui ad principium hujus diéi  
nos pervenire fecisti, tua nos  
hódie salva virtúte, ut in hac  
die ad nullum declinémus  
peccátum, sed semper ad  
tuam justitiam faciendam nos-  
tra procédant. elóquia, diri-  
gántur cogitatiónes et ópera.  
Per Dóminum nostrum Je-  
sum Christum, Filium tuum,  
qui tecum vivit et regnat in  
unitate Spíritus Sancti, Deus,  
per ómnia sæcula sæculórum.

R. Amen.

✠. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spíritu tuo.

✠. Benedicámus Dómino.

R. Deo grátias.

*Deinde in Choro legitur  
Martyrologium; et quando  
dicenda est Prima de beata  
Maria, præponitur Lectioni  
Martyrologii. Postea Hebdo-  
madarius dicit ✠. Pretiósá in  
conspéctu Dómini.*

R. Mors sanctórum ejus.

*Et absolute sine Oremus.*

## ORATIO

**S**ANCTA María et omnes  
Sancti intercédant pro nobis  
ad Dóminum, ut nos mereá-  
mur ab eo adjuvári et salvári,

qui vivit et regnat in sæcula  
sæculórum.

R. Amen.

✠. Deus, in adjutórium  
meum inténde.

R. Dómine, ad adjuvándum  
me festína.

*Et dicitur ter; ultimo addi-  
tur Glória Patri. Sicut erat.  
Kyrie, eléison. Christe, eléi-  
son. Kyrie, eléison.*

*Pater noster secreto.*

✠. Et ne nos indúcas in  
tentatióem.

R. Sed libera nos a malo.

✠. Réspice in servos tuos,  
Dómine, et in ópera tua, et  
dirige filios eórum.

R. Et sit splendor Dómini  
Dei nostri super nos, et ópe-  
ra mánuum nostrárum dirige  
super nos, et opus mánuum  
nostrárum dirige.

✠. Glória Patri.

R. Sicut erat.

Orémus.

## ORATIO.

**D**IRIGERE et sanctificáre,  
régere et gubernáre dignáre,  
Dómine Deus, Rex cœli et  
terræ, hódie corda et córpo-  
ra nostra, sensus, sermónes,  
et actus nostros in lege tua,  
et in opéribus mandatórum  
tuórum, ut hic, et in ætér-  
num, te auxiliánte, salvi et lí-  
beri esse mereámur, Salvátor  
mundi, qui vivis et regnas in  
sæcula sæculórum.

R. Amen.

✠. Jube, Domne, benedi-  
cere.

*Benedictio.*—Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnipotens.

R). Amen

*Ad Absolutionem Capituli in Dominicis et Feriis a Dominica prima Quadragesimæ usque ad Dominicam Passionis exclusive.*

LECTIO BREVIS.

[Isaie c. 55.]

QUÆRITE Dóminum dum inveniri potest : invocáte eum dum prope est. Tu autem Dómine, miserere nobis.

R). Deo grátias.

*A Dominica Passionis usque ad Feriam quintam in Cæna Domini exclusive.*

[Isaie c. 50.]

FACIEM meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me : Dóminus Deus auxiliátor meus, et ideo non sum confúsus. Tu autem.

*A Dominica Resurrectionis usque ad Ascensionem exclusive.*

[Coloss., c. 3.]

SI consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram. Tu autem.

*Post Lectionem brevem dicitur* ✠. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R). Qui fecit cælum et terram.

✠. Benedicite.

R). Deus.

*Benedictio.*—Dóminus nos benedícat, et ab omni malo deféndat, et ad vitam perdúcat ætérnam : et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscent in pace.

R). Amen.

IN FERALI OFFICIO  
*extra tempus Paschale*

AD PRIMAM.

Pater noster. Ave, Maria. Credo.

✠. Deus, in adjutórium, ut supra, 18.

HYMNUS.

JAM lucis orto sídere,  
Deum precémur súpplices  
Ut in diúrnis áctibus  
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrænans témperet,

Ne litis horror ínsonet :  
Visum fovéndo cóntegat,  
Ne vanitátes háuríat.

Sint pura cordis íntima,  
Absístat et vecórdia :

Carnis terat supérbiam  
Potus cibíque párcitas :

Ut, cum dies abcésserit,  
Noctémque sors redúxerit,  
Mundi per abstinentiam  
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,  
Ejúsque soli Fílio,  
Cum Spíritu Paráclito,  
Nunc, et per omne sæculum.

Amen.

*Tempore Quadragesimæ,  
Antiphona Vivo ego.*



*Tempore Passionis, Antiphona Libera me, Dómine.*

## PSALMUS 53.

Deus, in nómine tuo salvum me fac: \* et in virtúte tua júdea me.

Deus, exáudi orationem meam: \* áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsus me, et fortes quasiérunt ánimam meam: \* et non proposuérent Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me: \* et Dóminus suscepitor est anime meae.

Avérte mala inimícis meis: \* et in veritate tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, \* et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatione eripuisti me: \* et super inimicos meos despéxit óculus meus.

*Post Psalmum Deus, in nómine tuo, loco Psalmi Confitemini, dicitur unus ex infra scriptis Psalmis, secundum Férias distinctis: Sab-bato autem dicuntur tantum tres Psalmi, sicut in Festis.*

## FERIA SECUNDA.

## PSALMUS 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus; \* orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fun-

dávit eum: \* et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? \* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, \* qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: \* et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, \* quæréntium faciém Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: \* et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: \* et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

## FERIA TERTIA.

## PSALMUS 24.

Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: \* Deus meus, in te confido, non erubéscam:

Neque irrideant me inimíci mei: \* étenim univérsi qui sústinent te non confundén-tur.

Confundántur omnes iníqua ágéntes \* supervácue.

Vias tuas, Dómine, de-

mónstra mihi : \* et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua , et doce me : \* quia tu es , Deus , salvátor meus , et te sustinui tota die.

Reminiscere miseratiõnum tuárum , Dómine , \* et misericordiárum tuárum , quæ a sæculo sunt.

Delicta juventútis meæ \* et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu : \* propter bonitátem tuam , Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus : \* propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Díriget mansuétos in iudicio : \* docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini , misericórdia et véritas , \* requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum , Dómine , propitiáberis peccáto meo : \* multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum ? \* legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : \* et semen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum : \* et testaméntum ipsius ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dómi-

num : \* quóniam ipse evéllit de láqueo pedes meos.

Réspice in me , et miserére mei : \* quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicatæ sunt : \* de necessitatibus meis érue me.

Vide humilitátem meam , et labórem meum : \* et dimitte univérsa delicta mea.

Réspice inimícos meos , quóniam multiplicati sunt , \* et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam , et érue me : \* non erubescam , quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæserunt mihi : \* quia sustinui te.

Líbera , Deus , Israel \* ex ómnibus tribulatió nibus suis.

#### FERIA QUARTA.

PSALMUS 25.

JUDICA me , Dómine , quóniam ego in innocentia mea ingressus sum : \* et in Dómino sperans non infirmabor.

Proba me , Dómine , et tenta me : \* ure renés meos et cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est : \* et compláculi in veritáte tua.

Non sedi cum concilio vanitátis : \* et cum iniqua geréntibus non introibo.

Odívi ecclésiám malignántium : \* et cum impiis non sedébo.



Lavábo inter innocétes manus meas : \* et circúmdabo altáre tuum, Dómine :

Ut áudiam vocem laudis, \* et enárrem univérſa mirabilia tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuæ : \* et locum habitationis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, \* et cum viris sánguinum vitam meam :

In quorum mánibus iniquitátes sunt : \* dextera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum : \* rédime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in dirécto : \* in ecclésiis benedicam te, Dómine.

### FERIA QUINTA.

PSALMUS 22.

**D**OMINUS regit me, et nihil mihi déerit : \* in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectionis educávit me : \* ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justitiæ, \* propter nomen sum.

Nam et si ambulávero in medio umbræ mortis, non timébo mala : \* quóniam tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, \* advérsus eos qui tribulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : \* et calix meus inebrians quam præclárus est !

Et misericórdia tua subsequétur me \* ómnibus diébus vitæ meæ

Et ut inhábitem in domo Dómini, \* in longitudinem diérum.

### FERIA SEXTA.

PSALMUS 21.

**D**EUS, Deus meus, respice in me : quare me dereliquisti ? \* longe a salute mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies : \* et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, \* laus Israel.

In te speravérunt patres nostri : \* speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt : \* in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo : \* oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me derisérunt me : \* locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, eripiat eum : \* salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxisti me de ventre : \* spes mea ab ubéribus matris meæ. In te proyéctus sum ex útero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu, \* ne discésseris a me :

Quóniam tribulatio próxima est : \* quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi : \* tauri pingues obse-  
dérunt me.

Aperuérunt super me os suum, \* sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum : \* et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquéscens \* in mé-  
dio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis : \* et in púlve-  
rem mortis deduxisti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi : \* concílium malignántium obsédit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos : \* dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me : \* divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me : \* ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam : \* et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis : \*

et a cónibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : \* in médio ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum : \* univérsum semen Jacob, glorificáte eum.

Timeat eum omne semen Israel : \* quóniam non sprexit, neque despéxit deprecatió-  
nem páuperis :

Nec avértit fáciem suam a me : \* et cum clamárem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in ecclé-  
sia magna : \* vota mea red-  
dam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et satura-  
búntur : et laudábunt Dómi-  
num qui requirunt eum : \* vivent corda eórum in sæcu-  
lum sæculi.

Reminiscéntur et conver-  
téntur ad Dóminum \* uni-  
vérsi fines terræ.

Et adorábunt in conspéctu ejus \* univérsæ familiæ gén-  
tium.

Quóniam Dómini est reg-  
num : \* et ipse dominábitur  
géntium.

Manducavérunt et adora-  
vérunt omnes pingues terræ : \* in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in ter-  
ram.

Et ánima mea illi vivet : \* et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino ge-  
nerátio ventúra : \* et annun-

tiabunt cœli justitiam ejus  
pópulo qui nascétur, quem  
fecit Dóminus.

*Sabbato nihil additur, ut  
supra in Rubrica, 33.*

*Deinde dicitur Psalmus 118.*

**BEATI** immaculáti in via: \*  
qui ámbulant in lege Dó-  
mini.

Beáti qui scrutántur tes-  
timónia ejus: \* in toto corde  
exquirunt eum.

Non enim qui operántur  
iniquitatem \* in viis ejus am-  
bulavérunt.

Tu mandásti \* mandáta tua  
custodiri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ:  
\* ad custodiéndas justifica-  
tiones tuas.

Tunc non confúndar, \* cum  
perspéxero in ómnibus man-  
dátis tuis.

Confitébor tibi in directi-  
one cordis: \* in eo quod di-  
dici judicia justitiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custó-  
diam: \* non me derelinquas  
usquequáque.

In quo córrigit adolescén-  
tior viam suam? \* in custo-  
diendo sermónes tuos.

In toto corde meo exqui-  
sivi te: \* ne repéllas me a  
mandátis tuis.

In corde meo abscondi eló-  
quia tua: \* ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine: \*  
doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, \* pronun-  
tiávi ómnia judicia oris tui.

In via testimoniórum tuó-  
rum delectátus sum, \* sicut  
in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor:  
\* et considerábo vias tuas.

In justificatióibus tuis me-  
ditábor: \* non obliviscar ser-  
mónes tuos.

**RETRIBUE** servo tuo, viví-  
fica me: \* et custódiam ser-  
mónes tuos.

Revéla óculos meos, \* et  
considerábo mirabilia de lege  
tua.

Incola ego sum in terra: \*  
non abscondas a me mandáta  
tua.

Concupívit ánima mea de-  
sideráre justificatiónes tuas,  
\* in omni témpore.

Increpásti supérbos, \* ma-  
ledícti qui declínant a man-  
dátis tuis.

Aufer a me oppróbrium  
et contéptum, \* quia testi-  
mónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes,  
et advérsus me loquebántur:  
\* servus autem tuus exercebá-  
tur in justificatióibus tuis.

Nam et testimónia tua me-  
ditátio mea est: \* et consílium  
meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima  
mea: \* vivífica me secúndum  
verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et ex-  
audísti me: \* doce me justi-  
ficatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuá-

rum instrue me : \* et exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea prætudio : \* confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove a me : \* et de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi : \* iudicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimoniis tuis, Domine : \* noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri, \* cum dilatasti cor meum.

*Tempore Quadragesimæ, Antiphona.*

Vivo ego, dicit Dominus : nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat.

*Tempore Passionis, Antiphona.*

Libera me, Domine, et pone me juxta te : et cuiusvis manus pugnet contra me.

CAPITULUM.

[ Zachariæ c. 8. ]

PACEM et veritatem diligite, ait Dominus omnipotens.

R. Deo gratias.

R. *breve.* Christe, Fili Dei vivi, \* Miserere nobis.

*Et repetitur* Christe, Fili Dei vivi, \* Miserere nobis.

✠. Qui sedes ad dexteram Patris.

R. Miserere nobis.

✠. Glória Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

R. Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis.

✠. Exurge, Christe; adjuva nos.

R. Et libera nos propter nomen tuum.

KYRIE, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Pater noster *secreto.*

✠. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

Credo in Deum *secreto.*

✠. Carnis resurrectionem.

R. Vitam æternam. Amen.

✠. Et ego ad te, Domine, clamavi.

R. Et mane oratio mea præveniet te.

✠. Repleatur os meum laude.

R. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

✠. Domine, averte faciem tuam a peccatis meis.

R. Et omnes iniquitates meas dele.

✠. Cor mundum crea in me, Deus.

R. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

✠. Ne projicias me a facie tua.

R. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

✠. Redde mihi lætitiā salutāris tui.

R. Et spiritu principalī confirma me.

*Quando ad Laudes non sunt dictæ Preces feriales, statim dicitur Adjutorium*



nostrum, et Confiteor Deo,  
et, ut infra.

*Quando autem ad Laudes  
dictæ sunt Preces feriales in-  
ferius positæ post Laudes Fe-  
ræ secundæ, tunc ad Primam  
prædictæ Preces et sequentes  
dicuntur flexis genibus.*

†. Eripe me, Dómine, ab  
homine malo.

℞. A viro iniquo eripe me.

†. Eripe me de inimicis  
meis, Deus meus.

℞. Et ab insurgéntibus in  
me libera me.

†. Eripe me de operánti-  
bus iniquitatem.

℞. Et de viris sánguinem  
salva me.

†. Sic psalmum dicam nó-  
mini tuo in sæculum sæculi.

℞. Ut reddam vota mea de  
die in diem.

†. Exáudi nos, Deus salu-  
táris noster.

℞. Spes ómnium finium  
terræ, et in mari longe.

†. Deus, in adjutórium  
meum inténde.

℞. Dómine, ad adjuván-  
dam me festína.

†. Sanctus Deus, Sanctus  
fortis, Sanctus immortalis.

℞. Miserére nobis.

†. Bénedic, ánima mea,  
Dómino.

℞. Et ómnia quæ intra me  
sunt nómini sancto ejus.

†. Bénedic, ánima mea,  
Dómino.

℞. Et noli oblivísci omnes  
retributiónes ejus.

†. Qui propitiátur ómni-  
bus iniquitatibus tuis.

℞. Qui sanat omnes infir-  
mitates tuas.

†. Qui rédimít de intéritu  
vitam tuam.

℞. Qui corónat-te in mise-  
ricórdia et miseratióibus.

†. Qui replet in bonis de-  
sidérium tuum.

℞. Renovábitur ut áquilæ  
juvéntus tua.

†. Adjutórium nostrum in  
nómine Dómini.

℞. Qui fecit cælum et ter-  
ram.

*Deinde Hebdomadarius fa-  
cit Confessionem.*

**C**ONFITEOR Deo omnipo-  
ténti, beátæ Mariæ semper  
virgini, beáto Michaéli Ar-  
chángelo, beáto Joánni Bap-  
tistæ, sanctis Apóstolis Petro  
et Paulo, ómnibus Sanctis,  
et vobis fratres, quia peccávi  
nimis cogitatióne, verbo, et  
ópere: mea culpa, mea culpa,  
mea máxima culpa. Ideo pre-  
cor beátam Mariam semper  
virginem, beátum Michaé-  
lem Archángelum, beátum  
Joánnem Baptistam, sanctos  
Apóstolos Petrum et Paulum,  
omnes Sanctos, et vos fratres,  
oráre pro me ad Dóminum  
Deum nostrum.

*Chorus respondet:*

**M**ISEREATUR tui omnipotens  
Deus, et, dimissis peccátis

tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

R. Amen.

*Deinde repetit Confessionem, et ubi dicitur vobis fratres et vos fratres, dicatur tibi pater et te pater.*

*Facta Confessione a Choro, Hebdomadarius dicit:*

**MISEREATUR** vestri omnipotens Deus, et, dimíssis peccátiis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam.

R. Amen.

**INDULGENTIAM**, absolutiónem, et remissionem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnipotens et miséricors Dóminus.

R. Amen.

*Et prosequitur* ✠. Dignáre, Dómine, die isto.

R. Sine peccáto nos custodire.

✠. Misérére nostri, Dómine.

R. Misérére nostri.

✠. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos.

R. Quemádmódum sperávimus in te.

✠. Dómine, exáudi oratió-nem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

✠. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

ORATIO.

**DOMINE** Deus omnipotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti, tua

nos hódie salva virtúte, ut hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justitiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitationes et ópera. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

R. Amen.

✠. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

✠. Benedicámus Dómino.

R. Deo grátias.

*Deinde in Choro legitur Martyrologium; et quando dicenda est Prima de beata Maria, præponitur Lectioni Martyrologii. Postea Hebdomadarius dicit* ✠. Pretiósá in conspéctu Dómini.

R. Mors sanctórum ejus.

*Et absolute sine Oremus.*

ORATIO.

**SANCTA** María et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

R. Amen.

✠. Deus, in adjutórium meum inténde.

R. Dómine, ad adjuvándum me festina.

*Et dicitur ter; ultimo additur Glória Patri. Sicut erat. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.*

*Pater noster secreto.*



ſ. Et ne nos inducas in  
tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

ſ. Reſpice in ſervos tuos,  
Domine, et in ópera tua, et  
dirige filios eórum.

R. Et ſit ſplendor Dómini  
Dei noſtri ſupernos, et ópera  
mánuum noſtrarum dirige  
ſuper nos, et opus mánuum  
noſtrarum dirige.

ſ. Glória Patri.

R. Sicut erat.

Oremus.

#### ORATIO.

**D**IRIGERE et ſanctificáre,  
régere et gubernáre dignáre,  
Domine Deus, Rex cœli et  
terræ, hódie corda et cör-  
pora noſtra, ſensus, ſermón-  
es, et actus noſtros in lege  
tua, in opéribus mandató-  
rum tuórum, ut hic, et in  
ætérnum, te auxiliánte, ſalvi  
et liberi eſſe mereámur, Sal-  
vátor mundi, qui vivis et reg-  
nas in ſæcula ſæculórum.

R. Amen.

ſ. Jube, Domne, benedi-  
cere.

*Benedictio.*—Dies et actus  
noſtros in ſua pace diſponat  
Dóminus omnipotens.

R. Amen.

*Ad Absolutionem Capituli*  
*in Dominicis et Feriis a Do-*  
*minica prima Quadrageſimæ*  
*uſque ad Dominicam Paſſio-*  
*nis exclusive.*

#### LECTIO BREVIS.

[Iſaie c. 55.]

**Q**UERITE Dóminum dum

inveniri poteſt: invocáte eum  
dum prope eſt. Tu autem.

*A Dominica Paſſionis us-*  
*que ad Feriam quintam in*  
*Cœna Domini exclusive.*

[Iſaie c. 50.]

**F**ACIEM meam non avérti ab  
increpántibus et conſpuén-  
tibus in me: Dóminus Deus  
auxiliátor meus, et ideo non  
ſum confúſus. Tu autem.

*A Dominica Reſurrectionis*  
*uſque ad Aſcenſionem exclu-*  
*sive.*

[Coloſſ. c. 3.]

**S**I conſurrexiſtis cum Chris-  
to, quæ ſurſum ſunt quærite,  
ubi Chriſtus eſt in dextera  
Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt  
ſápíte, non quæ ſuper terram.  
Tu autem.

*Post Lectionem brevem di-*  
*citur* ſ. Adjutórium noſtrum  
in nómine Dómini.

R. Qui fecit cœlum et ter-  
ram.

ſ. Benedicite.

R. Deus.

*Benedictio.*—Dóminus nos  
benedicat, et ab omni malo  
deféndat, et ad vitam perduc-  
cat ætérnam: et fidélium áni-  
mæ per miſericórdiam Dei  
requiéſcant in pace.

R. Amen.

#### IN FIERIALI OFFICIO tempore Paſchali

ET IN FESTIS PER ANNUM.

*Post Psalmum Deus, in*  
*nómine tuo, dicuntur tantum*

*Psalmi* Beáti immaculáti et Retribue, 26.

*Deinde Antiphona competens, et reliqua ut supra in Dominica, 29; sed in Duplicibus et infra Octavas non dicuntur Preces.*

*Dicto Benedicámus Dómino, dicitur Prima de B. Maria, si dicenda est: postea legitur Martyrologium in Choro. Deinde dicitur ✠. Pretiósá cum reliquis, ut supra, 40.*

*Ad Absolutionem Capituli in Festis dicitur Capitulum Nonæ.*

~~~~~

### AD TERTIAM.

Pater noster. Ave, María.  
Deus, in adiutorium, 18.

#### HYMNUS.

**N**UNC, Sancte nobis Spiritus,  
Unum Patri cum Fílio,  
Dignáre promptus ingeri  
Nostro refúsus pèctori.

Os, lingua, mens, sensus,  
vigor,  
Confessionem pèrsonent,  
Flamméscat igne cháritas,  
Accéndat ardor próximos.

Præsta, Pater piíssime,  
Patrique compar Unice,  
Cum Spiritu Paráclito  
Regnans per omne sæculum.  
Amen.

*In Dominicis Quadragesimæ, Antiphona propria*

*Tempore Quadragesimæ, in feriali Officio, Antiphona Advenérunt nobis.*

*Tempore Passionis, Antiphona* Judicásti, Dómine.

*In Dominicis tempore Paschali, et in feriali Officio, Antiphona Allelúia.*

#### PSALMUS.

**L**EGEM pone mihi, Dómine,  
viam justificatiónum tuárum:  
\* et exquiram eam semper.

Da mihi intelléctum, et  
scrutábor legem tuam: \* et  
custódiam illam in toto corde  
meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum: \* quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimoniónia tua: \* et non in aversionem.

Avérte óculos meos ne videant vanitatem: \* in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum, \* in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum, quod suspicátus sum: \* quia iudícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua: \* in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine: \* salutare tuum secúndum elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum: \* quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque: \* quia in iudiciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam

super : \* in sæculum et in  
sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitú-  
dine : \* quia mandáta tua ex-  
quisívi.

Et loquēbar in testimoniis  
tuis in conspectu regum : \*  
non confundēbar.

Et meditábar in mandátis  
tuis, \* quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad  
mandáta tua, quæ diléxi : \*  
et exercebar in justificatióni-  
bus tuis.

**M**emor esto verbi tui ser-  
vo tuo, \* in quo mihi spem  
dedisti.

Hæc me consoláta est in  
humilitáte mea : \* quia eló-  
quium tuum vivificávit me.

Supérbi inique agébant  
usquequaque : \* a lege autem  
tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuó-  
rum a sæculo, Dómine : \* et  
consolátus sum.

Defectio tenuit me, \* pro  
peccatóribus derelinquēti-  
bus legem tuam.

Cantabiles mihi erant jus-  
tificatiónes tuæ, \* in loco  
peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis  
tui, Dómine : \* et custodívi  
legem tuam.

Hæc facta est mihi : \* quia  
justificatiónes tuas exquisívi.

Portio mea, Dómine, \* dixi,  
custodire legem tuam.

Deprecátus sum fáciem  
tuam in toto corde meo : \*

miserére mei secúndum eló-  
quium tuum.

Cogitávi vias meas : \* et  
convérsti pedes meos in testi-  
mónia tua.

Parátus sum, et non sum  
turbátus : \* ut custódiam  
mandáta tua.

Funes peccatórum circum-  
pléxi sunt me : \* et legem  
tuam non sum oblítus.

Média nocte surgēbam ad  
confitēdum tibi, \* super ju-  
dícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium  
timéntium te : \* et custodién-  
tium mandáta tua.

Misericórdia tua, Dómine,  
plena est terra : \* justifica-  
tiónes tuas doce me.

**B**ONITATEM fecisti cum ser-  
vo tuo, Dómine : \* secúndum  
verbum tuum.

Bonitátem, et disciplínam  
et sciéntiam doce me : \* quia  
mandátis tuis crédidi.

Priúsquam humiliárer ego  
delíqui : \* propterea eló-  
quium tuum custodívi.

Bonus es tu : \* et in bonitáte  
tua doce me justificatiónes  
tuas.

Multiplicáta est super me  
iníquitas superbórum : \* ego  
autem in toto corde meo  
scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac  
cor eórum : \* ego vero legem  
tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humi-

liásti me : \* ut discam justifications tuas.

Bonum mihi lex oris tui, \* super millia auri et argénti.

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me : \* da mihi intelléctum, et discam mandata tua.

Qui timent te vidébunt me, et lætabúntur : \* quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas júdicia tua : \* et in veritate tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me, \* secúndum elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, et vivam : \* quia lex tua meditatio mea est.

Confundántur supérbi, quia injúste iniquitatem fecerunt in me : \* ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te : \* et qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justifications tuis : \* ut non confundar.

*In Dominicis Quadragesimæ, Antiphona propria.*

*Tempore Quadragesimæ in feriali Officio, Antiphona.*

Advenérunt nobis dies pœniténtiæ, ad rediménda peccata, ad salvándas ánimas.

#### CAPITULUM.

[Joel. c. 2.]

CONVERTÍMINI ad me in toto corde vestro, in jejúnio, et fletu, et planctu; et scindite

corda vestra, et non vestimenta vestra, ait Dóminus omnipotens.

R. *breve.* Ipse liberávit me, \* De láqueo venántium. Ipse ✠. Et a verbo áspero.

R. De láqueo.

Glória Patri. Ipse liberávit.

✠. Scápolis suis obumbrábit tibi.

R. Et sub pennis ejus sperábis.

*Ad Tertiam, Sextam et Nonam flexis genibus dicitur Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.*

Pater noster *secreto.*

✠. Et ne nos indúcas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

✠. Dómine, Deus virtutum, convérte nos.

R. Et osténde faciém tuam, et salvi érimus.

✠. Exúrge, Christe; ádjuva nos.

R. Et libera nos propter nomen tuum.

✠. Dómine, exáudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

✠. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spiritu tuo

Orémus.

*Oratio conveniens.*

*Tempore Passionis in feriali Officio, Antiphona.*

Judicásti, Dómine, causam animæ meæ, defénsor vitæ meæ, Dómine, Deus meus.



## CAPITULUM.

[Jerem. c. 17.]

**DOMINE**, omnes qui te derelinquunt confundentur: recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.

*R. breve.* Erue a fræmea, \* Deus, animam meam. Erue. *Y.* Et de manu canis unicam meam. Deus.

*R.* Erue a fræmea.

*Y.* De ore leonis libera me, Domine.

*R.* Et a cornibus unicor-nium humilitatem meam.

*Kyrie, eléison.*

*Oratio conveniens.*

*In Dominicis tempore Paschali, Antiphona.*

Alleluia, alleluia, alleluia. alleluia.

*Capitulum proprium de Tempore.*

*Tempore Paschali, in feriali Officio, Antiphona.*

Alleluia, alleluia, alleluia. alleluia.

## CAPITULUM.

[Rom., c. 6.]

**CHRISTUS** resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

*R. breve.* Surréxit Dominus de sepulcro. \* Alleluia, alleluia. Surréxit.

*Y.* Qui pro nobis pepéndit in ligno.

*R.* Alleluia, alleluia.

Glória Patri. Surréxit.

*Y.* Surréxit Dominus vere. Alleluia.

*R.* Et apparuit Simón. Alleluia.

*Oratio conveniens.*

~~~~~

## AD SEXTAM.

Pater noster. Ave, Maria.

Deus, in adiutorium, 18.

## HYMNUS.

**RECTOR** potens, verax Deus,  
Qui temperas rerum vices,  
Splendore mane illuminas,  
Et ignibus meridiem.

Extingue flammam litium,  
Aufer calorem noxium,  
Confer salutem corporum,  
Veramque pacem cordium.

Præsta, Pater piissime,  
Patrique compar Unice,  
Cum Spiritu Paráclito,  
Regnans per omne sæculum.  
Amen.

*In Dominicis Quadragesimæ, Antiphona propria.*

*Tempore Quadragesimæ in feriali Officio, Antiphona*  
Commendemus nosmetipsos.

*Tempore Passionis, Antiphona*  
Pópule meus.

*In Dominicis tempore Paschali, et in feriali Officio, Antiphona*  
Alleluia.

## PSALMUS.

**DEFECIT** in salutare tuum  
ánima mea: \* et in verbum  
tuum supersperavi.

Defecerunt óculi mei in  
elóquium tuum, \* dicentes:  
Quando consolaberis mei?



Quia factus sum sicut uter in pruina : \* justificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies servi tui : \* quando facies de persecutoribus me iudicium?

Narraverunt mihi iniqui fabulationes : \* sed non ut lex tua.

Omnia mandata tua veritas : \* inique persecuti sunt me, adjuva me.

Paulo minus consummaverunt me in terra : \* ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam vivifica me : \* et custodiam testimonia oris tui.

In æternum, Domine, \* verbum tuum permanet in cælo.

In generationem et generationem veritas tua : \* fundasti terram, et permanet.

Ordinatione tua perseverat dies : \* quoniam omnia serviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est : \* tunc forte perissem in humilitate mea.

In æternum non obliviscar justificationes tuas : \* quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac : \* quoniam justificationes tuas exquisivi.

Me expectaverunt peccatores ut perderent me : \* testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem : \* latum mandatum tuum nimis.

**Q**UOMODO dilexi legem tuam Domine? \* tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandatum tuo : \* quia in æternum melior est.

Super omnes docentes me intellexi : \* quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi : quia mandata tua quaesivi.

Ab omni via mala prohibui pedes meos : \* ut custodiam verba tua.

A iudiciis tuis non declinavi : \* quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, \* super mel oris meo?

A mandatis tuis intellexi : propterea odivi omnem viam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, \* et lumen semitis meis.

Juravi, et statui \* custodire iudicia iustitiae tuae.

Humiliatus sum usquequaque, Domine : \* vivifica me secundum verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine : \* et iudicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper : \* et legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi : \* et de mandatis tuis non erravi.

Hæreditate acquisivi testi-

mónia tua in ætérnum: \* quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum, \* propter retributiónem.

**I**NIQUOS ódio hábui: \* et legem tuam diléxi.

Adjútor et suscéptor meus es tu: \* et in verbum tuum supersperávi.

Declináte a me maligni: \* et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndum elóquium tuum, et vivam: \* et non confundas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, et salvus ero: \* et meditábor in justificatió- nibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedén- tes a iudiciis tuis: \* quia in- jústa cogitatio eórum.

Prævaricántes reputávi om- nes peccatóres terræ: \* ideo diléxi testimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas: \* a iudiciis enim tuis tímui.

Feci iudícium et justítiam: \* non tradas me calumniánti- bus me.

Súscipe servum tuum in bonum: \* non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in sa- lutáre tuum: \* et in elóquium justítiae tuæ.

Fac cum servo tuo secún- dum misericórdiam tuam: \* et justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: \* da mihi intelléctum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine: \* dissipavérunt legem tuam.

Ideo diléxi mandáta tua, \* super aurum et topázion.

Proptérea ad ómnia man- dáta tua dirigébar: \* omnem viam iníquam ódio hábui.

*In Dominicis Quadrage- simæ, Antiphona propria.*

*Tempore Quadragesimæ in feriali Officio, Antiphona.*

Commendémus nosmetip- sos in multa patiéntia, in jejú- niis multis, per arma justitiæ.

## CAPITULUM.

[Isaïæ c. 55.]

**D**ERELINQUAT impius viam suam, et vir iníquus cogita- tiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur ejus, et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignos- céndum.

*R.* breve. Scápolis suis, \* Obumbrábit tibi. Scápolis.

*Ÿ.* Et sub pennis ejus spe- rábis.

*R.* Obumbrábit tibi.

Glória Patri. Scápolis.

*Ÿ.* Scuto circúmdabit te véritas ejus.

*R.* Non timébis a timóre noctúrno.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Pater noster *secreto*.

*Ÿ.* Et ne nos indúcas in tentatióem.

R. Sed libera nos a malo.  
 V. Dómine, Deus virtútum,  
 convérte nos.

R. Et osténde fáciem tuam,  
 et salvi érimus.

V. Exúrge, Christe; ádju-  
 va nos.

R. Et libera nos propter  
 nomen tuum.

V. Dómine, exáudi oratió-  
 nem meam.

R. Et clamor meus ad te  
 véniat.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.  
 Orémus.

*Oratio conveniens.*

*Tempore Passionis in feriali  
 Officio, Antiphona.*

Pópule meus, quid feci  
 tibi? aut quid moléstus fui?  
 Respónde mihi.

CAPITULUM.

[Jerem., c. 7.]

CONFUNDANTUR qui me per-  
 sequúntur, et non confúndar  
 ego: páveant illi, et non pá-  
 veam ego: induc super eos  
 diem afflictiónis, et dúplici  
 contritióne cóntere eos, Dó-  
 mine, Deus noster.

R. *breve.* De ore leónis, \*  
 Libera me, Dómine. De ore.

V. Et a córnibus unicór-  
 nium humilitátem meam.

R. Libera. De ore.

V. Ne perdas cum impiis,  
 Deus, ánimam meam.

R. Et cum viris sánguinem  
 vitam meam.

Kyrie, eléison.

*Oratio conveniens.*

*In Dominicis tempore Pas-  
 chali, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia  
 allelúia.

*Capitulum proprium de  
 Tempore.*

*Tempore Paschali, in feriali  
 Officio, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia,  
 allelúia.

CAPITULUM.

[I. Cor., c. 15.]

CHRISTUS resurréxit a mór-  
 tuis primitiæ dormiéntium:  
 quóniam quidem per hómi-  
 nem mors, et per hóminem  
 resurréctio mortuórum. Et  
 sicut in Adam omnes moriún-  
 tur, ita et in Christo omnes  
 vivificabúntur.

R. *breve.* Surréxit Dómi-  
 nus vere. \* Allelúia, allelúia.  
 Surréxit.

V. Et appáruit Simóni.

R. Allelúia, allelúia, allelúia.

Glória Patri. Surréxit.

V. Gavisi sunt discipuli Dó-  
 mini. Allelúia.

R. Viso Dómino. Allelúia.

Kyrie, eléison.

*Oratio conveniens.*

AD NONAM.

Pater noster. Ave, María.  
 Deus, in adjutórium, 18.

HYMNUS.

RERUM Deus tenax vigor,  
 Immótus in te pérmanens,  
 Lucis diúrnæ témpora  
 Succéssibus detérminans.

Largire lumen vespere,  
Quo vita nusquam decídat,  
Sed præmium mortis sacræ  
Perennis instet glória.

Præsta, Pater piissime,  
Patrique compar Unice,  
Cum Spiritu Paráclito,  
Regnans per omne sæculum.  
Amen.

*In Dominicis Quadragesimæ, Antiphona propria.*

*Tempore Quadragesimæ, in feriali Officio, Antiphona*  
Per arma justitiæ.

*Tempore Passionis, Antiphona*  
Numquid rédditur.

*In Dominicis tempore Paschali, et in feriali Officio, Antiphona Alleluia.*

## PSALMUS.

**M**IRABILIA testimónia tua : \*  
ideo scrutata est ea ánima mea.

Declaratio sermónum tuórum  
illúminat : \* et intelléc-  
tum dat párvulis.

Os meum apérui, et at-  
tráxi spíritum : \* quia mandata  
tua desiderábam.

Aspice in me, et miserére  
mei, \* secúndum iudícium di-  
ligéntium nomen tuum.

Gressus meos dirige secún-  
dum elóquium tuum : \* et non  
dominétur mei omnis injus-  
titia.

Rédime me a calúmniis hó-  
minum : \* ut custódiam man-  
data tua.

Fáciem tuam illúmina super  
servum tuum : \* et doce me  
justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxé-  
Vern.

runt óculi mei : \* quia non  
custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine : \* et  
rectum iudícium tuum.

Mandásti justitiam testi-  
mónia tua : \* et veritatem tuam  
nimis.

Tabéscere me fecit zelus  
meus : \* quia obliti sunt verba  
tua inimici mei.

Ignitum elóquium tuum ve-  
heménter : \* et servus tuus  
diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego,  
et contéptus : \* justificatió-  
nes tuas non sum oblitus.

Justitia tua, justitia in ætér-  
num : \* et lex tua veritas.

Tribulatio et angústia in-  
venérunt me : \* mandata tua  
meditatio mea est.

Æquitas testimónia tua in  
ætérnum : \* intellécum da  
mihi, et vivam.

**C**LAMAVI in toto corde meo,  
exáudi me, Dómine : \* justifi-  
cations tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me  
fac : \* ut custódiam mandata  
tua.

Præveni in maturitáte, et  
clamávi : \* quia in verba tua  
supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad  
te dilúculo : \* ut meditárer  
elóquia tua.

Vocem meam audi secún-  
dum misericórdiam tuam, Dó-  
mine : \* et secúndum iudícium  
tuum vivifica me.

Appropinquavérunt perse-



quētes me iniquitāti : \* a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu, Dómine : \* et omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognóvi de testimoniis tuis : \* quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, et éripe me : \* quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica júdicium meum, et rédime me : \* propter elóquium tuum vivífica me.

Longe a peccatóribus salus : \* quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine : \* secúndum júdicium tuum vivífica me.

Multi qui persecúntur me et tribulant me : \* a testimoniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, et tabescébam : \* quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine : \* in misericórdia tua vivífica me.

Principium verbórum tuórum veritas : \* in ætérnum ómnia júdicia justitiæ tuæ.

**P**RINCIPES persecúti sunt me gratis : \* et a verbis tuis formidávit cor meum.

Lætabor ego super elóquia tua : \* sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum : \* legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi

tibi : \* super júdicia justitiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam : \* et non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dómine : \* et mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua : \* et diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, et testimónia tua : \* quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo, Dómine ; \* juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo : \* secúndum elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, \* cum docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum : \* quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua, ut salvet me : \* quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine : \* et lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, et laudábit te : \* et júdicia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit : \* quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

*In Dominicis Quadragesimæ, Antiphona propria.*



*Tempore Quadragesimæ, in  
feriali Officio, Antiphona.*

Per arma justitiæ virtutis  
Dei commendemus nosmetip-  
sos in multa patientia.

## CAPITULUM.

[Isaïæ c. 58.]

**F**RANGE esuriénti panem  
tuum, et egénos vagósque  
induc in domum tuam : cum  
videris nudum, óperi eum,  
et carnem tuam ne despéxeris.

*R. breve.* Scuto circúmda-  
bit te, \* Véritas ejus. Scuto.

*Y.* Non timébis a timóre  
noctúrno.

*R.* Véritas.

*Gloria Patri.* Scuto.

*Y.* Angelis suis Deus man-  
dávít de te.

*R.* Ut custódiánt te in óm-  
nibus viis tuis.

*Kyrie, eléison.*

*Christe, eléison.*

*Kyrie, eléison.*

*Pater noster secreto.*

*Y.* Et ne nos \*indúcas in  
tentatióem.

*R.* Sed libera nos a malo.

*Y.* Dómine, Deus virtútum,  
convérte nos.

*R.* Et osténde fáciem tuam,  
et salvi érimus.

*Y.* Exúrge, **Christe**; ádjuva  
nos.

*R.* Et libera nos propter  
nomen tuum.

*Y.* Dómine, exáudi oratió-  
nem meam.

*R.* Et clamor meus ad te  
véniat.

*Y.* Dóminus vobíscum.

*R.* Et cum spíritu tuo.  
Orémus.

*Oratio conveniens.*

*Tempore Passionis, in feriali  
Officio, Antiphona.*

Numquid rédditur pro  
bono malum, quia fodérunt  
fóveam ánimæ meæ?

## CAPITULUM.

[Jerem. c. 18.]

**R**ECORDARE quod stéterim  
in conspéctu tuo, ut lóque-  
rer pro eis bonum, et avér-  
terem indignatióem tuam  
ab eis.

*R. breve.* Ne perdas cum  
impiis, \* Deus, ánimam meam.  
Ne perdas.

*Y.* Et cum viris sánguinem  
vitam meam. Deus.

*R.* Ne perdas.

*Y.* Eripe me, Dómine, ab  
hómíne malo.

*R.* A viro iniquo éripe me.

*Kyrie, eléison.*

*Oratio conveniens.*

*In Dominicis tempore Pas-  
chali, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia,  
allelúia.

*Capitulum proprium de  
Tempore.*

*Tempore Paschali, in feriali  
Officio, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia,  
allelúia.

## CAPITULUM.

[I. Pet., c. 3.]

**C**HRISTUS semel pro peccá-  
tis nostris mórtuus est, justus  
pro injústis, ut nos offerret  
Deo, mortificátus quidem

carne, vivificátus autem spí-  
ritu.

R. *breve*. Gavísi sunt dis-  
cipuli. \* Allelúia, allelúia.  
Gavísi.

✠. Viso Dómino.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Gavísi sunt.

✠. Mane nobiscum, Dó-  
mine. Allelúia.

R. Quóniam advesperáscit.  
Allelúia.

*Oratio conveniens.*

*Vesperæ in Dominica et  
in Feriis habentur inferius  
post Laudes Sabbati.*

## FERIA SECUNDA

AD MATUTINUM.

Pater noster. Ave, María.  
Credo.

✠. Dómine, lábia mea apé-  
ries, *ut supra*, 2.

*In Quadragesima, Invita-  
torium. — Venite, \* Exulté-  
mus Dómino.*

*Psalmus* Jubilémus Deo  
salutári nostro, *ut supra*, 2.

*Hymnus* Ex more docti,  
*ut supra in Dominica*, 3.

*Tempore Paschali, Invi-  
tatorium* Allelúia, allelúia,  
\* Allelúia.

*Psalmus* Venite, exulté-  
mus, 2.

*Hymnus* Rex sempitérne,  
*ut in Dominica*, 3.

*Antiphonæ Nocturnorum  
per totum annum dicuntur  
ut infra.*

*Antiphona* Dóminus de-  
fensor.

*Tempore Paschali, Anti-  
phona* Allelúia, *sub qua una  
Antiphona dicuntur omnes  
Psalmi Nocturnorum.*

PSALMUS 26.

Dóminus illuminátio mea et  
salus mea, \* quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ  
meæ, \* à quo trepidábo?

Dum apprópíant super me  
nocéntes, \* ut edant carnes  
meas :

Qui trébulant me inimíci  
mei, \* ipsi infirmáti sunt, et  
cecidérunt.

Si consístant advérsus me  
castra, \* non timébit cor  
meum.

Si exúrgat advérsus me  
prælium, \* in hoc ego spe-  
rábo.

Unam pétii a Dómino,  
hanc requíram, \* ut inhábi-  
tem in domo Dómini, ómni-  
bus diébus vitæ meæ.

Ut videam voluptátem Dó-  
mini, \* et visitem templum  
ejus.

Quóniam abscondit me in  
tabernáculo suo : \* in die ma-  
lórum protéxit me in abscón-  
dito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : \* et  
nunc exaltávit caput meum  
super inimicos meos.

Circuivi, et immolávi in ta-  
bernáculo ejus hóstiam voci-  
feratiónis : \* cantábo, et psal-  
mum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem  
meam qua clamávi ad te : \*  
miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, ex-  
quisivit te fácies mea : \* fá-  
ciem tuam, Dómine, requí-  
ram.

Ne avértas fáciem tuam a  
me : \* ne declines in ira a servo  
tuo.

Adjutor meus esto : \* ne  
derelinquas me, neque des-  
picias me, Deus salutáris  
meus.

Quóniam pater meus et  
mater mea dereliquerunt me :  
\* Dóminus autem assumpsit  
me.

Legem pone mihi, Dó-  
mine, in via tua : \* et dirige me  
in sémitam rectam propter  
inimicos meos.

Ne tradideris me in áni-  
mas tribulántium me : \* quó-  
niam insurrexerunt in me tes-  
tes iniqui, et mentita est ini-  
quitas sibi.

Credo vidére bona Dómi-  
ni, \* in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, virili-  
ter age : \* et confortétur cor  
tuum, et sústine Dóminum.

PSALMUS 27.

Ad te, Dómine, clamábo,  
Deus meus, ne síleas a me :  
\* nequándo táceas a me, et  
assimilábor descendéntibus  
in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem  
deprecationis meæ dum oro  
ad te : \* dum extóllo manus  
meas ad templum sanctum  
tuum.

Ne simul trahas me cum

peccatóribus : \* et cum ope-  
rántibus iniquitátem ne per-  
das me :

Qui loquúntur pacem cum  
próximo suo, \* mala autem  
in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera  
eórum, \* et secúndum ne-  
quítiam adinventiónum ip-  
sorum.

Secúndum ópera mánuum  
eórum tribue illis : \* redde  
retributióem eórum ipsis.

Quóniam non intellexé-  
runt ópera Dómini, et in  
ópera mánuum ejus \* dés-  
trues illos, et non ædificábis  
eos.

Benedíctus Dóminus : \*  
quóniam exaudivit vocem de-  
precationis meæ.

Dóminus adjutor meus, et  
protéctor meus : \* in ipso  
sperávit cor meum, et adjú-  
tus sum.

Et reflóruit caro mea : \*  
et ex voluntáte mea confité-  
bor ei.

Dóminus fortitúdo plebis  
suz : \* et protéctor salvatió-  
num Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum,  
Dómine, et bénedic hæredi-  
táti tuæ : \* et rege eos, et ex-  
tólle illos usque in ætérnum.

*Antiphona.*

Dóminus defénsor vitæ  
meæ.

*Antiphona Adoráte.*

PSALMUS 28.

AFFERTE Dómino, filii Dei :

\* afferte Dómino filios arietum :

Afferte Dómino glóriam et honórem, afferte Dómino glóriam nómini ejus : \* adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit : \* Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : \* vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros : \* et confringet Dóminus cedros Líbani :

Et commínuet eas tanquam vitulum Líbani : \* et diléctus quemádmódum filius unicórniū.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : \* vox Dómini concutiéntis désertum, et commovébit Dóminus désertum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, et revelábit condénsa : \* et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : \* et sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : \* Dóminus benedicet pópulo suo in pace.

PSALMUS 29.

**E**xaltabo te, Dómine, quóniam suscepisti me : \* nec delectásti inimicos meos super me.

Dómine, Deus meus, clamávi ad te, \* et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam : \* salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dóminó, sancti ejus : \* et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : \* et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : \* et ad matutínium lætítia.

Ego autem dixi in abundantia mea : \* Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua, \* præstitisti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, \* et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo : \* et ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in ságuine meo, \* dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, \* aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et mísertus est mei : \* Dóminus factus est adjutor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : \* conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : \* Dómine, Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.



*Antiphona.*

Adoráte Dóminum in aula  
sancta ejus.

*Antiphona* In tua justitia.

PSALMUS 30.

In te, Dómine, sperávi; non  
confúndar in ætérnum : \* in  
justitia tua libera me.

Inclína ad me aurem tuam,  
\* accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protec-  
torem, et in domum refú-  
gii, \* ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea  
et refúgium meum es tu : \*  
et propter nomen tuum de-  
dúces me, et enútries me.

Educes me de láqueo hoc,\*  
quem abscondérunt mihi : \*  
quóniam tu es protéctor  
meus.

In manus tuas comméndo  
spíritum meum : \* redemísti  
me, Dómine, Deus veritátis.

Odisti observántes vanitá-  
tes, \* supervácue.

Ego autem in Dómino spe-  
rávi : \* exultábo, et lætabor  
in misericórdia tua.

Quóniam respexisti humi-  
litátem meam, \* salvásti de  
necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in má-  
nibus inimíci : \* statuísti in  
loco spatióso pedes meos.

Miserére mei, Dómine,  
quóniam tribulor : \* contur-  
bátus est in ira óculus meus,  
ánima mea, et venter meus :

Quóniam defécit in dolore  
vita mea : \* et anni mei in  
gemitibus.

Infirmáta est in paupertáte  
virtus mea : \* et ossa mea  
conturbáta sunt.

Super omnes inimicos  
meos factus sum oppróbrium  
et vicínis meis valde : \* et ti-  
mor notis meis.

Qui vidébant me foras  
fugérunt a me : \* oblivióni  
datus sum, tanquam mórtuus  
a corde.

Factus sum tanquam vas  
pérditum : \* quóniam audi-  
vi vituperatióem multórum  
commórantium in circúitu :

In eo dum convenirent  
simul advérsus me, \* acci-  
pere ánimam meam consi-  
liáti sunt.

Ego autem in te sperávi,  
Dómine : \* dixi : Deus meus  
es tu : in mánibus tuis sortes  
meæ.

Eripe me de manu inimi-  
córum meórum, \* et a per-  
sequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super  
servum tuum, salvum me fac  
in misericórdia tua : \* Dó-  
mine, non confúndar quó-  
niam invocávi te.

Erubéscant impíi, et de-  
ducántur in inférnum : \* mu-  
ta fiant lábia dolósa.

Quæ loquúntur advérsus  
justum iniquitátem, \* in su-  
pérbia, et in abusióne.

Quam magna multitúdo  
dulcedinis tuæ, Dómine, \*  
quam abscondisti timénti-  
bus te.

Perfecísti eis qui sperant



in te, \* in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ \* a conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo \* a contradicióne linguárum.

Benedictus Dóminus: \* quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ: \* Projéctus sum a facié oculórum tuórum.

Ideo exaudisti vocem oratiónis meæ, \* dum clamárem ad te.

Diligite Dóminum, omnes sancti ejus: \* quóniam veritátem requíret Dóminus, et retribuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, \* omnes qui sperátis in Dómino.

PSALMUS 31.

**B**EATI quorum remissæ sunt iniquitátes: \* et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non impútávit Dóminus peccátum, \* nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácuí, inveteráverunt ossa mea, \* dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: \* convérsus sum in ærúmna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cógnitum

tibi feci: \* et injustítiam meam non abscondi.

Dixi: Confitébor advérsus me injustítiam meam Dómino: \* et tu remisisti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, \* in témpore oportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum \* ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me: \* exultátió mea, érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradiéris: \* firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus et mulus, \* quibus non est intelléctus.

In camo et fræno maxillas eórum constringe, \* qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, \* sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, et exultáte, justí, \* et gloriámini, omnes recti corde.

*Antiphona.*

In tua justítia libera me, Dómine.

*Antiphona Rectos decet.*

PSALMUS 32.

**E**XULTATE, justí, in Dómino: \* rectos decet collaudátió.

Confitémini Dómino in cíthara: \* in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : \* bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, \* et ómnia ópera ejus in fide.

Diligit misericórdiam et iudícium : \* misericórdiæ Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt : \* et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : \* ponens in thesáuris abyssos.

Timeat Dóminum omnis terra : \* ab eo autem commoveántur omnes inhabitantes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : \* ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus dissipat consília gentium : \* réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília principum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : \* cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatióne.

Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus : \* pópulus, quem elégit in hæreditátem sibi.

De cœlo respéxit Dóminus : \* vidit omnes filios hóminum.

De præparáto habitáculo suo, \* respéxit super omnes qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda

eórum : \* qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : \* et gigas non salvábitur in multitudine virtutis suæ.

Fallax equus ad salútem : \* in abundántia autem virtutis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : \* et in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Ut érnat a morte ánimas eórum : \* et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : \* quóniam adjutor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : \* et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos : \* quemádmódum sperávimus in te.

PSALMUS 33.

**B**ENEDICAM Dóminum in omni témpore : \* semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : \* áudiant mansuétí, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum, \* et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudivit me : \* et ex ómnibus tribulatiónebus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : \* et fácies vestre non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dó-

minus exaudivit eum : \* et de ómnibus tribulatióibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : \* et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : \* beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dominum, omnes sancti ejus : \* quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : \* inquirentes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Venite, filii, audite me : \* timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : \* diligit dies vidére bonos ?

Próhibe linguam tuam a malo, \* et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : \* inquire pacem, et perséquare eam.

Oculi Dómini super justos : \* et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : \* ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justí, et Dóminus exaudivit eos : \* et ex ómnibus tribulatióibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde : \* et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatióes justó-

rum : \* et de ómnibus hīs liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : \* unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : \* et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : \* et non delínquent omnes qui sperant in eo.

*Antiphona.*

Rectos decet collaudátio.

*Antiphona Expúgna.*

PSALMUS 34.

JUDICA, Dómine, nocéntes me, \* expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma et scutum : \* et exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, et conclúde advérsus eos qui persequúntur me : \* dic ánimæ meæ : Salus tua ego sum.

Confundántur et revereántur \* quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum, et confundántur \* cogitántes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante faciém venti : \* et Angelus Dómini coárcetans eos.

Fiat via illórum tenebræ et lúbricum : \* et Angelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui : \* supervácue exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus, quem ignórat: et cáptio, quam abscondit, apprehéndat eum: \* et in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino: \* et delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: \* Dómine, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiórum ejus: \* egénium et páuperem a diripiéntibus eum.

Surgéntes testes iníqui, \* quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis: \* sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cum mihi mólesti essent, \* induébar cilicio.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam: \* et orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam: \* quasi lugens et contristátus sic humiliábar.

Et advérsus me lætáti sunt et convenérunt: \* congregáta sunt super me flagélla, et ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compuncti, tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne: \* frenduérunt super me déntibus suis. \*

Dómine, quando respicies? \* restitue ánimam meam a

malignitáte eórum, a leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclesiá magna, \* in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi inique: \* qui odérunt me gratis et ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacífice loquebántur: \* et in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum: \* dixerunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti, Dómine, ne síleas, \* Dómine, ne discédas a me.

Exúrge et inténde iudicio meo: \* Deus meus, et Dóminus meus in causam meam.

Júdica me secúndum justítiam tuam, Dómine Deus meus, \* et non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ: \* nec dicant: Devorávimus eum.

Erubéscant et revereántur simul \* qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne et reveréntia \* qui magna loquúntur super me.

Exúltent et læténtur qui volunt justítiam meam: \* et dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur



justitiam tuam, \* tota die laudem tuam.

PSALMUS 35.

**D**IXIT injustus, ut delinquat in semetipso : \* non est timor Dei ante oculos ejus.

Quóniam dolose egit in conspectu ejus : \* ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

Verba oris ejus iniquitas et dolus : \* noluit intelligere ut bene ágeret.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo : \* ástitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.

Dómine, in cœlo misericordia tua : \* et veritas tua usque ad nubes.

Justitia tua sicut montes Dei : \* judicia tua abyssus multa.

Hómínes et juménta salvábis, Dómine : \* quemádmó- dum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Filii autem hóminum \* in tégmíne alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ : \* et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ : \* et in lumine tuo vidébimus lumen.

Præténde misericórdiam tuam sciéntibus te, \* et justitiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes superbiæ, \* et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitatem : \* expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

*Antiphona.*

Expúгна impugnántes me.

*Antiphona* Revela.

PSALMUS 36.

**N**OLI æmulári in malignántibus : \* neque zeláveris faciéntes iniquitatem.

Quóniam tanquam foenum velóciter aréscent : \* et quemádmódu ólera herbárum cito decident.

Spera in Dómino, et fac bonitatem : \* et inhábíta terram, et pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino : \* et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revela Dómino viam tuam, et spera in eo : \* et ipse fáciét.

Et edúcet quasi lumen justitiam tuam, et judícium tuum tanquam merídiem : \* súbditus esto Dómino, et ora cum.

Noli æmulári in eo qui prosperátur in via sua : \* in hómine faciénte injustítias.

Désine ab ira, et derelinque furórem : \* noli æmulári ut malignéris.

Quóniam qui malignántur exterminabúntur : \* sustinéntes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusillum, et non erit peccátor : \* et quæres locum ejus, et non invénies.

Mansuétí autem hæreditá-



bunt terram, \* et delectabúntur in multitudíne pacis.

Observábit peccátor justum : \* et stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum : \* quóniam próspicit quod véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres : \* intendérunt arcum suum,

Ut deiciant páuperem et inopem : \* ut trucident rectos corde.

Gládus eórum intret in corda ipsórum : \* et arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, \* super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur : \* confirmat autem justos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum : \* et hæreditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in tēpore malo, et in diébus famis saturabúntur : \* quia peccatóres peribunt.

Inimíci vero Dómini, mox ut honorificáti fúerint et exaltáti, \* deficientes, quemadmodum fumus, deficient.

Mutuábitur peccátor, et non solvet : \* justus autem miserétur, et tríbuet.

Quia benedicéntes ei hæreditábunt terram : \* maledicéntes autem ei disperibunt.

Apud Dóminum gressus

hóminis dirigéntur : \* et viam ejus volet.

Cum ceciderit, non collidétur : \* quia Dóminus supponit manum suam.

Júnior fui, étenim sénuí : \* et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

Tota die miserétur et comodat : \* et semen illius in benedictióne erit.

Declína a malo, et fac bonum : \* et inhábita in sæculum sæculi.

Quia Dóminus amat judícium, et non derelinquet sanctos suos : \* in ætérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur : \* et semen impiórum peribit.

Justi autem hæreditábunt terram : \* et inhabitábunt in sæculum sæculi super eam.

Os justí meditábitur sapiéntiam, \* et lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsius : \* et non supplantabúntur gressus ejus.

Considerat peccátor justum : \* et quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelinquet eum in mánibus ejus : \* nec damnábit eum cum judicábitur illi.

Expécta Dóminum, et custódi viam ejus, et exaltábit te, ut hæreditáte cápías terram : \* cum perierint peccatóres vidébis.

Vidi impium superexaltatum, \* et elevatum sicut cedros Libani.

Et transivi, et ecce non erat : \* et quæsi eum, et non est inventus locus ejus.

Custodi innocentiam, et vide æquitatem : \* quoniam sunt reliquiae homini pacifico.

Injusti autem disperibunt simul : \* reliquiae impiorum interibunt.

Salus autem justorum a Domino : \* et protector eorum in tempore tribulationis.

Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos : \* et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.

PSALMUS 37.

**D**OMINE, ne in furore tuo arguas me, \* neque in ira tua corripas me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi : \* et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae : \* non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum : \* et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt, et corruptae sunt cicatrices meae, \* a facie insipientiae meae.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem : \* tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus : \* et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis : \* rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum : \* et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea : \* et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei \* adversum me appropinquerunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant de longe steterunt : \* et vim faciebant qui querebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates : \* et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam, \* et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, \* et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi : \* tu exaudies me, Domine, Deus meus.

Quia dixi : Nequando supergaudeant mihi inimici mei : \* et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum : \* et dolor meus

in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitatem meam annuntiabo : \* et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt qui odérunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahébant mihi : \* quóniam sequébar bonitatem.

Ne derelinquas me, Dómine, Deus meus : \* ne discesseris a me.

Inténde in adiutorium meum, \* Dómine, Deus salutis meæ.

*Antiphona.*

Revéla Dómino viam tuam.

In Quadragesima, \* Ipse liberávit me de láqueo venantium.

R. Et a verbo áspero.

Tempore Passionis, \* Erue a frámea, Deus, ánimam meam.

R. Et de manu canis únicam meam.

Tempore Paschali, *Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

\* Surrexit Dóminus de sepúlcro. Allelúia.

R. Qui pro nobis pépéndit in ligno. Allelúia.

Pro uno vel pluribus Martyribus, tempore Paschali, \* Sancti et justí in Dómino gaudéte. Allelúia.

R. Vos elégit Deus in hæreditatem sibi. Allelúia.

*Pro Confessore Pontifice, et non Pontifice, tempore Paschali, \* Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. Allelúia.*

R. Stolum glóriæ induit eum. Allelúia.

*Pro una Sancta, tempore Paschali, \* Spécie tua, et pulchritúdine tua. Allelúia.*

R. Inténde, prospere procéde, et regna. Allelúia.

~~~~~

## FERIA SECUNDA

### AD LAUDES.

\* Deus, in adiutorium meum inténde, ut supra, 18.

Tempore Paschali dicuntur Psalmi et Antiphonæ de Dominica, 19.

Capitulum vero, Hymnus, Versus, et Antiphona ad Benedictus, ut in proprio de Tempore. Aliis temporibus per Annum, quando non assignantur propriæ Antiphonæ, dicitur Antiphona Miserere.

### PSALMUS 50.

Miserere mei, Deus, \* secundum magnam misericórdiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, \* dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea : \* et a peccato meo munda me.

Quóniam iniquitatem meam ego cognosco : \* et peccatum

meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : \* ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitatibus concéptus sum : \* et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexísti : \* incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérget me hyssópo, et mundábor : \* lavábis me, et super nivem dealbábor.

Auditui meo dabis gáudium et lætitiám, \* et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte faciém tuam a peccátis meis, \* et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : \* et spíritum rectum innova in viscéribus meis.

Ne projicias me a faciē tua : \* et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætitiám salutaris tui ; \* et spíritu principalí confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, \* et impíi ad te converténtur.

Libera me de sanguinibus : Deus, Deus salutis meæ, \* et exultábit lingua mea justitiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : \* et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrificium, dedissem útique :

\* holocáustis non delectáberis.

Sacrificium Deo spíritus contribulátus : \* cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benigne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : \* ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrificium justitiæ, oblatiónes et holocáusta : \* tunc impónent super altáre tuum vitulos.

*Antiphona.*

Miserére mei, Deus.

*Antiphona* Intéllige.

PSÁLMUS 5.

VERBA mea áuribus percípe, Dómine, \* intéllige clamórem meum.

Inténdevoci oratiónis meæ : \* Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo, \* Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, et vidébo : \* quóniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus : \* neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odisti omnes qui operántur iniquitatem : \* perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinem et dolósum abominábitur Dóminus : \* ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introibo in domum tuam : \* adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.



Dómine, deduc me in iustitia tua : \* propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eorum veritas : \* cor eorum vanum est.

Sepulcrum patens est gutture eorum, linguis suis dolose agebant : \* júdica illos, Deus.

Décidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos : \* quóniam irritaverunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, \* in ætérnum exultabunt : et habitabis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, \* quóniam tu benedices justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ \* coronásti nos.

*Antiphona.*

Intellige clamórem meum, Dómine.

*Antiphona.*

Deus, Deus meus, \* ad te de luce vigilo.

*Psalmus idem, 19.*

*Antiphona* Convérsus.

CANTICUM ISAIE PROPHETE.

[Cap. 12.]

CONFITEBOR tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : \* convérsus est furor tuus, et consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus, \* fiduciáliter agam, et non timebo.

Quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus, \* et factus est mihi in salutem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salvatóris : \* et dicétis in die illa : Confítemini Dómino, et invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiões ejus : \* memento quóniam excélsus est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnifice fecit, \* annuntiáte hoc in univérsta terra.

Exúlta, et lauda, habitatio Sion, \* quia magnus in médio tui sanctus Israel.

*Antiphona.*

Convérsus est furor tuus, Dómine, et consolátus es me.

*Antiphona.*

Laudáte Dóminum de cœlis.

*Psalmus idem, 21.*

IN QUADRAGESIMA

CAPITULUM.

[Isaie c. 58.]

CLAMA, ne cesses; quasi tuba exálta vocem tuam, et annúntia pópulo meo scélera eorum, et dómui Jacob peccáta eorum.

HYMNUS.

O sol salutis, íntimis, Jesu, refúlge méntibus, Dum nocte pulsa grátior Orbi dies renáscitur.

Dans tempus acceptábile, Da lacrymárum rivulis Laváre cordis víctimam,



Quam læta adúrat cháritas.

Quo fonte manávit nefas,  
Fluent perénnes lácrymæ,  
Si virga pœniténtiæ  
Cordis rigórem cónterat.

Dies venit, dies tua,  
In qua reflórent ómnia:  
Lætémur et nos in viam  
Tua redúcti délixera.

Te prona mundi máchina  
Cleméns adóret Trínitas,  
Et nos novi per grátiam  
Novum canámus cánticum.

Amen.

✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

℞. Ut custódiat te in ómnibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona propria, ut in Feriis Quadragesimæ, in quibus post Antiphonam ad Benedictus, et in Vesperis post Antiphonam ad Magnificat, dicuntur sequentes Preces flexis genibus.*

**KYRIE**, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

*Pater noster totum dicitur clara voce, etiam in Vesperis.*

✠. Et ne nos indúcas in tentatióem.

℞. Sed libera nos a malo.

✠. Ego dixi, Dómine, miserére mei.

℞. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

✠. Convértere, Dómine, úsquequo.

℞. Et deprecábilis esto super servos tuos.

✠. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos.

℞. Quemádmódum sperávimus in te.

✠. Sacerdótes tui induántur justítiam.

℞. Et sancti tui exúltent.

✠. Dómine, salvum fac Regem.

℞. Et exáudi nos in die qua invocáverimus te.

✠. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hæreditáti tuæ.

℞. Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

✠. Meménto congregatiónis tuæ.

℞. Quam possedisti ab initio

✠. Fiat pax in virtúte tua.

℞. Et abundántia in túrribus tuis.

✠. Orémus pro fidélibus defúctis.

℞. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis.

✠. Requiéscant in pace.

℞. Amen.

✠. Pro frátribus nostris abséntibus.

℞. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te.

✠. Pro afflíctis et captívis.

℞. Libera eos, Deus Israel, ex ómnibus tribulatióibus suis.

✠. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.

℞. Et de Sion tuére eos.

†. Dómine, exáudi oratió-  
nem meam.

℟. Et clamor meus ad te  
veníat.

*Deinde dicitur Psalmus De  
profúndis, qui infra habetur  
in Vesperis Ferie quartæ, et  
in fine Glória Patri. In Ves-  
peris ejus loco dicitur Psal-  
mus Miserere mei, Deus, \*  
secúndum magnam, 63. Fi-  
nito Psalmo, dicitur †. Dó-  
mine, Deus virtútum, con-  
verte nos.*

℟. Et osténde fáciem tuam,  
et salvi érimus.

†. Exúrge, Christe; ádjuva  
nos.

℟. Et libera nos propter  
nomen tuum.

†. Dómine, exáudi oratió-  
nem meam.

℟. Et clamor meus ad te  
veníat.

†. Dóminus vobíscum:

℟. Et cum spíritu tuo.

*Deinde dicitur Oratio pro-  
pria; et quando in seriali Of-  
ficio fiunt Commemorationes  
communes de S. Maria, de  
Apostolis et de Pace, ante  
eas tam in Laudibus quam in  
Vesperis fit sequens comme-  
moratio de Cruce.*

*Antiphona.*

Per signum Crucis de ini-  
micis nostris libera nos, Deus  
noster.

†. Omnis terra adóret te,  
et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nómini  
tuo, Dómine.

Orémus.

ORATIO.

**P**ERPETUA NOS, quæsumus,  
Dómine, pace custódi, quos  
per lignum sanctæ Crucis re-  
dimere dignatus es.

*Quæ Commemoratio de  
Cruce fit etiam quando non  
dicuntur Preces, in seriali tan-  
tum Officio.*

*Tempore Paschali fit alia  
Commemoratio de Cruce,  
quæ habetur feria secunda  
post Dominicam in Albis,  
omissis aliis Commemorationi-  
bus de Sancta Maria, etc.*

FERIA TERTIA

AD MATUTINUM.

*In Quadragesima, Invita-  
torium. — Jubilémus Deo, \*  
Salutári nostro.*

*Psalmus Veníte, exulté-  
mus, ut supra, 2.*

*Hymnus Ex more docti  
mystyco, ut in Dominica, 3.*

*Tempore Paschali, Invita-  
torium.*

*Allelúia, allelúia, \* Allelúia.*

*Hymnus Rex sempitérne  
cœlitum, ut in Dominica, 3.*

*Antiphona Ut non delín-  
quam.*

*Tempore Paschali, Anti-  
phona Allelúia.*

PSALMUS 38.

**D**IXI: Custódiam vias meas: \*  
ut non delínquam in lingua  
mea.

Pósui ori meo custódiam, \*

cum consisteret peccator adversum me.

Obmutui, et humiliatus sum, et siliui a bonis : \* et dolor meus renovatus est.

Concaluit cor meum intra me : \* et in meditatione mea exardescet ignis :

Locutus sum in lingua mea : \* Notum fac mihi, Domine, finem meum,

Et numerum dierum meorum quis est : \* ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos : \* et substantia mea tanquam nihilum ante te.

Veruntamen universa vanitas, \* omnis homo vivens.

Veruntamen in imagine pertransit homo : \* sed et frustra conturbatur.

Thesaurizat : \* et ignorat cui congregabit ea.

Et nunc quæ est expectatio mea ? \* nonne Dominus ? et substantia mea apud te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me : \* opprobrium insipienti dedisti me.

Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti : \* amove a me plagas tuas.

A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus : \* propter iniquitatem corripuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus : \* veruntamen vane conturbatur omnis homo.

Exaudi orationem meam,

Domine, et deprecationem meam : \* auribus percipe lacrymas meas.

Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus, \* sicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrigerem priusquam abeam, \* et amplius non ero.

PSALMUS 39.

EXPECTANS expectavi Dominum, \* et intendit mihi.

Et exaudivit preces meas \* et eduxit me de lacu miserie, et de luto facis.

Et statuit super petram pedes meos : \* et direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum, \* carmen Deo nostro.

Videbunt multi, et timebunt : \* et sperabunt in Domino.

Beatus vir cuius est nomen Domini spes ejus : \* et non respexit in vanitates et insanias falsas.

Multa fecisti tu, Domine, Deus meus, mirabilia tua : \* et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi et locutus sum : \* multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium et oblationem noluisti : \* aures autem perfecisti mihi.

Holocautum et pro peccato non postulasti : \* tunc dixi : Ecce venio.

In capite libri scriptum est

ne ut facerem voluntá-  
tem tuam : \* Deus meus, vó-  
a. et legem tuam in médio  
moris mei.

Annuntiávi justítiam tuam  
in ecclesia magna, \* ecce lá-  
men mea non prohibébo : Dó-  
mine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscón-  
di in corde meo : \* veritátem  
tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericór-  
diam tuam et veritátem tuam \*  
in concilio multo.

Tu autem, Dómine, ne longe  
facias miseratiónes tuas a me :  
\* misericórdia tua et veritas  
tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdederunt  
me mala, quorum non est nú-  
merus : \* comprehendérunt  
me iniquitátes meæ, et non  
potui ut vidérem.

Multiplicatæ sunt super ca-  
pillis cápitis mei : \* et cor  
meum dereliquit me.

Compláceat tibi, Dómine,  
et eruas me : \* Dómine, ad ad-  
vivándum me respice.

Confundántur et reveréan-  
tur simul qui quærunt áni-  
mam meam, \* ut áuferant  
eam.

Convertántur retrórsum et  
reveréantur \* qui volunt mihi  
mala.

Ferant conféstim confusió-  
nem suam \* qui dicunt mihi :  
Euge, euge.

Exúltent et læténtur super  
te omnes quæréntes te : \* et di-  
cant semper : Magnificétur

Dóminus : qui diligunt salu-  
táre tuum.

Ego autem mendícus sum  
et pauper : \* Dóminus sollici-  
tus est mei.

Adjutor meus et protéctor  
meus es tu : \* Deus meus, ne  
tardáveris.

*Antiphona.*

Ut non delínquam in lin-  
gua mea.

*Antiphona Sana, Dómine.*

PSALMUS 40.

**B**EATUS qui intélligit super  
egénium et páuperem : \* in  
die mala liberábit eum Dó-  
minus.

Dóminus consérvet eum,  
et vivíficet eum, et beátum  
fáciat eum in terra : \* et non  
tradat eum in ánimam inimi-  
córum ejus.

Dóminus opem ferat illi  
super lectum dolóris ejus : \*  
univérsum stratum ejus ver-  
sásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi, Dómine, mise-  
rere mei : \* sana ánimam  
meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixerunt mala  
mibi : \* quando moriétur, et  
peribit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vi-  
deret, vana loquebátur, \* cor  
ejus congregávit iniquitátem  
sibi.

Egrediebátur foras, \* et lo-  
quebátur in idípsium.

Advérsum me susurrábant  
omnes inimíci mei : \* advér-  
sum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum consti-



tuérunt aduersum me: \* Num-  
quid qui dormit, non adjí-  
ciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ,  
in quo sperávi: \* qui edébat  
panes meos, magnificávit su-  
per me supplantatióem.

Tu autem, Dómine, mise-  
rere mei, et resúscita me: \*  
et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam  
voluisti me: \* quóniam non  
gaudébit inimicus meus su-  
per me.

Me autem propter inno-  
céntiam suscepisti: \* et con-  
firmásti me in conspéctu tuo  
in ætérnum.

Benedictus Dóminus Deus  
Israel a sæculo, et usque in  
sæculum: \* fiat, fiat.

PSALMUS 41.

**Q**UEMADMODUM desiderat  
cervus ad fontes aquarum: \*  
ita desiderat ánima mea ad te,  
Deus.

Sitivit ánima mea ad Deum  
fortem vivum: \* quando vé-  
niam et apparebo ante faciém  
Dei.

Fuérunt mihi lacrymæ meæ  
panes die ac nocte: \* dum  
dicitur mihi quotidie: Ubi  
est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et ef-  
fúdi in me ánimam meam, \*  
quóniam transibo in locum  
tabernáculi admirábilis, us-  
que ad domum Dei:

In voce exultatióis, et  
confessióis: \* sonus epulán-  
tis.

Quare tristis es, ánima  
\* et quare contúrbas me

Spera in Deo, quóniam  
huc confitébor illi: \* sal-  
vultus mei, et Deus me

Ad meipsum ánima  
conturbáta est: \* prop-  
memor ero tui de terra  
dánis, et Hermóniim a  
te módico.

Abyssus abyssum inv-  
\* in voce cataractarum  
rum.

Omnia excélsa tua, et  
tus tui \* super me transié

In die mandávit Dón-  
misericórdiam suam:  
nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo  
meæ, \* dicam Deo: Sus-  
tor meus es.

Quare \*oblítus es mei  
quare contristátus inco-  
dum affligit me inimicus

Dum confringúntur  
mea, \* exprobravérunt  
qui tribulant me inimici

Dum dicunt mihi per-  
gulos dies: Ubi est I-  
tuus? \* quare tristis es, á-  
mea? et quare contúr-  
me?

Spera in Deo, quóniam  
huc confitébor illi: \* sal-  
vultus mei, et Deus me

*Antiphona.*

Sana, Dómine, áni-  
meam, quia peccávi tibi.

*Antiphona* Eructávit.

PSALMUS 43

**D**EUS auribus nostris au-



mus, \* patres nostri annun-  
taverunt nobis.

Opus, quod operatus es in  
diebus eorum, \* et in diebus  
antiquis.

Manus tua gentes disper-  
didit, et plantasti eos : \* af-  
firmasti populos, et expulisti  
eos :

Nec enim in gladio suo pos-  
uerunt terram : \* et brá-  
cium eorum non salvavit  
eos.

Sed dextera tua, et brá-  
cium tuum, et illuminatio  
robustati, \* quóniam compla-  
cisti in eis.

Tu es ipse Rex meus et  
Deus meus, \* qui mandas sa-  
ntes Jacob.

In te inimicos nostros ven-  
timus cornu, \* et in nó-  
mine tuo spernemus insur-  
gentes in nobis.

Non enim in arcu meo spe-  
abo : \* et gladius meus non  
salvabit me.

Salvast enim nos de affli-  
gentibus nos, \* et odiéntes  
nos confundisti.

In Deo laudábimur tota  
die : \* et in nómine tuo con-  
tebimur in sæculum.

Nunc autem repulisti et  
confudisti nos : \* et non egre-  
deris, Deus, in virtutibus  
nostris.

Avertisti nos retrórsum  
post inimicos nostros : \* et qui  
oderunt nos diripiébant sibi.

Dedisti nos tanquam oves

escárum : \* et in géntibus  
dispersisti nos.

Vendidisti pópulum tuum  
sine pretio : \* et non fuit mul-  
títudo in commutatióibus  
eorum.

Posuisti nos oppróbrium  
vicinis nostris, \* subsannatió-  
nem et derisum his qui sunt  
in circúitu nostro.

Posuisti nos in similitúdi-  
nem géntibus : \* commotió-  
nem cápitis in pópulis.

Tota die verecúndia mea  
contra me est, \* et confúsió  
faciei meæ coopérui me.

A voce exprobrántis, et ób-  
loquéntis : \* a fácie inimici et  
persequéntis.

Hæc ómnia venérunt super  
nos, nec obliti sumus te : \* et  
inique non égimus in testa-  
ménto tuo.

Et non recéssit retro cor  
nostrum : \* et declinasti sé-  
mitas nostras a via tua :

Quóniam humiliásti nos in  
loco afflictiónis, \* et coopé-  
ruit nos umbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei  
nostri, \* et si expándimus  
manus nostras ad deum alié-  
num :

Nonne Deus requíret ista ?  
\* ipse enim novit abscondita  
cordis.

Quóniam propter te mor-  
tificámur tota die : \* æstimáti  
sumus sicut oves occisiónis.

Exúrge, quare obdórmis,  
Dómine ? \* exúrge, et ne re-  
péllas in finem.

Quare faciē tuam avértis,  
\* oblivisceris inópiæ nostræ  
et tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in  
púlvere ánima nostra : \* con-  
glutinátus est in terra venter  
noster.

Exúrge , Dómine , ádjuva  
nos : \* et rédime nos propter  
nomen tuum.

PSALMUS 44.

**E**RUCTAVIT cor meum ver-  
bum bonum : \* dico ego ópera  
mea Regi.

Lingua mea cálamus scri-  
bæ \* velóriter scribéntis.

Speciósus forma præ filiis  
hóminum, diffúsa est grátia  
in lábiis tuis : \* proptérea be-  
nedíxit te Deus in ætérnum.

Accingere gládio tuo su-  
per femur tuum , \* potentis-  
sime.

Spécie tua et pulchritúdine  
tua \* inténde, prospere pro-  
céde, et regna,

Propter veritátem, et man-  
suetúdinem et justitiam : \* et  
dedúcet temirabiliter délixera  
tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli  
sub te cadent : \* in corda ini-  
micórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæcu-  
lum sæculi : \* virga directi-  
onis virga regni tui.

Dilexísti justitiam, et odísti  
iniquitátem : \* proptérea unxit  
te Deus, Deus tuus, óleo læ-  
titiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia  
a vestiméntis tuis, a dómibus

ebúrneis : \* ex quibus de-  
taverunt te filiæ regum in  
nóre tuo.

Astitit regína a dextris  
in vestitu deauráto : \* circ-  
data varietáte.

Audi, filia, et vide, et  
clína aurem tuam : \* et o-  
viscere pópulum tuum  
domum patris tui.

Et concupíscet Rex do-  
rem tuam : \* quóniam ipse  
Dóminus Deus tuus, et a-  
rábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus  
vultum tuum deprecabúntur  
omnes divites plebis.

Omnis glória ejus filiæ  
gis ab intus, \* in fimbriis  
reis circumamícta variet-  
bus.

Adducéntur Regi virgines  
post eam : \* próximæ ejus  
feréntur tibi.

Afferéntur in lætítia  
exultatióne : \* adducéntur  
templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt  
tibi filii : \* constitues eos prí-  
cipes super omnem terram.

Mémores erunt nómi-  
ni tui : \* in omni generatióne  
generatióne.

Proptérea pópuli confi-  
búntur tibi in ætérnum : \*  
in sæculum sæculi.

*Antiphona.*

Eructávit cor meum ver-  
bum bonum.

*Antiphona Adjutor.*

PSALMUS 45.

**D**EUS, noster refúgium

ritus : \* adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos

Propterea non timébimus  
et turbabitur terra : \* et  
transerentur montes in cor-  
rumpentibus.

Sonnerunt, et turbatæ sunt  
que eorum : \* conturbati  
sunt montes in fortitudine

Fluminis impetus lætificat  
civitatem Dei : \* sanctificavit  
tabernaculum suum Altissi-

mus.  
Deus, in medio ejus, non  
commovetur : \* adjuvabit  
eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, et  
concitata sunt regna : \* dedit  
vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobis-  
cum : \* susceptor noster Deus  
Jacob.

Venite, et videte ópera Dó-  
mini, quæ posuit prodigia  
super terram : \* auferens bella  
usque ad finem terræ.

Arcum conteret et con-  
fringet arma, \* et scuta com-  
buret igni.

Vacate, et videte quóniam  
ego sum Deus ; \* exaltabor in  
montibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobis-  
cum : \* susceptor noster Deus  
Jacob.

## PSALMUS 46.

Omnes gentes, plaudite má-  
nibus : \* jubiláte Deo in voce  
exultationis.

Quóniam Dóminus excél-  
Vern.

sus, terribilis : \* Rex magnus  
super omnem terram.

Subjecit pópulos nobis : \*  
et gentes sub pedibus nostris.

Elégit nobis hæreditatem  
suam, \* spéciem Jacob, quam  
diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : \*  
et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psál-  
lite : \* psállite Regi nostro,  
psállite.

Quóniam Rex omnis terræ  
Deus : \* psállite sapiénter.

Regnabit Deus super gen-  
tes : \* Deus sedet super se-  
dem sanctam suam.

Príncipes populórum con-  
gregati sunt cum Deo Abra-  
ham : \* quóniam dii fortes ter-  
ræ veheménter elevati sunt.

*Antiphona.*

Adjutor in tribulationibus.

*Antiphona* Magnus Dó-  
minus.

## PSALMUS 47.

MAGNUS Dóminus, et lau-  
dabilis nimis : \* in civitate  
Dei nostri, in monte sancto  
ejus.

Fundatur exultatione uni-  
versæ terræ mons Sion, \* lá-  
tera Aquilonis, civitas Regis  
magni.

Deus in dómibus ejus cog-  
noscetur, \* cum suscipiet  
eam :

Quóniam ecce reges terræ  
congregati sunt : \* convené-  
runt in unum.

Ipsi vidéntes sic admirát  
sunt, conturbati sunt, com-

móti sunt : \* tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, \* in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitaté Dei nostri : \* Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépinus, Deus, misericórdiam tuam, \* in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : \* justitia plena est dextera tua.

Lætétur mons Sion, et exúltent filiæ Judæ, \* propter iudicia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímmini eam : \* narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : \* et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi : \* ipse reget nos in sæcula.

PSALMUS 48.

AUDITE hæc, omnes gentes : \* áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem :

Quique terrigenæ, et filii hóminum : \* simul in unum dives et pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam : \* et meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : \* apériam in psal-

tério propositiónem mea

Cur timébo in die mala iniquitas calcánei mei circúdabit me :

Qui confidunt in virtú sua : \* et in multitudíne divitiárum suárum gloriántur

Frater non rédimit, redimet homo : \* non dabit Deus placatióem suam.

Et prétium redemptiÓNis animæ suæ : \* et laborábit in ætérnum, et vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cum viderit sapiéntes moriéntes : simul insípiens et stultus peribunt.

Et relinquent aliénis divitias suas : \* et sepúlcras eórum domus illórum in ætérnum.

Tabernácula eórum in progénie, et progénie : \* vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cum in honóre esset, non intelléxit : \* comparátus est juméntis insipiéntibus, et similis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis : \* et póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósito sunt : \* mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum justí in matutíno : \* et auxiliúm eórum veteráscet in inférno a glória eórum.

Verúmtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, \* cum accéperit me.



Ne timueris cum dives factus fuerit homo : \* et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

Quoniam cum interierit, non sumet omnia : \* neque descendet cum eo gloria ejus.

Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur : \* confitebitur tibi, cum benefeceris ei.

Introibit usque in progenies patrum suorum : \* et usque in aeternum non videbit lumen.

Homo, cum in honore esset, non intellexit : \* comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

*Antiphona.*

Magnus Dominus, et laudabilis nimis.

*Antiphona Deus deorum.*

PSALMUS 49.

Deus deorum Dominus locutus est : \* et vocavit terram.

A solis ortu usque ad occasum : \* ex Sion species decoris ejus.

Deus manifeste veniet : \* Deus noster, et non silébit.

Ignis in conspectu ejus exardescet : \* et in circuitu ejus tempestas válida.

Advocabit cælum desursum : \* et terram discernere populum suum.

Congregate illi sanctos ejus, \* qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

Et annuntiabunt cæli jus-

titiam ejus : \* quoniam Deus judex est.

Audi, populus meus, et loquar : Israel, et testificabor tibi : \* Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis arguam te : \* holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accipiam de domo tua vitulos : \* neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, \* jumenta in montibus et boves.

Cognovi omnia volatilia cæli : \* et pulchritudo agri mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi : \* meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus.

Numquid manducabo carnes taurorum ? \* aut sanguinem hircorum potabo ?

Immola Deo sacrificium laudis : \* et redde Altissimo vota tua.

Et invoca me in die tribulationis : \* eruam te, et honorificabis me.

Peccatori autem dixit Deus : \* Quare tu enarras justitias meas, et assumisti testamentum meum per os tuum ?

Tu vero odisti disciplinam : \* et projecisti sermones meos retrorsum.

Si videbas furem, currebas cum eo : \* et cum adulteris portionem tuam ponebas.

Os tuum abundavit mali-

tia : \* et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris, et advérsus filium matris tuæ ponébas scándalum : \* hæc fecísti, et táciui.

Existimásti inique quod ero tui símilis : \* árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum : \* nequándo rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrificium laudis honorificábit me : \* et illic iter quo osténdam illi salutare Dei.

PSALMUS 51.

QUID gloriáris in malítia, \* qui potens es in iniquitáte?

Tota die injustitiam cogitávit lingua tua : \* sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem : \* iniquitátem magis quam loqui æquitátem.

Diléxisti ómnia verba præcipitationis, \* lingua dolósa.

Propterea Deus déstruet te in finem : \* evéllat te, et emigrábit te de tabernáculo tuo, et radicem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justí, et timébunt, et super eum ridébunt, et dicent : \* Ecce homo qui non pósuit Deum adjutórem suum.

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum : \* et præváluit in vanitáte sua.

Ego autem, sicut olíva fructífera in domo Dei, \* sperávi in misericórdia Dei

in ætérnum, et in sæculi sæculi.

Confitébor tibi in sæculi quia fecísti : \* et expectá nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctorum tuorum.

*Antiphona.*

Deus deórum Dóminus cútus est.

*In Quadragesima, ♀.* Sepulis suis obumbrábit tibi.

℞. Et sub pennis ejus sperábis.

*Tempore Passionis, ♀.* Ore leónis libera me, Domine.

℞. Et a córnibus unicornium humilitátem meam.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia. ♀. Surrexit Dóminus vobis. Allelúia.

℞. Et appáruit Simóni. Allelúia.

*Pro uno vel pluribus Martyribus, tempore Paschali, ♀.* Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Domine. Allelúia.

℞. Et ætérnitas témporum. Allelúia.

*Pro Confessore Pontifice, tempore Paschali, ♀.* Elégit eum Dóminus sacerdoti sibi. Allelúia.

℞. Ad sacrificándum hóstiám laudis. Allelúia.

*Pro Confessore non Pontifice, tempore Paschali, ♀.* Iustus meditábitur sapiéntia. Allelúia.

Et lingua ejus loquétur  
psalmum. Alleluia.

*Pro una Sancta, tempore  
Paschali, y. Adjuvabit eam  
Deus vultu suo. Alleluia.*

*y. Deus, in medio ejus,  
non commovébitur. Alleluia.*

## FERIA TERTIA

AD LAUDES.

*Antiphona.*

*Dele, Dómine, \* iniquitatem  
meam.*

*Psalmus Miserere, 63.*

*Antiphona Salutare.*

PSALMUS 42.

*J. Unica me, Deus, et dis-  
cerne causam meam de gente  
non sancta, \* ab hómine iniquo  
et doloso érue me.*

*Quia tu es, Deus, fortitúdo  
mea : \* quare me repulisti?  
et quare tristis incédo, dum  
affligit me inimicus?*

*Emitte lucem tuam et ve-  
ritatem tuam : \* ipsa me de-  
duxérunt, et adduxérunt in  
montem sanctum tuum et in  
tabernacula tua.*

*Et introibo ad altáre Dei :  
ad Deum, qui lætificat ju-  
ventutem meam.*

*Confitebor tibi in cíthara,  
Deus, Deus meus : \* quare  
tristis es, ánima mea? et quare  
contúrbas me?*

*Spera in Deo, quóniam  
adhuc confitebor illi : \* salu-  
tare vultus mei, et Deus  
meus.*

*Antiphona.*

*Salutare vultus mei, et  
Deus meus.*

*Antiphona.*

*Ad te de luce \* vigilo, Deus.*

*Psalmus Deus, Deus meus,  
\* ad te, 19.*

*Antiphona Canctis diébus.*

CANTICUM EZECHIE.

[Isaie c. 38.]

*Eco dixi : In dimidio dié-  
rum meórum \* vadam ad por-  
tas inferi.*

*Quæsivi residuum annó-  
rum meórum, \* dixi : Non  
vidébo Dóminum Deum in  
terra vivéntium.*

*Non aspiciam hóminem  
ultra, \* et habitatórem quiétis.*

*Generatio mea ablata est,  
et convoluta est a me, \* quasi  
tabernáculum pastórum.*

*Præcisa est velut a texénte  
vita mea : dum adhuc ordi-  
rer, succidit me : \* de mane  
usque ad vésperam finies me.*

*Sperábam usque ad mane, \*  
quasi leo sic contrivit ómnia  
ossa mea.*

*De mane usque ad véspe-  
ram finies me : \* sicut pul-  
lus hirúndinis sic clamábo,  
meditabor ut colúmba.*

*Attenuáti sunt óculi mei, \*  
suspiciéntes in excélsum.*

*Dómine, vim pátiór, res-  
pónde pro me. \* Quid dicam,  
aut quid respondébit mihi,  
cum ipse fécerit?*

*Recogitábo tibi omnes an-  
nos meos \* in amaritúdine  
ánimæ meæ.*

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, corripies me, et vivificábis me. \* Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima.

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret, \* projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : \* non expectábunt qui descéndunt in lacum veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : \* pater filiis notam faciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac, \* et psalmos nostros cantábitus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

*Antiphona.*

Cunctis diébus vitæ nostræ salvos nos fac, Dómine.

*Antiphona.*

Omnes Angeli ejus, \* laudáte Dóminum de cœlis.

*Psalmus* Laudáte Dóminum de cœlis, 21.

IN QUADRAGESIMA,

CAPITULUM.

[Isaïæ c. 58.]

**C**LAMA, ne cesses; quasi tuba exálta vocem tuam, et annúntia pópulo meo scélera eórum, et dómui Jacob peccáta eórum.

HYMNUS.

**O** SOL salútis, íntimis, Jesu, refúlge méntibus, Dum nocte pulsa grátior

Orbi dies renáscitur.

Dans tempus acceptábile,  
Da lacrymárum rívlis  
Laváre cordis víctimam,  
Quam læta adúrat cháritas.

Quo fonte manávit nefas,  
Fluent perénnes lácrymæ,  
Si virga pœniténtiæ  
Cordis rigórem cónterat.

Dies venit, dies tua,  
In qua reflórent ómnia :  
Lætémur et nos in viam  
Tua redúcti délixtera.

Te prona mundi máchina  
Clemens adóret Trínitas,  
Et nos novi per grátiam  
Novum canámus cánticum.

Amen.

✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

℞. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona propria, ut in feriis Quadragesimæ.*

*Preces, quando dicuntur, habentur supra in Feria secunda, 66.*

~~~~~

## FERIA QUARTA

AD MATUTINUM.

*In Quadragesima, Invitatorium.* — In manu tua, Dómine, \* Omnes fines terræ.

*Psalmus* Veníte, exultémus, 2.

*Hymnus* Ex more docti, ut in Dominica, 3.

*Tempore Paschali, Invitatorium.* — Allelúia, allelúia, \* Allelúia.



*Hymnus* Rex sempiternæ  
celitum, ut in Dominica, 3.

*Antiphona* Avertit Dominus.

*Tempore Paschali, Antiphona* Alleluia.

PSALMUS 52.

Dixit insipiens in corde suo:  
\* Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus: \* non est qui faciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum: \* ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: \* non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, \* qui devorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocaverunt: \* illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: \* confusi sunt, quoniam Deus sprexit eos.

Quis dabit ex Sion salutem Israel? \* cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israel.

PSALMUS 54.

Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: \* intende mihi, et exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea: \* et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.

Quoniam declinaverunt in me iniquitates: \* et in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbatum est in me: \* et formido mortis cecidit super me.

Timor et tremor venerunt super me: \* et contexerunt me tenebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, \* et volabo, et requiescam?

Ecce elongavi fugiens: \* et mansi in solitudine.

Expectabam eum qui salvum me fecit \* a pusillanimitate spiritus, et tempestate.

Præcipita, Domine, divide linguas eorum: \* quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.

Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas: \* et labor in medio ejus, et injustitia.

Et non defecit de plateis ejus, \* usura et dolus.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, \* sustinuissem utique.

Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset: \* abscondissem me forsitan ab eo.

Tu vero homo unánimis: \* dux meus, et notus meus: Qui simul mecum dulces

capiébas cibos : \* in domo Dei ambulávimus cum consensu.

Véniat mors super illos : \* et descéndant in inférnum vivéntes :

Quóniam nequitiæ in habitáculis eórum : \* in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi , \* et Dóminus salvábit me.

Véspere, et mane, et meridie narrábo et annuntiábo : \* et exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi : \* quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, et humiliábit illos, \* qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutatio, et non timuérunt Deum : \* exténdit manum suam in retribuendo.

Contaminavérunt testaméntum ejus, divisi sunt ab ira vultus ejus : \* et appropinquávit cor illius.

Molliti sunt sermónes ejus super óleum : \* et ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, et ipse te enútriet : \* non dabit in ætérnum fluctuatióem justo.

Tu vero, Deus, dedúces eos \* in púteum intéritus.

Viri sanguínum et dolósi non dimidiábunt dies suos :

\* ego autem sperábo in te, Dómine.

*Antiphona.*

Avértit Dóminus captivitátem plebis suæ.

*Antiphona Quóniam.*

PSALMUS 55.

**M**ISERERE mei, Deus, quóniam conculcávit me homo : \* tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die : \* quóniam multi bellántes advérsum me.

Ab altitúdine diéi timébo : \* ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : \* non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabántur : \* advérsum me omnes cogitatiónes eórum, in malum.

Inhabitábunt et abscóndent : \* ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro nihilo salvos fácies illos : \* in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : \* posuisti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Sicut et in promissióne tua : \* tunc converténtur inimíci mei retrórsum.

In quacúmque die invocávero te : \* ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem : \* in Deo sperávi, non

timēbo quid faciāt mihi homo.

In mesunt, Deus, vota tua,  
\* quæ reddam, laudationes  
tibi.

Quoniam eripuisti animam  
meam de morte, et pedes  
meos de lapsu : \* ut placeam  
coram Deo in lumine viventi-  
um.

## PSALMUS 56.

Miserere mei, Deus, mi-  
serere mei, \* quoniam in te  
confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum  
sperabo, \* donec trans-  
eat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissi-  
mum : \* Deum qui benefecit  
mihi.

Misit de cœlo, et liberavit  
me : \* dedit in opprobrium  
conculcantes me.

Misit Deus misericordiam  
suam, et veritatem suam : \*  
et eripuit animam meam de  
medio catulorum leonum :  
dormivi conturbatus.

Filii hominum dentes eor-  
um arma et sagittæ : \* et  
lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cœlos, Deus :  
\* et in omnem terram gloria  
tua.

Laqueum paraverunt pé-  
dibus meis : \* et incurvave-  
runt animam meam.

Foderunt ante faciem meam  
foveam : \* et incidérunt in  
eam.

Paratum cor meum, Deus,  
paratum cor meum : \* can-  
tābo, et psalmum dicam.

Exurge, gloria mea, exurge,  
psalterium et cithara : \* exur-  
gam diluculo.

Confitebor tibi in populis,  
Dómine : \* et psalmum dicam  
tibi in gentibus :

Quoniam magnificata est  
usque ad cœlos misericordia  
tua, et usque ad nubes vé-  
ritas tua.

Exaltare super cœlos, Deus :  
\* et super omnem terram gló-  
ria tua.

*Antiphona.*

Quoniam in te confidit  
anima mea.

*Antiphona* Justa judicáte.

## PSALMUS 57.

**S**i vere utique justitiam lo-  
quimini : \* recta judicáte, filii  
hominum.

Etenim in corde iniquitates  
operamini : \* in terra injusti-  
tias manus vestræ concin-  
nant.

Alienati sunt peccatores in  
vulva, erraverunt ab útero :  
\* locuti sunt falsa.

Furor illis secundum simi-  
litudinem serpentis : \* sicut  
aspidis surdæ et obturantis  
aures suas :

Quæ non exaudiet vocem  
incantantium : \* et venefici  
incantantis sapienter.

Deus conteret dentes eo-  
rum in ore ipsorum : \* mo-  
las leonum confringet Dó-  
minus.

Ad nihilum devénient tan-  
quam aqua decurrens : \* in-

téndit arcum suum donec infirméntur.

Sicut cera, quæ fluit, auferéntur : \* supercécidit ignis, et non vidérunt solem.

Priúsqvam intellígerent spinæ vestræ rhamnum : \* sicut vivéntes, sic in ira absórbet eos.

Lætábitur justus cum víde-rit vindictam : \* manus suas lavábit in ságuine peccatóris.

Et dicet homo : Si útique est fructus justo : \* útique est Deus júdicans eos in terra.

PSALMUS 58.

**E**RIPE me de inimicis meis, Deus meus : \* et ab insurgéntibus in me libera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem : \* et de viris ságuinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam : \* irruérunt in me fortes.

Neque iniquitas mea, neque peccátum meum, Dómine : \* sine iniquitáte cucúrri, et diréxi.

Exúrge in oecúrsum meum, et vide : \* et tu, Dómine, Deus virtútum, Deus Israel.

Inténde ad visitándas omnes gentes : \* non misereáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam, et famem patiéntur ut canes, \* et circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo,

et gládus in lábiis eórum : \* quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos : \* ad nihilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia, Deus, susceptor meus es : \* Deus meus, misericórdia ejus præveniet me.

Deus osténdet mihi super inimicos meos, ne occidas eos : \* nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua : \* et depóne eos protector meus, Dómine :

Delictum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum : \* et comprehendántur in superbía sua.

Et de execratióne et mendácio annuntiabúntur in consummatione : \* in ira consummationis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob : \* et finium terræ.

Converténtur ad vésperam, et famem patiéntur ut canes : \* et circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum : \* si vero non fuerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, \* et exultábo mane misericórdiam tuam.

Quia factus es susceptor meus, \* et refúgium meum, in die tribulationis meæ.

Adjutor meus, tibi psallam, quia, Deus, susceptor meus



es: \* Deus meus, misericórdia mea.

*Antiphona.*

Justa judicáte, filii hóminum.

*Antiphona* Da nobis.

PSALMUS 59.

DEUS, repulisti nos, et destruxisti nos: \* irátus es, et misértus es nobis.

Commovisti terram, et conturbásti eam: \* sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendisti pópulo tuo dura: \* potásti nos vino compunctiōnis.

Dedisti metuéntibus te significatiōem: \* ut fúgiant a fácie arcus:

Ut liberéntur dilécti tui: \* salvum fac dextera tua, et exáudi me.

Deus locútus est in sancto suo: \* Lætabor, et partíbor Sichimam, et convállem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses: \* et Ephraim fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus: \* Moab olla spei meæ.

In Idumæam exténdam calceméntum meum: \* mihi alienigenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitatem munitam? \* quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos: \* et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxiliū de tri-

bulatiōe: \* quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtutem, \* et ipse ad nihilum dedúcet tribulátes nos.

PSALMUS 60.

EXAUDI, Deus, deprecatiōnem meam: \* inténde oratiōni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi: \* dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea: \* turris fortitudinis a fácie inimici.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula: \* prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudisti oratiōnem meam: \* dedisti hæreditatem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjicies, \* annos ejus usque in diem generatiōnis et generatiōnis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei: \* misericórdiam et veritatem ejus quis requireret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi: \* ut reddam vota mea de die in diem.

*Antiphona.*

Da nobis, Dómine, auxiliū de tribulatiōe.

*Antiphona* Nonne Deo.

PSALMUS 61.

NONNE Deo subjécta erit ánima mea? \* ab ipso enim salutáre meum.

Nam et ipse Deus meus, et salutáris meus : \* suscēptor meus, non movébor ámplius.

Quousque irrúitis in hóminem : \* interficitis universi vos : tanquam parieti inclínato et macería depúlsæ?

Verúmtamenprétium meum cogitavérunt repéllere, cucúrri in siti : \* ore suo benedicébant, et corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto, ánima mea : \* quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, et salvátor meus : \* adjútormeus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, et glória mea : \* Deus auxilií mei, et spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra : \* Deus adjutor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in statéris : \* ut decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, et rapínas nolíte concupíscere : \* divítiæ si áffluant, nolíte cor apónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi, quia potéstas Dei est, et tibi, Dómine, misericórdia : \* quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

PSALMUS 63.

EXAUDI, Deus, oratióne meam cum déprecor : \* a ti-

móre inimíci éripe ánimam meam.

Protexisti me a convéntu malignántium : \* a multitudíne operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : \* intendérunt arcum rem amáram, ut sagittent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : \* firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narráverunt ut absconderent láqueos : \* dixerunt : Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes : \* defecerunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : \* et exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : \* et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : \* et timuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei : \* et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, \* et laudabúntur omnes recti corde.

*Antiphona.*

Nonne Deo subjécta erit ánima mea?

*Antiphona Benedícite.*

PSALMUS 65.

JUBILATE Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus : \* date glóriam laudi ejus.

Dicite Deo : Quam terribilia sunt ópera tua , Dómine ! \* in multitudine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimici tui.

Omnis terra adóret te , et psallat tibi : \* psalmum dicat nómini tuo.

Veníte , et vidéte ópera Dei : \* terribilis in consiliis super filios hóminum.

Qui convértit mare in áridam , in flúmine pertransibunt pede : \* ibi lætábimur in ipso.

Qui domináture in virtute sua in ætérnum , óculi ejus super gentes respiciunt : \* qui exasperant non exalténtur in semetipsis.

Benedícite , gentes , Deum nostrum : \* et audítam fácite vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam : \* et non dedit in commotióem pedes meos.

Quóniam probásti nos , Deus : \* igne nos examinásti , sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum , posuísti tribulatióes in dorso nostro : \* imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam : \* et eduxísti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocáustis : \* reddam tibi vota mea , quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum \* in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta óf-

feram tibi cum incénso arietum : \* offeram tibi boves cum hircis.

Veníte , audíte , et narrábo , omnes qui timétis Deum , \* quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi , \* et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspéxi in corde meo : \* non exáudiet Dóminus.

Propterea exaudivit Deus , \* et atténdit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus , \* qui non amóvit oratióem meam , et misericórdiam suam a me.

PSALMUS 67.

EXURCAT Deus , et dissipéntur inimici ejus : \* et frígiant qui odérunt eum a fácie ejus.

Sicut déficit fumus , deficiant : \* sicut fluit cera a fácie ignis , sic péreant peccatóres a fácie Dei.

Et justi epuléntur , et exúltent in conspéctu Dei : \* et delecténtur in lætitia.

Cantáte Deo , psalmum dicite nómini ejus : \* iter fácite ei qui ascéndit super occásum : Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspéctu ejus , \* turbabúntur a fácie ejus , patris orphanórum , et júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo : \* Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo :

Qui edúcit vinctos in for-

titúdine, \* similiter eos qui exásperant, qui hábitant in sepúlcris.

Deus, cum egredereris in conspéctu pópuli tui, \* cum pertransíres in desérto :

Terra mota est, étenim cœli distillavérunt a fácie Dei Sínai, \* a fácie Dei Israel.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditáti tuæ : \* et infirmáta est, tu vero perfecisti eam.

Animália tua habitábunt in ea : \* parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus, \* virtúte multa.

Rex virtútum dilécti dilécti : \* et speciéi domus dividere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ columbæ deargéntatæ, \* et posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discernit cœléstis reges super eam, nive dealbábuntur in Selmon : \* mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis : \* utquid suspicámini montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo : \* étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, millia lætántium : \* Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti

captivitátem : \* accepisti dona in hominibus :

Etenim non credéntes, \* inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotidie : \* prósperrum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi : \* et Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúntamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum : \* vérticem capílli perambulántium in delictis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convértam, \* convértam in profúndum maris :

Ut intingátur pes tuus in ságuine : \* lingua canum tuórum ex inimicis ab ipso.

Vidérunt ingrédus tuos, Deus, \* ingrédus Dei mei : Regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjúcti psalléntibus : \* in médio juvenculárum tympanistriárum.

In Ecclésiis benedícite Deo Dómino, \* de fóntibus Israel.

Ibi Bénjamin adolescéntulus, \* in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum : \* príncipes Zábulon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ, \* confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, \* tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis,



congregatio taurorum in vac-  
cis populorum : \* ut exclu-  
dant eos qui probati sunt ar-  
génto.

Dissipa gentes quæ bella  
volunt : vénient legati ex  
Egypto : \* Æthiopia prævé-  
niet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantate Deo :  
\* psállite Dómino :

Psállite Deo, qui ascendit  
super cælum cœli, \* ad Orién-  
tem.

Ecce dabit voci suæ vocem  
virtutis, date glóriam Deo  
super Israel, \* magnificéntia  
ejus et virtus ejus in núbibus.

Mirabilis Deus in sanctis  
suis, Deus Israel ipse dabit  
virtutem et fortitudinem plebi  
suæ : \* benedictus Deus.

*Antiphona.*

Benedicite, gentes, Deum  
nostrum.

*In Quadragesima, ♀. Scuto*  
circumdabit te veritas ejus.

℞. Non timébis a timóre  
noctúrno.

*Tempore Passionis, ♀. Ne*  
perdas cum impiis, Deus, ani-  
mam meam.

℥. Et cum viris sánguinem  
vitam meam.

*Tempore Paschali, Anti-*  
*phona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

℥. Gavisí sunt discipuli.  
Allelúia.

℞. Viso Dómino. Allelúia.

*Pro uno vel pluribus*  
*Martyribus, tempore Pas-*  
*chali, ♀. Lætitia sempiterna*

super cápita eórum. Allelúia.

℞. Gáudium et exultatió-  
nem obtinébunt. Allelúia.

*Pro Confessore Pontifice,*  
*tempore Paschali, ♀. Tu es*  
sacerdos in ætérnum. Alle-  
lúia.

℞. Secúndum órđinem Mel-  
chisedech. Allelúia.

*Pro Confessore non Pon-*  
*tifice, tempore Paschali,*  
℥. Lex Dei ejus in corde ip-  
sius. Allelúia.

℞. Et non supplantabúntur  
gressus ejus. Allelúia.

*Pro una Sancta, tempore*  
*Paschali, ♀. Elégit eam Deus,*  
et præelégit eam. Allelúia.

℞. In tabernáculo suo ha-  
bitáre facit eam. Allelúia.

~~~~~

## FERIA QUARTA

AD LAUDES.

*Antiphona.*

Amplius lava me, \* Dómine,  
ab injustitia mea.

*Psalmus Miserere, 63.*

*Antiphona Te decet.*

PSALMUS 60.

**T**e decet hymnus, Deus, in  
Sion : \* et tibi reddétur votum  
in Jerúsalem.

Exáudi oratióem meam : \*  
ad te omnis caro véniet :

Verba iniquórum præva-  
luérunt super nos : \* et im-  
pietátibus nostris tu propi-  
tiáberis.

Beátus quem elegisti, et  
assumpsisti : \* inhabitábit in  
átriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ : \* sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, \* spes omnium finium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : \* qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis : \* exitus matutini et vespere delectabis.

Visitasti terram, et inebriasti eam : \* multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum : \* quoniam ita est præparatio ejus.

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus : \* in stillicidiis ejus lætabitur germians.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ : \* et campi tui replebuntur ubertate.

Pinguëscent speciosa deserti : \* et exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento : \* clamabunt, etenim hymnum dicent.

*Antiphona.*

Te decet hymnus, Deus, in Sion.

*Antiphona.*

Làbia mea \* laudabunt te in vita mea, Deus meus.

*Psalmus Deus, Deus meus, \* ad te, 19.*

*Antiphona Dominus judicabit.*

CANTICUM ANNÆ.

[ I. Reg., c. 2. ]

EXULTAVIT COR MEUM IN DOMINO, \* et exaltatum est cornu meum in Deo meo.

Dilatatum est os meum super inimicos meos : \* quia lætata sum in salutari tuo.

Non est sanctus, ut est Dominus : neque enim est alius extra te, \* et non est fortis sicut Deus noster.

Nolite multiplicare loqui sublimia, \* gloriantes :

Recédant vètera de ore vestro : quia Deus scientiarum Dominus est, \* et ipsi præparantur cogitationes.

Arcus fortium superatus est, \* et infirmi accincti sunt robore.

Repleti prius pro panibus se locaverunt : \* et famelici saturati sunt,

Donec stérilis péperit plurimos : \* et quæ multos habebat filios infirmata est.

Dominus mortificat et vivificat, \* deducit ad inferos et reducit.

Dominus pauperem facit et ditat, \* humiliat et sublevat.

Suscitat de pulvere egenum, \* et de stercore elevat pauperem :

Ut sedeat cum principibus, \* et solium gloriæ teneat.

Dómini enim sunt cárdines  
terræ, \* et púsuit super eos  
orbem.

Pedes sanctórum suórum  
servábit, et impíi in ténebris  
conticéscunt : \* quia non in  
fortitúdine sua roborábitur  
vir.

Dóminum formidábunt ad-  
versárii ejus : \* et super ipsos  
in coelis tonábit :

Dóminus judicábit fines  
terræ, et dabit impérium Regi  
suo, \* et sublimábit cornu  
Christi sui.

*Antiphona.*

Dóminus judicábit fines  
terræ.

*Antiphona.*

Cœli cœlórum, \* laudáte  
Deum.

*Psalmus* Laudáte Dómi-  
num de cœlis, 21.

IN QUADRAGESIMA,  
CAPITULUM.

[Isaie c. 58.]

CLAMA, ne cesses; quasi tuba  
exálta vocem tuam, et an-  
nuntia pópulo meo scélera  
eórum, et dómui Jacob pec-  
cáta eórum.

HYMNUS.

O sol salútis, íntimis,  
Jesu, refúlge méntibus,  
Dum nocte pulsa grátior  
Orbi dies renáscitur.

Dans tempus acceptáble,  
Da lacrymárum rívilis  
Laváre cordis víctimam,  
Quam læta adúrat cháritas.

Quo fonte manávit nefas,  
Fluent perénnés lácrymæ,

Si virga pœniténtiæ  
Cordis rigórem cónterat.

Dies venit, dies tua,  
In qua reflórent ómnia :  
Lætémur et nos in viam  
Tua redúcti dextera

Te prona mundi máchina  
Clemens adóret Trínitas,  
Et nos novi per grátiam  
Novum canámus cánticum.

Amen.

℣. Angelis suis Deus man-  
dávít de te.

℟. Ut custódiant te in óm-  
nibus viis tuis.

*Ad Benédíctus, Antiphona  
propria, ut in feriis Qua-  
dragesimæ.*

*Preces, quando dicuntur,  
habentur supra in secunda  
Feria, 66.*

~~~~~

## FERIA QUINTA

AD MATUTINUM.

*In Quadragesima, Invi-  
tatorium.* — Dóminum, qui  
fecit nos, \* Veníte, adorémus.

*Psalmus* Veníte, exulté-  
mus, 2.

*Hymnus* Ex more docti,  
ut in Dominica, 3.

*Tempore Paschali, Invi-  
tatorium.* — Allelúia, allelúia,  
\* Allelúia.

*Hymnus* Rex sempitérne  
cœlitum, ut in Dominica, 3.

*Antiphona* Dómine Deus.

*Tempore Paschali, Anti-  
phona* Allelúia.

PSALMUS 68.

SALVUM me fac, Deus : \* quó-

niam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo profúndi : \* et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris : \* et tempésta demérsit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : \* defecerunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei \* qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injuste : \* quæ non rápui, tunc exsolvébam.

Deus, tu scis insipientiam meam : \* et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubéscant in me qui expéctant te, Dómine, \* Dómine virtútum.

Non confundántur super me \* qui quærunt te, Deus Israel.

Quóniam propter te sustinui oppróbrium, \* opéruit confúsió faciém meam.

Extráneus factus sum fratribus meis, \* et peregrínus filiis matris meæ.

Quóniam zelus domus tuæ comédit me : \* et oppróbria exprobrántium tibi ceciderunt super me.

Et opéruí in jejúnio ánimam meam : \* et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum

meum cilícium : \* et factus sum illis in parábolam.

Advérsus me loquebántur qui sedébant in porta : \* et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego vero oratióem meam ad te, Dómine : \* tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, \* in veritate salútis tuæ :

Eripe me de luto, ut non infigar : \* libera me ab iis qui odérunt me, et de profundis aquárum.

Non me demérgat tempésta aquæ, neque absorbeat me profúndum : \* neque úrgeat super me púteus os suum.

Exáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua : \* secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum respice in me.

Et ne avértas faciém tuam a púero tuo : \* quóniam tribulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ, et libera eam : \* propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum et confusióem meam, \* et reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tribulant me, \* impropérium expectávit cor meum et misériam.

Et sustinui qui simul contristarétur, et non fuit : \* et



qui consolarétur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel : \* et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in láqueum, \* et in retributiones, et in scándalum.

Obscurentur óculi eorum ne videant : \* et dorsum eorum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam : \* et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta : \* et in tabernáculis eorum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussisti persecúti sunt : \* et super dolórem vúlnerum meorum addiderunt.

Appóne iniquitatem super iniquitatem eorum : \* et non intrent in justitiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium : \* et cum justis non scribántur.

Ego sum pauper et dolens : \* salus tua, Deus, suscepit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico : \* et magnificábo eum in laude :

Et placébit Deo super vitulum novéllum, \* córnua producéntem et úngulas.

Videant páuperes, et læténtur : \* quærite Deum, et vivet ánima vestra.

Quóniam exaudivit páuperes Dóminus : \* et vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cœli et terra, \* mare et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam faciet Sion : \* et ædificabúntur civitates Juda.

Et inhabitábunt ibi, \* et hæreditate acquirant eam.

Et semen servorum ejus possidébit eam : \* et qui diligunt nomen ejus habitábunt in ea.

PSALMUS 69.

DEUS, in adjutórium meum inténde : \* Dómine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur, et reveréantur \* qui quærunť ánimam meam.

Avertántur retrórsum, et erubéscant, \* qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes \* qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent et læténtur in te omnes qui quærunť te, \* et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egénus et pauper sum : \* Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu : \* Dómine, ne moréris.

*Antiphona.*

Dómine Deus, in adjutórium meum inténde.

*Antiphona* Esto mihi.

PSALMUS 70.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum : \* in

justitia tua libera me, et eripe me.

Inclina ad me aurem tuam, \* et salva me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitionis : \* ut salvum me facias.

Quoniam firmamentum meum, \* et refugium meum es tu.

Deus meus, eripe me de manu peccatoris, \* et de manu contra legem agentis et iniqui :

Quoniam tu es patientia mea, Domine : \* Domine, spes mea a juventute mea.

In te confirmatus sum ex utero : \* de ventre matris meae tu es protector meus :

In te cantatio mea semper : \* tanquam prodigium factus sum multis : et tu adjutor fortis.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam : \* tota die magnitudinem tuam.

Ne projicias me in tempore senectutis : \* cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi : \* et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum,

Dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum : \* quia non est qui eripiat.

Deus, ne elongeris a me : \* Deus meus, in auxilium meum respice.

Confundantur et deficiant detrahentes animae meae : \* operiantur confusione et pudore qui quaerunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo : \* et adjiciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiabit justitiam tuam, \* tota die salutare tuum.

Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini : \* Domine, memorabor justitiae tuae solius.

Deus, docuisti me a juventute mea : \* et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua :

Et usque in senectam et senium : \* Deus, ne derelinquas me,

Donec annuntiem brachium tuum \* generationi omni quae ventura est :

Potentiam tuam et justitiam tuam, Deus, usque in altissima, quae fecisti magnalia : \* Deus, quis similis tibi ?

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, et malas ! et conversus vivificasti me : \* et de abyssis terrae iterum reduxisti me.

Multiplicasti magnificentiam tuam, \* et conversus consolatus es me.

Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, \* Deus, psallam tibi in cithara, sanctus Israel.

Exultabunt labia mea cum

cantávero tibi : \* et ánima mea, quam redemísti.

Sed et lingua mea tota die meditábitur justítiam tuam : \* cum confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

## PSALMUS 71.

DEUS, judícium tuum regi da : \* et justítiam tuam filio regis :

Judicáre pópulum tuum in justitia, \* et páuperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem pópulo, \* et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos faciet filios páuperum : \* et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, \* in generatíone et generatíonem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : \* et sicut stillicidia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justitia, et abundántia pacis, \* donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare : \* et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthiopes : \* et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis et insulæ múnera ófferent : \* reges Arabum et Saba dona addúcent ;

Et adorábunt eum omnes reges terræ : \* omnes gentes sérvient ei :

Quia liberábit páuperem a poténte : \* et páuperem, cui non erat adjutor.

Parcet páuperi et inopi : \* et ánimas páuperum salvas faciet.

Ex usúris et iniquitaté redimet ánimas eórum : \* et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, et adorábunt de ipso semper : \* tota die benedicent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus : \* et florébunt de civitaté sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula : \* ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : \* omnes gentes magnificábunt eum.

Benedictus Dóminus, Deus Israel, \* qui facit mirabilia solus :

Et benedictum nomen majestátis ejus in ætérnum : \* et replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.

*Antiphona.*

Esto mihi, Dómine, in Deum protectórem.

*Antiphona* Liberásti virgam.

## PSALMUS 72.

QUAM bonus Israel Deus \* his qui recto sunt corde !

Mei autem pene moti sunt

pedes : \* pene effúsi sunt gressus mei.

Quia zélavi super iníquos ,  
\* pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus  
morti eórum : \* et firmamén-  
tum in plaga eórum.

In labóre hóminum non  
sunt , \* et cum homínibus non  
flagellabúntur.

Ideo ténuít eos supérbia ,  
\* opérti sunt iniquitáte et im-  
pietáte sua.

Pródiit quasi ex ádipe iní-  
quitas eórum : \* transiérunt  
in afféctum cordis.

Cogitavérunt,et locúti sunt  
nequítiam : \* et iniquitátem  
in excélso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os  
suum : \* et lingua eórum  
transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus  
meus hic : \* et dies pleni in-  
veniéntur in eis.

Et dixerunt : Quómodo  
scit Deus , \* et si est sciéntia  
in excélso ?

Ecce ipsi peccatóres , et  
abundántes in sæculo , \* ob-  
tinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo sine causa  
justificávi cor meum , \* et  
lavi inter innocéntes manus  
meas :

Et fui flagellátus tota die , \*  
et castigatio mea in matutínis.

Si dicébam : Narrábo sic :  
\* ecce natióem filiórum tuó-  
rum reprohávi.

Existimábam ut cognósce-  
rem hoc , \* labor est ante me :

Donec intrem in sanc-  
tuárium Dei : \* et intélligam  
in novíssimis eórum.

Verúntamen propter do-  
los posuisti eis : \* dejecisti  
eos dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in de-  
solatióem , súbito defecé-  
runt : \* periérunt propter ini-  
quitátem suam.

Velut sómnum surgén-  
tium , Dómine , \* in civitáte  
tua imáginem ipsórum ad ní-  
hilum rédiges.

Quia inflammátum est cor  
meum , et renes mei commu-  
táti sunt : \* et ego ad níhilum  
redáctus sum , et nescívi.

Ut juméntum factus sum  
apud te : \* et ego semper  
tecum.

Tenuísti manum dexteram  
meam , et in voluntáte tua  
deduxísti me : \* et cum gló-  
ria suscepísti me.

Quid enim mihi est in cœ-  
lo ? \* et a te quid vólui super  
terram ?

Defécit caro mea , et cor  
meum : \* Deus cordis mei ,  
et pars mea , Deus , in ætér-  
num.

Quia ecce qui elóngant  
se a te peribunt : \* perdi-  
disti omnes qui fornicántur  
abs te.

Mihi autem adhærere Deo  
bonum est : \* pónere in Dó-  
mino Deo spem meam :

Ut annúntiem omnes præ-  
dicatióes tuas , \* in portis  
filíæ Sion.



## PSALMUS 73.

Ut quid, Deus, repulisti in finem : \* irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ ?

Memor esto congregatiónis tuæ, \* quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ : \* mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in superbias eórum in finem : \* et quanta malignátus est inimicus in sancto !

Et gloriáti sunt qui odérunt te : \* in médio solemnitatis tuæ.

Posuerunt signa sua, signa : \* et non cognóverunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum securibus exciderunt jánuas ejus in idipsum : \* in securi et áscia dejecerunt eam.

Incenderunt igni sanctuárium tuum : \* in terra poluerunt tabernáculum nóminis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eórum simul : \* quiescere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est Prophéta : \* et nos non cognóscet amplius.

Usquequo Deus improperábit inimicus : \* irritat adversárius nomen tuum in finem ?

Ut quid avértis manum tuam et dexteram tuam, \*

de médio sinu tuo in finem ?

Deus autem Rex noster ante sæcula : \* operátus est salutem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare : \* contribulásti cápita draconum in aquis.

Tu confregisti cápita draconis : \* dedisti eum escam pópulis Æthiopum.

Tu dirupísti fontes et torrentes : \* tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox : \* tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecisti omnes términos terræ : \* æstátem et ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimicus improperávit Dómino : \* et pópulus insipiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi, \* et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum : \* quia repléti sunt qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus : \* pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge, Deus, júdica causam tuam : \* memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum : \* super-

bia eorum qui te oderunt  
ascendit semper.

*Antiphona.*

Liberasti virgam hereditatis  
tuæ.

*Antiphona* Et invocabimus.

PSALMUS 74.

**C**ONFITEBIMUR tibi, Deus :  
\* confitebimur, et invocabimus  
nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua :  
\* cum accipero tempus, ego  
justitias iudicabo.

Liquefacta est terra et omnes  
qui habitant in ea : \* ego  
confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis : Nolite inique  
agere : \* et delinquentibus :  
Nolite exaltare cornu :

Nolite extolliere in altum  
cornu vestrum : \* nolite loqui  
adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab Oriente,  
neque ab Occidente, neque  
a desertis montibus : \* quoniam  
Deus iudex est.

Hunc humiliat, et hunc  
exaltat : \* quia calix in manu  
Domini vini meri plenus  
mixto.

Et inclinavit ex hoc in  
hoc : verumtamen fœx ejus  
non est exinanita : \* bibent  
omnes peccatores terræ.

Ego autem annuntiabo in  
sæculum : \* cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum  
confringam : \* et exaltabuntur  
cornua iusti.

PSALMUS 75.

**N**OTUS in Judæa Deus : \* in  
Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus  
ejus : \* et habitatio ejus in  
Sion.

Ibi confrégit poténtias arcum,  
\* scutum, gládium,  
et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a  
montibus æternis : \* turbati  
sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum :  
\* et nihil invenerunt omnes  
viri divitiarum in manibus  
suis.

Ab increpatione tua, Deus  
Jacob : \* dormitaverunt qui  
ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis  
resistet tibi ? \* ex tunc ira tua.

De cœlo auditum fecisti  
iudicium : \* terra tremuit et  
quievit,

Cum exurgeret in iudicium  
Deus : \* ut salvos faceret omnes  
mansuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis  
confitebitur tibi : \* et reliquæ  
cogitationis diem festum  
agent tibi.

Vovete, et reddite Domino  
Deo vestro, \* omnes qui  
in circuitu ejus affertis munera.

Terribili et ei qui aufert  
spiritum principum : \* terribili  
apud reges terræ.

*Antiphona.*

Et invocabimus nomen  
tuum, Domine.

*Antiphona* Tu es Deus.

## PSALMUS 76.

Vox mea ad Dóminum clamavi: \* voce mea ad Deum, et intendit mihi.

In die tribulatiónis meae non exquisivi, manibus meis nocte contra eum: \* et non sum decéptus.

Renúit consolári ánima mea, \* memor fui Dei, et devaluatus sum, et exercitatus sum: et defécit spíritus meus.

Anticipaverunt vigílias óculi mei: \* turbátus sum, et non fui locútus.

Cogitavi dies antiquos: \* et annos ætérnos in mente habui.

Et meditátus sum nocte in corde meo, \* et exercitabar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in ætérnum prociuet Deus: \* aut non apponiet ut complacítior sit ad me?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet: \* a generatióne in generatió- nem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? \* aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi, Nunc cæpi: \* et mutatio dexteræ Excelsi.

Memor fui óperum Dómini: \* quia memor ero ab initio mirabilium tuórum.

Et meditabor in ómnibus opéribus tuis: \* et in adinventiõibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua: *Fern.*

quis Deus magnus sicut Deus noster? \* tu es, Deus, qui facis mirabilia.

Notam fecisti in pópulis virtútem tuam: \* redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob et Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ: \* et timuérunt, et turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitus aquarum: \* vocem dedérunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ tráseunt: \* vox tonitrui tui in rota.

Illuxérunt coruscationes tuæ orbi terræ: \* commóta est, et contrémuit terra.

In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis: \* et vestigia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum, \* in manu Móysi et Aaron.

## PSALMUS 77.

ATTENDITE, pópule meus, legem meam: \* inclináte aures vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum: \* loquar propositiões ab initio.

Quanta audívimus, et cognóvimus ea: \* et patres nostri narravérunt nobis?

Non sunt occultáta a filiis eórum, \* in generatióne áltera.

Narrántes laudes Dómini

et virtútes ejus, \* et mirabilia ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob : \* et legem pósuit in Israel.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea filiis suis : \* ut cognóscat generatio áltera.

Filii qui nascéntur, et exúrgent : \* et narrábunt filiis suis :

Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscántur óperum Dei : \* et mandata ejus exquirant.

Ne fiant sicut patres eórum, \* generatio prava et exasperans ;

Generatio, quæ non diréxit cor suum : \* et non est créditus cum Deo spíritus ejus.

Filii Ephrem intendéntes et mitténtes arcum : \* conversi sunt in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei : \* et in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et obliti sunt benefactorum ejus, \* et mirábiliū ejus, quæ osténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabilia in terra Ægypti, \* in campo Táneos.

Interrúpit mare, et perduxit eos : \* et státuit aquas quasi in utre.

Et deduxit eos in nube diéi : \* et tota nocte in illuminatione ignis.

Interrúpit petram in eré-

mo : \* et adaquávit eos velut in abyssio multa.

Et edúxit aquam de petra : \* et deduxit tanquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei : \* in iram excitavérunt Excelsū in inaquóso.

Et tentavérunt Deū in córdibus suis, \* ut péterent escas animabus suis.

Et male locúti sunt de Deo : \* dixerunt : Numquid póterit Deus paráre mensam in deserto ?

Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, \* et torrentes inundavérunt.

Numquid et póterit panem dare, \* aut paráre mensam pópu'o suo?

Ideo audívit Dóminus, et distulit : \* et ignis accénsus est in Jacob, et ira ascéndit in Israel :

Quia non credidérunt in Deo, \* nec speravérunt in salutári ejus :

Et mandávit núbibus desuper, \* et jánuas cœli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducándum, \* et panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo : \* cibária misit eis in abundántia.

Tránstulit Austrum de cœlo : \* et indúxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes : \* et sicut



arénam maris volatilia pen-  
nata.

Et ceciderunt in medio  
castrorum eorum, \* circa ta-  
bernacula eorum.

Et manducaverunt et sa-  
turati sunt nimis, et desidé-  
rium eorum attulit eis : \* non  
sunt fraudati a desiderio suo.

Adhuc escæ eorum erant  
in ore ipsorum, \* et ira Dei  
ascendit super eos.

Et occidit pingues eorum,  
\* et electos Israel impedivit.

In omnibus his peccave-  
runt adhuc : \* et non cre-  
diderunt in mirabilibus ejus.

Et defecerunt in vanitate  
dies eorum, \* et anni eorum  
cum festinatione.

Cum occideret eos, quæ-  
rebant eum : \* et revertébân-  
tur, et dilúculo veniebant ad  
eum.

Et rememorati sunt quia  
Deus adjutor est eorum : \*  
et Deus excelsus redemptor  
eorum est.

Et dilexerunt eum in ore  
suo, \* et lingua sua mentiti  
sunt ei :

Cor autem eorum non erat  
rectum cum eo : \* nec fidé-  
les habiti sunt in testamento  
ejus.

Ipsæ autem et misericors,  
et propitius fiet peccatis eo-  
rum, \* et non disperdet eos.

Et abundavit ut averteret  
iram suam : \* et non accén-  
dit omnem iram suam :

Et recordatus est quia caro

sunt, \* spiritus vadiens, et  
non rediens.

Quoties exacerbaverunt  
eum in deserto, \* in iram  
concitaverunt eum in in-  
aquoso ?

Et conversi sunt, et tenta-  
verunt Deum, \* et sanctum  
Israel exacerbaverunt.

Non sunt recordati manus  
ejus, \* die qua redemit eos  
de manu tribulantis,

Sicut posuit in Ægypto  
signa sua, \* et prodigia sua  
in campo Taneos.

Et convertit in sanguinem  
flumina eorum : \* et imbres  
eorum, ne biberent.

Misit in eos cœnomyiam,  
et comedit eos : \* et ranam,  
et disperdidit eos.

Et dedit ærugini fructus  
eorum, \* et labores eorum lo-  
custæ.

Et occidit in grândine vi-  
neas eorum, \* et moros eo-  
rum in pruina.

Et tradidit grândini ju-  
menta eorum, \* et possessi-  
onem eorum igni.

Misit in eos iram indigna-  
tionis suæ : \* indignationem, et  
iram, et tribulationem ; im-  
missiones per angelos malos.

Viam fecit semitæ iræ suæ,  
non pepercit a morte animâ-  
bus eorum : \* et jumenta eo-  
rum in morte conclusit.

Et percussit omne primo-  
genitum in terra Ægypti : \*  
primicias omnis laboris eo-  
rum in tabernaculis Cham.

Et abstulit sicut oves populum suum : \* et perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe, et non timuerunt : \* et inimicos eorum operuit mare.

Et induxit eos in montem sanctificationis suae, \* montem, quem acquisivit dextera ejus.

Et ejecit a facie eorum gentes : \* et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.

Et habitare fecit in tabernaculis eorum \* tribus Israel.

Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum : \* et testimonia ejus non custodierunt.

Et avertérunt se, et non servaverunt pactum : \* quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum.

In iram concitaverunt eum in collibus suis : \* et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

Audivit Deus, et sprexit : \* et ad nihilum redégit valde Israel.

Et repulit tabernaculum Silo, \* tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.

Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, \* et pulchritudinem eorum in manus inimici.

Et conclusit in gladio populum suum ; \* et hæreditatem suam sprexit.

Juvenes eorum comedit

ignis : \* et virgines eorum non sunt lamentatæ.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt : \* et viduæ eorum non plorabantur.

Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, \* tanquam potens crapulatus a vino.

Et percussit inimicos suos in posteriora : \* opprobrium sempiternum dedit illis.

Et repulit tabernaculum Joseph : \* et tribum Ephraim non elegit.

Sed elegit tribum Juda, \* montem Sion quem dilexit.

Et ædificavit sicut unicor-nium sanctificium suum in terra, \* quam fundavit in sæcula.

Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium : \* de post foetantes accepit eum,

Pascere Jacob servum suum, \* et Israel hæreditatem suam :

Et pavit eos in innocentia cordis sui : \* et in intellectu manuum suarum deduxit eos.

### *Antiphona.*

Tu es, Deus, qui facis mirabilia.

*Antiphona* Propitius esto.

PSALMUS 78.

DEUS, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum : \* posuerunt Jerúsalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina ser-

vórum tuórum, escas volatilibus cœli : \* carnes sanctórum tuórum béstis terræ.

Effuderunt ságuinem eórum tanquam aquam in circúitu Jerúsalem : \* et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicinis nostris, \* subsannátio et illúsis his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo, Dómine, irascéris in finem, \* accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, \* et in regna quæ nomen tuum non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob, \* et locum ejus desolavérunt.

Ne memineris iniquitátum nostrárum antiquárum, cito anticipent nos misericórdiæ tuæ : \* quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuvanos, Deus salutáris noster : et propter glóriam nóminis tui, Dómine, libera nos, \* et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum :

Ne forte dicant in géntibus : Ubi est Deus eórum ? \* et innotéscat in natióibus coram óculis nostris.

Ultio ságuinis servórum tuórum, qui effúsus est : \* intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui, \* pósside filios mortificatórum.

Et redde vicinis nostris séptuplum in sinu eórum : \* impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, \* confitébimur tibi in sæculum :

In generatióem et generatióem \* annuntiábitis laudem tuam.

PSALMUS 79.

QUI regis Israel, inténde : \* qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, \* manifestáre coram Ephraim, Bénjamin et Manásse.

Excita poténtiam tuam, et veni, \* ut salvos fácias nos.

Deus, convérte nos : \* et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Dómine, Deus virtútum, \* quousque irascéris super oratióem servi tui ?

Cibábis nos pane lacrymárum, \* et potum dabis nobis in lácrymis in mensúra ?

Posuisti nos in contradic-ti-ónem vicinis nostris : \* et inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos : \* et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Vineam de Ægypto trans-tulisti : \* ejecisti gentes, et plantásti eam.

Dux itineris fuisti in conspéctu ejus : \* plantásti radices ejus, et implévit terram.

Opéruiť montes umbra ejus : \* et arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmities suos usque ad mare , \* et usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus : \* et vindémiant eam omnes qui prætergre-diúntur viam ?

Exterminávit eam aper de silva : \* et singuláris ferus depástus est eam.

Deus virtútum, convértere : \* respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam.

Et pérfice eam, quam plantávit dextera tua : \* et super filium hóminis, quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, et suffóssa \* ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum dexterae tuæ, \* et super filium hóminis, quem confirmásti tibi.

Et non discédimus a te : vivificábis nos : \* et nomen tuum invocábimus.

Dómine, Deus virtútum, convérte nos : \* et osténde faciém tuam, et salvi érimus.

*Antiphona.*

Propítius esto peccátis nostris, Dómine.

*In Quadragesima, V.* Ipse liberávit me de láqueo venántium.

R). Et a verbo áspero.

*Tempore Passionis, V.* Erue

a frámea, Deus, ánimam meam.

R). Et de manu canis únicam meam.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

V. Surréxit Dóminus de sepúlcro. Allelúia.

R). Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia.

*Pro uno vel pluribus Martyribus, tempore Paschali, V.* Sancti et justi in Dómino gaudéte. Allelúia.

R). Vos elégit Deus in hæreditátem sibi. Allelúia.

*Pro Confessore Pontifice et non Pontifice, tempore Paschali, V.* Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. Allelúia.

R). Stolum glóriæ induit eum. Allelúia.

*Pro una Sancta, tempore Paschali, V.* Spécie tua, et pulchritúdine tua. Allelúia.

R). Inténde, prospere procéde, et regna. Allelúia.

FERIA QUINTA

AD LAUDES.

*Antiphona.*

Tibi soli peccávi, \* Dómine; miserére mei.

*Psalmus Miserére, 63.*

*Antiphona Dómine.*

PSALMUS 89.

DÓMINE, refúgium factus es nobis : \* a generatióne in generatióne.

Priúsqum montes fierent,



aut formarétur terra et orbis, \* a sæculo et usque in sæculum tu es, Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem : \* et dixisti : Convertimini, filii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, \* tanquam dies hestérna quæ præteríit,

Et custódia in nocte, \* quæ pro nihilo habéntur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat et tránseat : \* vespere decídat, indúret et aréscat.

Quia defécimus in ira tua, \* et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuisti iniquitátes nostras in conspéctu tuo : \* sæculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri defecerunt : \* et in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur : \* dies annórum nostrórum in ipsis, septuaginta anni.

Si autem in potentátibus, octoginta anni : \* et ámplius eórum labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo : \* et corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ, \* et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre ?

Déxteram tuam sic notam fac : \* et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, ús-

quequo, \* et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdia tua, \* et exultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti : \* annis, quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua : \* et dirige filios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dirige super nos : \* et opus mánuum nostrárum dirige.

*Antiphona.*

Dómine, refúgium factus es nobis.

*Antiphona.*

In matutínis \* meditábor in te.

*Psalmus* Deus, Deus meus, \* ad te, 19.

*Antiphona* Cantémus.

CANTICUM MOYSI.

[Exodi c. 15.]

CANTEMUS Dómino : glorióse enim magnificátus est, \* equum et ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, \* et factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, et glorificábo eum : \* Deus patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, omnipotens nomen ejus. \* Currus Pharaónis et exercitum ejus projécit in mare.

Elécti principes ejus submersi sunt in mari Rubro.\*  
Abyssi operuerunt eos, descendérunt in profundum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificata est in fortitudine: dextera tua, Dómine, percussit inimicum; \* et in multitudine glóriæ tuæ deposuisti adversarios tuos.

Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam,\* et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.

Stetit unda fluens,\* congregatæ sunt abyssi in medio mari.

Dixit inimicus: Persequar et comprehendam,\* dividam spolia, implebitur anima mea.

Evaginabo gladium meum,\* interficiet eos manus mea.

Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare:\* submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

Quis similis tui in fortibus, Dómine? \* quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?

Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra:\* dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti?

Et portasti eum in fortitudine tua,\* ad habitaculum sanctum tuum.

Ascendérunt populi, et irati sunt:\* dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.

Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor:\* obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

Irruat super eos formido et pavor,\* in magnitudine brachii tui.

Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Dómine,\* donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ,\* firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Dómine: Sanctuarium tuum, Dómine, quod firmaverunt manus tuæ:\* Dóminus regnabit in æternum, et ultra.

Ingressus est enim eques Phárao cum curribus et equitibus ejus in mare:\* et reduxit super eos Dóminus aquas maris.

Filii autem Israel ambulaverunt per siccum:\* in medio ejus.

### *Antiphona.*

Cantemus Dómino glorióse.

### *Antiphona.*

In sanctis ejus\* laudate Deum.

*Psalmus* Laudate Dóminum de cœlis, 21.

IN QUADRAGESIMA,  
CAPITULUM.

[Isaie c. 58.]

CLAMA, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, et an-

núntia pópulo meo scélera  
eórum, et dómui Jacob pec-  
cáta eórum.

## HYMNUS.

**O** sol salútis, íntimis,  
Jesu, refúlge méntibus,  
Dum nocte pulsa grátior  
Orbi dies renáscitur.

Dans tempus acceptáble,  
Da lacrymárum rívilis  
Laváre cordis víctimam,  
Quam læta adúrat cháritas.

Quo fonte manávit nefas,  
Fluent perénnes lácrymæ,  
Si virga pœniténtiæ  
Cordis rigórem cónterat.

Dies venit, dies tua,  
In qua reflórent ómnia :  
Lætémur et nos in viam  
Tua redukti dextera.

Te prona mundi máchina  
Clemens adóret Trinitas,  
Et nos novi per gratiam  
Novum canámus cánticum.

Amen.

†. Angelis suis Deus man-  
dávít de te.

℞. Ut custódiánt te in óm-  
nibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona  
propria, ut in feriis Qua-  
dragesimæ.*

*Preces, quando dicendæ  
sunt, habentur supra in se-  
cunda Feria, 66.*

## FERIA SEXTA

## AD MATUTINUM.

*In Quadragesima, Invi-  
tatorium. — Adorémus Dó-  
minum, \* Quóniam ipse fecit  
nos.*

*Psalmus Veníte, exulté-  
mus, 2.*

*Hymnus Ex more docti  
mystico, ut in Dominica, 3.*

*Tempore Paschali, Invi-  
tatorium. — Allelúia, allelúia,  
\* Allelúia.*

*Hymnus Rex sempitérne  
coelitem, ut in Dominica, 3.*

*Antiphona Exultáte.*

*Tempore Paschali, Anti-  
phona Allelúia.*

## PSALMUS 80.

**EXULTATE** Deo adjutóri nos-  
tro : \* jubiláte Deo Jacob.

Súmíte psalmum, et date  
tympanum : \* psaltérium ju-  
cúndum cum cithara.

Buccínáte in neoméniá tu-  
ba, \* in insigni die solemni-  
tátis vestræ.

Quia præcéptum in Israel  
est : \* et iudícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pó-  
suit illud, cum exíret de terra  
Ægypti : \* linguam quam non  
nóverat audívit.

Divértit ab onéríbus dor-  
sum ejus : \* manus ejus in  
cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti  
me, et liberávi te : \* exaudívi  
te in abscondito tempestátis :  
probávi te apud aquam con-  
tradictiónis.

Audi, pópulus meus, et  
contestábor te : \* Israel, si  
audieris me, non erit in te  
Deus recens, neque adorábis  
deum aliénium.

Ego enim sum Dóminus  
Deus tuus, qui edúxi te de

terra Ægypti : \* dilata os tuum, et implébo illud.

Et non audivit pópulus meus vocem meam : \* et Israel non inténdit mihi.

Et dimisi eos secúndum desidéria cordis eórum, \* ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audisset me : \* Israel si in viis meis ambulasset :

Pro nihilo fórsitan inimicos eórum humiliassem : \* et super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimici Dómini mentiti sunt ei : \* et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibavit eos ex adipé fruménti : \* et de petra, melle saturavit eos.

PSALMUS 81.

**D**EUS stetit in synagóga deórum : \* in médio autem deos dijudicat.

Usquequo judicátis iniquitatem : \* et fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno et pupílo : \* húmílem et páuperem justificáte.

Eripite páuperem : \* et egénun de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant : \* movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi : Dii estis, \* et filii Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines

moriémini : \* et sicut unus de principibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram, \* quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

*Antiphona.*

Exultate Deo adjutóri nostro.

*Antiphona* Tu solus.

PSALMUS 82.

**D**EUS, quis similis erit tibi? \* ne táceas, neque compescáris, Deus :

Quóniam ecce inimici tui sonuérunt : \* et qui odérunt te extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consilium : \* et cogitavérunt advérsus sanctos tuos.

Dixérunt : Veníte, et disperdámus eos de gente : \* et non memorétur nomen Israel ultra.

Quóniam cogitavérunt unánimíter : \* simul advérsus te testaméntum disposuérunt, tabernácula Idumæórum et Ismaelítæ.

Moab, et Agaréni, Gebal, et Ammon, et Amalec : \* alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis : \* facti sunt in adjutórium filius Lot.

Fac illis sicut Mádian, et Sísaræ : \* sicut Jabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor : \* facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum si-



ent Oreb et Zeb, \* et Zébee,  
et Sálmana :

Omnes príncipes eórum, \*  
quidixerunt : Hæreditáte pos-  
sideámus sanctuárium Dei.

Deus meus, pone illos ut  
rotam : \* et sicut stípulam  
ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit  
silvam : \* et sicut flamma  
combúrens montes :

Ita persecúris illos in tem-  
pestáte tua : \* et in ira tua  
turbábis eos.

Imple fácies eórum igno-  
minia : \* et quærent nomen  
tuum, Dómine.

Erubéscant, et conturbén-  
tur in sæculum sæculi : \* et  
confundántur, et péreant.

Et cognóscant quia nomen  
tibi Dóminus : \* tu solus Al-  
tissimus in omni terra.

PSALMUS 83.

QUAM dilécta tabernácula  
tua, Dómine virtútum ! \*  
concupiscit et déficit ánima  
mea in átria Dómini.

Cor meum et caro mea \*  
exultavérunt in Deum vi-  
vum.

Etenim passer invénit sibi  
domum, \* et turtur nidum  
sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtú-  
tum : \* Rex meus, et Deus  
meus.

Beáti qui hábitant in do-  
mo tua, Dómine : \* in sæcula  
sæculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxí-  
lium abs te : \* ascensióes in

corde suo dispósuit, in valle  
lacrymárum, in loco quem  
pósuit.

Etenim benedictiónem da-  
bit legislátor, ibunt de vir-  
túte in virtútem : \* vidébitur  
Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum,  
exáudi oratióem meam : \*  
áuribus pércipe, Deus Ja-  
cob.

Protéctor noster, áspice,  
Deus : \* et réspice in fáciem  
Christi tui :

Quia mélior est dies una  
in átriis tuis \* super millia.

Elégi abjéctus esse in domo  
Dei mei : \* magis quam habi-  
táre in tabernáculis peccató-  
rum.

Quia misericórdiam et ve-  
ritátem diligit Deus : \* grá-  
tiam et glóriam dabit Dó-  
minus.

Non privábit bonis eos qui  
ámbulant in innocéntia : \* Dó-  
mine virtútum, beátus homo  
qui sperat in te.

*Antiphona.*

Tu solus Altissimus super  
omnem terram.

*Antiphona Benedixisti.*

PSALMUS 84.

BENEDIXISTI, Dómine, ter-  
ram tuam : \* avertisti captivi-  
tátem Jacob.

Remisisti iniquitátem ple-  
bis tuæ : \* operuisti ómnia  
peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram  
tuam : \* avertisti ab ira indig-  
natióis tuæ.

Convérte nos, Deus salutáris noster : \* et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? \* aut exténderis iram tuam a generatióne in generatióne?

Deus, tu convérsus vivificábis nos : \* et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam : \* et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : \* quóniam loquétur pacem in plebem suam ;

Et super sanctos suos, \* et in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : \* ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi : \* justítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : \* et justítia de cælo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : \* et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : \* et ponet in via gressus suos.

PSALMUS 85.

**I**NCLINA, Dómine, aurem tuam, et exáudi me : \* quóniam inops et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : \* sal-

vum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die : \* lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis : \* et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pécipe, Dómine, oratióne meam : \* et inténde voci deprecationis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te : \* quia exaudivisti me.

Non est similis tui in diis, Dómine : \* et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecisti vénient et adorábunt coram te, Dómine : \* et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabilia : \* tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : \* lætétur cor meum ut timeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine, Deus meus, in toto corde meo : \* et glorificábo nomen tuum in ætérnum :

Quia misericórdia tua magna est super me : \* et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga po-

téntium quæsiérunt ánimam meam : \* et non proposuerunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, \* pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax.

Réspice in me, et miserére mei, \* da impérium tuum púero tuo : et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, \* ut vídeant qui odérunt me, et confundántur : \* quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, et consolátus es me.

*Antiphona.*

Benedixisti, Dómine, terram tuam.

*Antiphona* Fundaménta ejus.

PSALMUS 86.

FUNDAMENTA ejus in món-  
tibus sanctis : \* diligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósá dicta sunt de te, \* civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babilónis \* sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthiopum, \* hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo et homo natus est in ea : \* et ipse fundávit eam Altissimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et princípum, \* horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium \* habitatio est in te.

PSALMUS 87.

DOMINE, Deus salutis meæ : \* in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : \* inclína aurem tuam ad precem meam :

Quia repléta est malis ánima mea : \* et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : \* factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber,

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, quorum non es memor ámplius : \* et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inférióri : \* in tenebrósis et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus : \* et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me : \* posuérunt me abominatióem sibi.

Tráditus sum, et non egrediebar : \* óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die : \* expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília : \* aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi ?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, \* et veritátem tuam in perditióné ?

Numquid cognoscéntur in tenebris mirabilia tua : \* et

justitia tua in terra obliuio-  
nis?

Et ego ad te, Dómine, cla-  
mávi : \* et mane orátio mea  
præueniet te.

Utquid, Dómine, repél-  
lis orationem meam : \* avér-  
tis faciē tuam a me?

Pauper sum ego, et in la-  
bóribus a juventute mea : \*  
exaltatus autem, humiliatus  
sum et conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ :  
\* et terróres tui conturbavé-  
runt me.

Circumdedérunt me sicut  
aqua tota die : \* circumde-  
dérunt me simul.

Elongásti a me amicum  
et primum : \* et notos meos  
a miseria.

*Antiphona.*

Fundamēta ejus in món-  
tibus sanctis.

*Antiphona Benedictus.*

PSALMUS 88.

MISERICORDIAS Dómini \* in  
æternum cantábo.

In generatiōem et gene-  
ratiōem \* annuntiábo veri-  
tatem tuam in ore meo.

Quóniam dixisti : In ætér-  
num misericórdia ædificábi-  
tur in cœlis : \* præparábitur  
véritas tua in eis.

Dispósui testamētum eléc-  
tis meis, jurávi David servo  
meo : \* Usque in æternum  
præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatiō-  
nem et generatiōem \* se-  
dem tuam.

Confitebúntur cœli mira-  
bília tua, Dómine : \* étenim  
veritatem tuam in ecclésia  
sanctorum.

Quóniam quis in núbibus  
æquábitur Dómino : \* similis  
erit Deo in filiis Dei?

Deus, qui glorificátur in  
consílio sanctorum : \* mag-  
nus et terribilis super omnes  
qui in circúitu ejus sunt.

Dómine, Deus virtutum,  
quis similis tibi ? \* potens es,  
Dómine, et véritas tua in cir-  
cúitu tuo.

Tu domináris potestáti ma-  
ris : \* motum autem flúctuum  
ejus tu míigas.

Tu humiliásti sicut vulne-  
rátum superbum : \* in brá-  
chio virtutis tuæ dispersisti  
inimicos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est  
terra, orbem terræ et pleni-  
túdinem ejus tu fundásti :  
\* Aquilónem et mare tu  
creásti.

Thabor et Hermon in nó-  
mine tuo exultábunt : \* tuum  
bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, et  
exaltétur dextera tua : \* justí-  
tia et iudicium præparatio se-  
dis tuæ.

Misericórdia et véritas præ-  
cedent faciē tuam : \* beátus  
pópulus qui scit jubilatiō-  
nem.

Dómine, in lúmine vultus  
tui ambulábunt, et in nó-  
mine tuo exultábunt tota die :



\* et in iustitia tua exaltabuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es : \* et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Quia Domini est assumptio nostra : \* et sancti Israel Regis nostri.

Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti : \* Posui adiutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.

Inveni David servum meum : \* oleo sancto meo unxi eum :

Manus enim mea auxiliabitur ei : \* et brachium meum confortabit eum.

Nihil proficiet inimicus in eo, \* et filius iniquitatis non apponet nocere ei.

Et concidam a facie ipsius inimicos ejus : \* et odientes eum in fugam convertam.

Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso : \* et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, \* et in fluminibus dexteram ejus.

Ipse invocabit me : Pater meus es tu, \* Deus meus, et susceptor salutis meae.

Et ego primogenitum ponam illum \* excelsum prae regibus terrae.

In aeternum servabo illi misericordiam meam : \* et testamentum meum fidele ipsi.

Et ponam in saeculum saeculi semen ejus : \* et thronum ejus sicut dies coeli.

Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, \* et in iudiciis meis non ambulaverint :

Si iustitias meas profanaverint, \* et mandata mea non custodierint,

Visitabo in virga iniquitates eorum, \* et in verbis peccata eorum.

Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, \* neque nocēbo in veritate mea :

Neque profanabo testamentum meum, \* et quae procedunt de labiis meis non faciam irrita.

Semel juravi in sancto meo, si David mentiar : \* semen ejus in aeternum manebit.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, \* et sicut luna perfecta in aeternum : et testis in caelo fidelis.

Tu vero repulisti et despexisti : \* distulisti Christum tuum :

Evertisti testamentum servi tui : \* profanasti in terra sanctuarium ejus.

Destruxisti omnes sepes ejus : \* posuisti firmamentum ejus formidinem.

Diripuērunt eum omnes transeuntes viam : factus est opprobrium vicinis suis.

Exaltasti dexteram depri mentium eum : \* laetificasti omnes inimicos ejus.

Avertisti adiutorium gladii ejus : \* et non es auxiliatus ei in bello.

Destruxisti eum ab emundatione : \* et sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies temporis ejus : \* perfudisti eum confusione.

Usquequo, Domine, avertis in finem : \* exardescet sicut ignis ira tua?

Memorare quæ mea substantia : \* numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?

Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem, \* eruet animam suam de manu inferi?

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, \* sicut jurasti David in veritate tua?

Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, \* (quod continui in sinu meo) multarum gentium,

Quod exprobraverunt inimici tui, Domine, \* quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

Benedictus Dominus in æternum : \* fiat, fiat.

PSALMUS 93.

DEUS ultionum Dominus : \* Deus ultionum libere egit.

Exaltare, qui iudicas terram : \* redde retributionem superbis.

Usquequo peccatores, Domine, \* usquequo peccatores gloriabuntur?

Effabuntur, et loquentur iniquitatem : \* loquentur omnes qui operantur injustitiam?

Populum tuum, Domine, humiliaverunt, \* et hereditatem tuam vexaverunt.

Viduam et advenam interfecerunt : \* et pupillos occiderunt,

Et dixerunt : Non videbit Dominus, \* nec intelliget Deus Jacob.

Intelligite, insipientes in populo : \* et stulti, aliquando sapite.

Qui plantavit aurem non audiet? \* aut qui finxit oculum non considerat?

Qui corripit gentes non arguet? \* qui docet hominem scientiam?

Dominus scit cogitationes hominum, \* quoniam vanæ sunt.

Beatus homo quem tu erudieris, Domine, \* et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges ei a diebus malis, \* donec fodiatur peccatori fovea.

Quia non repellet Dominus plebem suam : \* et hereditatem suam non derelinquet :

Quoadusque justitia convertatur in iudicium : \* et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversus malignantes? \* aut quis

stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

Nisi quia Dominus adjuvit me : \* paulo minus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam : Motus est pes meus : \* misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo : \* consolationes tuae laetificaverunt animam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis : \* qui fingis laborem in præcepto?

Captabunt in animam iusti : \* et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium : \* et Deus meus in adiutorium spei meæ.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos, \* disperdet illos Dominus Deus noster.

*Antiphona.*

Benedictus Dominus in æternum.

*Antiphona Cantate.*

PSALMUS 95.

CANTATE Domino canticum novum : \* cantate Domino, omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus : \* annuntiâte de die in diem salutâre ejus.

Annuntiâte inter gentes glóriam ejus, \* in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis : \*

terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii gentium dæmonia : \* Dominus autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : \* sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino glóriam et honorem : \* afferte Domino glóriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus : \* adorâte Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra : \* dicite in gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur : \* iudicabit populos in æquitâte.

Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo ejus : \* gaudebunt campi et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit : \* quoniam venit iudicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitâte, \* et populos in veritate sua.

PSALMUS 96.

Dominus regnavit, exultet terra : \* lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu

ejus : \* justitia et iudicium  
correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet,\*  
et inflammabit in circuitu ini-  
micos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi  
terræ : \* vidit, et commota est  
terra.

Montes sicut cera fluxé-  
runt a facie Domini : \* a facie  
Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justi-  
tiam ejus, \* et viderunt om-  
nes populi gloriā ejus.

Confundantur omnes qui  
adorant sculptilia, \* et qui  
gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes An-  
geli ejus : \* audivit, et lætata  
est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ,  
\* propter iudicia tua, Dó-  
mine.

Quoniam tu Dominus al-  
tissimus super omnem ter-  
ram, \* nimis exaltatus es su-  
per omnes deos.

Qui diligitis Dominum,  
odite malum : \* custodit Dó-  
minus ánimas sanctorum suó-  
rum, de manu peccatoris li-  
berabit eos.

Lux orta est justo,\* et rec-  
tis corde lætitia.

Lætāmini, justī, in Dómino :  
\* et confitemini memoriæ  
sanctificationis ejus.

*Antiphona.*

Cantate Dómino, et be-  
nedicite nómini ejus.

*In Quadragesima, ✠.* Scá-  
pulis suis obumbrabit tibi.

R. Et sub pennis ejus spe-  
rábis.

*Tempore Passionis, ✠.* De  
ore leónis libera me, Dómine.

R. Et a cornibus unicór-  
nium humilitatem meam.

*Tempore Paschali, Anti-  
phona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

✠. Surrexit Dóminus vere.  
Allelúia.

R. Et apparuit Simóni. Al-  
lelúia.

*Pro uno vel pluribus Mar-  
tyribus, tempore Paschali, ✠.* Lux perpétua lucébit sanc-  
tis tuis, Dómine. Allelúia.

✠. Et æternitas téporum.  
Allelúia.

*Pro Confessore Pontifice, tempore Paschali, ✠.* Elégit  
eum Dóminus sacerdotem  
sibi. Allelúia.

R. Ad sacrificandum ei hós-  
tiam laudis. Allelúia.

*Pro Confessore non Pon-  
tifice, tempore Paschali, ✠.* Os justī meditábitur sa-  
piéntiam. Allelúia.

R. Et lingua ejus loquétur  
iudicium. Allelúia.

*Pro una Sancta, tempore  
Paschali, ✠.* Adjuvabit eam  
Deus vultu suo. Allelúia.

R. Deus, in médio ejus,  
non commovébitur. Allelúia.

~~~~~  
FERIA SEXTA

AD LAUDES.

*Antiphona.*

Spiritu principáli\* confirma  
cor meum, Deus.



*Psalmus Miserere mei, 63.*

*Antiphona In veritate.*

PSALMUS 142.

**DOMINE**, exáudi oratióem meam : áuribus pèrcipe obsecratióem meam in veritate tua : \* exáudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum servo tuo : \* quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimicus ánimam meam : \* humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscuris sicut mórtuos sæculi : \* et anxiátus est super me spiritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in omnibus opéribus tuis, \* in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : \* ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóriter exáudi me, Dómine : \* defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me : \* et similis ero descendentibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam, \* quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem, \* quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimicis meis, Dómine, ad te confúgi : \* doce me fácere voluntátem

tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : \* propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam, et in misericórdia tua dispèrdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant ánimam meam : \* quóniam ego servus tuus sum.

*Antiphona.*

In veritate tua exáudi me, Dómine.

*Antiphona.*

Illúmina, Dómine, \* vultum tuum super nos.

*Psalmus Deus, Deus meus, \* ad te, 19.*

*Antiphona Dómine.*

CANTICUM HABACUC.

[Cap. 3.]

**DOMINE**, audivi auditióem tuam, \* et tímui.

Dómine, opus tuum : \* in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies : \* cum irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet : \* et sanctus de monte Pharan :

Opérui cœlos glória ejus : \* et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit : \* cónua in mánibus ejus :

Ibi abscondita est fortitúdo ejus : \* ante fáciem ejus ibit mors.

Et egrediétur diábolus ante

pedes ejus. \* Stetit, et mensus est terram.

Aspexit, et dissolvit gentes : \* et contriti sunt montes sæculi.

Incurvati sunt colles mundi, \* ab itineribus æternitatis ejus.

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, \* turbabuntur pelles terræ Mádian.

Numquid in fluminibus iratus es, Dómine? \* aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?

Qui ascendes super equos tuos : \* et quadrigæ tuæ salvatio.

Súscitans suscitabis arcum tuum : \* juramenta tribubus quæ locutus es.

Flúvios scindes terræ : viderunt te, et doluerunt montes : \* gurgesaquarum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : \* altitudo manus suas levávit.

Sol et luna steterunt in habitáculo suo : \* in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

In frémitu conculcabis terram : \* et in furóre obstupéficies gentes.

Egréssus es in salutem populi tui : \* in salutem cum Christo tuo.

Percussisti caput de domo impii : \* denudasti fundamentum ejus usque ad colum.

Maledixisti sceptris ejus, cápiti bellatorum ejus, \* ve-

niéntibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultatio eorum, \* sicut ejus qui dévorat páuperem in abscondito.

Viam fecisti in mari equis tuis, \* in luto aquarum multarum.

Audivi, et conturbatus est venter meus : \* a voce contremuerunt lábia mea.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, \* et subter me scáteat :

Ut requiescam in die tribulationis, \* ut ascendam ad pópulum accinctum nostrum.

Ficus enim non florébit : \* et non erit germen in vineis.

Mentiétur opus olivæ : \* et arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovili pecus : \* et non erit arméntum in præsepibus.

Ego autem in Dómino gaudebo : \* et exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea, \* et ponet pedes meos quasi cervorum.

Et super excélsa mea deducet me victor \* in psalmis canentem.

*Antiphona.*

Dómine, audiui auditum tuum, et tímui.

*Antiphona.*

In tympano \* et choro, in chordis et órgano laudáte Deum.

*Psalmus* Laudáte Dóminum de cœlis, 21

IN QUADRAGESIMA,  
CAPITULUM.

[Isaie c. 58.]

MAANA, ne cesses; quasi  
tu exalta vocem tuam, et  
annuntia populo meo scelera  
eorum, et domui Jacob pec-  
cata eorum.

## HYMNUS.

O SOL salutis, intimis,  
Iesu, refulge mentibus,  
Dum nocte pulsa gravior  
Orbi dies renascitur.

Dans tempus acceptabile,  
Da lacrymarum rivulis  
Lavare cordis victimam,  
Quam læta adurat charitas.

Quo fonte manavit nefas,  
Fluent perennes lacrymæ,  
N virga poenitentiae  
Cordis rigorem conterat.

Dies venit, dies tua,  
In qua reflorant omnia:  
Lætémur et nos in viam  
Tua reducti dextera.

Te prona mundi machina  
Clemens adoret Trinitas,  
Et nos novi per gratiam  
Novum canamus canticum.

Amen.

†. Angelis suis Deus man-  
davit de te.

¶. Ut custodiant te in om-  
nibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona  
propria, ut in feriis Quadra-  
gesimæ.*

*Preces, quando dicendæ  
sunt, habentur supra in Fe-  
ria secunda, 66.*

## SABBATO

AD MATUTINUM.

*In Quadragesima, Invi-  
tatorium.*—Dóminum Deum  
nostrum, \* Veníte, adoré-  
mus.

*Psalmus* Veníte, exulté-  
mus, 2.

*Hymnus* Ex more docti  
mystico, ut in Dominica, 3.

*Antiphona* Quia mirabilia.

*Tempore Paschali, Anti-  
phona* Allelúia.

PSALMUS 97.

CANTATE Dómino canti-  
cum novum, \* quia mirabi-  
lia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus,  
\* et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus sa-  
lutare suum, \* in conspectu  
gentium revelavit justitiam  
suam.

Recordatus est misericór-  
diæ suæ, \* et veritatis suæ  
domui Israel.

Viderunt omnes termini  
terræ \* salutare Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra:  
\* cantáte, et exultáte, et psál-  
lite.

Psállite Dómino in cíthara,  
in cíthara et voce psalmi: \*  
in tubis ductilibus, et voce  
tubæ córneæ.

Jubiláte in conspectu Re-  
gis Dómini: \* moveátur mare,  
et plenitúdo ejus: orbis ter-  
rarum, et qui hábitant in  
eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dómini: \* quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justitia, \* et pópulos in æquitáte.

PSALMUS 98.

**D**OMINUS regnávít, irascántur pópuli: \* qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus: \* et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terribile et sanctum est: \* et honor regis judicium diligit.

Tu parásti directiões: \* judicium et justitiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabélum pedum ejus: \* quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdotibus ejus: \* et Sámuel inter eos qui invocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos: \* in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus: \* et præcéptum quod dedit illis.

Dómine, Deus noster, tu exaudiébas eos: \* Deus, tu propítius fuísti eis, et ulciscens in omnes adinventiões eórum.

Exaltáte Dóminum Deum

nostrum, et adoráte in monte sancto ejus, \* quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

*Antiphona.*

Quia mirabilia fecit Dóminus.

*Sequens Antiphona et Psalmus* Jubiláte hic prætermittitur quando dicitur in Laudibus, ut in Sabbatis in quibus fit Officium de S. Maria, et ejus loco dicitur *Antiphona et Psalmus* Bonum est confitéri Dómino.

*Antiphona* Jubiláte.

PSALMUS 99.

**J**UBILATE Deo, omnis terra: \* servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, \* in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: \* ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Pópulus ejus, et oves pás-cuæ ejus: \* introíte portas ejus in confessiõe, átria ejus in hymnis: confitémini illi.

Laudáte nomen ejus quóniam suávis est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus, \* et usque in generatióem et generatióem véritas ejus.

*Vel* PSALMUS 91.

**B**ONUM est confitéri Dómino: \* et psállere nómini tuo, Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam: \* et veritatem tuam per noctem.

In decachórdo psaltério, \* cum cántico in cithara.

Quia delectásti me, Dó-



mine, in factúra tua : \* et in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine ! \* nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insípiens non cognóscet, \* et stultus non intélliget hæc.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut fœnum, \* et apparúerint omnes qui operántur iniquitátem,

Ut intéreant in sæculum sæculi : \* tu autem Altíssimus in ætérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tuí peribunt : \* et dispergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum, \* et se-néctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos : \* et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit : \* sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, \* in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi : \* et bene patientes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dóminus Deus noster : \* et non est iniquitas in eo.

## PSALMUS 100.

**M**ISERICORDIAM et iudicium \* cantábo tibi, Dómine.

Psallam, et intélligam in via immaculáta, \* quando vénies ad me.

Perambulábam in innocentia cordis mei \* in médio domus meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam : \* faciéntes prævaricationes odivi.

Non adhæsit mihi cor prævum : \* declinántem a me malignum non cognoscébam.

Detrahéntem secréto próximo suo, \* hunc persequébar.

Supérbo óculo, et insatiábili corde, \* cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ ut sédeant mecum : \* ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domus meæ qui facit supérbiam : \* qui lóquitur iniqua non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ, \* ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

*Antiphona.*

Jubiláte Deo, omnis terra.

*Vel Antiphona.*

Bonum est confitéri Dómino.

*Antiphona* Clamor meus.

## PSALMUS 101.

**D**OMINE, exáudi oratió-nem

meam : \* et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me : \* in quacúmque die tribulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, \* velóciter exáudi me :

Quia defecérunt sicut fumus dies mei : \* et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, et áruit cor meum, \* quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei, \* adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pelli-cáno solitúdinis : \* factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilávi, \* et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei : \* et qui laudábant me advérsus me jurábant :

Quia cínerem tanquam panem manducábam, \* et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ et indignatiónis tuæ : \* quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt, \* et ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes : \* et memoriále tuum in generatióem et generatióem.

Tu exúrgens miseréberis

Sion : \* quia tempus misere-réndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápidés ejus : \* et terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt géntes nomen tuum, Dómine, \* et omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion, et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratióem humilium, \* et non sprevit pre-cem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera : \* et pópulus, qui creábitur, laudábit Dó-minum :

Quia prospéxit de excélso sancto suo : \* Dóminus de cœlo in terram aspéxit,

Ut audiret gémitus compeditórum : \* ut sólveret filios interemptórum :

Ut annúntiet in Sion nomen Dómini : \* et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndó pópulos in unum, \* et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ : \* Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimidio diérum meórum, \* in generatióem et generatióem anni tui.

Initio tu, Dómine, terram fundásti : \* et ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt, tu autem

permanes : \* et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur, \* tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt : \* et semen eorum in sæculum dirigetur.

## PSALMUS 102.

Benedic, anima mea, Dómino, \* et ómnia quæ intra me sunt nómini sancto ejus.

Benedic, anima mea, Dómino : \* et noli oblivisci omnes retribuciones ejus :

Qui propitiatur ómnibus iniquitatibus tuis, \* qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, \* qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum : \* renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dóminus : \* et iudicium ómnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Móysi, \* filiis Israel voluntates suas.

Miserátor et misericors Dóminus : \* longánimis et multum misericors.

Non in perpétuum irascetur : \* neque in ætérnum comminabitur.

Non secúndum peccata nostra fecit nobis : \* neque secúndum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quóniam secúndum altitú-  
*Fern.*

dinem cœli a terra : \* corroboravit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidente, \* longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quómodo miseretur pater filiorum, misértus est Dóminus timéntibus se : \* quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus : \* homo sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit.

Quóniam spíritus pertransibit in illo, et non subsistet : \* et non cognóscet amplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, \* et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justitia illius in filios filiorum, \* his qui servant testamentum ejus.

Et mémoires sunt mandatorum ipsius, \* ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam : \* et regnum ipsius ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, \* poténtes virtute, faciéntes verbum illius, ad audiéndam vocem sermonum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtutes ejus, \* ministri ejus, qui fácitis voluntatem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus : \* in omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Dómino.

*Antiphona.*

Clamor meus ad te véniat,  
Deus.

*Antiphona Bénedic.*

PSALMUS 103.

**B**ENEDIC, ánima mea, Dómino : \* Dómine, Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessióem et decórem induísti, \* amíctus lúmine sicut vestiménto.

Exténdens cælum sicut pellem, \* qui tegis aquis superiora ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum, \* qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis Angelos tuos spíritus, \* et ministros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam : \* non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestiméntum amíctus ejus : \* super montes stabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugient : \* a voce tonitrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes, et descéndunt campi, \* in locum quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur : \* neque converténtur operire terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : \* inter médium móntium pertransibunt aquæ.

Potábunt omnes béstiae agri : \* expectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cœli habitábunt : \* de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superioribus suis : \* de fructu óperum tuórum satiábitur terra.

Prodúcens fœnum juméntis, \* et herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra : \* et vinum lætíficet cor hóminis :

Ut exhílalet fáciem in óleo : \* et panis cor hóminis confirmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Libani quas plantávit : \* illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : \* montes excelsi cervis petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : \* sol cognóvit occásu suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox : \* in ipsa pertransibunt omnes béstiae silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes ut rápíant, \* et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt : \* et in cubilibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum, \* et ad operatióem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine ! \* ómnia in sapiéntia fecísti : impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum et spatiósum mánibus : \* illic rep-



tilia, quorum non est númerus.

Animália pusilla cum magnis : \* illic naves pertransibunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei : \* ómnia a te expéctant ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent : \* aperiente te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Avertente autem te fáciem, turbabúntur : \* áuferes spíritum eórum, et deficient, et in púlverem suum reverténtur.

Emittes spíritum tuum, et creabúntur : \* et renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum : \* lætábitur Dóminus in opéribus suis.

Qui respicit terram, et facit eam trémere : \* qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : \* psallam Deo meo quándiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum : \* ego vero delectábor in Dómino.

Deficiant peccatóres a terra, et iníqui ita ut non sint : \* benedic, ánima mea, Dómino.

#### PSALMUS 104.

CONFITEMINI Dómino, et invocáte nomen ejus : \* annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, et psállite ei : \* narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómines sancto ejus : \* lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, et confirmámini : \* quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit : \* prodigia ejus, et judícia oris ejus.

Semen Abraham servi ejus : \* filii Jacob elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster : \* in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in sæculum testamenti sui : \* verbi quod mandávit in mille generatiónes :

Quod dispósuit ad Abraham : \* et juraménti sui ad Isaac :

Et státuit illud Jaeob in præcéptum : \* et Israel in testamentum ætérnum :

Dicens : Tibi dabo terram Chánaan, \* funiculum hæreditátis vestræ.

Cum essent número brevi, \* paucissimi et incolæ ejus :

Et pertransiérunt de gente in gentem, \* et de regno ad pópulum álterum.

Non reliquit hóminem nocére eis, \* et corripuit pro eis reges.

Nolite tângere christos meos : \* et in prophétis meis nolite malignári.

Et vocávit famem super terram, \* et omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum : \* in

servum venúndatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, \* donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflam-mávit eum : \* misit rex, et solvit eum; princeps popu-lórum, et dimísit eum.

Constituit eum dóminum domus suæ, \* et principem omnis possessiόνis suæ :

Ut erudíret principes ejus sicut semetípsum, \* et senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israel in Ægyp-tum : \* et Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter : \* et firmávit eum super inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus : \* et dolum fácerent in servos ejus.

Misit Móysen servum suum; \* Aaron, quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, \* et prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, et obscurávit : \* et non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem : \* et occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas, \* in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, et venit cœnomyia : \* et cinífes in ómnibus finibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grán-dinem, \* ignem comburén-tem in terra ipsórum.

Et percússit véneas eórum et ficúlneas eórum : \* et con-trívit lignum finium eórum.

Dixit, et venit locústa, et bruchus, \* cujus non erat nú-merus :

Et comédit omne fœnum in terra eórum : \* et comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percússit omne primo-génitum in terra eórum, \* pri-mítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto et auro : \* et non erat in trí-bubus eórum infirmus.

Lætáta est Ægyptus in pro-fectione eórum, \* quia incú-buit timor eórum super eos.

Expándit nubem in pro-tectionem eórum, \* et ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, et venit cotúrnix : \* et pane cœli saturávit eos.

Dirúpit petram, et fluxé-runt aquæ : \* abiérunt in sicco flúmina :

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, \* quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et edúxit pópulum suum in exultatióne, \* et eléctos suos in lætitia.

Et dedit illis regiónes gén-tium : \* et labóres populórum possederunt :

Ut custódiant justificatió-nes ejus, \* et legem ejus re-quirant.

*Antiphona.*

Benedic, ánima mea, Dó-  
mino.

*Antiphona* Visita nos.

PSALMUS 105.

CONFITEMINI Dómino quóniam bonus : \* quóniam in seculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, \* auditas fáciet omnes laudes ejus ?

Beáti qui custódiunt iudici-  
um, \* et faciunt justitiam in  
omni tempore.

Meménto nostri, Dómine,  
in beneplácito pópuli tui : \*  
visita nos in salutári tuo :

Ad vidéndum in bonitáte  
electórum tuórum, ad lætán-  
dum in lætitia gentis tuæ : \*  
ut lauderis cum hæreditáte  
tua.

Peccávimus cum pátribus  
nostris : \* injuste égimus, ini-  
quitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto  
non intellexérunt mirabilia  
tua : \* non fuérunt mémo-  
res multitudinis misericórdiæ  
tuæ.

Et irritavérunt ascendén-  
tes in mare, \* mare Rubrum.

Et salvávit eos propter no-  
men suum, \* ut notam fáce-  
ret poténtiam suam.

Et increpuit mare Rubrum,  
et exsiccátum est : \* et dedúxit  
eos in abyssis sicut in de-  
serto.

Et salvávit eos de manu  
odientium : \* et redémit eos  
de manu inimíci.

Et opéruiit aqua tribulánte  
eos : \* unus ex eis non re-  
mánsit.

Et credidérunt verbis ejus,  
\* et laudavérunt laudem ejus.

Cito fecérunt, obliti sunt  
óperum ejus, \* et non susti-  
nuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupis-  
céntiam in deserto : \* et ten-  
tavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitióem ip-  
sórum : \* et misit saturitátem  
in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in  
castris, \* Aaron sanctum Dó-  
mini.

Apérta est terra et deglu-  
tivit Dathan : \* et opéruiit su-  
per congregatióem Abiron.

Et exársit ignis in syna-  
goga eórum : \* flamma com-  
bússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Ho-  
reb : \* et adoravérunt scúl-  
tile.

Et mutavérunt glóriam  
suam \* in similitúdinem ví-  
tuli comedéntis fœnum.

Obliti sunt Deum, qui sal-  
vavit eos, \* qui fecit magnália  
in Ægypto, mirabilia in terra  
Cham, terribília in mari Ru-  
bro.

Et dixit ut dispérderet eos;  
\* si non Móyses eléctus ejus  
stetisset in confractiône in  
conspéctu ejus,

Ut avérteret iram ejus, ne  
dispérderet eos : \* et pro ni-  
hilo habuérunt terram desi-  
derábilem.

Non crediderunt verbo ejus, et murmuraverunt in tabernaculis suis: \* non exaudierunt vocem Domini.

Et elevavit manum suam super eos: \* ut prosterneret eos in deserto:

Et ut deiceret semen eorum in nationibus, \* et dispergeret eos in regionibus.

Et initiati sunt Beelphegor, \* et comederunt sacrificia mortuorum.

Et irritaverunt eum in adinventiōibus suis, \* et multiplicata est in eis ruina.

Et stetit Phinees, et placavit: \* et cessavit quassatio.

Et reputatum est ei in justitiam: \* in generationem et generationem usque in sempiternum.

Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis: \* et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus.

Et distinxit in labiis suis: \* non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.

Et commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et serviērunt sculptilibus eorum: \* et factum est illis in scandalum.

Et immolaverunt filios suos \* et filias suas dæmoniis.

Et effuderunt sanguinem innocentem, \* sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

Et infecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum: \* et fornicati sunt in adinventiōibus suis.

Et iratus est furore Dominus in populum suum: \* et abominatus est hæreditatem suam.

Et tradidit eos in manus gentium: \* et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum: \* sæpe liberavit eos.

Ipsi autem exacerbaverunt eum in concilio suo: \* et humiliati sunt in iniquitatibus suis.

Et vidit cum tribularentur: \* et audivit orationem eorum.

Et memor fuit testamenti sui: \* et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Et dedit eos in misericordias \* in conspectu omnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Domine Deus noster, \* et congrega nos de nationibus,

Ut confiteámur nómini sancto tuo, \* et gloriémur in laude tua.

Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum: \* et dicet omnis populus: Fiat, fiat.

PSALMUS 106.

CONFITEMINI Dómino quóniam bonus, \* quóniam



in sæculum misericórdia ejus.

Dicant qui redempti sunt  
Dómino, quos redemit de  
manu inimici, \* et de regio-  
nibus congregávit eos.

A solis ortu et occásu, \*  
ab aquilóne, et mari.

Erravérunt in solitúdine in  
inaquóso : \* viam civitátis ha-  
bitáculi non invenérunt.

Esuriéntes, et sitiéntes : \*  
ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dómi-  
num cum tribularéntur, \* et  
de necessitatibus eórum erí-  
puit eos.

Et dedúxit eos in viam  
rectam : \* ut irent in civitá-  
tem habitatiónis.

Confiteántur Dómino mi-  
sericórdia ejus, \* et mirabilia  
ejus filiis hóminum.

Quia satiávit ánimam iná-  
nem, \* et ánimam esurién-  
tem satiávit bonis.

Sedéntes in ténebris et  
umbra mortis, \* vinctos in  
mendicitáte et ferro.

Quia exacerbavérunt eló-  
quia Dei, \* et consílium Al-  
tissimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labó-  
ribus cor eórum : \* infirmáti  
sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dómi-  
num cum tribularéntur : \* et  
de necessitatibus eórum li-  
berávit eos.

Et edúxit eos de ténebris  
et umbra mortis, \* et vincula  
eórum dirúpit.

Confiteántur Dómino mi-

sericórdia ejus, \* et mirabi-  
lia ejus filiis hóminum.

Quia contrívit portas æreas,  
\* et vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniqui-  
tátis eórum : \* propter injus-  
ticias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abomináta  
est ánima eórum, \* et appro-  
pinquavérunt usque ad por-  
tas mortis.

Et clamavérunt ad Dómi-  
num cum tribularéntur, \* et  
de necessitatibus eórum libe-  
rávit eos.

Misit verbum suum, et sa-  
návit eos, \* et eripuit eos de  
interitió nibus eórum.

Confiteántur Dómino mi-  
sericórdia ejus, \* et mirabi-  
lia ejus filiis hóminum.

Et sacrificent sacrificium  
laudis, \* et annúntient ópera  
ejus in exultatióne.

Qui descéndunt mare in  
návibus, \* faciéntes opera-  
tiónem in aquis multis.

Ipsi vidérunt ópera Dómi-  
ni, \* et mirabilia ejus in pro-  
fúndo.

Dixit, et stetit spíritus pro-  
célle, \* et exaltáti sunt fluc-  
tus ejus.

Ascéndunt usque ad cœ-  
los, et descéndunt usque ad  
abyssos : \* ánima eórum in  
malis tabescébat.

Turbáti sunt, et moti sunt  
sicut ébrius : \* et omnis sa-  
piéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dómi-  
num cum tribularéntur : \*

et de necessitatibus eorum eduxit eos.

Et statuit procellam ejus in auram, \* et siluerunt fluctus ejus.

Et lætati sunt quia siluerunt: \* et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Dómino misericordiae ejus, \* et mirabilia ejus filiis hominum.

Et exaltent eum in ecclesia plebis, \* et in cathedra seniorum laudent eum.

Posuit flumina in desertum, \* et exitus aquarum in sitim:

Terram fructiferam in sanguinem, \* a malitia inhabitantium in ea.

Posuit desertum in stagna aquarum, \* et terram sine aqua in exitus aquarum.

Et collocavit illic esurientes: \* et constituerunt civitatem habitationis.

Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas: \* et fecerunt fructum nativitatis.

Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis: \* et jumenta eorum non minoravit.

Et pauci facti sunt, \* et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.

Effusa est contemptio super principes: \* et errare fecit eos in invio, et non in via.

Et adjúvit páuperem de inopia: \* et posuit sicut oves familias.

Videbunt recti, et lætabuntur: \* omnis iniquitas oppilabit os suum.

Quis sapiens, et custodiet hæc? \* et intelliget misericordias Dómini?

*Antiphona.*

Visita nos, Dómine, in salutari tuo.

*Antiphona* Confitebor Dómino.

PSALMUS 107.

**P**ARATUM cor meum, Deus, paratum cor meum: \* cantabo, et psallam in glória mea.

Exúrge, glória mea; exúrge, psalterium et cithara: \* exúrgam dilúculo.

Confitebor tibi in pópulis, Dómine: \* et psallam tibi in nationibus.

Quia magna est super cælos misericordia tua: \* et usque ad nubes veritas tua.

Exaltáre super cælos, Deus, et super omnem terram glória tua: \* ut liberéntur dilecti tui.

Salvum fac dextera tua, et exáudi me: \* Deus locutus est in sancto suo.

Exultábo, et dívidam Síchimam, \* et convállem tabernaculorum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses: \* et Ephraim susceptio capitis mei.

Juda rex meus: \* Moab lebes spei meæ.

In Idumæam exténdam calceamentum meum: \* mihi

alienigenæ amici facti sunt.

Quis deducet me in civitatem munitam? \* quis deducet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos, \* et non exhibis, Deus, in virtutibus nostris?

Da nobis auxilium de tribulatione, \* quia vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem: \* et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

PSALMUS 108.

**D**eus, laudem meam ne tacearis, \* quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.

Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me: \* et expugnaverunt me gratis.

Pro eo ut me diligere, detrahebant mihi: \* ego autem orabam.

Et posuerunt adversum me mala pro bonis, \* et odium pro dilectione mea.

Constitu super eum peccatorem: \* et diabolus stet a dextris ejus.

Cum iudicatur, exeat condemnatus: \* et oratio ejus fiat in peccatum.

Fiant dies ejus pauci: \* et episcopatum ejus accipiat alter.

Fiant filii ejus orphani, \* et uxor ejus vidua.

Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent: \* et

ejiciantur de habitationibus suis.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus: \* diripiant alieni labores ejus.

Non sit illi adjutor: \* nec sit qui misereatur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in interitum: \* in generatione una deleatur nomen ejus.

In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini: \* et peccatum matris ejus non deleatur.

Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum, \* pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.

Et persecutus est hominem inopem et mendicum: \* et compunctum corde mortificare.

Et dilexit maledictionem, et veniet ei: \* et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum: \* et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus.

Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, \* et sicut zona, qua semper præcingitur.

Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, \* et qui loquuntur mala adversus animam meam.

Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen

tuum, \* quia suavis est misericordia tua.

Libera me, quia egenus et pauper ego sum, \* et cor meum conturbatum est intra me.

Sicut umbra cum declinat ablatus sum : \* et excussus sum sicut locustæ.

Genua mea infirmata sunt a jejuniis : \* et caro mea immutata est propter oleum.

Et ego factus sum opprobrium illis : \* viderunt me, et moverunt capita sua.

Adjuva me, Domine, Deus meus : \* saluum me fac secundum misericordiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc : \* et tu, Domine, fecisti eam.

Maledicent illi, et tu benedices : \* qui insurgunt in me confundantur : servus autem tuus lætabitur.

Induantur qui detrahunt mihi pudore : \* et operiantur sicut diplóide confusione sua.

Confitebor Domino nimis in ore meo : \* et in medio multorum laudabo eum.

Quia ástitit a dextris pauperis, \* ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

*Antiphona.*

Confitebor Domino nimis in ore meo.

*In Quadragesima, ✠.* Scuto circumdabit te veritas ejus.

R. Non timebis a timore nocturno.

*Tempore Passionis, ✠.* Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.

R. Et cum viris sanguinum vitam meam.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

*Pro Beata Maria, ✠.* Diffusa est grátia in lábiis tuis. Allelúia.

R. Propterea benedixit te Deus in ætérnum. Allelúia.

## SABBATO

AD LAUDES.

*Antiphona.*

Benigne fac \* in bona voluntate tua, Domine.

*Psalmus Miserere, 63.*

*Antiphona Bonum est.*

PSALMUS 91.

BONUM est confiteri Domino, \* et psállere nómini tuo, Altissime.

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, \* et veritatem tuam per noctem;

In decachórdo psalterio, \* cum cántico in cithara.

Quia delectásti me, Domine, in factura tua : \* et in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quam magnificata sunt ópera tua, Domine ! \* nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insípiens non cognóscet, \* et stultus non intélliget hæc.

Cum exórti fuerint pecca-



tóres sicut fœnum, \* et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem :

Ut intéreant in sæculum sæculi : \* tu autem Altissimus in ætérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimici tui, Dómine, quóniam ecce inimici tui peribunt : \* et dispergéntur omnes qui operantur iniquitatem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum, \* et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimicos meos : \* et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit : \* sicut cedrus Libani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, \* in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi : \* et bene patientes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dóminus Deus noster : \* et non est iniquitas in eo.

*Antiphona.*

Bonum est confitéri Dómino.

*Antiphona.*

Métuant Dóminum \* omnes fines terræ.

*Psalmus* Deus, Deus meus, \* ad te, 19.

*Antiphona* Date magnitudinem.

# CANTICUM MOYSI.

[Deut., c. 32.]

**AUDITE**, cœli, quæ loquor, \* áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrína mea, \* fluat ut ros elóquium meum,

Quasi imber super herbam, et quasi stillæ super grámina ; \* quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiam Deo nostro : \* Dei perfécta sunt ópera, et omnes viæ ejus júdicia.

Deus fidélis, et absque ulla iniquitáte, justus et rectus : \* peccavérunt ei, et non filii ejus in sórdibus.

Generátio prava atque perversa. \* Hæccine reddis Dómino, pópule stulte et insípiens ?

Numquid non ipse est pater tuus, qui possédit te, \* et fecit, et creávit te ?

Meménto diérum antiquórum, \* cógita generatiónes singulas.

Intérroga patrem tuum, et annuntiábit tibi : \* majóres tuos, et dicent tibi.

Quando dividébat Altissimus gentes, \* quando separábat filios Adam.

Constítuit téminos populórum, \* juxta númerum filiórum Israel.

Pars autem Dómini pópulus ejus : \* Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra de-

sérta, \* in loco horróris et vastæ solitúdinis.

Circumdúxit eum, et dócuit: \* et custodívit quasi pupillam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, \* et super eos vólitans,

Expándit alas suas, et assúmpsit eum, \* atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit: \* et non erat cum eo deus aliénus.

Constituit eum super excelsam terram, \* ut coméderet fructus agrórum.

Ut súgeret mel de petra, \* oleúmque de saxo duríssimo.

Bútyrum de arménto, et lac de óvibus, \* cum ádipe agnórum et arietum filiórum Basan:

Et hircos cum medúlla trítici, \* et sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, et recalcitrávit: \* incrassátus, impinguátus, dilatátus,

Derelíquit Deum factórem suum, \* et recéssit a Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, \* et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis et non Deo, \* diis, quos ignorábant.

Novi recentésque venérunt, \* quos non coluérunt patres eórum.

Deum, qui te génuit, dereliquísti, \* et oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, et ad iracúndiam concitátus est, \* quia provocavérunt eum filii sui et filiæ.

Et ait: Abscóndam fáciem meam ab eis, \* et considérabo novíssima eórum.

Generátio enim perpersa est, \* et infidéles filii.

Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat deus, \* et irritavérunt in vanitátibus suis:

Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus, \* et in gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, \* et ardébit usque ad inférni novíssima:

Devorabítque terram cum gérmine suo, \* et móntium fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala, \* et sagittas meas complébo in eis.

Consuméntur fame, \* et devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immittam in eos, \* cum furóre trahéntium super terram atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládus, et intus pavor, \* júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? \* cessáre fáciem ex hominibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicorum distuli : \* ne forte superbirent hostes eorum.

Et dicerent : Manus nostra excelsa, et non Dóminus, \* fecit hæc ómnia.

Gens absque consilio est, et sine prudentia. \* Utinam sciperent, et intelligerent, ac novissima providerent.

Quómodo persequatur unus mille, \* et duo fugent decem millia?

Nonne ideo quia Deus suus vendidit eos : \* et Dóminus conclusit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eorum : \* et inimici nostri sunt iudices.

De vinea Sodomorum, vinea eorum, \* et de suburbanis Gomórrhæ :

Uva eorum uva fellis, \* et botri amarissimi.

Fel draconum vinum eorum, \* et venenum aspidum insanabile.

Nonne hæc condita sunt apud me, \* et signata in thesauris meis?

Mea est ultio, et ego retribuam in tempore, \* ut labatur pes eorum :

Juxta est dies perditionis, \* et adesse festinant tempora.

Judicabit Dóminus populum suum, \* et in servis suis miseretur :

Videbit quod infirmata sit manus, \* et clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.

Et dicet : Ubi sunt dii eorum, \* in quibus habebant fiduciam?

De quorum victimis comedebant adipēs, \* et bibebant vinum libaminum.

Surgant et opitulentur vobis, \* et in necessitate vos protegant.

Videte quod ego sim solus, \* et non sit alius deus præter me.

Ego occidam, et ego vivere faciam : percutiam, et ego sanabo; \* et non est qui de manu mea possit eruire.

Levabo ad cælum manum meam, et dicam : \* Vivo ego in ætérnum.

Siacuero ut fulgur gladium meum, \* et arripuerit iudicium manus mea,

Reddam ultionem hostibus meis, \* et his qui oderunt me retribuam.

Inebriabo sagittas meas sanguine : \* et gladius meus devorabit carnes.

De cruore occisorum, \* et de captivitate, nudati inimicorum capitis.

Laudate, gentes, populum ejus : \* quia sanguinem servorum suorum ulciscetur;

Et vindictam retribuet in hostes eorum, \* et propitius erit terræ populi sui.

*Antiphona.*

Date magnitudinem Deo nostro.

*Antiphona.*

In cymbalis \* benesonantibus laudate Deum.

*Psalmus* Laudate Dominum de cœlis, 21.

IN QUADRAGESIMA,

CAPITULUM.

[Isaiæ c. 58.]

**C**LAMA, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.

HYMNUS.

**O**SOL salutis, intimis,  
Jesu, refulge mentibus,  
Dum nocte pulsa gratior  
Orbi dies renascitur.

Dans tempus acceptabile,  
Da lacrymarum rivulis  
Lavare cordis victimam,  
Quam læta adurat charitas.

Quo fonte manavit nefas,  
Fluent perennes lacrymæ,  
Si virga poenitentiae  
Cordis rigorem conterat.

Dies venit, dies tua,  
In qua reflorēt omnia:  
Lætémur et nos in viam  
Tua reducti dextera.

Te prona mundi machina  
Clemens adoret Trinitas,  
Et nos novi per gratiam  
Novum canamus canticum.

Amen.

✠. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona propria, ut in feriis Quadragesimæ.*

*Preces, quando dicendæ sunt, habentur supra in Feria secunda, 66.*

## DOMINICA

AD VESPERAS.

Pater noster. Ave, Maria.

✠. Deus, in adiutorium, 18.

*Antiphona* Dixit Dominus.

*Tempore Paschali, Antiphona Alleluia, sub qua sola Antiphona dicuntur omnes Psalmi Vesperarum tam in Dominicis quam in feriis.*

PSALMUS 109.

**D**IXIT Dominus Domino meo: \* Sede a dextris meis:

Donec ponam inimicos tuos, \* scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: \* dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: \* ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non poenitebit eum: \* tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, \* confrégit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: \* conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: \* propterea exaltabit caput.



*Antiphona.*

Dixit Dóminus Dómino  
meo: Sede a dextris meis.

*Antiphona* Fidélia.

PSALMUS 110.

CONFITEBOR tibi, Dómine,  
in toto corde meo: \* in con-  
silio justórum, et congrega-  
tione.

Magna ópera Dómini, \* ex-  
quisita in omnes voluntates  
ejus.

Confessio et magnificéntia  
opus ejus: \* et justitia ejus ma-  
net in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabí-  
lium suórum miséricors et  
miserátor Dóminus: \* escam  
dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum  
testaménti sui: \* virtútem  
óperum suórum annuntiábit  
pópulo suo:

Ut det illis hæreditátem  
géntium: \* ópera mánuum  
ejus veritas et judícium.

Fidélia ómnia mandáta  
ejus, confirmáta in sæculum  
sæculi, \* facta in veritáte et  
æquitáte.

Redemptiónem misit pó-  
pulo suo: \* mandávit in ætér-  
num testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen  
ejus: \* iníitium sapiéntiæ ti-  
mor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus  
faciéntibus eum: \* laudatio  
ejus manet in sæculum sæ-  
culi.

*Antiphona.*

Fidélia ómnia mandáta

ejus, confirmáta in sæculum  
sæculi.

*Antiphona* In mandátis.

PSALMUS 111.

BEATUS vir qui timet Dó-  
minum: \* in mandátis ejus  
volet nimis.

Potens in terra erit semen  
ejus: \* generátio rectórum  
benedicétur.

Glória et divitiæ in domo  
ejus, \* et justitia ejus manet  
in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris  
lumen rectis: \* miséricors,  
et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui mi-  
serétur et cómmodat, dispó-  
net sermónes suos in judício:  
\* quia in ætérnum non com-  
movébitur.

In memória æténa erit  
justus: \* ab auditióne mala  
non timébit.

Parátum cor ejus speráre  
in Dómino, confirmátum est  
cor ejus: \* non commovébi-  
tur, donec despiciat inimicos  
suos.

Dispérsit, dedit paupéri-  
bus: justitia ejus manet in  
sæculum sæculi; \* cornu ejus  
exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et iras-  
cétur, déntibus suis fremet,  
et tabéscet: \* desidérium pec-  
cátórum peribit.

*Antiphona.*

In mandátis ejus cupit ni-  
mis.

*Antiphona* Sit nomen Dó-  
mini.

## PSALMUS 112.

**LAUDATE**, púeri, Dóminum:  
\* laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum, \* ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum, \* laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, \* et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, \* et humilia respicit in cœlo et in terra?

Súscitans a terra inopem, \* et de stercore érigenz páuperem:

Ut còllocet eum cum principibus, \* cum principibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, \* matrem filiórum lætántem.

*Antiphona.*

Sit nomen Dómini benedictum in sæcula.

*Antiphona* Nos qui vivimus.

## PSALMUS 113.

**IN** éxitu Israel de Ægypto, \* domus Jacob de pópulo bárbaro:

Facta est Judæa sanctificatio ejus, \* Israel potestas ejus.

Mare vidit, et fugit: \* Jordánis convérsus est retrórsus.

Montes exultavérunt ut arietes: \* et colles sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quod fugisti? \* et tu, Jordánis, quia convérsus es retrórsus?

Montes, exultástis sicut arietes? \* et colles sicut agni óvium?

A fácie Dómini mota est terra, \* a fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in stagna aquárum, \* et rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, \* sed nómini tuo da glóriam.

Super misericórdia tua et veritate tua, \* nequándo dicant gentes: Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cœlo: \* ómnia quæcúmque vóluit fecit.

Simulácula géntium argentum et aurum, \* ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur: \* óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient: \* nares habent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt: pedes habent, et non ambulábunt: \* non clamábunt in gútture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea, \* et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel sperávit in Dómino: \* adjutor eórum et protéctor eórum est.

Domus Aaron sperávit in

Dómino : \* adjutor eorum et protector eorum est.

Qui timent Dóminum speraverunt in Dómino : \* adjutor eorum et protector eorum est.

Dóminus memor fuit nostri : \* et benedixit nobis :

Benedixit dómui Israel : \* benedixit dómui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dóminum, \* pusillis cum maioribus.

Adjiciat Dóminus super vos : \* super vos, et super filios vestros.

Benedicti vos a Dómino, \* qui fecit cælum et terram.

Cælum cæli Dómino : \* terram autem dedit filiis hominum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine : \* neque omnes qui descendunt in inférnum :

Sed nos qui vivimus, benedicimus Dómino, \* ex hoc nunc et usque in sæculum.

*Antiphóna.*

Nos qui vivimus benedicimus Dómino.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

*Capitulum, ut in Proprio de Tempore.*

IN QUADRAGESIMA,  
HYMNUS.

AUDI, benigne Cónditor,  
Nostras preces cum flétibus,  
In hoc sacro jejúnio  
Fusas quadragenário.

Scrutátor alme córdium,

Infirma tu scis virium :

Ad te revérsis éxhibe

Remissiónis grátiam.

Multum quidem peceávimus,

Sed parce confiténtibus :

Ad nóminis laudem tui

Confer medélam lánguidis.

Concéde nostrum cónteri

Corpus per abstinéntiam;

Culpæ ut relinquant pábulum

Jejuna corda criminum.

Præsta, beáta Trínitas,

Concéde, simplex Unitas,

Ut fructuósa sint tuis

Jejuniórum múnera.

Amen.

✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

*Ad Magnificat, Antiphona propria.*

TEMPORE PASCHALI,  
HYMNUS.

Ad régias Agni dapes,

Stolis amicti cándidis

Post tránsitum maris Rubri

Christo canámus Príncipi.

Divína cujus cháritas

Sacrum propinat sánguinem,

Almíque membra córporis

Amor Sacerdos immolat.

Sparsum cruórem póstibus

Vastátor horret Angelus :

Fugítque divísus mare :

Mergúntur hostes flúctibus.

Jam Pascha nostrum Christus est,

Paschális idem Víctima,

Et pura puris méntibus

Sinceritátis ácyra.

O vera cœli Víctima,  
Subjécta cui sunt tártara,  
Solúta mortis víncula,  
Recépta vitæ præmia.

Victor, subáctis ínferis,  
Trophæa Christus éxplicat,  
Cœlóque apérto, súbditum  
Regem tenebrárum trahit.

Ut sis perénne méntibus  
Paschále, Jesu, gáudium,  
A morte dira criminum  
Vitæ renátos libera.

Deo Patri sit glória,  
Et Filio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito  
In sempitérna sæcula.

Amen.

✠. Mane nobiscum, Dómi-  
ne. Alleluía.

R). Quóniam advesperáscit.  
Alleluía.

*Ad Magnificat, Antiphona  
propria.*

#### CANTICUM

BEATÆ MARIE VIRGINIS.

[Lucæ c. 1.]

**M**AGNIFICAT\* ánima mea Dó-  
minum :

Et exultávit spíritus meus,  
\* in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem  
ancillæ suæ : \* ecce enim ex  
hoc beátam me dicent omnes  
generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui  
potens est : \* et sanctum no-  
men ejus.

Et misericórdia ejus a pro-  
génie in progénies \* timén-  
tibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio

suo : \* dispérsit superbos  
mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede,  
\* et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis,  
\* et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum  
suum, \* recordátus miseri-  
córdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres  
nostros, \* Abraham, et sé-  
mini ejus in sæcula.

Glória Patri.

*Deinde dicitur Antiphona  
et Oratio propria.*

#### FERIA SECUNDA

AD VESPERAS.

*Antiphona Inclínávit.*

*Tempore Paschali, Anti-  
phona Alleluía.*

PSALMUS 114.

**D**ILEXI quóniam exáudiet  
Dóminus \* vocem oratiónis  
meæ.

Quia inclinávit aurem suam  
mihi : \* et in diébus meis in-  
vocábo.

Circumdedérunt me doló-  
res mortis : \* et perícula ín-  
fégni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem  
invéni : \* et nomen Dómini  
invocávi.

O Dómine, libera ánimam  
meam : \* miséricors Dómi-  
nus, et justus, et Deus nos-  
ter miserétur.

Custódiens párvulos Dó-  
minus : \* humiliátus sum, et  
liberávit me.

Convértere, ánima mea, in



réquiem tuam, \* quia Dóminus benefecit tibi.

Quia eripuit ánimam meam de morte, \* óculos meos a lácrymis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino \* in regione vivórum.

*Antiphona.*

Inclinávit Dóminus aurem suam mihi.

*Antiphona* Crédidi.

PSALMUS 115.

CRÉDIDI, propter quod locútus sum : \* ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : \* Omnis homo mendax.

Quid retríbuiam Dómino \* pro ómnibus quæ retríbuit mihi ?

Cálicem salutáris accípiam, \* et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : \* pretiósá in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

ODómine, quia ego servus tuus, \* ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : \* tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus, \* in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

*Antiphona.*

Crédidi, propter quod locútus sum.

*Antiphona* Laudáte.

PSALMUS 116.

LAUDATE Dóminum, omnes gentes : \* laudáte eum, omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : \* et véritas Dómini manet in ætérnum.

*Antiphona.*

Laudáte Dóminum, omnes gentes.

*Antiphona* Clamávi.

*Canticum Graduum.*

PSALMUS 119.

AD Dóminum cum tribulárer clamávi; \* et exaudivit me.

Dómine, libera ánimam meam a lábiis iníquis, \* et a lingua dolósa.

Quid detur tibi aut quid apponátur tibi \* ad linguam dolósam ?

Sagittæ poténtis acútæ, \* cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est; habitávi cum habitántibus Cedar: \* multum íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus : \* cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

*Antiphona.*

Clamávi, et exaudivit me.

*Antiphona* Unde véniet.

PSALMUS 120.

LEVAVI óculos meos in montes, \* unde véniet auxiliúm mihi.

Auxílium meum a Dómino,

\* qui fecit cœlum et terram.  
Non det in commotiōnem  
pedem tuum, \* neque dor-  
mitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque  
dórmiet, \* qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dó-  
minus protéctio tua, \* super  
manum dēxteram tuam.

Per diem sol non uret te :  
\* neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab  
omni malo : \* custódiat áni-  
mam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intrói-  
tum tuum et éxitum tuum \*  
ex hoc nunc, et usque in sæ-  
culum.

*Antiphona.*

Unde véniet auxilium mihi.  
*Tempore Paschali, Anti-  
phona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

IN QUADRAGESIMA,

CAPITULUM.

[Joc. l. c. 2.]

INTER vestibulum et altáre  
plorábunt sacerdótes minis-  
tri Dómini, et dicent : Parce,  
Dómine, parce pópulo tuo,  
et ne des hæreditátem tuam  
in oppróbrium, ut dominén-  
tur eis nátiōes.

*Hymnus Audi, benigne, ut  
supra, 137.*

✠. Angelis suis Deus man-  
dávít de te.

℞. Ut custódiat te in óm-  
nibus viis tuis.

*Antiphona ad Magnificat  
et Oratio propria.*

TEMPORE PASCHALI,

CAPITULUM.

[Rom., c. 6.]

CHRISTUS resúrgens ex mór-  
tuis jam non móritur, mors illi  
ultra non dominábitur. Quod  
enim mórtuus est semel pec-  
cáto, mórtuus est semel : quod  
autem vivit, vivit Deo.

*Hymnus Ad régias Agni,  
ut supra, 137.*

✠. Mane nobiscum, Dó-  
mine. Allelúia.

℞. Quóniam advesperáscit.  
Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona  
propria.*

*Oratio dicitur de Dominica  
præcedenti.*

*Preces, si dicendæ sunt,  
habentur supra in Laudibus  
Feriæ secundæ, 66.*

FERIA TERTIA

AD VESPERAS.

*Antiphona In domum Dó-  
mini.*

*Tempore Paschali, Anti-  
phona Allelúia.*

PSALMUS 121.

LÆTATUS sum in his quæ  
dicta sunt mihi : \* in domum  
Dómini ibimus.

Stantes erant pedes nos-  
tri \* in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur  
ut civitas, \* cujus participá-  
tio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tri-  
bus, tribus Dómini : \* testi-  
mónium Israel ad confitén-  
dum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in iudicio, \* sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : \* et abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua : \* et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, \* loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, \* quæsi vi bona tibi.

*Antiphona.*

In domum Dómini lætántes ibimus.

*Antiphona* Qui hábitas.

PSALMUS 122.

Ad te levávi óculos meos, \* qui hábitas in cœlis.

Ecce sicut óculi servórum in mánibus dominórum suórum ;

Sicut óculi ancillæ in mánibus dómínæ suæ : \* ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri, Dómine, miserére nostri, \* quia multum repléti sumus despectióne ;

Quia multum repléta est ánima nostra, \* oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

*Antiphona.*

Qui hábitas in cœlis, miserére nobis.

*Antiphona* Adjutórium.

PSALMUS 23.

Nisi quia Dóminus erat in

nobis, dicat nunc Israel : \* nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cum exúrgerent hómines in nos, \* forte vivos deglutissent nos.

Cum irascerétur furor eórum in nos, \* fórsitan aqua absorbuisset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra : \* fórsitan pertransisset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedictus Dóminus, \* qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est \* de láqueo venántium.

Láqueus contritus est, \* et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, \* qui fecit cœlum et terram.

*Antiphona.*

Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

*Antiphona* Bénefac.

PSALMUS 124.

QUI confidunt in Dómino, sicut mons Sion : \* non commovébitur in ætérnum qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus : \* et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum : \* ut non exténdant iusti ad iniquitatem manus suas.

Bénéfac, Dómine, bonis,  
\* et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes adducet Dóminus cum operantibus iniquitatem: \* pax super Israel.

*Antiphona.*

Bénéfac, Dómine, bonis  
et rectis corde.

*Antiphona* Facti sumus.

PSALMUS 125.

**I**N convertendo Dóminus captivitatem Sion, \* facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, \* et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: \* Magnificavit Dóminus facere cum eis.

Magnificavit Dóminus facere nobiscum: \* facti sumus lætantes.

Converte, Dómine, captivitatem nostram, \* sicut torrens in Austro.

Qui sémant in lacrymis  
\* in exultatione metent.

Eúntes ibant et flebant, \* mittentes semina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatione, \* portantes manipulos suos.

*Antiphona.*

Facti sumus sicut consolati.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Alleluia, Alleluia, alleluia.

*Capitulum, Hymnus, versiculus, Antiphona ad Magnificat, et Oratio pro tempore,*

*ut in Vesperis Ferie secundæ, 140.*

*Preces, si dicendæ sunt, habentur supra in Laudibus Ferie secundæ, 66.*

## FERIA QUARTA

AD VESPERAS.

*Antiphona* Non confundetur.

*Tempore Paschali, Antiphona* Alleluia.

PSALMUS 126.

**N**ISI Dóminus ædificáverit domum, \* in vanum laboráverunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodierit civitatem, \* frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: \* surgite postquam sederitis, qui manducatis panem dolóris.

Cum dederit dilectis suis somnum, \* ecce hæreditas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, \* ita filii excussorum.

Beátus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis: \* non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

*Antiphona.*

Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

*Antiphona* Beati.

PSALMUS 127.

**B**EATI omnes qui timent Dóminum, \* qui ambulánt in viis ejus.



Labóres mánuum tuárum  
quia manducábis : \* beátus  
es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abún-  
dans, \* in latéribus domus  
tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ oli-  
várurum \* in circúitu mensæ  
tuæ.

Ecce sic benedicétur homo  
\* qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex  
Sion : \* et videas bona Jerúsa-  
lem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et videas filios filiórurum tuó-  
rum, \* pacem super Israel.

*Antiphona.*

Beáti omnes qui timent Dó-  
minum.

*Antiphona Sæpe.*

PSALMUS 128.

SÆPE expugnávérunt me a  
juventúte mea, \* dicat nunc  
Israel.

Sæpe expugnávérunt me a  
juventúte mea, \* étenim non  
potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabri-  
cávérunt peccatóres : \* prolon-  
gávérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concidit  
cervices peccatórum : \* con-  
fundántur et convertántur  
retrórsum omnes qui odé-  
runt Sion.

Fiant sicut foenum tectó-  
rum, \* quod priúsqvam evel-  
látur exáruit :

De quo non implévit ma-  
num suam qui metit, \* et  
sinum suum qui manipulos  
cólligit.

Et non dixerunt qui præ-  
teribant : Benedíctio Dómini  
super vos, \* benedíximus  
vobis in nómine Dómini.

*Antiphona.*

Sæpe expugnávérunt me a  
juventúte mea.

*Antiphona De profúndis.*

PSALMUS 129.

DE profúndis clamávi ad te,  
Dómine ; \* Dómine, exáudi  
vocem meam.

Fiant aures tuæ intendén-  
tes \* in vocem deprecationis  
meæ.

Si iniquitátes observáveris,  
Dómine ; \* Dómine, quis sus-  
tinébit.

Quia apud te propitiatio  
est, \* et propter legem tuam  
sustinui te, Dómine.

Sustinuit ánima mea in  
verbo ejus : \* sperávit ánima  
mea in Dómino.

A custódia matutína usque  
ad noctem \* speret Israel in  
Dómino.

Quia apud Dóminum mi-  
sericórdia, \* et copiósa apud  
eum redemptio.

Et ipse rédimet Israel \* ex  
ómnibus iniquitátibus ejus.

*Antiphona.*

De profúndis clamávi ad  
te, Dómine.

*Antiphona Speret.*

PSALMUS 130.

DÓMINE, non est exaltátum  
cor meum : \* neque eláti sunt  
óculi mei.

Neque ambulávi in magnis,

\* neque in mirabilibus super me.

Si non humíliter sentiēbam : \* sed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus est super matre sua, \* ita retribútio in ánima mea.

Speret Israel in Dómino, \* ex hoc nunc et usque in sæculum.

*Antiphona.*

Speret Israel in Dómino.

*Capitulum, Hymnus, Versiculus, Antiphona ad Magnificat, et Oratio pro tempore, ut in Vesperis Feriæ secundæ, 140.*

*Preces, quando dicendæ sunt, habentur supra in Laudibus feriæ secundæ, 66.*

~~~~~

## FERIA QUINTA

AD VESPERAS.

*Antiphona Et omnis.*

*Tempore Paschali, Antiphona Alleluia.*

PSALMUS 131.

**M**EMENTO, Dómine, David, \* et omnis mansuetúdinis ejus :

Sicut jurávit Dómino, \* votum vovit Deo Jacob :

Si introiero in tabernáculum domus meæ : \* si ascendero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, \* et pálpebris meis dormitiónem,

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, \* tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata : \* invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus : \* adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, \* tu et arca sanctificatióis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justitiam, \* et sancti tui exúltent.

Propter David servum tuum, \* non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam : \* de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testaméntum meum, \* et testimónia mea hæc quæ docébo eos.

Et filii eórum usque in sæculum, \* sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion, \* elégit eam in habitatióem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi : \* hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedicens benedícam : \* páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus induam salutári : \* et sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc producam cornu David, \* parávi lucérnam Christo meo.

Inimicos ejus induam con-

fusione : \* super ipsum autem efflorescit sanctificatio mea.

*Antiphona.*

Et omnis mansuetudinis ejus.

*Antiphona Ecce.*

PSALMUS 132.

ECCE quam bonum, et quam jucundum, \* habitare fratres in unum :

Sicut unguentum in capite, \* quod descendit in barbam, barbam Aaron,

Quod descendit in oram vestimenti ejus : \* sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, \* et vitam usque in saeculum.

*Antiphona.*

Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.

*Antiphona Omnia.*

PSALMUS 134.

LAUDATE nomen Domini, \* laudate, servi, Dominum ;

Qui statis in domo Domini, \* in atriis domus Dei nostri.

Laudate Dominum, quia bonus Dominus : \* psallite nomini ejus, quoniam suave.

Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, \* Israel in possessionem sibi.

Quia ego cognovi quod magnus est Dominus, \* et Deus noster praeter omnibus diis.

*Vern.*

Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra, \* in mari et in omnibus abyssis.

Educens nubes ab extremo terrae, \* fulgura in pluviam fecit.

Qui producit ventos de thesauris suis : \* qui percussit primogenita Aegypti ab homine usque ad pecus.

Et misit signa et prodigia in medio tui, Aegypte : \* in Pharaonem et in omnes servos ejus.

Qui percussit gentes multas, \* et occidit reges fortes.

Sehon, regem Amorrhaeorum, et Og, regem Basan, \* et omnia regna Chanaan.

Et dedit terram eorum hereditatem, \* hereditatem Israel populo suo.

Domine, nomen tuum in aeternum : \* Domine, memoriale tuum in generationem et generationem.

Quia iudicabit Dominus populum suum : \* et in servis suis deprecabitur.

Simulacra gentium argentum et aurum, \* opera manuum hominum.

Os habent, et non loquuntur : \* oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient : \* neque enim est spiritus in ore ipsorum.

Similes illis fiant qui faciunt ea, \* et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel, benedicite Dómino : \* domus Aaron, benedicite Dómino.

Domus Levi, benedicite Dómino : \* qui timétis Dóminum, benedicite Dómino.

Benedictus Dóminus ex Sion, \* qui hábitat in Jerúsalem.

*Antiphona.*

Omnia quaecúmque vóluit Dóminus fecit.

*Antiphona* Quóniam in ætérnum.

PSALMUS 135.

**C**ONFITEMINI Dómino quóniam bonus : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui facit mirabilia magna solus : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui fecit cœlos in intellectu : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui firmávit terram super aquas : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui fecit luminária magna : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Solem in potestátem diéi : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Lunam et stellas in potestátem noctis : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui percússit Ægyptum cum primogénitis eórum : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui edúxit Israel de médio eórum : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

In manu poténti et bráchio excélso : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui divisit mare Rubrum in divisiónes : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et edúxit Israel per médium ejus : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et excússit Pharaónem et virtútem ejus in mari Rubro : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui tradúxit pópulum suum per desértum : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui percússit reges magnos : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et occídít reges fortes : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Sehon, regem Amorrhæórum : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et Og, regem Basan : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et dedit terram eórum hæreditátem : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Hæreditátem Israel servo suo : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Quia in humilitáte nostra



memor fuit nostri : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et redémit nos ab inimicis nostris : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui dat escam omni carni : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : \* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

*Antiphona.*

Quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

*Antiphona Hymnum cantáte.*

PSALMUS 136.

**S**UPER flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus \* cum recordarémur Sion :

In salícibus in médio ejus, \* suspendimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos qui captivos duxérunt nos, \* verba cantiónum :

Et qui abduxérunt nos : \* Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini \* in terra aliéna?

Si oblítus fuero tui, Jerúsalem, \* oblivióni detur dextera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, \* si non memínero tui :

Si non proposúero Jerúsalem \* in princípío lætitiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filió-

rum Edom, \* in die Jerúsalem :

Qui dicunt : Exinaníte, exinaníte \* usque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis mísera : \* beátus qui retribuet tibi retributióem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus qui tenébit, \* et alídet párvulos tuos ad petram.

*Antiphona.*

Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

*Capitulum, Hymnus, Versiculus, Antiphona ad Magnificat, et Oratio pro tempore, ut in Vesperis Feriæ secundæ, 140.*

*Preces, quando dicendæ sunt, habentur supra in Laudibus Feriæ secundæ, 66.*

FERIA SEXTA

AD VESPERAS.

*Antiphona In conspéctu.*

*Tempore Paschali, Antiphona Allelúia.*

PSALMUS 137.

**C**ONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo : \* quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : \* adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua et veritáte tua : \* quóniam magnificásti super omne nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : \* multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ, \* quia audierunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini, \* quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus et humília réspicit : \* et álta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : \* et super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dóminus retribuet pro me : \* Dómine, misericórdia tua in sæculum : ópera mánuum tuárum ne despicias.

*Antiphona.*

In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

*Antiphona Dómine.*

PSALMUS 138.

**D**OMINE, probásti me, et cognovisti me : \* tu cognovisti sessiόνem meam et resurrectiόνem meam.

Intellexisti cogitatiónes meas de longe : \* sémitam meam et funiculum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidisti, \* quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovisti ómnia, novíssima et antiqua : \* tu formásti me, et

posuisti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : \* confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo? \* et quo a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illic es : \* si descéndero in inférnum, ades.

Si sumpsero pennas meas dilúculo, \* et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me, \* et tenébit me dextera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me : \* et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur : \* sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos : \* suscepisti me de útero matris meæ.

Confitebor tibi quia terribiliter magnificátus es : \* mirabilia ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecisti in occulto : \* et substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum viderunt óculi tui, et in libro tuo omnes scribéntur : \* dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : \* nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : \* exurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occideris, Deus, peccatores : \* viri sanguinum, declínate a me :

Quia dicitis in cogitatione : \* Accipient in vanitate civitates tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam : \* et super inimicos tuos tabescébam ?

Perfécito ódio óderam illos : \* et inimici facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum : \* intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide si via iniquitatis in me est : \* et deduc me in via æterna.

*Antiphona.*

Dómine, probásti me, et cognovisti me.

*Antiphona A viro iniquo.*

PSALMUS 139.

ÉRIPE me, Dómine, ab hómine malo : \* a viro iniquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitates in corde : \* tota die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis : \* venénium áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris : \* et ab hominibus iniquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantare gressus meos : \* absconderunt supérbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in

láqueum, \* juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu : \* exáudi, Dómine, vocem deprecationis meæ.

Dómine, Dómine, virtus salútis meæ : \* obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri : \* cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum : \* labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejicies eos : \* in misériis non subsistent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : \* virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciét Dóminus judícium inopis, \* et vindictam páuperum.

Verúmtamen justí confitebúntur nómini tuo : \* et habitábunt recti cum vultu tuo.

*Antiphona.*

A viro iniquo libera me, Dómine.

*Antiphona Dómine.*

PSALMUS 140.

DÓMINE, clamávi ad te, exáudi me : \* inténde voci meæ cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo :

\* elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone, Domine, custodiam ori meo : \* et ostium circumstantiae labiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiae, \* ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem, \* et non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me : \* oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum : \* absorpti sunt juncti petrae iudices eorum.

Audient verba mea quoniam potuerunt : \* sicut crassitudo terrae erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum : \* quia ad te, Domine, Domine, oculi mei : in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, \* et a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo ejus peccatores : \* singulariter sum ego donec transeam.

*Antiphona.*

Domine, clamavi ad te, exaudi me.

*Antiphona* Portio mea.

PSALMUS 141.

Voce mea ad Dominum cla-

maui : \* voce mea ad Dominum deprecatus sum :

Effundo in conspectu ejus orationem meam, \* et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum, \* et tu cognovisti semitas meas.

In via hac qua ambulabam, \* absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam : \* et non erat qui cognosceret me.

Pervit fuga a me, \* et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine : \* dixi : Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam : \* quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persecutibus me : \* quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo : \* me expectant justii, donec retribuas mihi.

*Antiphona.*

Portio mea, Domine, sit in terra viventium.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Alleluia, alleluia, alleluia.

*Capitulum, Hymnus, Versiculus, Antiphona ad Magnificat, et Oratio pro tempore, ut in Vesperis Ferie secundae,*  
140.



*Preces, quando dicendæ sunt, habentur supra in Laudibus Feriæ secundæ, 66.*

## SABBATO

AD VESPERAS.

*Antiphona Benedictus.**Tempore Paschali, Antiphona Allelúia.*

PSALMUS 143.

**B**ENEDICTUS Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, \* et dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea et refúgium meum; \* suscéptor meus, et liberátor meus:

Protéctor meus, et in ipso sperávi, \* qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei? \* aut filius hóminis, quia réputas eum?

\* Homo vanitáti similis factus est: \* dies ejus sicut umbra prætereunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, et descénde: \* tange montes, et fumigábunt.

Fúlgura coruscationem, et dissipábis eos: \* emítte sagittas tuas, et conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto, éripe me, et libera me de aquis multis: \* de manu filiórum alienórum.

Quorum os locútum est vanitatem: \* et dextera eórum dextera iniquitátis.

Deus, cánticum novum can-

tábo tibi: \* in psaltério decachórdo psallam tibi.

Qui das salutem régibus, \* qui redemísti David servum tuum de gládio maligno, éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitatem: \* et dextera eórum dextera iniquitátis:

Quorum filii sicut novellæ plantatiónes \* in juventute sua.

Filiæ eórum compósitæ, \* circumornátæ ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, \* eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum foetósæ, abundantes in egréssibus suis: \* boves eórum crassæ.

Non est ruína maceríæ, neque tránsitus, \* neque clamor in pláteis eórum.

Beátum dixerunt pópulum cui hæc sunt: \* beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

*Antiphona.*

Benedictus Dóminus Deus meus.

*Antiphona* Per singulos dies.

PSALMUS 144.

**E**XALTA BOTE, Deus meus Rex; \* et benedicam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi: \* et laudábo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus et laudábilis nimis : \* et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua , \* et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur , \* et mirabilia tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent , \* et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt , \* et justítia tua exultábunt.

Miserátor et miséricors Dóminus , \* pátiens, et multum miséricors.

Suávis Dóminus univér sis , \* et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua : \* et sancti tui benedicant tibi.

Glóriam regni tui dicent , \* et poténtiam tuam loquéntur.

Ut notam fáciat filiis hóminum poténtiam tuam , \* et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum regnum ómnium sæculórum : \* et dominátio tua in omni generatióne et generatióne.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis : \* et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui corruunt , \* et érigit omnes elisos.

Oculi ómnium in te speant , Dómine : \* et tu das es-

cam illórum in témpore oportúno.

Aperis tu manum tuam , \* et imples omne ánimam benedictióne.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis , \* et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum , \* ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciat : \* et deprecationem eórum exáudiet, et salvos fáciat eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se , \* et omnes peccatóres dispérdet.

Laudatióne Dómini loquétur os meum : \* et benedicat omnis caro nómini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.

### *Antiphona.*

Per singulos dies benedicam te, Dómine.

### *Antiphona Laudábo.*

PSALMUS 145.

LAUDA, ánima mea , Dóminus, laudábo Dóminum in víta mea : \* psallam Deo meo quándiu fuero.

Nolite confidere in principibus , \* in filiis hóminum, in quibus non est salus.

Exibit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : \* in illa die peribunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Dó-

mino Deo ipsius, \* qui fecit  
cælum et terram, mare et  
omnia quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in  
sæculum, facit iudicium in-  
juriæ patientibus: \* dat es-  
cam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedi-  
tos: \* Dóminus illúminat cæ-  
cos.

Dóminus érigit elisos, \*  
Dóminus diligit justos.

Dóminus custodit adve-  
nas, pupillum et víduam sus-  
cipiet: \* et vias peccatorum  
dispérdet.

Regnabit Dóminus in sæ-  
cula Deus tuus, Sion, \* in ge-  
neratióem et generatióem.

*Antiphona.*

Laudábo Deum meum in  
vita mea.

*Antiphona* Deo nostro.

PSALMUS 146.

LAUDATE Dóminum quóniam  
bonus est psalmus: \* Deo  
nostro sit jucúnda decóra-  
que laudátio.

Ædificans Jerúsalem Dó-  
minus: \* dispersiões Israélis  
congregábit.

Qui sanat contritos corde,  
\* et álligat contritiões eó-  
rum.

Qui númerat multitudinem  
stellárum, \* et ómnibus eis  
nómina vocat.

Magnus Dóminus noster  
et magna virtus ejus, \* et  
sapiéntiæ ejus non est nú-  
merus.

Suscipiens mansuétos Dó-

minus, \* humílians autem  
peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in con-  
fessiõe: \* psállite Deo nos-  
tro in cíthara.

Qui óperit cælum núbí-  
bus, \* et parat terræ plúviam.

Qui producit in móntibus  
fœnum: \* et herbam servi-  
túti hóminum.

Qui dat juméntis escam  
ipsórum, \* et pullis corvó-  
rum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi vo-  
luntátem habébit: \* nec in tí-  
biis viri beneplácitum erit  
ei.

Beneplácitum est Dómino  
super timéntes eum, \* et in  
eis qui sperant super mise-  
ricórdia ejus.

*Antiphona.*

Deo nostro jucúnda sit  
laudátio.

*Antiphona* Lauda.

PSALMUS 47.

LAUDA, Jerúsalem, Dóminum:  
\* Lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras  
portárum tuárum: \* bene-  
dixit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pa-  
cem: \* et ádipe fruménti sá-  
tiat te.

Qui emíttit elóquium suum  
terræ: \* velóciter currit ser-  
mo ejus.

Qui dat nivem sicut la-  
nam: \* nébulam sicut cine-  
rem spargit.

Mittit crystállum suam si-  
cut buccéllas: \* ante fáciem

frigoris ejus quis sustinēbit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: \* flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúnciat verbum suum Jacob: \* justitias et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: \* et judicia sua non manifestávit eis.

*Antiphona.*

Lauda, Jerúsalem, Dóminum.

*Tempore Paschali, Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

*Capitulum, Hymnus, Versiculus, Antiphona ad Magnificat, et Oratio pro tempore.*

*Deinde fiunt sequentes Commemorationes communes seu Suffragia Sanctorum, quæ dicuntur etiam ad Laudes.*

### COMMEMORATIO

DE CRUCE,  
*in feriali tantum Officio.*

*Ad Vesperas et Laudes  
Antiphona.*

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi.

℞. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus.

ORATIO.

PERPETUA nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos

per lignum sanctæ Crucis redimere dignátus es.

### COMMEMORATIONES

COMMUNES,

*sive suffragia Sanctorum.*

DE SANCTA MARIA,

*quando non dicitur ejus officium parvum.*

*Ad Vesperas et Laudes,  
Antiphona.*

Sancta María, succúrre miseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérvieni pro clero, intercède pro devóto fúmíneo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicúmque celebrant tuam sanctam commemoratióem.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei génitrix.

℞. Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

Orémus.

ORATIO.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitate gaudere, et gloriósa beátæ Mariæ semper vírginis intercessióne a præsentí liberári tristitia, et æténa pèrfui lætitia.

DE APOSTOLIS.

*Ad Vesperas, Antiphona.*

Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Dómine.

℣. Constitues eos principes super omnem terram.



R. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

*Ad Laudes, Antiphona.*

Gloríosi principes terræ, quómo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

Ÿ. In omnem terram exívit sonus eórum.

R. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Orémus.

ORATIO.

DEUS, cujus dextera beátum Petrum ambulátem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum tertio naufragátem de profundo pélagi liberávit, exáudi nos propítius, et concéde ut ambórum méritis æternitátis glóriam consequámur.

*De Patrono vel Titulari Ecclesiæ fiat Commemoratio consueta ante vel post Commemorationes prædictas, pro dignitate illius, et ultimo loco de Pace.*

*Ad Vesperas, et Laudes, Antiphona.*

Da pacem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.

Ÿ. Fiat pax in virtúte tua.

R. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus.

ORATIO.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera, da servis tuis il-

lam quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquilla. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

R. Amen.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

Ÿ. Benedicámus Dómino.

R. Deo grátias.

Ÿ. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

*Deinde dicitur secreto Pater noster.*

*Sic terminatur Officium, ubi alia non sequatur Hora, ut dicitur in Rubrica de Oratione Dominica.*

*Dictæ Commemorationes seu suffragia dicuntur ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exceptis Duplicibus et diebus infra Octavas.*

*Quando dicitur Officium beatæ Mariæ, non fit alia Commemoratio de ea.*

~~~~~

AD COMPLETORIUM.

*Lector incipit Ÿ. Jube, Domne, benedicere.*

*Benedictio.—Noctem quiétam et finem perfectum con-*

cédât nobis Dóminus omnipotens.

R). Amen.

LECTIO BREVIS.

[I. Pet., c. 5.]

**F**RATRES, sóbrii estóte, et vigiláte, quia adversárius vester diábolus tanquam leo rúgiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

R). Deo grátias.

✠. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R). Qui fecit cœlum et terram.

Pater noster *dicitur totum secreto.*

*Deinde Hebdomadarius facit Confessionem.*

**C**ONFITEOR Deo omnipoténti, beátæ Mariæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et vobis fratres, quia peccávi nimis cogitatíone, verbo, et ópere: mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Mariam semper vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos fratres, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

*Chorus respondet:*

**M**ISEREATUR tui omnipotens Deus, et, dimíssis peccá-tis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

R). Amen.

*Deinde repetit Confessionem, et ubi dicitur vobis fratres et vos fratres, dicatur tibi pater et te pater.*

*Facta Confessione a Choro, Hebdomadarius dicit:*

**M**ISEREATUR vestri omnipotens Deus, et, dimíssis peccá-tis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam.

R). Amen.

**I**NDULGENTIAM, absolutíonem, et remissionem peccatórum nostrórum tribuat nobis omnipotens et miséricors Dóminus.

R). Amen.

*Et facta Absolutione dicitur* ✠. *Convérte nos, Deus salutáris noster.*

R). *Et avérte iram tuam a nobis.*

✠. *Deus, in adjutórium meum inténde.*

R). *Dómine, ad adjuvándum me festína.*

*Glória Patri, et Filio.*

*Sicut erat in princípío.*

*Antiphona Miserére.*

*Tempore Paschali, Antiphona Allelúia.*

PSALMUS 4.

**C**UM invocárem, exaudivit

me Deus justitiæ meæ : \* in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, \* et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde ? \* ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum : \* Dominus exaudiet me, cum clamâvero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare : \* quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino : \* multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : \* dedisti lætitiâ in corde meo.

A fructu frumenti, vini et olei sui, \* multiplicati sunt.

In pace in idipsum \* dormiam, et requiescam :

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe \* constituisti me.

## PSALMUS 30.

In te, Domine, speravi, non confundar in ætérnum : \* in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, \* accelera ut érñas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, \* ut salvum me fácias.

Quoniam fortitúdo mea,

Vern.

et refugium meum es tu : \* et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi : \* quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum : \* redemisti me, Domine, Deus veritatis.

## PSALMUS 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, \* in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum : \* Deus meus ; sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, \* et a verbo áspero.

Scâpulis suis obumbrabit tibi : \* et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circûmdabit te veritas ejus : \* non timébis a timóre noctúrno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris : \* ab incursu et dæmónio meridiáno.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : \* ad te autem non appropinquabit.

Verûmtamen oculis tuis considerabis : \* et retributionem peccatorum vidébis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea : \* altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum :

\* et flagellum non appropinquabit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te \* ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, \* ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem et basiliscum ambulábis : \* et conculcábis leónem et draconem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : \* prótegá eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : \* cum ipso sum in tribulatióne; eripiam eum, et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : \* et osténdam illi salutáre meum.

PSALMUS 133.

**E**CCE nunc benedicite Dóminum, \* omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini, \* in átriis domus Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, \* et benedicite Dóminum.

Benedicat te Dóminus ex Sion, \* qui fecit cœlum et terram.

*Antiphona.*

Miserére mihi, \* Dómine, et exáudi oratióem meam.

*Tempore Paschali, Antiphona Alleluía, \* alleluía, alleluía.*

HYMNUS.

**T**E lucis ante términum,  
Rerum Creátor, póscimus  
Ut pro tua cleméntia  
Sis præsul et custódia.

Procul recédant sómnia  
Et nóctium phantásmata;  
Hostémque nostrum cómp-  
prime,

Ne polluéantur córpora.

Præsta, Pater piússime,  
Patrique compar Unice,  
Cum Spíritu Paráclito  
Regnans per omne sæculum.

Amen.

*Sic terminandus est Hymnus prædictus tempore Quadragesimæ et per annum, nisi aliter notetur.*

*Tempore Paschali, id est a Completorio ante Dominicam in Albis usque ad Ascensionem exclusive, tam in Dominicis quam in Feriis (ac etiam Festis eodem tempore occurrentibus, nisi aliter notetur) in fine Hymni prædicti dicitur sequens versus :*

Deo Patri sit glória,  
Et Fílio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

*Ab Ascensione autem usque ad Festum Pentecostes exclusive, terminandus est sic :*

Jesu, tibi sit glória,  
Qui victor in cœlum redis,  
Cum Patre, et almo Spíritu,  
In sempitérna sæcula.

Amen.



## CAPITULUM.

[Jerem., c. 14.]

**T**u autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelinquas nos, Dómine Deus noster.

R. Deo grátias.

R. *breve.* In manus tuas, Dómine, \* Comméndo spíritum meum. In manus tuas.

✠. Redemísti nos, Dómine Deus veritátis.

R. Comméndo.

Glória Patri. In manus tuas.

✠. Custódi nos, Dómine, ut pupillam óculi.

R. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

*Antiphona* Salva nos.

*A Completorio Sabbati ante Dominicam in Albis inclusive, usque ad Sabbatum post Festum Pentecostes exclusive, dicitur sequens*

R. *breve.* In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum. \* Allelúia, allelúia. In manus.

✠. Redemísti nos, Dómine Deus veritátis.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. In manus tuas.

✠. Custódi nos, Dómine, ut pupillam óculi. Allelúia.

R. Sub umbra alárum tuárum prótege nos. Allelúia.

*Antiphona* Salva nos.

## CANTICUM SIMEONIS.

[Luc., c. 2.]

**N**unc dimittis servum tuum, Dómine, \* secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei \* salutáre tuum,

Quod parásti \* ante fáciem ómnium populórum.

Lumen ad revelatióem gentium, \* et glóriam plebis tuæ Israel.

Glória Patri et Filio.

*Antiphona.*

Salva nos, \* Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes : ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

*Tempore Paschali additur Allelúia.*

*Sequentes Preces semper dicuntur, præterquam in Officio Duplici, et infra Octavas : quæ in seriali Officio, tempore Quadragesimæ, et in Quatuor Temporibus, quando dictæ sunt Preces in Vesperis, dicuntur flexis genibus.*

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Pater noster *secreto.*

✠. Et ne nos indúcas in tentatióem.

R. Sed libera nos a malo.

Credo in Deum *secreto.*

✠. Carnis resurrectiόem.

R. Vitam ætérnam.

Amen.

✠. Benedictus es, Dómine,  
Deus patrum nostrórum.

R. Et laudábilis et glorió-  
sus in sæcula.

✠. Benedicámus Patrem et  
Filiúm cum Sancto Spíritu.

R. Laudémus, et super-  
exaltémus eum in sæcula.

✠. Benedictus es, Dómine,  
in firmaménto cœli.

R. Et laudábilis, et glo-  
riósus, et superexaltátus in  
sæcula.

✠. Benedicat et custódiat  
nos omnipotens et miséricors  
Dóminus.

R. Amen.

✠. Dignáre, Dómine, nocte  
ista.

R. Sine peccáto nos cus-  
todíre.

✠. Miserére nostri, Dó-  
mine.

R. Miserére nostri.

✠. Fiat misericórdia tua,  
Dómine, super nos.

R. Quemádmódum sperá-  
vimus in te.

✠. Dómine, exáudi oratió-  
nem meam.

R. Et clamor meus ad te  
véniat.

✠. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

#### ORATIO.

**V**ISITA, quæsumus, Dómine,  
habitationem istam, et omnes  
insídias inimíci ab ea longe  
repelle: Angéli tui sancti há-  
bitent in ea, qui nos in pace  
custódiant: et benedictio tua

sit super nos semper. **Per**  
Dóminum nostrum Jesum  
Christum Filiúm tuum, qui  
tecum vivit et regnat.

✠. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spíritu tuo.

✠. Benedicámus Dómino.

R. Deo grátias.

*Benedictio.*—Benedicat et  
custódiat nos omnipotens et  
misericors Dóminus, Pater,  
et Filius, et Spíritus sanctus.

R. Amen.

*Et non dicitur Fidélium  
animæ, sed immediate dici-  
tur una ex infrascriptis An-  
tiphonis, pro tempore.*

*Post Purificationem, id  
est a fine Completorii illius  
diei inclusive, usque ad Fe-  
riam quintam in Cœna Do-  
mini exclusive.*

#### Antiphona.

**A**VE, Regina cœlórum,  
Ave, Dómina Angelórum:  
Salve, radix, salve, porta  
Ex qua mundo lux est orta:

Gaude, Virgo gloriósa,  
Super omnes speciósa  
Vale, o valde decóra,  
Et pro nobis Christum exóra.

✠. Dignáre me laudáre te,  
Virgo sacráta.

R. Da mihi virtútem contra  
hostes tuos.

#### ORATIO.

**C**ONCEDE, miséricors Deus,  
fragilitáti nostræ præsidium:  
ut qui sanctæ Dei genitrícis  
memóriam ágimus, inter-  
cessiónis ejus auxilio a nos-  
tris iniquitatibus resurgá-

mus. Per eúndem Christum  
Dóminum nostrum.

R. Amen.

*A Completorio Sabbati  
sancti usque ad Nonam Sab-  
bati post Pentecosten inclu-  
sive.*

*Antiphona.*

REGINA cœli, lætare. Al-  
lelúia.

Quia quem meruisti portare.  
Allelúia.

Resurrexit sicut dixit. Al-  
lelúia.

Ora pro nobis Deum. Alle-  
lúia.

✠. Gaude et lætare, Virgo.  
Maria. Allelúia.

R. Quia surrexit Dóminus  
vere. Allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui per resurrecti-  
onem Filii tui Dómini nostri  
Jesu Christi mundum lætifi-  
câre dignâus es, præsta,  
quæsumus, ut per ejus ge-  
nitricem Virginem Mariam,  
perpétuæ capiâmus gándia  
vitæ. Per eúndem Christum  
Dóminum nostrum.

R. Amen.

*Deinde dicitur secreto ,  
Pater noster , Ave María ,  
et Credo.*

*Sic dicitur Completorium  
per totum annum , præter-  
quam in triduo majoris Heb-  
domadæ , et per Octavam  
Paschæ , ut suo loco dicetur.*

*Si post Completorium im-  
mediate sequatur Matuti-  
num , tunc bis dicatur Pater  
noster, Ave, María, et Credo,  
quia Completorium, quod est  
finis Officii , sic terminari  
debet : et ante Matutinum  
iterum repetitur pro princi-  
pio Officii sequentis diei.*

*Antiphonæ prædictæ di-  
cuntur etiam in fine Lau-  
dum quando discedendum  
est a Choro : sed si imme-  
diate post Matutinum sub-  
sequatur Prima , vel alia  
Hora , dicuntur in fine ul-  
timæ Horæ , ita ut dicantur  
semper quando , terminata  
aliqua Hora , discedendum  
est a Choro : et tunc post  
✠. Fidélium ánimæ, et Pater  
noster secreto, dicitur :*

✠. Dóminus det nobis suam  
pacem.

R. Et vitam ætérnam.

Amen.

*Deinde una ex prædictis  
Antiphonis, et in fine : Divi-  
num auxilium máneat sem-  
per nobiscum.*

R. Amen.

*Extra Chorum autem di-  
cuntur in fine Laudum , si  
tunc terminandum sit Offi-  
cium, alioquin in fine ultimæ  
Horæ. Post alias vero Horas,  
quando terminatur Officium,  
dicitur tantum Pater noster  
secreto.*

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1



# PROPRIUM DE TEMPORE.

## PARS VERNA.

### SABBATO PRIMO

IN QUADRAGESIMA.

*Hodie, et deinceps usque  
ad Pascha, dicuntur Vesperæ  
ante comestionem tam  
in Festis quam in Feriis,  
exceptis Dominicis, in quibus  
dicuntur hora consueta.*

### AD VESPERAS.

CAPITULUM.

[II. Cor., c. 6.]

**F**RATRES, Hortámur vos ne  
in vácuum grátiam Dei reci-  
piátis. Ait enim : Tém-  
pore accépto exáudi vi te, et in die  
salútis adjúvi te.

HYMNUS.

**A**UDI, benigne Cónditor,  
Nostras preces cum flétibus,  
In hoc sacro jejúnio  
Fusas quadragenário.

Scrutátor alme córdium,  
Infirma tui scis virium:  
Ad te revérsis éxhibe  
Remissiónis grátiam.

Multum quidem peccávi-  
mus,

Sed parce confiténtibus :

Ad nóminis laudem tui  
Confer medélam lánguidis.

Concéde nostrum cónteri  
Corpus per abstinéntiam ;  
Culpæ ut relínquant pábulum  
Jejúna corda criminum.

Præsta, beáta Trínitas,  
Concéde, simplex Unitas,  
Ut fructuósa sint tuis  
Jejuniórum múnera.

Amen.

Ÿ. Angelis suis Deus man-  
dávít de te.

Ŗ. Ut custódiant te in óm-  
nibus viis tuis.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Tunc invocábis,\* et Dómi-  
nus exáudiet; clamábis, et  
dicet, Ecce adsum.

ORATIO.

**D**EUS, qui Ecclésiám tuam  
ánnuá quadragesimáli obser-  
vatióne puríficas, præsta fa-  
miliæ tuæ ut, quod a te ob-  
tinére abstinéndo nititur, hoc  
bonis opéribus exequátur.  
Per Dóminum.

## DOMINICA PRIMA

IN QUADRAGESIMA.

*Si hac die, et in aliis Dominicis Quadragesimæ occurrat Festum Duplex, transfertur in sequentem diem similiter non impeditam, ut dicitur in Rubrica de Translatione Festorum. Aliis diebus Quadragesimæ usque ad majorem Hebdomadam si occurrat Festum Duplex vel Semiduplex, fit de eo cum commemoratione et nona Lectione de Homilia Feriæ. De simplicibus fit tantum commemoratio.*

*Per totam Quadragesimam in feriali Officio, Feria secunda dicitur Officium Defunctorum. Feria quarta dicuntur Psalmi Graduales. Feria sexta Septem Psalmi Pœnitentiales cum Litanis, præterquam in Feriali majoris Hebdomadæ: quæ omnia habentur in fine Breviarii.*

## AD MATUTINUM.

*Invitorium.* — Non sit vobis vanum mane surgere ante lucem: \* Quia promisit Dominus coronam vigilantibus.

*Quod dicitur in Dominicis tantum, usque ad Dominicam Passionis.*

*Psalmus Venite, exultemus, 2.*

*Hymnus Ex more docti, ut in Psalterio, 3.*

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona* Servite **Dó-**mino.

*Psalmus* Beátus vir, cum reliquis ut in Psalterio, 4.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO 1.

[Cap. 6.]

**ADJUVANTES** autem exhortamur, ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Tém-pore accépto exaudivi te, et in die salutis adjúvi te. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salutis. Némini dantes ullam offensióem, ut non vituperétur ministérium nostrum: sed in ómnibus exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa paciéntia, in tribulatióibus, in necessitatibus, in angústis, in plagis, in cárceribus, in seditiõibus, in labóribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in sciéntia, in longanimitate, in suavitate, in Spíritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritátis, in virtute Dei: per arma justitiæ a dextris, et a sinistris, per glóriam et ignobilitatem, per infámiam et bonam famam: ut seductóres, et veraces, sicut qui ignóti, et cógniti; quasi moriéntes, et ecce vivimus; ut castigati, et non mortificati; quasi tristes, semper autem gaudéntes; sicut egéntes, multos autem locupletántes: tanquam ni-

hil habentes, et omnia possidentes.

R. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: commendemus nosmetipsos in multa patientia, in jejuniis multis: \* Per arma justitiæ virtutis Dei.

Ÿ. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in jejuniis multis.

Per arma.

#### LECTIO II.

Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris: eandem autem habentes remunerationem, tanquam filiis dico, dilatamini et vos. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidei cum infidei? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.

R. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia: \* Ut non vituperetur ministerium nostrum.

Ÿ. Ecce nunc tempus ac-

ceptabile, ecce nunc dies salutis: commendemus nosmetipsos in multa patientia.

Ut non.

#### LECTIO III.

[Cap. 7.]

REPLETUS sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnae, intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem. Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet: et si poeniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit, nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam.

R. In jejunio et fletu orabunt sacerdotes, dicentes: \* Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des hereditatem tuam in perditionem.

Ÿ. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, dicentes.

Parce Domine.

Glória Patri.

Parce Domine.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona Bonórum meorum.**Psalmus Consérva, cum reliquis, II.*

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO IV.

[Serm. 4, de Quadragesa.]

**P**RÆDICATURUS vobis, dilectissimi, sacratissimum maximúmque jejúnium, quo áptius utar exórdio quam ut verbis Apóstoli, in quo Christus loquebátur, incipiam, dicámque quod lectum est: Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis? Quamvis enim nulla sint témpora quæ divinis non sint plena munéribus, et semper nobis ad misericórdiam Dei per ipsius grátiam præstétur accéssus, nunc tamen ómnium mentes majóri stúdio ad spiritáles proféctus movéri et amplióri fidúcia opórtet animári, quando ad universa pietátis officia, illius nos diéi, in quo redémpti sumus, recúrsus invitat: ut excéllens super ómnia passionis Dóminicæ sacraméntum purificátis et corpóribus et ánimis celebrémus.

R. Emendémus in mélius, quæ ignoránte peccávimus: ne súbito præoccupáti die mortis, quæramus spátium pœniténtiæ, et invenire non possimus: \*Atténde, Dómine, et miserére, quia peccávimus tibi.

Ÿ. Adjuva nos, Deus salutaris noster; et propter honórem nóminis tui, Dómine, libera nos.

Atténde, Dómine.

LECTIO V.

**D**EBEBATUR quidem tantis mystériis ita incessábilis devótio et continuáta reveréntia ut tales permanerémus in conspéctu Dei quales nos in ipso Pascháli festo dignum est inveniri. Sed quia hæc fortitúdo paucórum est, et dum carnis fragilitáte austérior observántia relaxátur, dumque per várias actiónes vitæ hujus sollicitúdo disténditur, necesse est de mundáno púlvere étiam religiósas corda sordéscere, magna divinæ institutionis salubritáte provisum est ut ad reparándam méntium puritátem quadraginta nobis diérum exercitatio mederétur, in quibus aliórum témporum culpas et pia ópera redimerent et jejúnia casta decóquerent.

R. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur ejus: \* Quia benígnus et misericors est, et præstábilis super malitia Dóminus Deus noster.

Ÿ. Non vult Dóminus mortem peccatóris, sed ut convertátur et vivat.

Quia benígnus.



## LECTIO VI.

INGRESSURI igitur, dilectissimi, dies mysticos, et purificandis animis atque corporibus sacratius institutos, præceptis apostolicis obedire curémus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus: ut castigatis colluctationibus, quæ sunt inter utramque substantiam, animus, quem sub Dei gubernaculis constitutum, corporis sui decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem: ut nemini dantes ullam offensionem, vituperationibus obloquentium non simus obnoxii. Digna enim ab infidelibus reprehensione carpémur, et nostro vitio linguæ impiæ in injuriam se religionis armabunt, si jejunantium mores a puritate perfectæ continentie discrepant. Non enim in sola abstinencia cibi stat nostri summa jejunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur.

¶. Paradisi portas aperuit nobis jejunii tempus: suscipiamus illud orantes et deprecantes; \* Ut in die resurrectionis cum Domino glorieremur.

‡. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia.

Ut in die.

Glória Patri.

Ut in die.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona* Non sunt loquelæ.

*Psalmus* Cœli enarrant, cum reliquis, 15.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

## LECTIO VII.

[Cap. 4.]

IN illo tempore, Ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo: et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

[Hom. 16, in Evang.]

DUBITARI a quibusdam solet; a quo spiritu ductus sit Jesus in desertum, propter hoc quod subditur: Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et rursum assumpsit eum in montem excelsum valde. Sed vere et absque ulla quæstione convenienter accipitur, ut a Sancto Spiritu in desertum ductus credatur: ut illuc eum suus Spiritus duceret, ubi hunc ad tentandum malignus spiritus inveniret. Sed ecce, cum dicitur: Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam civitatem a diabolo assumptus, mens refugit credere, humanæ hoc audire aures expavescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista co-

nóscimus, si in illo et alia facta pensamus.

R. Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra: et convertimini ad Dóminum Deum vestrum; \* Quia benignus et misericors est.

✠. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dóminum, et miserébitur ejus.

Quia benignus.

#### LECTIO VIII.

CERTE iniquorum ómnium caput diabolus est: et hujus capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilátus? at non diaboli membra Judæi persequentes, et milites crucifigentes Christum fuerunt? Quid ergo mirum, si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam a membris illius crucifigi? Non est ergo indignum Redemptóri nostro quod tentári voluit, qui venerat occidi. Justum quippe erat, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare.

R. Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam: \* Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et anteíbit faciém tuam justitia tua.

✠. Cum videris nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Tunc erumpet.

#### LECTIO IX.

SED sciéndum nobis est, quia tribus modis tentatio ágitur: suggestióne, delectatióne, et consensu. Et nos cum tentamur, plerúmque in delectatióne, aut etiam in consensum labimur; quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus, unde certamina toleramus. Deus vero, qui in útero Vírginis incarnátus, in mundum sine peccato vénerat, nihil contradictionis in semetipso tolerábat. Tentári ergo per suggestiódinem pótuit: sed ejus mentem peccati delectatio non momórdit. Atque ideo omnis diabólica illa tentatio foris, non intus fuit.

R. Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis: \* In manibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum.

✠. Super áspidem et basiliscum ambulábis, et conculcábis leónem et dracónem.

In manibus.

Glória Patri.

In manibus.

*Per Hebdomadam ejus loco dicitur:*

R. Abscóndite eleemósynam in sinu páuperum, et ipsa orábit pro vobis ad Dóminum: \* Quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemósyna extinguit peccátum.

✠. Date eleemósynam,

et ecce omnia munda sunt vobis.

Quia sicut.

Glória Patri.

Quia sicut.

AD LAUDES.

*Antiphona.*

Cor mundum \* crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

*Psalmus* Miserere mei, 63.

*Antiphona.*

O Dómine, \* salvum me fac, o Dómine, bene prosperare.

*Psalmus* Confitemini Dómino, 25.

*Antiphona.*

Sic benedicam te \* in vita mea, Dómine : et in nómine tuo levábo manus meas.

*Psalmus* Deus, Deus meus, cum reliquis, 19.

*Antiphona.*

In spiritu humilitátis, \* et in ánimo contríto suscipiámur, Dómine, a te, et sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiátur hódie, et pláceat tibi, Dómine Deus.

*Canticum* Benedícite, 20.

*Antiphona.*

Laudáte Deum \* cœli cœlorum, et aquæ omnes.

CAPITULUM.

[II. Cor., c. 6.]

FRATRES, hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim : Tém-pore accépto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te.

HYMNUS.

O sol salutis, íntimis,

Jesu, refúlge méntibus,  
Dum nocte pulsa grátior  
Orbi dies renáscitur.

Dans tempus acceptáble,  
Da, lacrymárum rívilis  
Laváre cordis víctimam,  
Quam læta adúrat Cháritas.

Quo fonte manávit nefas,  
Fluent perénnes lácrymæ,  
Si virga pœniténtiæ  
Cordis rigórem cónterat.

Dies venit, dies tua,  
In qua reflórent ómnia :  
Lætémur et nos in viam  
Tua redúcti délixera.

Te prona mundi máchina  
Clemens adóret, Trínitas,  
Et nos novi per grátiam  
Novum canámus cánticum.

Amen.

✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

R. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ductus est Jesus \* in désertum a Spíritu, ut tentarétur a diábolo : et cum jejúnasset quadraginta diébus et quadraginta nóctibus, póstea esúriit.

ORATIO.

DEUS, qui Ecclésiám tuam ánnua quadragesimáli observatióne puríficas, præsta familiæ tuæ ut, quod a te obtinére abstinéndo nítitur, hoc bonis opéribus exequátur. Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Antiphona.*

Jesus autem \* cum jejúnasset quadraginta diébus et

quadraginta nóctibus, póstea esúriit.

*Psalmus* Deus in nómine tuo, cum reliquis, ut in *Psalterio*, 24.

*Capitulum* Regi sæculórum.

*Ad Absolutionem Capituli, Lectio brevis* Quærite Dóminum, ut in *Psalterio*, 32.

*Et dicitur in Dominicis, et Feriis, usque ad Dominicam Passionis exclusive.*

### AD TERTIAM.

*Antiphona.*

Tunc assúmpit eum \* diabolus in sanctam civitátem, et státuit eum supra pinnáculum templi, et dixit ei : Si Fílius Dei es, mitte te deórsum.

*Capitulum* Fratres, hortámur, ut supra, 169.

R. *breve.* Ipse liberávit me, \* De láqueo venántium. Ipse.

Ÿ. Et a verbo áspero.

R. De láqueo.

Glória Patri. Ipse liberávit.

Ÿ. Scápolis suis obumbrábit tibi.

R. Et sub pennis ejus sperábis.

### AD SEXTAM.

*Antiphona.*

Non in solo pane \* vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

*CAPITULUM.*

[ II. Cor., c. 6. ]

**ECCE** nunc tempus accep-

tábile, ecce nunc dies salútis : némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum.

R. *breve.* Scápolis suis \* Obumbrábit tibi. Scápolis.

Ÿ. Et sub pennis ejus sperábis.

R. Obumbrábit tibi.

Glória Patri. Scápolis.

R. Scuto circúmdabit te véritas ejus.

R. Non timébis a timóre noctúrno.

### AD NONAM.

*Antiphona.*

Dóminum \* Deum tuum adorábis, et illi soli sérvies.

*CAPITULUM.*

[ II. Cor., cap. 6. ]

**UT** castigáti, et non mortificáti; quasi tristes, semper autem gaudéntes; sicut egéntes, multos autem locupletántes; tanquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes.

R. *breve.* Scuto circúmdabit te, \* Véritas ejus. Scuto.

Ÿ. Non timébis a timóre noctúrno.

R. Véritas.

Glória Patri. Scuto.

Ÿ. Angelis suis Deus mandávit de te.

R. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

### AD VESPERAS.

*Antiphona et Psalmus*

Dixit Dóminus, cum reliquis de *Dominica*, 134.



*Capitulum* Fratres , hortamur.

*Hymnus* Audi, benigne Cónditor , ut supra in *Vesperis Sabbati* , 162.

†. Angelis suis Deus mandavit de te.

¶. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

*Ad Magnificat , Antiphona.*

Ecce nunc tēp̄pus acceptabile , ecce nunc dies salutis : in his ergo diēbus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros , in multa patientia , in jejúniis , in vigiliis , et in charitate non ficta.

*Oratio* Deus , qui *Ecclēsiā* , ut supra , 169.

*Hymni , Versiculi , et Responsoria brevia supradicta dicuntur in Dominicis et Feriis , usque ad Dominicam Passionis exclusive.*

*Post Vesperas diei dicuntur Vesperæ Defunctorum.*

~~~~~

## FERIA SECUNDA.

### AD MATUTINUM.

*Invitatorium de Psalterio.*  
*Hymnus* Ex more docti , 3.  
*Antiphonæ , et Psalmi Nocturnorum de Psalterio* , 51.

*Et sic dicitur etiam in aliis sequentibus Feriis.*

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

*Benedictio* Evangélica Léc-  
tio.

Léc̄tio sancti Evangélii secundum Matthæum.

### LECTIO I.

[Cap. 25.]

**I**N illo tēpore , Dixit Jesus discipulis suis : Cum vénerit Fílius hóminis in majestáte sua , et omnes Angeli cum eo , tunc sedébit super sedem majestátis suæ : et congregabúntur ante eum omnes gentes. Et reliqua.

*Homilia sancti Augustíni Epíscopi.*

[Lib. de fide et operib. , cap. 13.]

**S**I mandátis non servátis , ad vitam veniri potest per solam fidem , quæ sine opéribus mórtua est : illud deinde quómodo verum erit , quod eis , quos ad sinístram positúrus est , dicet : *Ite in ignem ætérnum* , qui parátus est diabolo et ángelis ejus : nec increpat , quia in eum non credidérunt ; sed quia bona ópera non fecérunt ? Nam profecto , ne sibi quisquam de fide , quæ sine opéribus mórtua est , promíttat ætérnam vitam ; proptérea omnes gentes segregatúrum se dixit , quæ permíxtæ eisdem páscuis utebántur : ut appáreat , eos illi dictúros : *Dómine* , quando te vídimus illa et illa patiéntem , et non ministrávimus tibi ? qui in eum crediderant , sed bona operári non curáverant , tanquam de ipsa fide mórtua ad vitam pervenirétur ætérnam.

R. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis : commendemus nosmetipsos in multa patientia, in jejuniis multis ; \* Per arma justitiæ virtutis Dei.

✠. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in jejuniis multis.

Per arma.

*Benedictio* Divinum auxilium.

#### LECTIO II.

**A**n forte ibunt in ignem æternum, qui opera misericordiæ non fecerunt : et non ibunt, qui aliena rapuerunt ? vel corrumpendo in se templum Dei, in seipsos immisericordes fuerunt : quasi opera misericordiæ prosint aliquid sine dilectione, dicente Apóstolo : Si distribuam omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest ? Aut diligat quisquam proximum sicut seipsum, qui non diligit seipsum qui enim non diligit iniquitatem, odit animam suam.

R. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia : \* Ut non vituperetur ministerium nostrum.

✠. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis : commendemus nosmetipsos in multa patientia.

Ut non vituperetur.

*Benedictio* Ad societatem.

#### LECTIO III.

**N**equè illud dici hic poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam. Per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem : ut videlicet ipse ignis æternus sit, combustio vero eorum, hoc est, operatio ignis, non sit in eos æterna : cum et hoc prævidens Dominus, sententiam suam conclusit ita dicens : Sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combustio, sicut ignis : et eos in illam ituros Veritas dicit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.

R. In jejunio et fletu orabunt sacerdotes, dicentes : \* Parce, Domine, parce populo tuo ; et ne des hereditatem tuam in perditionem.

✠. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, dicentes.

Parce, Domine.

Glória Patri.

Parce, Domine.

#### AD LAUDES.

*Antiphona et Psalmus*  
Miserere mei, cum reliquis  
de Psalterio, 63.

#### CAPITULUM.

[Isaie, c. 58.]

**C**LAMA, ne cesses, quasi

tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.

*Hymnus* O sol salutis, ut supra, 169.

✠. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Venite, \* benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

#### ORATIO.

CONVERTE NOS, Deus salutaris noster, et, ut nobis jejunium quadragesimale proficiat, mentes nostras coelestibus instrue disciplinis. Per Dominum.

*Post Laudes dicitur Officium Defunctorum.*

#### AD PRIMAM

*Antiphona.*

Vivo ego, \* dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat.

*Capitulum* Pacem et veritatem, cum reliquis, ut in Psalterio, 38.

*Ad Absolutionem Capituli* Quærite Dominum, ut in Psalterio, 40.

#### AD TERTIAM

*Antiphona.*

Advenérunt nobis \* dies poenitentiae, ad redimenda

peccata, ad salvandas animas.

#### CAPITULUM.

[Joelis c. 2.]

CONVERTIMINI ad me in toto corde vestro, in jejúnio, et fletu, et planctu. Et scindite corda vestra et non vestimenta vestra, ait Dominus omnipotens.

℟. *breve.* Ipse liberávit me \* De láqueo venántium. Ipse.

✠. Et a verbo áspero.

℟. De láqueo.

Glória Patri. Ipse liberávit.

✠. Scápolis suis obumbrábit tibi.

℟. Et sub pennis ejus sperábis.

*Deinde dicuntur preces, ut in Psalterio, 44.*

#### AD SEXTAM

*Antiphona.*

Commendémus \* nosmetipsos in multa patientia, in jejuniis multis, per arma justitiæ.

#### CAPITULUM.

[Isaie, c. 55.]

DERELINQUAT impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserébitur ejus: et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscendum.

℟. *breve.* Scápolis suis, \* obumbrábit tibi. Scápolis.

✠. Et sub pennis ejus sperábis.

℟. Obumbrábit tibi.

Glória Patri. Scápolis.

✠. Scuto circúmdabit te  
véritas ejus.

℞. Non timébis a timóre  
noctúrno.

*Deinde preces, ut in Psal-*  
*terio, 47.*

### AD NONAM

*Antiphona.*

Per arma justitiæ \* virtú-  
tis Dei commendémus nos-  
metípsos in multa paciéntia.

#### CAPITULUM.

[Isaïæ, c. 38.]

**F**RANGE esuriénti panem  
tuum, et egénos vagósque  
induc in domum tuam : cum  
videris nudum, óperi eum,  
et carnem tuam ne des-  
péxeris.

℞. *breve.* Scuto circúmda-  
bit te \* Véritas ejus. Scuto.

✠. Non timébis a timóre  
noctúrno.

℞. Véritas ejus.

Glória Patri. Scuto.

✠. Angelis suis Deus man-  
dávít de te.

℞. Ut custódiant te in óm-  
nibus viis tuis.

*Deinde Preces, ut in Psal-*  
*terio, 50.*

### AD VESPERAS

*Antiphona* Inclínávit.

*Psalmus* Diléxi, cum re-  
liquis de Psalterio, 138.

#### CAPITULUM.

[Joelis, c. 2.]

**I**NTER vestibulum et altáre  
plorábunt sacerdótes minís-  
tri Dómini, et dicent : Parce,

Dómine, parce pópulo tuo,  
et ne des hæreditátem tuam  
in oppróbrium, ut dominén-  
tur eis nátiónes.

*Hymnus* Audi, benigne,  
163.

✠. Angelis suis Deus man-  
dávít de te.

℞. Ut custódiant te in óm-  
nibus viis tuis.

*Antiphonæ et Capitula su-*  
*pradicta dicuntur in feriali*  
*Officio usque ad Dominicam*  
*Passionis.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Quod uni, \* ex minimis  
meis fecistis, mihi fecistis,  
dicit Dóminus.

*Deinde dicuntur preces, ut*  
*supra, 66.*

#### ORATIO.

**A**BSOLVE, quæsumus, Dómi-  
ne, nostrórum vincula pec-  
catórum, et quidquid pro eis  
merémur propitiátus avérte.  
Per Dóminum.

### FERIA TERTIA.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsíus píetas.

*Benedictio* Evangélica léc-  
tio.

Léctio sancti Evangélii se-  
cúndum Matthæum.

#### LECTIO I.

[Cap. 21.]

**I**N illo témpore, Cum intrás-  
set Jesus Jerosólymam, com-  
móta est univérsa civitas, di-  
cens : Quis est hic? Et réli-  
qua.



Homilia venerabilis Bedæ  
Presbyteri.

[Homil. 7 in Quadrag.]

QUOD maledicendo ficum infructuosam per figuram fecit Dominus, hoc idem mox apertius ostendit, ejiciendo improbos e templo. Neque enim aliquid peccavit arbor, quod esuriēte Domino poma non habuit, quorum necdum tempus advenerat; sed peccavere sacerdotes, qui in domo Domini negotia secularia gerēbant, et fructum pietatis, quem debuerant, quemque in eis Dominus esuriebat, ferre supersederant. Arefecit Dominus arborem maledicto, ut homines hæc videntes, sive audientes, multo magis intelligerent sese divino condemnandos esse iudicio, si absque operum fructu de plausu tantum sibi religiosi sermonis, velut de sonitu et tegumento blandirentur viridantium foliorum.

R. Emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus: ne subito præoccupati die mortis, queramus spatium poenitentiae, et invenire non possimus: Attēde, Domine, et miserere, quia peccavimus tibi.

†. Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter honorem nominis tui, Domine, libera nos.

Attēde, Domine.

Benedictio Divinum.

LECTIO II.

VERUM quia non intellexerunt, in ipsos consequenter districtiōnem meritæ ultionis exercuit: et ejecit commercia rerum humanarum de domo illa, in qua divinas tantum res agi, hostias et orationes Deo offerri, verbum Dei legi, audiri et decantari præceptum erat. Et quidem credendum est, quia ea tantum vendi, vel emi repererit in templo, quæ ad ministerium necessaria essent ejusdem templi, juxta hoc quod alias factum legimus, cum idem templum ingrediens, invenit in eo vendentes et ementes oves, et boves, et columbas, quia nimirum hæc omnia, non nisi ut offerrentur in domo Domini, eos qui de longe venerant, ab indigenis comparare credendum est.

R. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miseretur ejus: \* Quia benignus et misericors est, et præstabilis super malitia Dominus Deus noster.

†. Non vult Dominus mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Quia benignus.

Benedictio Ad societatem.

LECTIO III.

SI ergo Dominus nec ea volebat venditari in templo, quæ in templo volebat

offérri, videlicet propter stú-  
dium avaritiæ, sive fraudis,  
quod próprium solet esse  
negotiántium fácinus: quanta  
putas animadversióne puní-  
ret, si invenisset ibi áliques  
risui vel vanilóquio vacántes,  
aut álii cuilibet vítio manci-  
pátos? Si enim ea, quæ álibi  
libere geri póterant, Dómi-  
nus in domo sua temporália  
negótia geri non pátitur:  
quanto magis ea, quæ nus-  
quam fieri licet, plus coeléstis  
iræ meréntur, si in ædibus  
Deo sacrátis agúntur? Verum  
quia Spíritus sanctus in co-  
lúmba super Dóminum ap-  
páruit, recte per colúmbas  
Sancti Spíritus charísmata sig-  
nántur. Qui autem sunt in  
templo Dei hódie, qui co-  
lúmbas vendunt, nisi qui in  
Ecclésia prétium de imposi-  
tione manus accipiunt, per  
quam videlicet impositionem  
Spíritus Sanctus coelitus da-  
tur?

R. Paradisi portas apérui-  
t nobis jejúni tempus: susci-  
piámus illud orántes et depre-  
cántes: \* Ut in die resurrec-  
tiónis cum Dómino glorié-  
mur.

Ÿ. In ómnibus exhibeámus  
nosmetipsos sicut Dei minis-  
tros in multa patiéntia.

Ut in die.

Glória Patri.

Ut in die.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Intrávit Jesus \* in templum

Dei, et ejiciébat omnes ven-  
dentes ete mentes: et men-  
sas nummulariórum, et cá-  
thedras vendéntium colúm-  
bas evértit.

*Deinde dicuntur preces, ut  
supra, 66.*

ORATIO.

**R**ESPICE, Dómine, familiam  
tuam, et præsta ut apud te  
mens nostra tuo desidério  
fúlgeat, quæ se carnis ma-  
ceratióne castigat. Per Dó-  
minum nostrum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Scriptum est enim, \* quia  
dómus mea domus oratiónis  
est cunctis géntibus: vos au-  
tem fecistis illam spelúncam  
latrónum. Et erat quotidie  
docens in templo.

*Deinde dicuntur preces, ut  
supra, 66.*

ORATIO.

**A**SCENDANT ad te, Dómine,  
preces nostræ: et ab Ecclésia  
tua cunctam repélle nequi-  
tiam. Per Dóminum nostrum.

~~~~~

## FERIA QUARTA

QUATUOR TEMPORUM.

*Hodie dicuntur Psalmi  
Graduales.*

Pater noster.

*Absolutio A* vinculis.

*Benedictio* Evangélica léc-  
tio.

Léctio sancti Evangélii se-  
cúndum Matthæum.

LECTIO I.

[Cap. 12.]

**I**N illo témpore, Respondé-

runt Jesu quidam de Scribis et Phariseis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii episcopi.

[Lib. 7, in Luc. c. 11.]

JUDEORUM plebe damnata, Ecclesiæ mystérium evidenter exprimitur, quæ in Ninivitis per poenitentiam, et in Regina Austri per stúdiū percipiendæ sapiéntiæ, de totius orbis finibus congregatur, ut pacifici Salomónis verba cognóscat. Regina plane, cujus regnum est indivisum, de diversis et distántibus pópulis in unum corpus assurgens.

R. Scindite corda vestra, et non vestiménta vestra: et convertimini ad Dóminum Deum vestrum: \* Quia benignus et miséricors est.

Y. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dóminum, et miserébitur ejus.

Quia benignus.

*Benedictio* Divinum auxilium.

#### LECTIO II.

ITAQUE Sacraméntum illud magnum est de Christo, et Ecclesiæ. Sed tamen hoc majus est, quia illud in figura ante præcessit, nunc autem plenum in veritate mystérium est. Illic enim Sálomon typus, hic autem Christus in

suo corpore est. Ex duobus igitur constat Ecclesiæ: ut aut peccare nesciat, aut peccare desinat. Poenitentia enim delictum abolet, sapiéntia cavet.

R. Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam: \* Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et anteíbit faciém tuam justitia tua.

Y. Cum videris nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Tunc erumpet.

*Benedictio* Ad societátem.

#### LECTIO III.

CETERUM Jonæ signum, ut typus Dóminicæ passiónis, ita étiam grávium, quæ Judæi commiserint, testificatio peccatórum est. Simul advértere licet et majestátis oráculum, et pietátis indicium. Namque Ninivitarum exémplo et denunciátur supplicium, et remédium demonstrátur. Unde étiam Judæi debent non desperáre indulgéntiam, si velint ágere poenitentiam.

R. Abscóndite eleemósynam in sinu páuperum, et ipsa orábit pro vobis ad Dóminum: \* Quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemósyna extinguit peccátum.

Y. Date eleemósynam, et ecce ómnia munda sunt vobis.

Quia sicut.

Glória Patri.

Quia sicut.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Generatio hæc \* prava et perversa signum quærit : et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophætæ.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

**P**RECES nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi : et contra cuncta nobis adversántia dexteram tuæ majestátis exténde. Per Dóminum nostrum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Sicut fuit Jonas\* in ventre ceti tribus diébus et tribus nóctibus, ita erit Filius hóminis in corde terræ.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

**M**ENTES nostras, quæsumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra, ut vidére possimus quæ agénda sunt, et quæ recta sunt ágere valeámus. Per Dóminum.

~~~~~

FERIA QUINTA.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

*Benedictio* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO I.

[Cap. 15.]

**I**n illo témpore, Egréssus Je-

sus secéssit in partes Tyri Sidónis. Et reliqua.

Homília sancti Hierónymus Presbytéri.

[Lib. 2 Comm. in e. 15 Matt.]

**S**CRIBIS et Pharisæis calumniatoribus derelictis, transgréditur in partes Tyri, et Sidónis, ut Tyrios Sidoniósque curáret. Múlier autem Chananæa egréditur de finibus pristinis, ut clamans filiæ impetret sanitátem. Obsérva quod in quintodécimo loco filia Chananæa sanétur. Miserére mei, Dómine, fili David. Inde novit vocáre filium David, quia egréssa jam fuerat de finibus suis, et errórem Tyriórum ac Sidoniórum loci ac fidei commutátione dimiserat.

¶. Tribulárer, si nescíren misericórdias tuas, Dómine tu dixísti, Nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur, et vivat : \* Qui Chananæam, et publicánum vocásti ad pœniténtiam.

✠. Secúndum multitudinem dolórum meórum in corde meo, consolatióne tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Qui Chananæam.

*Benedictio* Divínium auxili-  
lium.

LECTIO II.

**F**ILIA mea a malo dæmónico vexátur. Ego filiam Chananæa puto ánimas esse cre-



déntium, quæ male a dæmónio vexabántur, ignorántes creatórem, et adorántes lápidem. Qui non respóndit ei verbum : non de supérbia pharisáica, nec de Scribárum supercilio : sed ne ipse sententiæ suæ viderétur esse contrárius, per quam jússerat : In viam Géntium ne abiéritis, et in civitátes Samaritanórum ne intravéritis. Nolēbat enim occasiónem calumniatóribus dare : perfectamque salutem Géntium passionis et resurrectionis témpori reservábat.

¶. In ómnibus exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa paciéntia : \* Ut non vituperétur ministérium nostrum.

¶. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis : commendémus nosmetipsos in multa paciéntia.

Ut non.

*Benedictio Ad societátem.*

### LECTIO III.

Et accedéntes discipuli eum rogábant eum, dicéntes : Dímittle eam, quia clamat post nos. Discipuli illo adhuc tempore mystéria Dómini nesciéntes, vel misericórdia commóti, rogábant pro Chananæa muliere, quam alter Evangelísta Syrophœnissam appellat : vel importunitáte eum carére cupiéntes, quia non ut cleméntem, sed ut eorum medicum crébrius in-

clamáret. Ipse autem respóndens ait : Non sum missus, nisi ad oves quæ periérunt domus Israel. Non quo et ad Gentes non missus sit, sed quo primum missus sit ad Israel : ut illis non recipiéntibus Evangélium, justa fieret ad Gentes transmigrátio.

¶. In jejúnio et fletu orábunt sacerdótes, dicéntes : \* Parce, Dómine, parce pópulo tuo, et ne des hæreditátem tuam in perditionem.

¶ Inter vestibulum et altáre plorábunt sacerdótes, dicéntes.

Parce, Dómine.

Glória Patri.

Parce, Dómine.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Egréssus Jesus \* secéssit in partes Tyri et Sidónis : et ecce mulier Chananæa a finibus illis egréssa, clamábat dicens : Miserére mei, Fili David.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

### ORATIO.

DEVOTIONEM pópuli tui, quæsumus, Dómine, benígnus inténde, ut, qui per abstinentiam macerántur in corpore, per fructum boni óperis reficiántur in mente. Per Dóminum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

O mulier, \* magna est fides tua : fiat tibi sicut petisti.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

**D**A, quæsumus, Dómine, pópulis christiánis et quæ profiténtur agnóscere et cœléste munus diligere quod frequéntant. Per Dóminum.

## FERIA SEXTA

QUATUOR TEMPORUM.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius píetas.

*Benedictio* Evangélica léc-  
tio.

Léctio sancti Evangélii se-  
cúndum Joánnem.

LECTIO I.

[Cap. 5.]

**I**N illo témpore, Erat dies festus Judæórum: et ascéndit Jesus Jerosólymam. Et ré-  
liqua.

Homilia sancti Augustíni  
episcopi.

[Tractat. 17, in Joan.]

**V**IDEAMUS quid volúerit sig-  
nificáre in illo uno, quem  
étiam ipse servans unitátis  
mystérium, de tot languénti-  
bus unum sanáre dignátus  
est. Invénit in annis ejus nú-  
merum quemdam languóris.  
Triginta et octo annos habé-  
bat in infirmitáte. Hic núme-  
rus quómodo magis ad lan-  
guórem pertíneat, quam ad  
sanitátem, paulo diligéntius  
exponéndum est. Inténtos  
vos volo: áderit Dóminus,  
ut cóngrue loquar, et suffi-

ciénter audiátis. Quadragená-  
rius númerus sacrátus nobis  
in quadam perfectióne com-  
mendátur, notum esse árbi-  
tror charitáti vestræ: testán-  
tur sæpissime divínæ Scrip-  
turæ: jejúnium hoc númeró  
consecrátum esse, bene nos-  
tis. Nam et Móyses quadra-  
ginta diébus jejunávit, et  
Elías tótidem: et ipse Dómi-  
nus noster et Salvátor Jesus  
Christus hunc jejúnii núme-  
rum implévit. Per Móysen  
significátur Lex, per Elíam  
significántur Prophétæ, per  
Dóminum significátur Evan-  
gélium. Ideo in illo monte  
tres apparuérunt, ubi se dis-  
cípulis osténdit in claritáte  
vultus et vestis suæ: appáruit  
enim medius inter Móysen et  
Elíam, tanquam Evangélium  
testimónium habéret a Lege  
et Prophétis.

**R**. Emendémus in mélius,  
quæ ignoránter peccávimus:  
ne súbito præoccupáti die  
mortis, quærámus spátium  
pœniténtiæ, et invenire non  
possimus: \* Atténde, Dó-  
mine, et miserére, quia pec-  
cávimus tibi.

**✠**. Adjuva nos, Deus salu-  
táris noster, et propter ho-  
nórem nóminis tui, Dómine,  
libera nos.

Atténde, Dómine.

*Benedictio* Divínium auxi-  
lium.

LECTIO II.

**S**IVE ergo in Lege, sive in

Prophétis, sive in Evangélio, quadragenarius númerus nobis in jejúnio commendátur. Jejúnium autem magnum et generále est, abstinére ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejúnium : ut abnegantes impietatem et sæculares cupiditates, temperanter et juste et pie vivamus in hoc sæculo. Huic jejúnio quam mercédem addit Apóstolus? Séquitur, et dicit: Expectantes illam beátam spem, et manifestatióem glóriæ beáti Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. In hoc ergo sæculo quasi quadragésimam abstinéntiæ celebrámus, cum bene vivimus, cum ab iniquitatibus, et ab illicitis voluptatibus abstinémus: sed quia hæc abstinéntia sine mercéde non erit, expectámus beátam illam spem, et revelatióem glóriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. In illa spe, cum fuerit de spe facta res, acceptúri sumus mercédem denárium. Ipsa enim merces rédditur operáriis in vinea laborántibus secúndum Evangélium, quod vos credo reminisci: neque enim ómnia commemoranda sunt tanquam rúribus et imperítis. Denarius ergo, qui accépit nomen a número decem, rédditur, et conjunctus quadragenario fit quinquagenarius: unde cum

*Vern.*

labóre celebrámus Quadragésimam ante Pascha; cum lætitia vero, tanquam accépta mercéde, Quinquagésimam post Pascha.

℞. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dóminum, et miserébitur ejus: \* Quia benígnus et miséricors est, et præstábilis super malitia Dóminus Deus noster.

℣. Non vult Dóminus mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Quia benígnus.

*Benedictio Ad societátem.*

#### LECTIO III.

**M**EMENTOTE quod proposuerim númerum triginta octo annorum in illo lánguido. Volo expónere, quare númerus ille trigésimus et octávus, languoris sit pótius quam sanitatis. Ergo, ut dicebam, charitas implet legem: ad plenitudinem legis in ómnibus opéribus pertinet quadragenarius númerus. In charitate autem duo præcépta nobis commendántur: Dilige Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua: et, diliges próximum tuum sicut teípsum. In his duobus præcéptis tota lex pendet, et Prophætæ. Mérito et illa vídua omnes facultates suas, dño minúta misit in dona Dei: mérito et pro

illo lánguido a latrónibus sauciato stabularius duos nummos accépit, unde sanaretur: mérito apud Samaritanos bíduum fecit Jesus, ut eos charitáte firmáret. Binário ergo isto número cum áliquíd boni significátur, máxime bipartita Cháritas commendátur. Si ergo quadragenarius número habet perfectiónem legis, et lex non implétur nisi in gémino præcepto Charitátis: quid miráris, quia languébat, qui ad quadraginta, duo minus habébat?

¶. Paradisi portas apérui nobis jejúnii tempus: suscipiamus illud orántes, et deprecántes: \* Ut in die resurrectionis cum Dómino gloriémur.

✠. In ómnibus exhibeámus nosmetipsos sicut Dei minístros in multa patiéntia.

Ut in die.

Glória Patri.

Ut in die.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Angelus Dómini \* descendebat de cœlo, et movebátur aqua, et sanabátur unus.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

**E**sto, Dómine, propítius plebi tuæ: et, quam tibi facis esse devótam, benigno réfove miserátus auxilió. Per Dóminum.

*Hodie dicuntur Psalmi Pœnitentiales.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Qui me sanum fecit, \* ille mihi præcépit: Tolle grabátum tuum, et ámbula in pace.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

**E**xaudi nos, miséricors Deus: et méntibus nostris grátiae tuæ lumen osténde. Per Dóminum.

## SABBATO

QUATUOR TEMPORUM.

Pater noster.

*Absolutio A vînculis.*

*Benedictio Evangélica léctio.*

Léctio sancti Evangélii secundum Matthæum.

LECTIO I.

[Cap. 17.]

**I**n illo témpore, Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

[Homília de Transfiguratione Domini.]

**E**vangélica léctio, dilectíssimi, quæ per aures córporis interiorem méntium nostrárum pulsávit auditum, ad magni sacraménti nos intelligéntiam vocat: quam aspirante grátia Dei, facilius assequémur, si consideratió-nem nostram ad ea, quæ paulo supérius sunt narrata, referámus. Salvátor enim hu-



máni generis Jesus Christus, condens eam fidem, quæ et impios ad justitiam et mortuos révocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinæ mōnitis et óperum miráculis instruébat, ut idem Christus et Unigénitus Dei et hóminis filius crederetur. Nam unum horum sine áltero non próderat ad salutem : et æquális erat periculi, Dóminum Jesum Christum aut Deum tantúmmodo sine hómine, aut sine Deo solum hóminem credidisse ; cum utrúmque esset páriter confiténdum : quia sicut Deo vera humanitas, ita hómini inerat vera divinitas.

℞. Scindite corda vestra, et non vestiménta vestra, et convertimini ad Dóminum Deum vestrum : \* Quia benignus et miséricors est.

℣. Derelinquat impius viam suam, et vir iníquus cogitationes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur ejus.

Quia benignus.

*Benedictio* Divinum auxilium.

#### LECTIO II.

Ad confirmándam ergo hujus fidei salubérrimam cognitionem interrogáverat discipulos suos Dóminus, inter diversas aliórum opiniónes quid ipsi de eo créderent, quidve sentirent. Ubi Petrus Apóstolus, per revelatiónem summi Patris corpórea súp-

rans, et humana transcéndens, vidit mentis óculis Filium Dei vivi, et conféssus est glóriam Deitátis ; quia non ad solam respéxit substántiam carnis et ságuinis. Tantúmque in hac fidei sublimitáte complácuit, ut beatitúdinis felicitáte donátus, sacram inviolábilis petræ acciperet firmitátem : super quam fundáta Ecclésia, portis inferi et mortis légibus prævaleret : nec in solvéndis aut ligándis quorumcúmque causis, áliud ratum esset in cœlis, quam quod Petri sedisset arbitrio.

℞. Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam : \* Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et anteíbit faciém tuam justitia tua.

℣. Cum videris nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Tunc erúmpet.

*Benedictio* Ad societátem.

#### LECTIO III.

HÆC autem, dilectíssimi, laudátæ intelligéntiæ celsitúdo instruéndam erat de infióris substántiæ sacraménto : ne Apóstolica fides ad glóriam confiténdæ in Christo Deitátis evécta, infirmitátis nostræ receptiόnem indignam impassibili Deo atque incógruam judicáret ; et ita jam in Christo humanam créderet glorificátam esse naturam, ut nec supplicio posset

affici, nec morte dissolvi. Et ideo dicente Domino, quod oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus et Scribis, ac principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere: cum beatus Petrus, qui superno illustratus lumine, de ardentissima Filii Dei confessione fervebat, contumelias illusionum, et crudelissimæ mortis opprobrium religioso, ut putabat, et libero fastidio respuisset, benigna a Jesu increpatione correptus, et ad cupiditatem participandæ cum eo Passionis animatus est.

R. Abscondite eleemosynam in sinu pauperum, et ipsa orabit pro vobis ad Dominum: \* Quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.

Y. Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.

Quia sicut.

Glória Patri.

Quia sicut.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Assumpsit Jesus \* discipulos suos, et ascendit in montem, et transfiguratus est ante eos.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

POPULUM tuum, quæsumus, Domine, propitius respice: atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte. Per

Dominum nostrum Jesum Christum.

AD VESPERAS.

CAPITULUM.

[I Thess., c. 4.]

FRADES, Rogamus vos, et obsecramus in Domino Jesu: ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo vos oporteat ambulare, et placere Deo, sic et ambulatis, ut abundetis magis.

HYMNUS.

AUDI, benigne Conditor,  
Nostras preces cum flëtibus,  
In hoc sacro jejünio  
Fusas quadragenário.

Scrutátor alme córdium,  
Infirma tu scis vírium:  
Ad te revérsis éxbibe  
Remissionis grátiam.

Multum quidem peccávi-  
mus,  
Sed parce confiténtibus:  
Ad nóminis laudem tui  
Confer medélam lánguidis.

Concéde nostrum cónteri  
Corpus per abstinentiam,  
Culpæ ut relinquunt pábu-  
lum

Jejúna corda criminum.

Præsta, beáta Trínitas,  
Concéde, simplex Unitas,  
Ut fructuósa sint tuis  
Jejuniórum múnera.

Amen.

R. Angelis suis Deus mandávit de te.

R. Ut custódiant te in óm-  
nibus viis tuis.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Visionem quam vidistis \*  
nemini dixeritis, donec a  
mórtuis resúrgat Filius hó-  
minis.

ORATIO.

DEUS, qui cónspicis omni  
nos virtúte destitui, intérius  
exteriúsque custódi; ut ab  
ómnibus adversitatibus mu-  
niámur in córpore, et a pra-  
vis cogitátionibus mundé-  
mur in mente. Per Dóminum  
nostrum.

DOMINICA SECUNDA

IN QUADRAGESIMA.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium* Non sit vo-  
bis vanum.

*Hymnus* Ex more docti  
et reliqua usque ad *Lec-  
tiones, ut in Psalterio, 3.*

De libro Génesis.

LECTIO I.

[Cap. 27.]

SENUIT autem Isaac, et ca-  
ligavérunt óculi ejus, et vi-  
dere non potérat: vocavít-  
que Esau filium suum ma-  
jórem, et dixit ei: Fili mi?  
Qui respóndit: Adsum. Cui  
pater: Vides, inquit, quod  
senúerim, et ignórem diem  
mortis meæ. Sume arma tua,  
pháretram et arcum, et egré-  
dere foras: cumque venátu  
aliquid apprehénderis, fac  
mihí inde pulméntum sicut  
velle me nosti, et affer, ut  
cómedam: et benedícat tibi

ánima mea ántequam mó-  
riar. Quod cum audisset Re-  
bécca, et ille abiisset in  
agrum, ut jussiónem patris  
impléret, dixit filio suo Ja-  
cob: Audívi patrem tuum  
loquéntem cum Esau fratre  
tuo, et dicéntem ei: Affer  
mihí de venatióné tua, et  
fac cibos, ut cómedam, et  
benedícam tibi coram Dó-  
mino ántequam móriar. Nunc  
ergo, fili mi, acquiesce con-  
siliis meis, et pergens ad  
gregem, affer mihí duos hæ-  
dos óptimos, ut fáciam ex eis  
escas patri tuo, quibus libén-  
ter véscitur: quas cum in-  
túleris, et coméderit, benedí-  
cat tibi priúsquam moriátur.

℞. Tolle arma tua, pháre-  
tram et arcum, et affer de  
venatióné tua, ut cómedam:  
\* Et benedícat tibi ánima mea.

℣. Cumque venátu aliquid  
attúleris, fac mihí inde pul-  
méntum, ut cómedam.

Et benedícat.

LECTIO II.

CUI ille respóndit: Nosti  
quod Esau frater meus homo  
pilósus sit, et ego lenis: si  
attrectáverit me pater meus,  
et sénserit, tímeo ne putet  
me sibi voluisse illúdere; et  
indúcam super me maledic-  
tiónem pro benedictióné. Ad  
quem mater: In me sit, ait,  
ista maledictio, fili mi: tan-  
tum audi vocem meam, et  
pergens affer quæ dixi. Abiit  
et áttulit, deditque matri. Pa-



ravit illa cibos, sicut velle nóverat patrem illius. Et vés-tibus Esau valde bonis, quas apud se habébat domi induit eum : pelliculáque hædórum circúmdedit mánibus, et colli nuda protéxit. De-dítque pulméntum, et pa-nes quos cóxerat trádedit. Quibus illátis, dixit : Pater mi? At ille respóndit : Au-dio. Quis es tu, fili mi? Dixít-que Jacob : Ego sum pri-mogénitus tuus Esau : feci sicut præcepísti mihi. Surge; sede, et cómede de vena-tióne mea, ut benedicat mihi ánima tua. Rursúmque Isaac ad filium suum : Quómodo, inquit, tam cito inveníre po-tuísti, fili mi? Qui respóndit: Volúntas Dei fuit, ut cito occurreret mihi quod volé-bam.

R. Ecce odor filii mei si-cut odor agri pleni, cui be-nedíxit Dóminus : créscere te fáciat Deus meus sicut arénam maris : \* Et donet tibi de rore cœli benedictiónem.

Ÿ. Deus autem omnípo-tens benedicat tibi, atque multiplicet.

Et donet tibi.

#### LECTIO III.

**D**IXITQUE Isaac : Accéde huc, ut tangam te, fili mi, et probem utrum tu sis filius meus Esau, an non. Accéssit ille ad patrem, et palpáto eo, dixit Isaac : Vox qui-

dem, vox Jacob est : sed manus, manus sunt Esau. Et non cognóvit eum, quia pi-lósæ manus similitúdinem majóris exprésserant. Bene-dicens ergo illi, ait : Tu es filius meus Esau? Respondit : Ego sum. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatióne tua, fili mi, ut benedicat tibi ánima mea. Quos cum oblátos comedisset, óbtulit ei étiam vinum. Quo hausto, dixit ad eum : Accéde ad me, et da mihi ósculum, fili mi. Accéssit, et osculátus est eum. Statímque ut sensit vestimentórum illius fragrán-tiam, benedicens illi, ait : Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedíxit Dó-minus. Det tibi Deus de rore-cœli, et de pinguédine terræ abundántiam fruménti et vini; et sérviant tibi pó-puli, et adórent te tribus : esto dóminus fratrum tuórum, et incurvéntur ante te filii matris tuæ. Qui male-díxerit tibi, sit ille maledíc-tus : et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur.

R. Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguédine terræ abundántiam : sérviant tibi tribus et pópuli : \* Esto dó-minus fratrum tuórum.

Ÿ. Et incurvéntur ante te filii matris tuæ.

Esto dóminus.

Glória Patri.

Esto dóminus.



IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona* Bonórum meórum.*Psalmus* Conserva me , cum reliquis, 11.

Ex libro sancti Augustíni Episcopi contra mendácium.

## LECTIO IV.

[Cap. 10, tom. 4.]

JACOB quod matre fecit auctóre, ut patrem fállere videretur, si diligénte et fidéliter attendátur, non est mendácium, sed mystérium. Quæ si mendácia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ significandarum quarumcúmque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis áliud ex álio est intelligéndum, dicentur esse mendácia : quod absit omnino. Nam qui hoc putat, trópicis etiam tam multis locutionibus ómnibus potest hanc importáre calúmniam : ita ut hæc ipsa, quæ appellátur metáphora, hoc est, de re própria ad rem non própria verbi alicújus usurpáta translátio, possit ista ratióne mendácium nuncupári.

Ÿ. Dum exíret Jacob de terra sua, vidit glóriam Dei, et ait: Quam terribilis est locus iste! \* Non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Ÿ. Vere Deus est in loco isto, et ego nesciébam.

Non est hic.

## LECTIO V.

Quæ significántur enim, úti-

que ipsa dicúntur : putántur autem mendácia, quóniam non ea, quæ vere significántur, dicta intelligúntur, sed ea, quæ falsa sunt, dicta esse credúntur. Hoc ut exémpis fiat plánius, idípsum quod Jacob fecit, atténde: Hædínis certe péllibus membra contéxit. Si causam próximam requirámus, mentitum putábimus : hoc enim fecit, ut putarétur esse qui non erat. Si autem hoc factum ad illud, propter quod significándum revéra factum est, referátur : per hædinas pelles, peccáta : per eum vero, qui eis se opérui, ille significátus est, qui non sua, sed aliéna peccáta portávit.

Ÿ. Si Dóminus Deus meus fúerit mecum in via ista, per quam ego ámbulo, et custodierit me, et déderit mihi panem ad edéndum, et vestiméntum quo opériar, et revocáverit me cum salúte, \* Erit mihi Dóminus in refúgium, et lapis iste in signum.

Ÿ. Surgens ergo mane Jacob, tulit lápidem, quem supposúerat cápiti suo, et eréxit in titulum, fundénsque óleum désuper, dixit.

Erit mihi.

## LECTIO VI.

VERAX ergo significátio nullo modo mendácium recte dici potest : ut autem in facto, ita et in verbo. Nam cum ei

pater dixisset, Quis es tu, fili? ille respondit: Ego sum Esau primogénitus tuus. Hoc si referátur ad duos illos géminos, mendácium vidébitur: si autem ad illud propter quod significándum ista gesta dictaque conscripta sunt, ille est hic intelligéndus in corpore suo, quod est ejus Ecclesia, qui de hac re loquens ait: Cum vidéritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes Prophétas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et, Vénient ab Oriénte, et Occidénte, et Aquilóne, et Austro, et accumbent in regno Dei. Et, Ecce sunt novíssimi, qui erant primi, et sunt primi qui erant novíssimi. Sic enim quodámmodo minor majoris primátum frater abstulit, atque in se tránstulit fratris.

✠. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste quem eréxi in titulum, vocábitur domus Dei: et de univérsis quæ déderis mihi, \* Décimas et hóstias pacificas ófferam tibi.

✠. Si revérsus fuéro prospere ad domum patris mei.

Décimas.

Glória patri.

Décimas.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona* Non sunt loquelæ.

*Psalmus* Cœli enarrant, cum reliquis, 15.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 17.]

**I**N illo témpore, Assumpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum: et transfigurátus est ante eos. Et reliqua.

De Homilia sancti Leónis Papæ.

[Ex Homil. de Transfig. Aomini.]

**A**SSUMPSIT Jesus Petrum, et Jacóbum, et fratrem ejus Joánnem, et conscénso cum eis seorsum monte præcelso, claritatem suæ glóriæ demonstrávit: quia licet intellexissent in eo majestatem Dei, ipsius tamen corporis, quo divinitas tegebátur, potentiam nesciebant. Et ideo próprie signantérque promiserat, quosdam de adstantibus discipulis non prius gustare mortem, quam viderent Filium hóminis venientem in regno suo, id est, in régia claritate, quam spiritaliter ad natúram suscepti hóminis perniténtem, his tribus viris voluit esse conspicuam. Nam illam ipsius Deitátis ineffabilem et inaccessibilem visionem quæ in æternam vitam mundis corde servátur, nullo modo mortáli adhuc carne circúdati intuéri póterant et vidére.

R. Dixit Angelus ad Jacob:  
\* Dimitte me, auróra est.  
Respondit ei: Non dimittam  
te, nisi benedixeris mihi. Et  
benedixit ei in eódem loco.

Y. Cumque surrexisset Ja-  
cob, ecce vir luctabátur cum  
eo usque mane: et cum vi-  
deret quod eum superáre  
non posset, dixit ad eum.

Dimitte me.

#### LECTIO VIII.

DICENTE Patre: Hic est Fi-  
lius meus diléctus, in quo  
mihi bene complácuí, ipsum  
audite: nonne evidénter au-  
ditum est, Hic est Filius  
meus, cui ex me, et mecum  
esse sine témpore est? quia  
nec génitor génito prior, nec  
génitus est genitóre posté-  
rior. Hic est Filius meus,  
quem a me non séparat Déi-  
tas, non dívidit potéstas,  
non discérnit ætérnitas. Hic  
est Filius meus, non adop-  
tívus, sed próprius: non  
aliúnde créatus, sed ex me  
génitus: nec de ália natúra  
mihi factus comparábilis, sed  
de mea esséntia mihi natus  
æquális.

R. Vidi Dóminum fácie ad  
fáciem: \* Et salva facta est  
ánima mea.

Y. Et dixit mihi: Nequá-  
quam vocáberis Jacob, sed  
Israel erit nomen tuum.

Et salva.

#### LECTIO IX.

Hic est Filius meus, per  
quem ómnia facta sunt, et

sine quo factum est nihil:  
qui ómnia quæ fácio, simi-  
liter facit, et quidquid ópe-  
ror, inseparabiliter mecum  
atque indifferénter operátur.  
Hic est Filius meus, qui  
eam, quam mecum habet  
æqualitátem, non rapína ap-  
pétiit, nec usurpatióne præ-  
súmpsit: sed manens in for-  
ma glóriæ meæ, ut ad re-  
parándum genus humánum  
exequerétur commúne con-  
sílíum, usque ad formam  
servilem inclinávit incom-  
mutábilem Deitátem. Hunc  
ergo, in quo mihi per ómnia  
bene compláceo, et cujus  
prædicatióne manifestor, cu-  
jus humilitáte clarificor, in-  
cunctánter audíte: quia ipse  
est véritas et vita, ipse virtus  
mea atque sapiéntia.

R. Cum audisset Jacob  
quod Esau veníret contra  
eum, divisit filios suos et  
uxóres, dicens: Si percússe-  
rit Esau unam turmam, sal-  
vábítur áltera. \* Líbera me,  
Dómine, qui dixísti mihi:  
\* Multiplicábo semen tuum  
sicut stellas cœli, et sicut  
arénam maris, quæ præ mul-  
títúdine numerári non po-  
test.

Y. Dómine, qui dixísti  
mihi, Revértere in terram  
nativitátis tuæ: Dómine, qui  
pascis me a juventúte mea.

Líbera me.

Glória patri.

Multiplicábo.

## AD LAUDES.

*Antiphona.*

Dómine, \* lábia mea apé-  
ries, et os meum annuntiábit  
laudem tuam.

*Psalmus* Miserére mei,  
Deus, 63.

*Antiphona.*

Déxtera Dómini \* fecit vir-  
tutem : déxtera Dómini exal-  
távit me.

*Psalmus* Confitémini Dó-  
mino, 25.

*Antiphona.*

Factus est \* adjutor meus  
Deus meus.

*Psalmus* Deus, Deus meus,  
eum reliquis, 19.

*Antiphona.*

Trium puerorum \* canté-  
mus hymnum : quem cantá-  
bant in camíno ignis benedi-  
centes Dóminum.

*Antiphona.*

Státuit ea in ætérnum, \* et  
in sæculum sæculi : præcép-  
tum pósuit, et non præte-  
ribit.

## CAPITULUM.

[ 1 Thess., c. 4. ]

**F**RATRES, Rogámus vos, et  
obsecrámus in Dómino Jesu :  
ut, quemádmódum accepís-  
tis a nobis quómodo vos  
opórteat ambuláre et pla-  
cere Deo, sic et ambulétis,  
ut abundétis magis.

## HYMNUS.

**O** SOL salutis, íntimis  
Jesu, refúlge méntibus,  
Dum nocte pulsa grátior  
Orbi dies renáscitur.

Dans tempus acceptábile,  
Da lacrymárum rivulis  
Laváre cordis victimam,  
Quam læta adúrat Cháritas.

Quo fonte manávit nefas,  
Fluent perénnes lácrymæ,  
Si virga pœniténtiæ  
Cordis rigórem cónterat.

Dies venit, dies tua,  
In qua reflórent ómnia :  
Lætémur et nos in viam  
Tua redúcti déxtera.

Te prona mundi máchina  
Clemens adóret, Trínitas,  
Et nos novi per grátiam  
Novum canámus cánticum.

Amen.

Ÿ. Angelis suis Deus man-  
dávít de te.

Ÿ. Ut custódiant te in  
ómnibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Assúmpsit Jesus, \* discípu-  
los suos, et ascéndit in mon-  
tem, et transfigurátus est  
ante eos.

## ORATIO.

**D**EUS, qui cóspicis omni  
nos virtúte destitui, intérius  
exteriúsque custódi; ut ab  
ómnibus adversitátibus mu-  
niámur in córpore, et a  
pravis cogitatióibus mundé-  
mur in mente. Per Dóminum.

## AD PRIMAM.

*Antiphona.*

Dómine, bonum est nos  
hic esse : \* si vis, faciámus  
hic tria tabernácula; tibi  
unum, Móysi unum, et Eliæ  
unum.



*Capitulum Regi sæculorum, cum reliquis, 29.*

### AD TERTIAM.

*Antiphona* Dómine, bonum est, *ut supra ad Primam.*

*Capitulum* Fratres, Rogamus, 190.

*R.* *breve.* Ipse liberávit me, \* De láqueo venántium. Ipse liberávit.

*V.* Et a verbo áspero.

*R.* De láqueo.

Glória patri. Ipse.

*V.* Scápolis suis obumbrábit tibi.

*R.* Et sub pennis ejus sperábis.

### AD SEXTAM.

*Antiphona.*

Faciámus hic \* tria tabernacula; tibi unum, Móysi unum, et Eliæ unum.

#### CAPITULUM.

[I. Thess., c. 4.]

**H**ÆC est enim volúntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, et honore.

*R.* *breve.* Scápolis suis, \* Obumbrábit tibi. Scápolis.

*V.* Et sub pennis ejus sperábis.

*R.* Obumbrábit tibi.

Glória Patri. Scápolis.

*V.* Scuto circúmdabit te veritas ejus.

*R.* Non timébis a timóre noctúrno.

### AD NONAM.

*Antiphona.*

Visiónem quam vidistis, \* némini dixeritis, donec a mórtuis resúrgat Filius hóminis.

#### CAPITULUM.

[I. Thess., c. 4.]

**N**ON enim vocávit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem in Christo Jesu Dómino nostro.

*R.* *breve.* Scuto circúmdabit te \* Veritas ejus. Scuto.

*V.* Non timébis a timóre noctúrno.

*R.* Veritas ejus.

Glória Patri. Scuto.

*V.* Angelis suis Deus mandávit de te.

*R.* Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

### AD VESPERAS.

*Antiphona et Psalmus*

Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica, 134.*

*Capitulum* Fratres, Rogamus.

*Hymnus* Audi, benigne Cónditor, *ut supra, 184.*

*V.* Angelis suis Deus mandávit de te.

*R.* Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Visiónem quam vidistis \* némini dixeritis, donec a mórtuis resúrgat Filius hóminis.

*Oratio* Deus, qui cónspicis, *ut supra, 190.*

*Deinde in Choro dicuntur  
Vesperæ Defunctorum.*

~~~~~

## FERIA SECUNDA.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium de Psalterio.*

*Hymnus Ex more docti, 3.*

*Antiphonæ et Psalmi Nocturnorum de Psalterio, 52.*

*Et sic dicitur etiam in aliis  
sequentibus Feriis.*

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO I.

[Cap. 8.]

**I**N illo tempore, Dixit Jesus turbis Judæorum, Ego vado, et queretis me, et in peccato vestro moriemini. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 38 in Joan.]

**L**OCUTUS est Dominus Judæis, dicens: Ego vado. Christo enim Domino mors profectio fuit illo unde venerat, et unde non discesserat. Ego, inquit, vado, et queretis me, non desiderio, sed odio. Nam illum posteaquam abcessit ab oculis hominum, inquisierunt et qui oderant et qui amabant: illi persequendo, isti habere cupiendo. In Psalmis ait ipse Dominus per Prophetam: Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam. Et iterum ait alio loco in Psalmo: Confundantur et

reverentur requirentes animam meam.

**R**. Dum iret Jacob de Bet-sabée, et pergeret Haran, locutus est ei Dominus, dicens: \* Terram, in qua dormis, tibi dabo, et semini tuo.

**Ÿ**. Edificavit ex lapidibus altare in honorem Domini, fundens oleum desuper: et benedixit eum Deus, dicens. Terram.

LECTIO II.

**C**ULPAVIT quia non requirerent: damnavit requirentes. Bonum est enim querere animam Christi, sed quomodo eam quasiérunt discipuli: et malum est querere animam Christi, sed quomodo eam Judæi quasiérunt: illi enim ut haberent, isti ut perderent. Denique istis, quia sic querebant more malo, corde perverso quid secutus adjunxit? Queretis me: et, ne putetis quia bene me queretis, in peccato vestro moriemini. Hoc est Christum male querere, in peccato suo mori: hoc est illum odisse, per quem possit solum salvus esse.

**R**. Apparuit Deus Jacob, et benedixit eum, et dixit: Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi: \* Crescere te faciam, et multiplicabo te.

**Ÿ**. Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Crescere te.

## LECTIO III.

CUM enim homines, quorum spes in Deo est, non debeant mala reddere nec pro malis; reddébant isti mala pro bonis. Prænuntiávit ergo illis Dóminus, dixitque sententiam præscius, quod in suo peccáto moreréntur. Deinde adjúnxit: Quo ego vado, vos non potéstis venire. Hoc et discipulis suis álio loco dixit: nec tamen eis dixit, In peccáto vestro moriémmini. Quid autem dixit? quod et istis: Quo ego vado, vos non potéstis venire. Non ábstulit spem, sed prædixit dilatió-nem. Quando enim hoc discipulis Dóminus loquebátur, tunc non póterant venire, quo ille ibat, sed póstea venturi erant: isti autem nunquam, quibus præscius dixit, In peccáto vestro moriémmini.

R. Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguédine terræ abundantiam: sérviant tibi tribus et pópuli: \* Esto dóminus fratrum tuórum.

Y. Et incurvéntur ante te filii matris tuæ.

Esto dóminus.

Glória Patri.

Esto dóminus.

## AD LAUDES.

*Antiphona, et Psalmus*  
Miserére mei, cum reliquis,  
ut in *Psalterio*, 63.

## CAPITULUM.

[Isai., c. 58.]

CLAMA, ne cesses, quasi tuba

exálta vocem tuam, et annúntia pópulo meo scélera eórum, et dómui Jacob peccáta eórum.

*Hymnus* O sol salútis, ut supra, 190.

Y. Angelis suis Deus mandávit de te.

R. Ut custódiant te in omnibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ego princípium, qui et loquor vobis.

*Deinde dicuntur preces, ut in Psalterio*, 66.

## ORATIO.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua, quæ se, affligéndo carnem, ab aliméntis ábstinet, sec-tándo justitiam, a culpa jejúnet. Per Dóminum nostrum.

*Hodie dicitur Officium Defunctorum.*

## AD VESPERAS.

*Antiphona* Inclínávit.

*Psalmus* Diléxi, cum reliquis de *Psalterio*, 138.

## CAPITULUM.

[Joel., c. 2.]

INTER vestibulum et altáre plorábunt sacerdótes ministri Dómini, et dicent: Parce, Dómine, parce pópulo tuo: et ne des hæreditátem tuam in oppróbrium, ut dominéntur eis nátiónes.

*Hymnus* Audi, benigne, 184.

Y. Angelis suis Deus mandávit de te.

R). Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Qui me misit,\* mecum est, et non reliquit me solum : quia quæ plácita sunt ei, fácio semper.

*Deinde dicuntur preces, 66.*

#### ORATIO.

**A**D ESTO supplicatióibus nostris, omnipotens Deus, et, quibus fidúciā sperándæ pietátis indulges, consuétæ misericórdiæ tribue benígnus effectum. Per Dóminum nostrum.

~~~~~

#### FERIA TERTIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

#### LECTIO I.

[Cap. 23.]

**I**N illo témpore, Locútus est Jesus ad turbas, et ad discipulos suos, dicens : Super cáthedram Móysi sedérunt Scribæ et Pharisei. Omnia ergo quæcúmque dixerint vobis, serváte, et fácite : secúndum ópera vero eórum nolite fácere. Et reliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

[Lib. 4 Comm. in c. 23 Matt.]

**Q**UID mansuétius, quid benignius Dómino? Tentátur a Phariseis, confringúntur insidiæ eórum, et secúndum Psalmístam : Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eórum : et nihilóminus propter

sacerdoti et nóminis dignitatem hortátur pópulos, ut subjiciántur eis, non ópera, sed doctrinam considerántes. Quod autem ait, Super cáthedram Móysi sedérunt Scribæ et Pharisei : per cáthedram, doctrinam legis osténdit. Ergo et illud quod dicitur in Psalmo : In cáthedra pestiléntiæ non sedit : et, cáthedras vendéntium colúmbas evértit : doctrinam debémus accipere.

R). Dum exiret Jacob de terra sua, vidit glóriam Dei, et ait : Quam terribilis est locus iste!\* Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Y. Vere Deus est in loco isto, et ego nesciébam.

Non est.

#### LECTIO II.

**A**LLIGANT enim ónera grávia et importabilia, et impónunt in húmeros hóminum, digito autem suo nolunt ea moverné. Hoc generáliter advérsus omnes magistros, qui grávia jubent, et minóra non faciunt. Notándum autem, quod et húmeri, et digitus, et ónera, et vincula quibus alligántur ónera, spirituáliter intelligénda sunt. Omnia vero ópera sua faciunt, ut videántur ab hominibus. Quicúmque igitur ita facit quodlibet, ut videátur ab hominibus, Scriba et Phariseus est.



**R.** Si Dóminus Deus meus fuerit mecum in via ista, per quam ego ámbulo, et custodierit me, et dederit mihi panem ad edéndum, et vestimentum quo opériar, et revocáverit me cum salute : \* Erit mihi Dóminus in refúgium, et lapis iste in signum.

**Y.** Surgens ergo mane Jacob, tulit lápidem, quem supposúerat cápiti suo, et erexit in titulum, fundénsque óleum désuper, dixit.

Erit mihi.

#### LECTIO III.

**D**ILATANT enim phylactéria sua, et magnificant fimbrias. Amant quoque primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagógis, et salutaciones in foro, et vocári ab hominibus Rabbi. Væ nobis miseris, ad quos Pharisæorum vitia transiérunt. Dóminus cum dedisset mandata Legis per Móysen, ad extrémum intulit : Ligábis ea in manu tua, et erunt immóta ante óculos tuos. Et est sensus : Præcépta mea sint in manu tua, ut ópere compleántur : sint ante óculos tuos, ut die ac nocte meditéris in eis. Hoc Pharisæi male interpretántes, scribebant in membránis Decalogum Móysi, id est decem verba Legis, complicántes ea, et ligántes in fronte, et quasi coronam cápiti facién-

tes : ut semper ante óculos moveréntur.

**R.** Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste quem eréxi in titulum, vocábitur domus Dei : et de univér sis quæ dederis mihi, \* Décimas et hóstias pacíficas ófferam tibi.

**Y.** Si revérsus fúero prospere ad domum patris mei.

Décimas.

Glória Patri.

Décimas.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Unus est enim magister vester, \* qui in cœlis est, Christus Dóminus.

*Deinde dicuntur preces,* 66.

#### ORATIO.

**P**ERFICE, quæsumus, Dómine, benignus in nobis observántiæ sanctæ subsidium : ut, quæ te auctóre faciéndam cognóvimus, te operánte, impleámus. Per Dóminum nostrum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Omnes autem \* vos fratres estis : et patrem nolite vocáre vobis super terram : unus est enim Pater vester, qui in cœlis est : nec vocémini magistri, quia magister vester unus est Christus.

*Deinde dicuntur Preces,* 66.

#### ORATIO.

**P**ROPITIARE, Dómine, supplicationibus nostris, et animárum nostrárum medére

languoribus : ut , remissione percépta , in tua semper benedictione lætémur. Per Dóminum nostrum.

~~~~~

### FERIA QUARTA.

*Hodie dicuntur Psalmi Graduales.*

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

#### LECTIO I.

[Cap. 20.]

**I**N illo tempore, Ascendens Jesus Jerosólymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis : Ecce ascendimus Jerosólymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

[Lib. 5 de Fide, ad Grat., c. 2.]

**C**ONSIDERATE, quæ mater filiorum Zebedæi cum filiis, et pro filiis petat : mater est utique, cui pro filiorum honore sollicitæ, immoderatio quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est. Atque mater ætate longæva, studio religiosa, solatio destituta, quæ tunc temporis, quando vel juvanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, et voluptati suæ mercédem sequentium Christum prætulera filiorum. Qui prima voce vocati a Dómino

( ut légimus ) relictis rétibus et patre, secuti sunt eum.

R. Dixit Angelus ad Jacob :

\* Dimitte me, auróra est. Respondit ei : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco.

Y. Cumque surrexisset Jacob, ecce vir luctabatur cum eo usque mane : et cum vidéret, quod eum superare non posset, dixit ad eum.

Dimitte me.

#### LECTIO II.

**H**ÆC igitur studio maternæ sedulitatis indulgentior obsecrabat Salvatorem, dicens : Ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alter ad sinistram in regno tuo. Etsi error, pietatis tamen error est. Nesciunt enim materna viscera patientiam : etsi voti avára, tamen veniabilis cupiditas, quæ non pecuniæ est ávida, sed gratiæ. Nec inverecúnda petitio, quæ non sibi, sed liberis consulébat. Matrem consideráte, matrem cogitáte.

R. Vidi Dóminum facie ad faciem : \* Et salva facta est anima mea.

Y. Et dixit mihi : Nequáquam vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum.

Et salva.

#### LECTIO III.

**C**ONSIDERABAT Christus matris dilectionem, quæ filiorum mercéde grandævam solabatur senectam : et desidé-

riis licet fessa maternis, charissimorum pignorum tolerabat absentiam. Considerate etiam foeminam, hoc est sexum fragiliorem, quem Dominus propria nondum confirmaverat passione. Considerate, inquam, Hevæ illius primæ mulieris hæredem, transfusa in omnes immoderate cupiditatis successione labentem : quam Dominus adhuc proprio sanguine non redemerat, nondum inolitam affectibus omnium immòdici contra fas honoris appetentiam suo Christus cruore diluerat. Hæreditario igitur mulier delinquēbat errore.

R. Cum audisset Jacob quod Esau veniret contra eum, divisit filios suos et uxores, dicens : Si percussit Esau unam turmam, salvabitur altera. \* Libera me, Dómine, qui dixisti mihi : \* Multiplicábo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerári non potest.

Y. Dómine, qui dixisti mihi, Revértere in terram nativitatis tuæ : Dómine, qui pascis me a juventute mea.

Libera me.

Glória Patri.

Multiplicábo.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ecce ascendimus \* Jerosolymam : filius hominis tradetur ad crucifigendum.

*Deinde dicuntur preces, 66.*

ORATIO.

POPULUM tuum, quæsumus, Dómine, propítius respice : et, quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a nóxiis quoque vitiis cessare concède. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Tradetur enim \* Géntibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

DEUS, innocentiae restitutor et amator, dirige ad te tuorum corda servorum : ut Spíritus tui fervore concépto, et in fide inveniántur stábiles, et in ópere effícaces. Per Dóminum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spíritus Sancti.

~~~~~

## FERIA QUINTA.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO I.

[Cap. 16.]

IN illo tempore, Dixit Jesus Pharisæis : Homo quidam erat dives : qui induebatur purpura et bysso ; et epulabatur quotidie splendide. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii, papæ.

[Homilia 40 in Evang.]

QUEM, fratres charissimi,

quem dives iste, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, nisi Judæicum populum signat, qui cultum vitæ exteriorius habuit, qui acceptæ legis deliciis ad nitorem usus est, non ad utilitatem? Quem vero Lázarus ulcéribus plenus, nisi Gentilem populum figuráliter exprimit? Quidum conversus ad Deum peccata confiteri sua non erubuit, huic vulnus in cute fuit. In cutis quippe vulnere virus a visceribus trahitur, et foras erumpit.

R. Tolle arma tua, pharetram et arcum, et affer de venatione tua, ut comedam : \* Et benedicat tibi ánima mea.

Y. Cumque venatu aliquid attuleris, fac mihi inde pulmentum, ut comedam.

Et benedicat.

#### LECTIO II.

Quid est ergo peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? Quia peccati virus salúbriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente. Vulnera etenim cutis in superficiem trahunt humorem putredinis. Et confitendo peccata, quid aliud ágimus, nisi malum, quod in nobis latebat aperimus? Sed Lázarus vulneratus cupiebat saturári de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat :

quia Gentilium quemque cognitionem Legis admitte superbus ille populus depiciebat.

R. Ecce odor filii mei sic odor agri pleni, cui benedixit Dóminus : crescere faciat Deus meus sicut arnam maris : \* Et donet tibi de rore cæli benedictionem.

Y. Deus autem omnipotens benedicat tibi, atque multiplicet.

Et donet tibi.

#### LECTIO III.

Qui dum doctrinam Legis non ad charitatem habuit sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit : et quia ei verba defluébant de scientia, quasi micæ cadebant de mensa. At contra, jacéntis páuperis vulnera lingébant canes. Nonnunquam solent in sacro elóquio, per canes, prædicatores intelligi, Canum etenim lingua, vulnus dum lingit, curat : quia et doctóres sancti, dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt.

R. Det tibi Deus de rore cæli, et de pinguedine terræ abundantiam : serviant tibi tribus et populi : \* Esto dóminus fratrum tuorum.

Y. Et incurvéntur ante te filii matris tuæ.

Esto dóminus.

Glória Patri.

Esto dóminus.



*Ad Benedictus, Antiphona.*

Fili, recordare quia recepti bona in vita tua, et Lázarus similiter mala.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

PRESTA nobis, quæsumus, Domine, auxilium gratiæ: ut jejuniis et orationibus convenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis et corporis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Dives ille \* guttam aquæ petiit, qui micæ panis Lázaro negavit.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

ADESTO, Domine, famulis tuis, et perpétuam benignitatem largire poscentibus: ut tui, qui te auctore et gubernatore gloriántur, et congregata restaures, et restaurata conserves. Per Dóminum nostrum.

FERIA SEXTA.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO I.

[Cap. 21.]

In illo tempore, Dixit Jesus turbis Judæorum, et principibus sacerdotum parabolam hanc: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

[Lib. 9, in c. 20 Luc.]

PLERIQUE varias significationes de vineæ appellatione derivant: sed evidenter Isaías vineam Dómini Sábaoth, domum Israel esse memorávit. Hanc vineam quis álius, nisi Deus condidit? Hic est ergo, qui eam locávit colónis, et ipse peregre fuit: non quia ex loco ad locum profectus est Dóminus, qui ubique semper præsens est; sed quia est præsentior diligentibus, negligentibus abest. Multis temporibus ábfuit, ne præpropere videretur exáctio. Nam quo indulgentior liberalitas, eo inexcusabilior pervicácia.

R. Dum exíret Jacob de terra sua, vidit glóriam Dei, et ait: Quam terribilis est locus iste! \* Non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

R. Vere Deus est in loco isto, et ego nesciebam.

Non est hic.

LECTIO II.

UNDE bene secundum Matthæum habes, quia et sepe circumdedit: hoc est, divinæ custodiæ munitione vallávit, ne fácte spiritalium patéret incursibus bestiárum. Et fodit in ea torcular. Quomodo intelligimus quid sit torcular: nisi fórte quia Psalmi pro torcularibus inscri-

búntur; eo quod in his mystéria dominicæ Passiónis, modo musti sancto fervéntis Spíritu, redundántius æstuáverint? Unde ébrii putabántur, quibus Spíritus Sanctus inundábat. Ergo et hic fodit torcular, in quod uvæ rationábilis fructus intérior spiritali infusióne deflúeret.

R. Si Dóminus Deus meus fúerit mecum in via ista, per quam ego ámbulo, et custodierit me, et déderit mihi panem ad edéndum, et vestiméntum quo opériar, et revocáverit me cum salúte: \* Erit mihi Dóminus in refúgium, et lapis iste in signum.

✠. Surgens ergo mane Jacob tulit lápidem quem supposúerat cápiti suo, et eréxit in titulum, fundénsque óleum désuper, dixit.

Erit mihi.

### LECTIO III.

**Æ**DIFICAVIT turrin, vérticem scilicet legis attóllens: atque ita hanc vineam munitam, instrúctam, ornátam locávit Judæis. Et témpore fructuum sérvulos misit. Bene témpus fructuum pósuit, non provéntum. Nullus enim fructus éxstitit Judæórum, nullus vineæ hujus provéntus, de qua Dóminus ait: Expectávi ut fáceret uvas, fecit autem spinas. Itaque non lætitiæ vino, non spiritali musto, sed cruénto

prophetárum ságuine torcularia redundárun.

R. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste quem eréxi in titulum, vocábitur domus Dei, et de univérstis quæ déderis mihi, \* Décimas et hóstias pacíficas ófferam tibi.

✠. Si revérsus fúero prospere ad domum patris mei.

Décimas.

Glória Patri.

Décimas.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Malos male perdet, \* et vineam suam locábit áliis agricolis, qui reddant et fructum tempóribus suis.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

### ORATIO.

**D**A, quæsumus, omnípotens Deus, ut sacro nos purificánte jejúnio, sincéris mentibus ad sancta ventúra fácias pervenire. Per Dóminum nostrum.

*Hodie dicuntur Psalmi Pœnitentiales.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Quæréntes eum tenére, \* timuérunt turbam, quia sicut Prophétam eum habébant.

*Deinde dicuntur preces, 66.*

### ORATIO.

**D**A, quæsumus, Dómine, pópulo tuo salútem mentis et córporis: ut bonis opéri-

bus inhærendo, tuæ semper virtutis mereatur protectione defendi. Per Dóminum.

### SABBATO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

#### LECTIO I.

[Cap. 15.]

In illo tempore, Dixit Jesus Pharisæis et Scribis parabolam istam: Homo quidam habuit duos filios: et dixit adolescētiō ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

[Lib. 7 Comm. in e. 15 Lucæ.]

VIDES, quod divinum patrimonium petentibus datur. Nec putes culpam patris, quod adolescentiōri dedit. Nulla Dei regno infirma ætas: nec fides gravatur annis. Ipse certe se iudicavit idoneum, qui poposcit. Atque utinam non recessisset a patre, impedimentum necisset ætatis; sed posteaquam domum patriam derelinquens, peregre profectus est, coepit egere. Mérito ergo prodégit patrimonium, qui recessit ab Ecclesia.

R. Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus: Fac me sicut unum ex mercenariis tuis.

Ÿ. Quanti mercenarii in in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereō? surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei.

Fac me sicut.

#### LECTIO II.

PEREGRE profectus est in regionem longinquam. Quid longinquius quam a se recedere; nec regionibus, sed moribus separari: studiis discretum esse, non terris; et quasi interfuso luxuriæ sæcularis æstu, divortia habere sanctorum? Etenim qui se a Christo separat exul est patriæ, civis est mundi. Sed nos non sumus advenæ atque peregrini, sed cives sumus sanctorum, et domestici Dei. Qui enim eramus longe, facti sumus prope in sanguine Christi. Non invidemus de longinqua regione remeantibus: quia et nos fuimus in regione longinqua, sicut Isaías docet. Sic enim habes: Qui sedebant in regione umbræ mortis, lux orta est illis. Régio ergo longinqua, umbra est mortis.

Ÿ. Vidi Dóminum facie ad faciem: \* Et salva facta est anima mea.

R. Et dixit mihi: Nequaquam vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum.

Et salva.

#### LECTIO III.

Nos autem, quibus spiritus

ante faciē Christus est Dóminus, in umbra vivimus Christi. Et ideo dicit Ecclēsia : In umbra ejus concupivi, et sedi. Ille igitur vivēdo luxuriōse, consumpsit ómnia ornámēta natúræ. Unde tu, qui accepisti imáginem Dei, qui habes similitúdinem ejus, noli eam irratiōnábili fœditáte consumere. Opus Dei es; noli ligno dicere, Pater meus es tu : ne accipias similitúdinem ligni, quia scriptum est : Similes illis fiant qui faciunt ea.

R. Cum audisset Jacob quod Esau veniret contra eum, divisit filios suos et uxóres, dicens : Si percúserit Esau unam turmam, salvábitur áltera. \* Líbera me, Dómine, qui dixisti mihi : \* Multiplicábo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arēnam maris, quæ præ multitudīne numerári non potest.

✠. Dómine, qui dixisti mihi, Revértere in terram nativitátis tuæ : Dómine, qui pascis me a juventúte mea.

Líbera me.

Glória Patri.

Multiplicábo.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Vadam ad patrem meum \* et dicam ei : Pater, fac me sicut unum ex mercenáriis tuis.

*Deinde dicuntur Preces, 66.*

ORATIO.

**D**A, quæsumus, Dómine, nos

tris efféctum jejúniis salutárem : ut castigátio carnis assúpta, ad nostrárum vegetatióem tránseat animárum. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

CAPITULUM.

[Ephes., c. 5.]

**F**RATRES, Estóte imitatóres Dei, sicut filii charíssimi : et ambuláte in dilectiōe, sicut et Christus diléxit nos, et trádedit semetípsum pro nobis oblatiōem et hóstiā Deo in odórem suavitátis.

HYMNUS.

**A**UDI, benigne Córditor,  
Nostras preces cum flétibus,  
In hoc sacro jejúnio  
Fusas quadragenário.

Scrutátor alme córdium,  
Infirma tu scis virium :  
Ad te revérsis exhibe  
Remissiōis grátiam.

Multum quidem peccávimus,

Sed parce confiténtibus :  
Ad nóminis laudem tui  
Confer medélam lánguidis.

Concéde nostrum cónteri  
Corpus per abstinéntiam,  
Culpæ ut relínquant pábulum  
Jejúna corda criminum.

Præsta, beáta Trínitas,  
Concéde, simplex Unitas,  
Ut fructuósa sint tuis  
Jejuniórum múnera.

Amen.

✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

R. Ut custódiant te in  
ómnibus viis tuis.



*Ad Magnificat, Antiphona.*

Dixit autem pater \* ad servos suos : Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manu ejus, et calceamenta in pedibus ejus.

ORATIO.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, vota humilium respice : atque ad defensionem nostram, dexteram tuæ majestatis extende. Per Dominum nostrum.

### DOMINICA III

IN QUADRAGESIMA.

AD MATUTINUM.

*Invitorium* Non sit vobis vanum.

*Hymnus* Ex more docti, cum reliquis usque ad *Lectiones* ut in *Psalterio*, 3.

De libro *Génésis*.

LECTIO I.

[Cap. 37.]

JOSEPH cum sédecim esset annorum, pascébat gregem cum fratribus suis adhuc puer, et erat cum filiis Balæ et Zelphæ uxorum patris sui : accusavitque fratres suos apud patrem crimine péssimo. Israel autem diligébat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectúte genuisset eum : fecitque ei tunicam polymítam. Vidéntes autem fratres ejus, quod a patre plus cunctis filiis amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam paci-

fice loqui. Accidit quoque ut visum sómnum referret fratribus suis : quæ causa majóris ódii seminárium fuit. Dixitque ad eos : Audite sómnum meum quod vidi : Putábam nos ligáre manipulos in agro, et quasi consúrgere manipulum meum, et stare, vestrosque manipulos circumstántes adoráre manipulum meum. Respondérunt fratres ejus : Numquid rex noster eris? aut subjiciémur ditióni tuæ? Hæc ergo causa somniórum atque sermónum, invidiæ et ódii fómitem ministrávit. Aliud quoque vidit sómnum, quod narrans fratribus, ait : Vidi per sómnum, quasi solem, et lunam, et stellas undecim adoráre me. Quod cum patri suo et fratribus retulisset, increpávit eum pater suus, et dixit : Quid sibi vult hoc sómnum, quod vidisti? num ego, et mater tua, et fratres tui adorábitus te super terram?

¶. Vidéntes Joseph a longe, loquebántur mútuo fratres, dicéntes : Ecce somniátor venit : \* Veníte, occidámus eum, et videámus si prosint illi sómnia sua.

¶. Cumque vidissent Joseph fratres sui, quod a patre cunctis fratribus plus amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam pacífice loqui, unde et dicébant.

Venite.

## LECTIO III.

**I**NVIDEBANT ei igitur fratres sui : pater vero rem t  citus consider  bat. Cumque fratres illius in pasc  ndis gr  gibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel : Fratres tui pascunt oves in Sichimis : veni, mittam te ad eos. Quo respond  nte, Pr  sto sum, ait ei : Vade, et vide si cuncta pr  spera sint erga fratres tuos et p  c  ra : et ren  ntia mihi quid ag  tur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem : invenitque eum vir errantem in agro, et interrog  vit quid qu  reret. At ille resp  ndit : Fratres meos qu  ro : indica mihi, ubi pascant greges. Dixitque ei vir : Recesserunt de loco isto : audivi autem eos dicentes : e  mus in D  thain. Perr  xit ergo Joseph post fratres suos, et invenit eos in D  thain. Qui cum vidissent eum procul,   ntequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere : et mutuo loquebantur : Ecce somni  tor venit : venite, occid  mus eum, et mitt  mus in cist  rnam v  terem, dicem  sque : Fera p  ssima devor  vit eum : et tunc appar  bit quid illi prosint s  mnia sua.

R. Dixit Judas fr  tribus suis : Ecce Ismaelit  e trans-eunt : venite, venund  tur, et manus nostr  e non pol-

lu  ntur : \* Caro enim et frater noster est.

  . Quid enim prodest, si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus s  nguinem ipsius ? m  lius est ut venund  tur.

Caro enim.

## LECTIO III.

**A**UDIENS autem hoc Ruben, niteb  tur liber  re eum de m  nibus e  rum, et dicebat : Non interfici  tis   nimam ejus, nec effund  tis s  nguinem : sed projicite eum in cist  rnam hanc, qu   est in solit  dine, man  sque vestras serv  te inn  xias : hoc autem dicebat, volens eripere eum de m  nibus e  rum, et r  ddere patri suo. Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum t  nica tal  ri, et polymita : miser  ntque eum in cist  rnam v  terem, qu   non habebat aquam. Et sedentes ut comederent panem, viderunt Ismaelitas viat  res venire de G  laad, et cam  los e  rum portantes ar  mata, et resinam, et stacten in   gyptum. Dixit ergo Judas fr  tribus suis : Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus s  nguinem ipsius ? M  lius est ut venund  tur Ismaelitis, et manus nostr  e non pollu  ntur : frater enim et caro nostra est. Acquieverunt fratres serm  nibus illius. Et pr  tere  nti-

bus Madianitis negotiátoribus, extrahéntes eum de cisterna, vendidérunt eum Ismaelitis viginti argénteis : qui duxérunt eum in Ægyptum.

R. Extrahéntes Joseph de lacu, vendidérunt Ismaelitis viginti argénteis. \* Reversusque Ruben ad púteum, cum non invenisset eum, scidit vestiménta sua cum fletu, et dixit : \* Puer non compáret : et ego quo ibo ?

Y. At illi, intíncta túnica Joseph in sángine hædi, misérunt qui ferret eam ad patrem, et diceret : Vide, si túnica filii tui sit, an non.

Reversúsque Ruben.

Glória Patri.

Puer non.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Antiphona Bonórum meórum.

Psalmus Consérva me, cum reliquis, 11.

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi de sancto Joseph.

LECTIO IV.

[ Cap. 1. ]

SANCTORUM vita céteris norma vivéndi est. Ideoque digéstam plénius accépimus sériem Scripturárum ; ut dum Abraham, Isaac, et Jacob, ceterósque justos legéndo cognóscimus, velut quemdam nobis innocentíæ tráitem virtúte eórum reserátum imitántibus vesti-

Vern.

giis persecuámur. De quibus mihi cum frequens tractátus fúerit, hódie sancti Joseph história occúrrit : in quo cum plúrima fúerint génera virtútum, præcipue tamen insigne effúlsit castimóniæ. Justum est igitur ut, cum in Abraham didicéritis impigram fidei devotiónem, in Isaac sincéræ mentis puritátem, in Jacob singulárem animi laborúmque patiéntiam, ex illa generalitáte virtútum in ipsas spécies disciplinárum intendátis ánimum.

R. Videns Jacob vestiménta Joseph, scidit vestiménta sua cum fletu, et dixit : \* Fera péssima devorávit filium meum Joseph.

Y. Tulérunt autem fratres ejus tunicam illius, mitténtes ad patrem : quam cum cognovisset pater, ait.

Fera péssima.

LECTIO V.

SIT igitur nobis propósitus sanctus Joseph tanquam spéculum castitátis. In ejus enim móribus, in ejus áctibus luces pudicitia, et quidam splendet castimóniæ comes, nitor grátiae. Unde étiam a paréntibus plus quam céteri filii diligebátur. Sed ea res invidiæ fuit : quod siléntio prætereúndum non fuit : hinc enim arguméntum totíus históriæ procéssit : simul ut cognoscámus, perféctum virum non movéri ulciscéndi



dolóris invidia, nec malórum repéndere vicem. Unde et David ait : Si réddidi retribuéntibus mihi mala.

R). Josephi dum intráret in terram Ægypti, linguam quam non nóverat, audivit : manus ejus in labóribus serviérunt : \* Et lingua ejus inter príncipes loquebátur sapiéntiam.

Ÿ. Humiliavérunt in compédibus pedes ejus : ferrum pertránsiit ánimam ejus, donec veníret verbum ejus.

Et lingua.

#### LECTIO VI.

**Q**uid autem esset, quod præferri Joseph mererétur céteris, si aut lædéntes læsisset, aut diligéntes dilexisset? Hoc enim plerique faciunt. Sed illud mirábile, si diligas inimicum tuum : quod Salvátor docet. Jure ergo mirándus, qui hoc fecit ante Evangélium, ut læsus párceret, appetitus ignósceret, vénditus non reférret injúriam, sed grátiam pro contumélia sólveret : quod post Evangélium omnes didicimus, et serváre non póssumus. Discámus ergo et sanctórum invidiam, ut imitémur patiéntiam : et cognoscámus, illos non naturæ præstantiórius fuisse, sed observantiórius : nec vítia nescisse, sed emendásse. Quod si invidia étiam sanctos adússit, quanto ma-

gis cavéndum est ne inflámet peccatóres?

R). Meménto mei, dum bene tibi fúerit : \* Ut súggeras Pharaóni, ut edúcat me de isto cárcere : \* Quia furtim sublátus sum, et hic innocens in lacum missus sum.

Ÿ. Tres enim adhuc dies sunt, post quos recordábitur Phárao ministérii tui, et restituet te in gradum prístinum : tunc meménto mei.

Ut súggeras,

Glória Patri.

Quia furtim,

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona* Non sunt loquélæ.

*Psalmus* Cœli enarrant, cum reliquis, 15.

Lectio sancti Evangélii secundum Lucam.

#### LECTIO VII.

[Cap. 11.]

**I**n illo témpore, Erat Jesus ejiciens dæmónium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmónium, locútus est mutus, et admirátæ sunt turbæ. Et réliqua.

Homilia venerábilis Bedæ Presbyteri.

[Lib. 4, c. 48, in c. 11 Lucæ.]

**D**EMONIACUS iste apud Matthæum non solum mutus, sed et cæcus fuisse narrátur : curátusque dicitur a Dómino, ita ut loquerétur et vidéret. Tria ergo signa simul in uno hómine perpetrátæ sunt : cæcus videt, mutus lóquitur,



possessus a dæmone liberatur. Quod et tunc quidem carnaliter factum est, sed et quotidie complétur in conversione credentium: ut expulso primum dæmone, fidei lumen aspiciant; deinde ad laudes Dei tacéntia prius relaxentur. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beélzebub principe dæmoniórum éjicit dæmónia. Non hæc áliqui de turba, sed Pharisæi calumniabantur et Scribæ, sicut álii Evangelistæ testántur.

R. Mérito hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum, vidéntes angústias animæ ejus dum deprecáretur nos, et non audívimus: \* Idcirco venit super nos tribulatio.

Ÿ. Dixit Ruben fratribus suis: Numquid non dixi vobis: Nolite peccáre in puerum, et non audístis me?

Idcirco venit.

#### LECTIO VIII.

TURBIS quippe, quæ minus eruditæ videbantur, Dómini semper facta mirántibus; illi contra, vel negáre hæc, vel quæ negáre nequiverant, sinistra interpretatione pervértere laborábant: quasi non hæc divinitátis, sed immúndi spiritus ópera fuissent. Et álii tentántes, signum de cœlo quærébant ab eo. Vel in morem Eliæ ignem de sublimi veníre cupiebant: vel in similitúdinem Samué-

lis témpore æstivo mugíre tonítrua, coruscáre fúlgura, imbres rúere: quasi non possent et illa calumniári, dicere ex occúltis et váriis áeris passióibus accidisse. At tu, qui calumniáris ea quæ óculis vides, manu tenes, utilitáte sentis, quid féceris de iis, quæ de cœlo vénerint? Utique respondébis, et magos in Ægypto multa signa fecisse de cœlo.

R. Dixit Ruben fratribus suis: Numquid non dixi vobis: Nolite peccáre in puerum, et non audístis me? \* En sanguis ejus exquiritur.

Ÿ. Mérito hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum, vidéntes angústias animæ ejus, dum deprecáretur nos, et non audívimus.

En sanguis ejus.

#### LECTIO IX.

IPSE autem ut vidit cogitationes eórum, dixit eis: Omne regnum in seípsum divisum desolábitur, et domus supra domum cadet. Non ad dicta, sed ad cogitata respóndit: ut vel sic compelleréntur crédere poténtiæ ejus, qui cordis videbat occúlta. Si autem omne regnum in seípsum divisum desoláture: ergo Patris et Filii et Spíritus Sancti regnum non est divisum; quod sine ulla contradiccióne, non áliquo impúlsu desolándum

sed æterna est stabilitate mansurum. Si autem Sathanas in seipsum divisus est : quomodo stabit regnum ipsius, quia dicitis, in Beelzebub ejicere me demonia? Hoc dicens, ex ipsorum confessione volebat intelligi, quod in eum non credendo, in regno diaboli esse elegerent, quod utique adversum se divisum stare non posset.

R. Lamentabatur Jacob de duobus filiis suis : Eheu me, dolens sum de Joseph perduto, et tristis nimis de Benjamin ducto pro alimoniis! \* Precor coelestem Regem, ut me dolentem nimium faciat eos cernere.

✠. Prosternens se Jacob vehementer cum lacrymis pronus in terram, et adorans ait.

Precor coelestem.

Glória Patri.

Precor coelestem.

AD LAUDES.

*Antiphona.*

Fac benigne \* in bona voluntate tua, ut aedificentur, Domine, muri Jerúsalem.

*Psalmus Miserere mei*, 63.

*Antiphona.*

Dominus mihi adiutor est, \* non timebo quid faciat mihi homo.

*Psalmus Confitemini*, 25.

*Antiphona.*

Deus misereatur nostri, \* et benedicat nos.

*Psalmus Deus, Deus meus, cum reliquis*, 19.

*Antiphona.*

Vim virtutis suae \* oblitus est ignis : ut pueri tui liberarentur illæsi.

*Antiphona.*

Sol et luna, \* laudate Deum, quia exaltatum est nomen ejus solius.

CAPITULUM.

[ Ephes. c. 5. ]

**F**RATRES, Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi : et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

HYMNUS.

**O** SOL salutis, intimis,  
Jesu, refulge mentibus,  
Dum nocte pulsa gratior  
Orbi dies renascitur.

Dans tempus acceptabile,  
Da lacrymarum rivulis  
Lavare cordis victimam  
Quam læta adurat charitas.

Quo fonte manavit nefas,  
Fluent perennes lacrymæ,  
Si virga poenitentiae  
Cordis rigorem conterat.

Dies venit, dies tua,  
In qua reflorant omnia :  
Lætémur et nos in viam  
Tua reducti dextera.

Te prona mundi machina  
Clemens adoret, Trinitas :  
Et nos novi per gratiam  
Novum canamus canticum.

Amen.

✠. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Cum fortis armatus \* custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.

ORATIO.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, vota humilium respice: atque ad defensionem nostram dexteram tuæ majestatis extende. Per Dominum nostrum.

AD PRIMAM.

*Antiphona.*

Et cum eiecisset Jesus \* dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ.

AD TERTIAM.

*Antiphona.*

Si in digito Dei \* ejicio dæmonia, profecto pervenit in nos regnum Dei.

*Capitulum* Fratres, Estote, *ut supra*, 208.

R. *breve.* Ipse liberavit me, \* Delaqueo venantium. Ipse.

✠. Et a verbo áspero.

R. De laqueo.

Glória Patri. Ipse liberavit.

✠. Scápolis suis obumbrabit tibi.

R. Et sub pennis ejus sperabis.

AD SEXTAM.

*Antiphona.*

Qui non colligit mecum \*

dispérgit : et qui non est mecum contra me est.

CAPITULUM.

[ Ephes., c. 5. ]

Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi, et Dei.

R. *breve.* Scápolis suis, \* Obumbrabit tibi. Scápolis.

✠. Et sub pennis ejus sperabis.

R. Obumbrabit tibi.

Glória Patri. Scápolis.

✠. Scuto circúmdabit te veritas ejus.

R. Non timébis a timóre noctúrno.

AD NONAM.

*Antiphona.*

Cum immundus spiritus \* exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non invenit.

CAPITULUM.

[ Ephes., c. 5. ]

ERATIS enim aliquando tenebræ : nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate : fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate.

R. *breve.* Scuto circúmdabit te, \* Veritas ejus. Scuto.

✠. Non timébis a timóre noctúrno.

R. Veritas ejus.

Glória Patri. Scuto.

✠. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

#### AD VESPERAS.

*Antiphona et Psalmus*  
Dixit Dóminus, cum reliquis  
de Dominica, 134.

*Capitulum* Fratres, Estóte.

*Hymnus* Audi, benigne  
Cónditor, ut supra, 202.

✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

R. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Extóllens vocem quædam mulier de turba dixit: Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. At Jesus ait illi: Quinímo beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

*Oratio* Quæsumus, omnipotens, ut supra, 209.

*Post Vesperas diei dicuntur Vesperæ Defunctorum.*

~~~~~

#### FERIA SECUNDA.

##### AD MATUTINUM.

*Invitatorium de Psalterio.*

*Hymnus* Ex more docti, 3.  
*Antiphonæ et Psalmi* Nocturnorum de Psalterio, 52.

*Et sic dicitur etiam in aliis sequentibus Feriis.*

Lectio sancti Evángelii secundum Lucam.

##### LECTIO I.

[Cap. 4.]

In illo témpore, Dixit Jesus Pharisæis: Utique dicétis

mihi hanc similitúdinem: Médice, cura teípsum: quanta audívimus facta in Caphárnaum, fac et hic in pátria tua. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

[Lib. 4, in c. 4 Luc.]

Non mediocris invidia próditur, quæ civiçæ charitátis oblíta, in acérba ódia causas amoris infléctit. Simul hoc exémplo páriter et oráculo declárat, quod frustra opem misericórdiæ cœlestis expéctes, si aliénæ frúctibus virtútis invideas. Aspernátor enim Dóminus invidórum est, et ab iis, qui divína beneficia in áliis persecuúntur, mirácula suæ potestátis avértit. Domínicæ quippe carnis actus, divinitátis exémplum est: et invisibília nobis ejus per ea quæ sunt visibília demonstrántur.

R. Tóllite hinc vobíscum múnera, et ite ad dóminum terræ: et cum invenéritis, adoráte eum super terram: \* Deus autem meus fáciat eum vobis placábilem: et remittat et hunc fratrem vestrum vobíscum, et eum quem tenet in vînculis.

✠. Súmite de óptimis terræ frúgibus in vasis vestris, et deférte viro múnera.

Deus autem.

##### LECTIO II.

Non otiose itaque Salvátor



excusat, quod nulla in patria sua miracula virtutis operatus sit: ne fortassis aliquis viliorem patriam nobis esse debere putaret affectum. Neque enim cives poterat non amare qui amaret omnes: sed ipsi se charitate patriam, dum invident, abdicarunt. In veritate dico vobis: multae viduae fuerunt in diebus Eliae. Non quia Eliae dies fuerunt, sed in quibus Elias operatus est: aut quia Elias dies faciebat illis, qui in ejus operibus lucem videbant gratiae spiritualis, et convertebantur ad Dominum. Et ideo aperiebatur coelum videntibus aeterna et divina mysteria: claudebatur, et fames erat, quando nulla erat cognoscenda divinitatis ubertas. Sed de hoc plenius diximus, cum de Viduis scriberemus.

℞. Iste est frater vester minimus, de quo dixeratis mihi? Deus misereatur tibi, fili mi. \* Festinavitque in domum, et ploravit: quia erumpabant lacrymae, et non poterat se continere.

℥. Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin stantem: et commota sunt omnia viscera ejus super fratre suo.

Festinavitque.

#### LECTIO III.

ET multi leprosi erant in Judaea temporibus Elisaei Pro-

phetæ: et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Evidenter hic sermo nos Domini salutaris informat, et ad studium venerandae divinitatis hortatur quod nemo sanatus ostenditur, et maculosi morbo corporis absolutus, nisi qui religioso officio studuit sanitati. Non enim dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur. Diximus in libro alio, in vidua illa ad quam Elias directus est, typum Ecclesiae praemissum. Pópulus Ecclesiam congregavit, ut sequatur pópulus ille ex alienigenis congregatus. Pópulus ille ante leprosus, pópulus ille ante maculosus, priusquam mystico baptizaretur in flumine: idem post sacramenta baptismatis maculis corporis et mentis ablutus, jam non lepra, sed immaculata virgo coepit esse sine ruga.

℞. Dixit Joseph undecim fratribus suis: Ego sum Joseph, quem vendidistis in Aegyptum: adhuc vivit pater noster senior, de quo dixeratis mihi? \* Ite, adducite eum ad me, ut possit vivere.

℥. Biennium enim est quod coepit esse fames in terra: et adhuc restant anni quinque, quibus nec arari poterit nec meti.

Ite, adducite.

Glória Patri.

Ite, adducite.

## AD LAUDES.

*Antiphona et Psalmus*  
Miserere mei, cum reliquis  
de Psalterio, 63.

## CAPITULUM.

[Isai. c. 58.]

**CLAMA**, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.

*Hymnus* O sol salutis, ut supra, 208.

✠. Angelis suis Deus mandavit de te.

℣. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Amen dico vobis, \* quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.

*Deinde dicuntur preces,* 66.

## ORATIO.

**C**ORDIBUS nostris, quaesumus, Domine, gratiam tuam benignus infunde, ut, sicut ab escis carnalibus abstinemus, ita sensus quoque nostros a noxiis retrahamus excessibus. Per Dominum nostrum.

*Hodie dicitur Officium Defunctorum.*

## AD VESPERAS.

*Antiphona* Inclinauit.

*Psalmus* Diléxi, cum reliquis de Psalterio, 138.

## CAPITULUM.

[Joelis c. 2]

**I**NTER vestibulum et altare

plorabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent: Parce, Domine, parce populo tuo; et ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.

*Hymnus* Audi, benigne, 202.

✠. Angelis suis Deus mandavit de te.

℣. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Jesus autem \* transiens per medium illorum ibat.

*Deinde dicuntur Preces,* 66.

## ORATIO.

**S**UBVENIAT nobis, Domine, misericordia tua, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvári. Per Dominum nostrum.

## FERIA TERTIA.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

## LECTIO I.

[Cap. 18.]

**I**N illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te ipsum solum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Serm. 16 de verbis Domini.]

**Q**UARE illum corripis, quia tu doles, quod peccaverit in

te? Absit. Si amore tui id facis, nihil facis: si amore illius facis, optime facis. Denique in ipsis verbis attende, cujus amore id facere debeas, utrum tui an illius. Si te audierit, inquit, lucratus es fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucraris illum. Sic faciēdo lucrāris: nisi fecisses, perierat. Quid est ergo, quod plerique homines ista peccata contemnunt, et dicunt: Quid magnum feci? in hominem peccavi. Noli contemnere. In hominem peccasti.

℣. Nuntiaverunt Jacob dicentes: Joseph filius tuus vivit, et ipse dominatur in tota terra Ægypti. Quo audito revixit spiritus ejus, et dixit: \* Sufficit mihi, vadam et videbo eum antequam moriar.

Ÿ. Cumque audisset Jacob quod filius ejus viveret, quasi de gravi somno evigilans, ait.

Sufficit mihi.

#### LECTIO II.

VIS nosse quia, in hominem peccando, peristi? Si te ille, in quem peccasti, corripuerit inter te et ipsum solum, et audieris illum, lucratus est te. Quid est, Lucratus est te, nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam si non perieras, quomodo te lucratus est? Nemo ergo contemnat, quando pec-

cat in fratrem. Ait enim quodam loco Apostolus: Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis: ideo quia membra Christi omnes facti sumus. Quomodo non peccas in Christum, qui peccas in membrum Christi?

℣. Joseph dum intraret in terram Ægypti, linguam quam non noverat, audivit; manus ejus in laboribus serviērunt: \* Et lingua ejus inter principes loquebatur sapientiam.

Ÿ. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus: ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus.

Et lingua.

#### LECTIO III.

NEMO ergo dicat, quia non peccavi in Deum, sed peccavi in fratrem: in hominem peccavi, leve, vel nullum peccatum est. Forte inde dicis: leve est, quia cito curatur. Peccasti in fratrem: fac satis, et sanatus es. Cito fecisti mortiferam rem, sed remedium cito invenisti. Quis nostrum speret regnum cœlorum, fratres mei, quando dicit evangelium: Qui dixerit fratri suo, fátue, reus erit gehennæ ignis? Magnus terror: sed vide ibi remedium. Si obtuleris munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet

aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare. Non irascitur Deus, quia differt imponere munus tuum : te quaerit Deus magis quam munus tuum.

R. Meménto mei, dum béne tibi fúerit : \* Ut súggeras Pharaóni, ut edúcat me de isto cárcere : \* Quia furtim sublátus sum, et hic innocens in lacum missus sum.

V. Tres enim adhuc dies sunt, post quos recordábitur Phárao ministérii tui, et restituet in te in gradum prístinum : tunc meménto mei.

Ut súggeras.

Glória Patri.

Quia furtim.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Si duo ex vobis \* consenserint super terram, de omni re quamcúmque petierint, fiet illis a Patre meo, dicit Dóminus.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

EXAUDI nos, omnipotens et miséricors Deus : et continentiae salutáris propítius nobis dona concéde. Per Dóminum nostrum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Ubi duo, \* vel tres congregáti fúerint in nómine meo, in médio eórum sum, dicit Dóminus.

*Deinde dicuntur preces, 66.*

ORATIO.

TUA nos, Dómine, proteccióne defénde : et ab omni semper iniquitate custódi. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

FERIA QUARTA.

*Hodie dicuntur Psalmi Graduales.*

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum.

LECTIO I.

[Cap. 15.]

IN illo témpore, Accesserunt ad Jesum ab Jerosólymis Scribæ et Pharisei, dicentes : Quare discipuli tui transgrediúntur traditionem seniorum? Et reliqua.

Homilia sancti Hierónymi presbytéri.

[Lib. 2 Comm. in, c. 15 Matt.]

MIRA Phariseórum Scribarúmque stultitia! Dei Filium arguunt, quare hóminum traditiones et præcepta non servet. Non enim lavant manus suas, cum panem mandúcant. Manus, id est ópera, non córporis útique, sed animæ lavándæ sunt, ut fiat in illis verbum Dei. Ipse autem respóndens, ait illis : Quare et vos transgredimini mandátum Dei propter traditionem vestram? Falsam calúmniam vera responsiône confutat. Cum, inquit, vos propter traditionem hóminum præcepta Dómini negligátis ; quare discipulos



meos arguēdos putátis, quód seniórū jussa parvipēdant, ut Dei scita custódiant?

R. Mérito hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum, vidētes angústias animæ ejus, dum deprecáretur nos, et non audívimus: \* Idcirco venit super nos tribulatio.

Ÿ. Dixit Ruben frátribus suis: Numquid non dixi vobis: Nolite peccáre in púerum, et non audistis me?

Idcirco venit.

#### LECTIO II.

**N**AM Deus dixit, Honóra patrem: et, qui maledixerit patri, vel matri, morte moriátur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcúmque est ex me, tibi próderit: et non honorificábit patrem suum, aut matrem suam. Honor in Scriptúris non tantum in salutatióibus et officiis deferēdis, quantum in elemósynis, ac múnery oblatiōe sentitur. Honóra, inquit Apóstolus, víduas, quæ vere víduæ sunt. Hic honor donum intelligitur. Et in alio loco: Presbyteri dúplici honóre honoránde sunt, máxime qui labórant in verbo et doctrina Dei. Et per hoc mandátum jubémur bovi trituránti os non cláudere: et dignus sit operárius mercéde sua.

R. Dixit Ruben frátribus suis: Numquid non dixi vobis, Nolite peccáre in púerum, et non audistis me? \* En sanguis ejus exquiritur.

Ÿ. Mérito hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum, vidētes angústias animæ ejus, dum deprecáretur nos, et non audívimus.

En sanguis.

#### LECTIO III.

**P**RÆCEPERAT Dóminus, vel imbecillitátes, vel ætátes, vel penúrias paréntum considérans, ut filii honorárent, étiam in vitæ necessariis ministrándis, paréntes suos. Hanc providentíssimam Dei legem voléntes Scribæ et Pharisei subvértete, ut impietátem sub nómine pietátis indúcerent, docuérunt pésimos filios, ut si quis ea, quæ paréntibus offerénda sunt, Deo vovére volúerit, qui verus est Pater, oblátio Dómini præponátur paréntum munéribus: vel certe ipsi paréntes, quæ Deo consecráta cernébant, ne sacrilégii crimen incúrrerent, declinántes, egestáte conficiebántur. Atque ita fiébat, ut oblátio liberórum sub occasiōe templi et Dei, in sacerdotum lucra céderet.

R. Lamentabátur Jacob de duóbus filiis suis: Heu me, dolens sum de Joseph pérdito, et tristis nimis de Bén-

jamín ducto pro alimóniis ! \*  
Precor cœléstem Regem , ut  
me doléntem nímium fáciat  
eos cérnere.

✠. Prostérnens se Jacob  
veheménter cum lácrymis  
pronus in terram , et adór-  
rans , ait.

Precor.

Glória Patri.

Precor.

*Ad Benedictus , Antiphona.*

Audíte \* et intelligite tra-  
ditiónes , quas Dóminus dedit  
nobis.

*Deinde dicuntur Preces ,*  
66.

ORATIO.

**P**RÆSTA nobis , quæsumus ,  
Dómine , ut salutáribus jejú-  
niis erudíti , a nóxiis quoque  
vitiis abstinéntes , propitia-  
tiónem tuam facílius impe-  
trémus. Per Dóminum nos-  
trum Jesum Christum Fílium  
tuum.

*Ad Magnificat , Antiphona.*

Non lotis mánibus \* man-  
ducáre , non coínquinat hó-  
minem.

*Deinde dicuntur Preces ,*  
66.

ORATIO.

**C**ONCEDE , quæsumus , omni-  
potens Deus , ut , qui protec-  
tiónis tuæ grátiam quærimus ,  
liberáti a malis ómnibus , se-  
cúra tibi mente serviámus.  
Per Dóminum.

## FERIA QUINTA.

Léctio sancti Evangélii se-  
cúndum Lucam.

LECTIO I.

[Cap. 4.]

**I**N illo témpore , Surgens  
Jesus de synagóga , introiit  
in domum Simónis. Socrus  
autem Simónis tenebátur  
magnis fébribus. Et réliqua.

Homilia sancti Ambrósii  
Epíscopi.

[Lib. 4 in Lucæ c. 43.]

**V**IDE clémentiam Dómini  
Salvatóris : nec indignatióne  
commótus , nec scélere offén-  
sus , nec injúria violátus Ju-  
dæam déserit qui étiam im-  
memor injúriæ , memor cle-  
méntiæ , nunc docéndo , nunc  
liberándo , nunc sanándo ,  
infidæ plebis corda demúlcet.  
Et bene sanctus Lucas virum  
ab spíritu nequitiæ liberátum  
ante præmisit , et subdit fœ-  
minæ sanitátem. Utrúmque  
enim sexum Dóminus cura-  
túrus advénerat : sed prior  
sanári débuit , qui prior  
creátus est , nec prætermít-  
ti illa quæ mobilitáte magis  
ánimi quam pravitate pec-  
cáverat.

℞. Vidéntes Joseph a longe ,  
loquebántur mútuo fratres ,  
dicéntes : Ecce somniátor ve-  
nit : \* Venite , occidámus  
eum , et videámus si prosint  
illi sómnia sua.

✠. Cumque vidissent Jo-

seph fratres sui, quod a patre cunctis fratribus plus amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam pacífice loqui, unde et dicébant.

Veníte.

#### LECTIO II.

**S**ABBATO medicinæ Domínicæ ópera cœpta significat, ut inde nova creatúra cœperit, ubi vetus creatúra ante desívit : nec sub lege esse Dei Fílium, sed supra legem in ipso princípío designáret : nec solvi legem, sed impléri. Neque enim per legem, sed verbo factus est mundus, sicut légimus : Verbo Dómini cœli firmáti sunt. Non sólvitur ergo lex, sed implétur : ut fiat renovátio hóminis jam labéntis. Unde et Apóstolus ait : Expoliánte vos vétèrem hóminem, induíte novum, qui secúndum Deum creátus est.

¶. Dixit Judas fratribus suis : Ecce Ismaelitæ transeunt : veníte, venundétur, et manus nostræ non polluantur : \* Caro enim et frater noster est.

¶. Quid enim prodest, si occidérimus fratrem nostrum, et celavérimus ságuinem ipsíus? mélius est ut venundétur.

Caro enim.

#### LECTIO III.

**E**t bene sabbato cœpit, ut ipsum se osténderet Creatórem, qui ópera opéribus in-

téxeret, et prosequerétur opus, quod ipse jam cœperat : ut si domum faber renováre dispónat, non a fundámentis, sed a culmínibus incipit sólvare vetustátem. Itaque ibi prius manum ádmovet, ubi ante desíerat : deinde a minóribus incipit, ut ad majóra pervéniat. Liberáre a dæmone et hómines, sed in verbo Dei, possumus : resurrectionem mórtuis imperáre, divínæ sólius est potestátis. Fortáassis étiam in typo mulieris illius socrus Simónis et Andréæ, váriis criminum fébribus caro nostra languébat, et diversárum cupiditátum immódicis æstuábat illécebris. Nec minórem febrem amóris esse dixerim, quam calóris. Itaque illa ánimum, hæc corpus inflámmat. Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libído est, febris nostra luxúria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracúndia est.

¶. Extrahéntes Joseph de lacu, vendidérunt Ismaelitis viginti argénteis : \* Reversúsque Ruben ad púteum, cum non invenísset eum, scidit vestiménta sua cum fletu, et dixit : \* Puer non compáret, et ego quo ibo?

¶. At illi intíncta túnica Joseph in ságuine hædi, misérunt qui ferret eam ad patrem, et diceret : Vide si túnica filii tui sit, an non.

Reversusque.

Glória Patri.

Puer non.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Exibant autem \* dæmónia a multis clamántia, et dicéntia, quia tu es Christus Filius Dei: et increpans non sinébat ea loqui, quia scié-  
bant ipsum esse Christum.

*Deinde dicuntur Preces, 66.*

ORATIO.

**M**AGNIFICET te, Dómine, sanctórum tuórum Cosmæ et Damiáni beáta solémnitas: qua et illis glóriam sempitérnam, et opem nobis ineffá-  
bili providéntia contulisti. Per Dóminum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Omnes qui habébant \* infirmos, ducébant illos ad Jesum, et sanabántur.

*Deinde dicuntur Preces, 66.*

ORATIO.

**S**UBJECTUM tibi pópulum, quæsumus, Dómine, propitiátio cœléstis amplíficet: et tuis semper fáciat servire mándatis. Per Dóminum.

~~~~~

FERIA SEXTA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO I.

[Cap. 4.]

**I**N illo témpore, Venit Jesus in civitátem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium, quod dedit Jacob

Joseph filio suo. Et reliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

[Tract. 15 in Joan.]

**J**AM incipiunt mystéria. Non enim frustra fatigátur Jesus: non enim frustra fatigátur virtus Dei: non enim frustra fatigátur, per quem fatigáti recreántur: non enim frustra fatigátur, quo deserénte fatigámur, quo præsénte firmámur. Fatigátur tamen Jesus, et fatigátur ab itinere, et sedet, et juxta púteum sedet, et hora sexta fatigátus sedet. Omnia ista innuunt áliquíd, indicáre volunt áliquíd: inténtos nos fáciunt; ut pulsémus, hortántur. Ipse ergo apériat et nobis et vobis, qui dignátus est ita hortári, ut diceret: Pulsáte, et aperiétur vobis.

**R**. Videns Jacob vestiménta Joseph, scidit vestiménta sua cum fletu, et dixit: \* Fera péssima devorávit filium meum Joseph.

**Y**. Tulérunt autem fratres ejus tunicam illius, mitténtes ad patrem; quam cum cognovisset pater, ait.

Fera péssima.

LECTIO II.

**T**IBI fatigátus est ab itinere Jesus. Invénimus infirmum Jesum: fortem, et infirmum. Fortem, quia in princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in princi-



pio apud Deum. Vis vidére quamis te Filius Dei fortis sit? Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: et sine labóre facta sunt. Quid ergo illo fórtius, per quem sine labóre facta sunt ómnia? Infirmum vis nosse? Verbum caro factum est, et habitávit in nobis. Fortitúdo Christi te creávit, infirmitas Christi te creávit. Fortitúdo Christi fecit, ut quod erat, non períret. Cóndidit nos fortitúdine sua, quæsívit nos infirmitáte sua.

℞. Joseph dum intráret in terram Ægypti, linguam quam non nóverat, audívit: manus ejus in labóribus serviérunt: \* Et lingua ejus inter príncipes loquebátur sapiéntiam.

℣. Humiliavérunt in compédibus pedes ejus: ferrum pertránsiit ánimam ejus, donec veníret verbum ejus.

Et lingua.

LECTIO III.

NUTRIT ergo ipse infirmus infirmos, tanquam gallina pullos suos: huic enim se similem fecit. Quóties vólui, inquit ad Jerúsalem, congregáre filios tuos sub alas tanquam gallina pullos suos, et noluisti? Vidétis autem, fratres, quemádmódum gallina infirmétur cum pullis suis. Nulla enim ália avis quod sit mater, agnóscitur. Vidémus nidificáre pásseres quós-

libet ante óculos nostros: hirúndines, cicónias, colúmbas quotidie vidémus nidificáre: quos, nisi quando in nidis vidémus, paréntes esse non agnóscimus. Gallina vero sic infirmátur in pullis suis, ut étiam si ipsi pulli non sequántur, filios non vídeas, matrem tamen intélligas.

℞. Meménto mei, dum bene tibi fúerit: \* Ut súggeras Pharaóni, ut edúcat me de isto cárcere: \* Quia furtim sublátus sum, et hic innocens in lacum missus sum.

℣. Tres enim adhuc dies sunt, post quos recordábitur Phárao ministérii tui, et restituet te in gradum prístinum: tunc meménto mei.

Ut súggeras.

Glória Patri.

Quia furtim.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Aquam quam ego dédero, \* si quis bíberit ex ea, non sitiet in ætérnum.

*Deinde dicuntur preces, 66.*

ORATIO.

JEJUNIA nostra, quæsumus, Dómine, benigno favóre proséquere: ut, sicut ab alimentis abstinémus in corpore, ita a vítiis jejunémus in mente. Per Dóminum.

*Hodie dicuntur Psalmi Pœnitentiales.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Dómine, \* ut vídeo, Prophéta es tu: patres nostri in monte hoc adoravérunt.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

## ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui in tua protectione confidimus, cuncta nobis adversantia, te adjuvante, vincamus. Per Dóminum nostrum.

~~~~~

## SABBATO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joánnem.

## LECTIO I.

[Cap. 8.]

**I**N illo tempore, Perréxit in montem Olivéti, et dilúculo iterum venit in templum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 33 in Joann.]

**J**ESUS perréxit in montem Olivéti, in montem fructuosum, in montem unguenti, in montem chrismatis. Ubi enim decébat docére Christum, nisi in monte Olivéti? Christi enim nomen a chrismate dictum est: chrisma autem græce, latine únctio nomináitur. Ideo autem nos unxit, quia luctatores contra diábolum fecit. Et dilúculo iterum venit in templum, et omnis pópulus venit ad eum: et sedens decébat eos, et non tenebátur. Nunc jam atténdite, ubi ab inimicis tentáta sit Dómini mansuetúdo.

℞. Mérito hæc pátimur,

quia peccávimus in fratrem nostrum, vidéntes augústias animæ ejus, dum deprecarétur nos et non audivimus; \* Idcirco venit super nos tribulatio.

℣. Dixit Ruben fratribus suis: Numquid non dixi vobis: Nolite peccáre in púerum, et non audistis me?

Idcirco.

## LECTIO II.

**A**DDUCUNT autem illi Scribæ et Pharisæi mulierem in adultério deprehénsam, et statuerunt eam in médio, et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehénsa est in adultério: in lege autem Móyses mandávit nobis hujusmodi lapidáre: tu ergo quid dicis? Hæc autem dicebant tentántes eum, ut possent accusáre? Numquid ipsum in áliquo facínore deprehénderant, aut illa mulier ad eum áliquo modo pertinuisse dicebátur?

℞. Dixit Ruben fratribus suis: Numquid non dixi vobis, Nolite peccáre in púerum, et non audistis me? \* En sanguis ejus exquiritur.

℣. Mérito hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum, vidéntes angústias animæ ejus, dum deprecarétur nos, et non audivimus.

En sanguis.

## LECTIO III.

**I**NTELLIGAMUS, fratres, admirabilem mansuetúdinem in

Dómino fuisse. Animadver-  
terunt eum nimium esse man-  
suetum. De illo quippe fue-  
rat ante prædictum: Accin-  
gere gládio tuo circasemur  
tuum, potentissime. Spécie  
tua et pulchritudine tua inténde,  
prósperè procéde, et regna:  
propter veritatem, et  
mansuetudinem, et justitiam.  
Ergo attulit veritatem ut doc-  
tor, mansuetudinem ut libe-  
rator, justitiam ut cónitor.  
Propter hæc eum esse regna-  
túrum in Spíritu Sancto Pro-  
pheta prædixerat. Cum lo-  
queretur, veritas agnoscebá-  
tur: cum adversus inimicos  
non moveretur, mansuetudo  
laudabatur. Cum ergo de duó-  
bus istis, id est de veritate  
et mansuetudine ejus, inimici  
livóre et invidia torquerén-  
tur, in tertio, id est justitia,  
scándalum posuerunt.

¶ Lamentabatur Jacob de  
duobus filiis suis: Heu me,  
dolens sum de Joseph pér-  
dito, et tristis nimis de Bén-  
jamin ducto pro alimóniis!  
\* Precor cœlestem Regem,  
ut me dolentem nimium fá-  
ciat eos cernere.

† Prosternens se Jacob ve-  
hementer cum lacrymis pro-  
nus in terram, et adorans, ait.

Precor cœlestem.

Glória Patri.

Precor cœlestem.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Inclinavit se Jesus, \* et  
scribēbat in terra: si quis

sine peccato est, mittat in eam  
lápide.

*Deinde dicuntur Preces,  
ut supra, 66.*

ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omni-  
tens Deus, ut qui se, affli-  
gendo carnem, ab aliméntis  
abstinent, sectando justitiam,  
a culpa jejúnent. Per Dómi-  
num nostrum.

AD VESPERAS.

CAPITULUM.

[Galat. c. 4.]

**F**RATRES, scriptum est, Quó-  
niam Abraham duos filios  
hábuit: unum de ancilla, et  
unum de libera. Sed qui de  
ancilla, secúndum carnem  
natus est: qui autem de líbe-  
ra, per repromissionem: quæ  
sunt per allegoriam dicta.

HYMNUS.

**A**UDI, benigne Cónitor,  
Nostras preces cum flétibus,  
In hoc sacro jejúnio  
Fusas quadragenário.

Scrutátor alme córdium,  
Infirma tu scis vírium:  
Ad te revérsis exhibe  
Remissionis grátiam.

Multum quidem peccávi-  
mus,

Sed parce confiténtibus:  
Ad nóminis laudem tui  
Confer medélam lánguidis.

Concéde nostrum cónteri  
Córpus per abstinentiam,  
Culpæ ut relinquant pábulum  
Jejuna corda criminum.

Præsta, beáta Trínitas,  
Concéde, simplex Unitas,

Ut fructuosa sint tuis  
Jejuniorum munera.

Amen.

✠. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Nemo te condemnavit, mulier? nemo, Domine: nec ego te condemnabo: jam amplius noli peccare.

ORATIO.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiramus. Per Dominum nostrum.

~~~~~

#### DOMINICA IV

IN QUADRAGESIMA.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium* Non sit vobis vanum, cum reliquis usque ad Lectiones, ut in Psalterio, 2.

De libro Exodi.

LECTIO I.

[ Cap. 3. ]

MOYSES autem pascébat oves Jethro sóceri sui sacerdotis Márian: cumque mináset gregem ad interiúra desérti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de médio rubi: et vidébat quod rubus ardéret, et non comburerétur. Dixit ergo Móyses: Vadam, et vidébo visionem hanc magnam, quare non comburátur rubus. Cernens autem Dómi-

nus quod pérgeret ad vidéndum, vocávit eum de médio rubi, et ait: Móyses, Móyses. Qui respóndit: Adsum. At ille: Ne apprópies, inquit, huc: solve calceaméntum de pédibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est. Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Abscóndit Móyses faciém suam: non enim audébat aspícere contra Deum.

R. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Descénde in Ægyptum, et dic Pharaóni \* Ut dimíttat pópulum meum: indurátum est cor Pharaónis: non vult dimítttere pópulum meum, nisi in manu forti.

✠. Clamor filiórum Israel venit ad me, vidique afflictiónem eórum: sed veni, mit-tam te ad Pharaónem.

Ut dimíttat.

LECTIO II.

CUI ait Dóminus: Vidi afflictiónem pópuli mei in Ægypto, et clamórem ejus audívi propter durítiam eórum, qui præsunt opéribus: et sciens dolórem ejus, descénde, ut liberem eum de mánibus Ægyptiórum, et edúcam de terra illa in terram bonam, et spatiósam, in terram quæ fluit lacte et melle, ad loca Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi. Clamor ergo filiórum Israel venit ad



me : vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. Sed veni et mitte te ad Pharaonem, ut educes populum meum, filios Israel de Ægypto.

℞. Stetit Moyses coram Pharaone, et dixit : Hæc dicit Dominus : \* Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.

Ÿ. Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens. Dimitte.

## LECTIO III.

**DIXITQUE** Moyses ad Deum : Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Ægypto ? Qui dixit ei : Ego ero tecum : et hoc habebis signum, quod miserum te : Cum eduixeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum. Ait Moyses ad Deum : Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis : Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi : Quod est nomen ejus ? quid dicam eis ? Dixit Deus ad Moysen : Ego sum qui sum. Ait : Sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysen : Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos : hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in

generationem et generationem.

℞. Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est : equum et ascensorem projecit in mare : \* Adjutor et protector factus est mihi Dominus in salutem.

Ÿ. Dominus quasi vir puginator ; omnipotens nomen ejus.

Adjutor.

Glória Patri.

Adjutor.

## IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona* Bonorum meorum.

*Psalmus* Conserva me, cum reliquis, 11.

Sermo sancti Basilii magni.

## LECTIO IV.

[Homil. 1 de jejunio.]

**MOYSEN** per jejunium novimus in montem ascendisse : neque enim aliter ausus esset verticem fumantem adire, atque in caliginem ingredi, nisi jejunio munitus. Per jejunium mandata digito Dei in tabulis conscripta suscepit. Item supra montem, jejunium legis latæ conciliator fuit : inferius vero gula ad idololatriam populum deduxit, ac contaminavit. Sedit, inquit, populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Quadraginta dierum laborem ac perseverantiam, Dei servo continuo jejunante ac orante, una tan-

tum pópuli ebrietas cassam irritámque réddidit. Quas enim tábulas Dei digito conscriptas jejúnium accépit, has ebrietas contrívit: Prophéta sanctissimo indignum existimánte, vinoléntum pópulum a Deo legem accipere.

R. In mari viæ tuæ, et semitæ tuæ in aquis multis: \* Deduxisti sicut oves pópulum tuum in manu Móysi et Aaron.

Y. Transtulisti illos per mare Rubrum, et transvexisti eos per aquam nimiam.

Deduxisti.

#### LECTIO V.

UNO témporis moménto ob gulam pópulus ille per máxima prodigia Dei cultum edóctus, in ægyptiacam idololatriam turpissime devolutus est. Ex quo, si utrúmque simul cónferas, vidére licet, jejúnium ad Deum dúcere, delicias vero salutem perdere. Quid Esau inquinávit, servúmque fratris réddidit? nonne esca una, propter quam primogénita véndidit? Samuélem vero nonne per jejúnium oratio largita est matri? Quid fortissimum Samsónem inexpugnábilem réddidit? nonne jejúnium, cum quo in matris ventre concéptus est? Jejúnium concépit, jejúnium nutrívit, jejúnium virum effécit. Quod sane Angelus matri præcépit,

monens, quæcúmque ex vite procéderent, ne attingeret, non vinum, non síceram biberet. Jejúnium Prophétas génuit, poténtes confirmat atque róborat.

R. Qui persequébántur pópulum tuum, Dómine, deduxisti eos in profúndum: \* Et in colúmna nubis ductor eórum fuisti.

Y. Deduxisti sicut oves pópulum tuum in manu Móysi et Aaron.

Et colúmna.

#### LECTIO VI.

JEJUNIUM legislatóres sapientes facit: animæ óptima custódia, córporis sócius securus, fórtibus viris munimentum et arma, athlétis et certántibus exercitatio. Hoc præterea tentatiónes propúlsat, ad pietátem armat, cum sobrietáte hábitat, temperántiæ ópifex est: in bellis fortitúdinem affert, in pace quiétem docet: Nazaræum sanctificat, sacerdotem perficit: neque enim fas est sine jejúnio sacrificium attingere, non solum in mystica nunc et vera Dei adoratióne, sed nec in illa, in qua sacrificium secúndum legem in figúra offerebátur. Jejúnium Eliam magnæ visiónis spectatórem fecit: quadraginta namque diérum jejúnio cum ánimam purgáset, in spelúnca mérui, quantum fas est hómini, Deum vidére.

Móyses iterum legem accipiens, iterum jejúnia secútus est. Ninivítæ, nisi cum illis et bruta jejunássent, ruínæ minas nequáquam evassissent. In desérto autem quorúmnam membra ceciderunt? nonne illórum qui carnes appetivére?

℞. Móyses fámulus Dei jejunávit quadraginta diébus et quadraginta nóctibus : \* Ut legem Dómini mererétur accipere.

†. Ascéndens Móyses in montem Sínai ad Dóminum, fuit ibi quadraginta diébus et quadraginta nóctibus.

Ut legem.

Glória Patri.

Ut legem.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona* Non sunt loquelæ.

*Psalmus* Cœli enarrant, cum reliquis, 15.

Lectio sancti Evangélii secundum Joánnem.

LECTIO VII.

[Cap. 6.]

In illo témpore, Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis : sequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant signa, quæ faciébat super his, qui infirmabántur. Et reliqua.

Homilia sancti Augustíni Episcopi.

[Tract. 24 in Joann.]

MIRACULA, quæ fecit Dómi-

nus noster Jesus Christus, sunt quidem divína ópera, et ad intelligéndum Deum de visibilibus ádmonent humánam mentem. Quia enim ille non est talis substántia, quæ vidéri óculis possit; et mirácula ejus, quibus totum mundum regit, universámque creatúram administrat, assiduitáte viluérunt, ita ut pene nemo dignétur atténdere ópera Dei mira et stupénda in quólibet séminis grano : secúndum ipsam suam misericórdiam servávit sibi quædam, quæ fáceret opportúno témpore præter usitátum cursum ordinémque natúræ; ut non majóra, sed insólita vidéndo, stupérent, quibus quotidiana viluérant.

℞. Spléndida facta est fácies Móysi, dum respiceret in eum Dóminus : \* Vidéntes senióres claritátem vultus ejus, admirántes timuérunt valde.

†. Cumque descendisset de monte Sínai, portábat duas tábulas testimónii, ignorans quod cornúta esset fácies ejus ex consórtio sermonis Dei.

Vidéntes senióres.

LECTIO VIII.

MAJUS enim miráculum est gubernátio totius mundi, quam saturátio quinque míllium hóminum de quinque pánibus. Et tamen hoc nemo

miratur : illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est. Quis enim et nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat? Fecit ergo quo modo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes : potestas enim erat in manibus Christi. Panes autem illi quinque quasi semina erant, non quidem terrae mandata, sed ab eo qui terram fecit multiplicata.

R. Ecce mitto Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat semper : \* Observa et audi vocem meam, et inimicus ero inimicis tuis, et affligentes te affligam : et praecedet te Angelus meus.

Y. Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum : ego enim Dominus.

Observa.

#### LECTIO IX.

Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens : et exhibitum oculis, ubi exerceretur intellectus : ut invisibilem Deum perabilia opera mirarémur, et erecti ad fidem, et purgati per fidem, etiam ipsum invisibilem videre cuperémur, quem de rebus visibilibus invisibilem noscerémur. Nec tamen sufficit haec intueri in mirá-

culis Christi. Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo : habent enim, si intelligantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est : etiam factum Verbi, verbum nobis est.

R. Attendite, popule meus, legem meam : \* Inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Y. Aperiam in parabolis os meum : loquar propositiones ab initio saeculi.

Inclinate.

Glória Patri.

Inclinate.

#### AD LAUDES.

##### *Antiphona.*

Tunc acceptabis \* sacrificium justitiae, si averteris faciem tuam a peccatis meis.

*Psalmus* Miserere mei, 63.

##### *Antiphona.*

Bonum est \* sperare in Domino, quam sperare in principibus.

*Psalmus* Confitemini Domino, 25.

##### *Antiphona.*

Benedicat nos Deus, \* Deus noster, benedicat nos Deus.

*Psalmus* Deus, Deus meus, cum reliquis, 19.

##### *Antiphona*

Potens es, \* Domine, eripere nos de manu forti : libera nos, Deus noster.



*Antiphona.*

**Reges terræ,\* et omnes populi,** laudáte Deum.

## CAPITULUM.

[Gal., c. 4.]

**F**RATRES, Scriptum est, Quóniam Abraham duos filios hábuit: unum de ancilla, unum de libera. Sed qui de ancilla, secúndum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta.

## HYMNUS.

**O**SOL salutis, íntimis,  
Jesu, refúlge méntibus,  
Dum nocte pulsa grátior  
Orbi dies renáscitur.

Dans tempus acceptáble,  
Da lacrymárum rívilis  
Laváre cordis víctimam  
Quam læta adúrat Cháritas.

Quo fonte manávit nefas,  
Fluent perénnes lácrymæ,  
Si virga pœniténtiæ  
Cordis rigórem cónterat.

Dies venit, dies tua,  
In qua reflórent ómnia:  
Lætémur et nos in viam  
Tua redúcti délixera.

Te prona mundi máchina  
Clemens adóret, Trínitas,  
Et nos novi per grátiam  
Novum canámus cánticum.

Amen.

✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

℞. Ut custódiat te in ómnibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Cum sublevásset óculos\*

Jesus, et vidisset máximam multitudinem veniéntem ad se, dixit ad Philíppum: Unde emémus panes, ut mandúcent hi? hoc autem dicébat tentans eum: ipse enim sciébat quid esset factúrus.

## ORATIO.

**C**ONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui ex mérito nostræ actiónis affligimur, tuæ grátiae consolatióne respirémus. Per Dóminum nostrum.

## AD PRIMAM.

*Antiphona.*

Accépit ergo Jesus\* panes, et cum grátias egisset, distribuit discumbéntibus.

## AD TERTIAM.

*Antiphona.*

De quinque pánibus\* et duóbus piscibus satiávit Dóminus quinque millia hóminum.

*Capitulum* Fratres, Scriptum est, *ut supra.*

℞. *breve.* Ipse liberávit me,  
\* De láqueo venántium. Ipse.  
✠. Et a verbo áspero.

℞. De láqueo.  
Glória Patri. Ipse liberávit.  
✠. Scápulis suis obumbrábit tibi.

℞. Et sub pennis ejus sperábis.

## AD SEXTAM

*Antiphona.*

Satiávit Dóminus\* quinque millia hóminum de quinque pánibus et duóbus piscibus.

## CAPITULUM.

[Calat., c. 4.]

**L**ETARE, stérilis, quæ non paris : erúmpe et clama quæ non párturis : quia multi filii desértæ magis quam ejus quæ habet virum.

R. *breve.* Scápolis suis,  
\* Obumbrábit tibi. Scápolis.  
V. Et sub pennis ejus sperábis.

R. Obumbrábit tibi.  
Glória Patri. Scápolis.

V. Scuto circúmdabit te véritas ejus.

R. Non timébis a timóre noctúrno.

## AD NONAM.

*Antiphona.*

Illi ergo hómines\* cum vidissent quod fécerat Jesus signum, intra se dicébant : Quia hic est vere prophéta, qui ventúrus est in mundum.

## CAPITULUM.

[Galat., c. 4.]

**I**TAQUE, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ : qua libertáte Christus nos liberávit.

R. *breve.* Scuto circúmdabit te \* Véritas ejus. Scuto.

V. Non timébis a timóre noctúrno.

R. Véritas ejus.

Glória Patri. Scuto.

V. Angelis suis Deus mandávit de te.

R. Ut custódiant in te ómnibus viis tuis.

## AD VESPERAS.

*Antiphona et Psalmus*

Dixit Dóminus, *cum reliquis*, 134.

*Capitulum* Fratres, Scriptum est, 227.

*Hymnus* Audi, benigne Cónditor, *ut supra*, 221.

V. Angelis suis Deus mandávit de te.

R. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Súbiit ergo\* in montem Jesus, et ibi sedébat cum discipulis suis.

*Oratio* Concéde, quæsumus, *ut supra*.

*Post Vesperas diei dicuntur Vesperæ Defunctorum.*

~~~~~  
**FERIA SECUNDA.**

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium de Psalterio.*

*Hymnus* Ex more docti, 3.

*Antiphona et Psalmi Nocturnorum de Psalterio*, 52.

*Et sic dicitur etiam in aliis sequentibus Feriis.*

Lectio sancti Evángelii secúndum Joánnem.

## LECTIO I.

[Cap. 2.]

**I**N illo témpore, Prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Jesus Jerosólymam : et invénit in templo vendéntes boves, et oves, et colúmbas. Et reliqua.

Homília sancti Augustini Epíscopi.

[Tract. 10 in Joann.]

**Q**UID audívimus, fratres?

Ecce templum illud figura adhuc erat, et ejecit inde Dóminus omnes qui sua quærebant, qui ad nundinas venerant. Et quæ ibi vendebant illi? Quæ opus habebant homines in sacrificiis illius temporis. Novit enim charitas vestra, quod sacrificia illi populo pro ejus carnalitate et corde adhuc lapideo, talia data sunt, quibus teneretur, ne in idola deflueret: et immolabant ibi sacrificia, boves, oves, et columbas. Nostis, quia legistis.

R. Vos qui transituri estis Jordánem, ædificate altare Dómino, \* De lapidibus quos ferrum non tetigit: et offerre super illud holocausta, et hostias pacificas Deo vestro.

Y. Cumque intraverit istam terram, quam Dóminus daturus est vobis, ædificate ibi altare Dómino.

De lapidibus.

## LECTIO II.

Non ergo magnum peccatum, si hoc vendebant in templo, quod emebatur ut offerretur in templo: et tamen ejecit inde illos. Quid si ibi ebriosos inveniret, quid faceret Dóminus, si vendentes ea quæ licita sunt, et contra justitiam non sunt (quæ enim honeste emuntur, non illicite venduntur) expulit tamen, et non est passus domum ora-

tionis fieri domum negotiationis?

R. Audi, Israel, præcepta Dómini, et ea in corde tuo quasi in libro scribe: \* Et dabo tibi terram fluentem lac et mel.

Y. Observa igitur, et audi vocem meam: et inimicus ero inimicis tuis.

Et dabo.

## LECTIO III.

Si negotiationis domus non debet fieri domus Dei, potationis debet fieri? Nos autem quando ista dicimus, strident dentibus suis adversus nos: et consolatur nos Psalmus, quem audistis: Striderunt in me dentibus suis. Novimus et nos audire unde curémur: et si ingeminantur flagella Christo, quia flagellatur sermo ipsius. Congregata sunt, inquit, in me flagella, et nesciebant. Flagellatus est flagellis Judæorum: flagellatur blasphemias falsorum Christianorum: multiplicant flagella Dómino Deo suo, et nesciunt. Faciamus nos, quantum ipse adjuvat. Ego autem, cum mihi molesti essent, induēbam me cilicio, et humiliābam in jejúnio animam meam.

R. Sicut fui cum Móyse, ita ero tecum, dicit Dóminus: \* Confortare, et esto robustus: introduces populum meum ad terram lacte et melle manantem.

Vern.

✠ Noli timere, quóniam tecum sum : ad quaecúmque perréxeris, non dimittam te, neque derelinquam.

Confortáre.

Glória Patri.

Confortáre.

### AD LAUDES.

*Antiphona, et Psalmus Miserere mei, cum reliquis de Psalterio, 63.*

#### CAPITULUM.

[Isaïæ c. 8.]

**CLAMA**, ne cesses, quasi tuba exálta vocem tuam, et annúntia pópulo meo scélera eórum, et dómui Jacob peccáta eórum.

*Hymnus* O sol salútis, 227.

✠ Angelis suis Deus mandávit de te.

℞. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Auférte ista hinc, \* Dicit Dóminus : et nolite fácere domum Patris mei, domum negotiatiónis.

*Deinde dicuntur Preces, 66.*

#### ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, et corpore tibi placeámus, et mente. Per Dóminum.

*Hodie dicitur Officium defunctorum.*

### AD VESPERAS.

*Antiphona* Inclinávit.

*Psalmus Diléxi, cum reliquis de Psalterio, 138.*

#### CAPITULUM.

[Joelis c. 2.]

**I**NTER vestibulum et altáre plorábunt sacerdótes ministri Dómini, et dicent : Parce, Dómine, parce pópulo tuo : et ne des hæreditátem tuam in oppróbrium, ut dominéntur eis nátiónes.

*Hymnus* Audi, benigne, 221.

✠ Angelis suis Deus mandávit de te.

℞. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Sólvite templum hoc, \* dicit Dóminus, et post trídium reádicábo illud : hoc autem dicébat de templo córporis sui.

*Deinde dicuntur Preces, ut in Psalterio, 66.*

#### ORATIO.

**D**EPRECATIONEM nostram, quæsumus, Dómine, benígnus exáudi, et, quibus supplicándi præstas afféctum, tribue defensiónis auxilium. Per Dóminum.

~~~~~

### FERIA TERTIA.

Léctio sancti Evangélíi secúndum Joánnem.

#### LECTIO I.

[Cap. 7.]

**I**N illo témpore, Jam die festo mediánte, ascéndit Jesus in templum, et docébat.



Et mirabántur Judæi. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[ Tract. 29 in Joann. ]

**I**LLE qui latébat, docébat et palám loquebátur et non tenebátur. Illud enim ut latéret, erat causa exémplici, hoc potestátis. Sed cum docéret, mirabántur Judæi. Omnes quidem, quantum árbitor, mirabántur, sed non omnes convertébántur. Et unde admirátio? Quia multi nóverant ubi natus, quemádmódum fúerit educátus. Nunquam eum viderant litteras discéntem : audiébant autem de lege disputántem, legis testimónia proferéntem, quæ nemo posset proférre nisi legisset, nemo légere nisi litteras didicisset : et ideo mirabántur. Eórum autem admirátio, magistro facta est insinuándæ áltius veritátis occasio.

**R.** Quid me quæritis interficere, hóminem qui vera locútus sum vobis? \* Si male locútus sum, testimónium pérhibe de malo : si autem bene, cur me cædis?

**Y.** Multa bona ópera operátus sum vobis : propter quod opus vultis me occidere?

Si male.

#### LECTIO II.

Ex eórum quippe admirátione et verbis, dixit Dómi-

nus profúndum áliquíd, et diligéntius inspici et discuti dignum. Quid ergo Dóminus respóndit eis, admirántibus quómodo sciret litteras, quas non didicerat? Mea, inquit, doctrína non est mea, sed ejus qui misit me. Hæc est profúnditas prima : vidétur enim paucis verbis quasi contrária locútus. Non enim ait : Ista doctrína non est mea; sed mea doctrína non est mea. Si non tua, quómodo tua? Si tua, quómodo non tua? Tu enim dicis utrúmque : et mea doctrína, et non mea.

**R.** Addúxi vos per désertum quadraginta annis, ego Dóminus, et non sunt attrita vestiménta vestra : \* Manna de cælo plui vobis; et obliti estis me, dicit Dóminus.

**Y.** Ego edúxi vos de terra Ægypti, et de domo servitutis liberávi vos.

Manna de cælo.

#### LECTIO III.

**S**I ergo intueámur diligénter quod ipse in exórdio dicit sanctus Evangelista : in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : inde pendet hujus solútio quæstiónis. Quæ est doctrína Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrína Patris, si Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicújus : et suam doctrinam dixit seípsum, et non

suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum, quam tu? et quid tam non tuum, quam tu, si alicujus est, quod es?

R. Móyses famulus Dei jejúnávit quadraginta diébus et quadraginta nóctibus: \* Ut legem Dómini meréretur accipere.

✠. Ascéndens Móyses in montem Sínai ad Dóminum, fuit ibi quadraginta diébus et quadraginta nóctibus.

Ut legem.

Glória Patri.

Ut legem.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Quid me quæritis \* interficere, hóminem qui vera locútus sum vobis?

*Deinde dicuntur Preces, 66.*

ORATIO.

SACRÆ nobis, quæsumus, Dómine, observatiónis jejúnia, et piæ conversatiónis augmentum, et tuæ propitiatiónis continuum præstent auxilium. Per Dóminum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Nemo in eum \* misit manum: quia nondum vénerat hora ejus.

*Deinde dicuntur Preces, 66.*

ORATIO.

MISERERE, Dómine, pópulo tuo: et continuis tribulatióibus laborántem, propitius respiráre concéde. Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

*Hodie dicuntur Psalmi Graduales.*

Léctio sancti Evangélíi secúndum Joánnem.

LECTIO I.

[Cap. 9.]

IN illo témpore, Præteríens Jesus vidit hóminem cæcum a nativitate: et interrogavérunt eum discípuli ejus: Rabbi, quis peccávit, hic, aut paréntes ejus, ut cæcus nascerétur? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

[Tract. 44 in Joan.]

EA, quæ fecit Dóminus noster Jesus Christus, stupénda atque miránda, et ópera, et verba sunt: ópera, quia facta sunt; verba, quia signa sunt. Si ergo quid significet hoc quod factum est, cogitémus: genus humánum est iste cæcus. Hæc enim cæcitas cón-tigit in primo hómine per peccátum, de quo omnes originem dúximus, non solum mortis, sed étiam iniquitátis. Si enim cæcitas est infidelitas, et illuminátio fides: quem fidélem, quando venit Christus, invénit? Quandó-quidem Apóstolus natus in gente Prophetárum dicit: Fúimus et nos aliquándó natura filii iræ, sicut et céteri. Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehénnæ: quó-

modo natúra, nisi quia peccante primo hómine, vitium pro natúra inolévit? Si vitium pro natúra inolévit, secundum mentem omnis homo cæcus natus est.

R. Spléndida facta est fácies Móysi, dum respiceret in eum Dóminus: \* Vidéntes senióres claritátem vultus ejus, admirántes timéerunt valde.

†. Cumque descendisset de monte Sínai, portábat duas tabulas testimónii, ignorans quod cornúta esset fácies ejus ex consórtio sermonis Dei.

Vidéntes.

#### LECTIO II.

VENIT Dóminus: quid fecit? Magnum mystérium commendávit. Expuit in terram, de saliva sua lutum fecit, quia Verbum caro factum est; et inúnxit óculos cæci. Inúnctus erat, et nondum vidébat. Misit illum ad piscinam, quæ vocátur Sílœ. Pertrínxit autem ad Evangelístam commendáre nobis nomen hujus piscinæ, et ait: Quod interpretátur, Missus. Jam quis sit missus, agnóscitis. Nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitáte dimissus. Lavit ergo óculos in ea piscina, quæ interpretátur, Missus, baptizátus est in Christo. Si ergo quando eum in seipso quodámmodo baptizávit,

tunc illuminávit: quando inúnxit, fortásse catechúmenum fecit.

R. Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, et custódiat semper: \* Obsérva et audi vocem meam, et inimicus ero inimicis tuis, et affligéntes te affligam: et præcedet te Angelus meus.

†. Israel, si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénium: ego enim Dóminus.

Obsérva.

#### LECTIO III.

AUDISTIS grande mystérium. Interroga hóminem: Christianus es? Respóndet tibi: Non sum. Si pagánus es, aut Judæus? Si autem dixerit, Non sum: adhuc quæris ab eo, Catechúmenus, an fidélis? Si respónderit tibi, Catechúmenus: inúnctus est, nondum lotus. Sed unde inúnctus? Quære, et respóndet. Quære ab illo, in quem credat? Eo ipso quo Catechúmenus est, dicit, in Christum. Ecce modo loquor et fidélibus et catechúmenis. Quid dixi de sputo et luto? Quia Verbum caro factum est; hoc catechúmeni audiunt: sed non eis súfficit ad quod inúncti sunt: festinent ad lavácrum, si lumen inquirunt.

R. Attendite, pópule meus, legem meam: \* Inclínate aurem vestram in verba oris mei.

✠. Apériam in parábolis os meum : loquar propositiões ab initio sæculi.

Inclináte.

Glória Patri.

Inclináte.

*Ad Benedictus , Antiphona.*

Rabbi , \* quid peccávit homo iste , quod cæcus natus est ? Respóndit Jesus , et dixit : Neque hic peccávit , neque paréntes ejus : sed ut manifesténtur ópera Dei in illo.

*Deinde dicuntur preces , ut supra , 66.*

ORATIO.

DEUS , qui et justis præmia meritórum , et peccatóribus per jejúnium véniam præbes , miserere supplicibus tuis , ut reátus nostri confessio indulgéntiam váleat percípere delictórum. Per Dóminum.

*Ad Magnificat , Antiphona.*

Ille homo , \* qui dicitur Jesus , lutum fecit ex sputo , et linívit óculos meos , et modo vídeo.

*Deinde dicuntur preces , ut supra , 66.*

ORATIO.

PATEANT aures misericórdiæ tuæ , Dómine , précibus supplicántium , et , ut peténtibus desideráta concédas , fac eos , quæ tibi sunt plácita , postuláre. Per Dóminum nostrum.

## FERIA QUINTA.

Léctio sancti Evangélii scúndum Lucam.

LECTIO I.

[Cap. 7.]

IN illo témpore , Ibat Jesus in civitátem , quæ vocátur Naim : et ibant cum eo discipuli ejus , et turba copiósá. Et réliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi

[Lib. 5 Comm. in Luc. c. 7.]

ET hic locus ad utrámque redúndat grátiam , et ut cito flecti divinam misericórdiam matris viduæ lamentatióne credámus , ejus præcípue , quæ únici filii vel labóre , vel morte frangátur ; cui tamen viduæ gravitátis méritum exequiárum turba conciliet : et ut hanc viduam populórum turba septam , plus vidéri esse quam fœminam , quæ resurrectionem únici et adolescentis filii suis lácrymis merúerit impetráre : eo quod sancta Ecclesia pópulum juniórem a pompa fúneris , atque a suprémis sepúlcri , suárum révocet ad vitam contemplatióne lacrymárum : quæ flere prohibétur eum , cui resurrectio debebátur.

R. Locútus est Dóminus ad Moysen , dicens : Descénde in Ægyptum , et dic Pharaóni \* Ut dimittat pópulum meum : indurátum est



cor Pharaónis, non vult dimittere pópulum meum, nisi in manu forti.

Ÿ. Clamor filiórum Israel venit ad me, vidique afflictiónem eórum : sed veni, mittam te ad Pharaónem.

Ut dimittat.

#### LECTIO II.

QUI quidem mórtuus in lóculo materiálibus quátuor ad ad sepúlcrum ferebátur elementis : sed spem resurgéndi habébat, quia ferebátur in ligno. Quod etsi nobis ante non próderat, tamen posteaquam Jesus id tétigit, proficere cœpít ad vitam : ut esset indicio, salutem pópulo per crucis patibulum refundendam. Audito igitur Dei verbo, steterunt acérbi illi fúneris portitóres, qui corpus humanum letháli fluxu naturæ materiális urgébant. Quid enim áliud, nisi quasi in quodam féretro, hoc est suprémifúneris instruménto, jacémus exánimes, cum vel ignis immódicæ cupiditátis exæstuat, vel frígíduS humor exúndat, vel pigra quadam terréni córporis habitúdine vigor hebetátur animórum, vel concréta noster spíritus labe, puræ lucis vácuus mentem alit? Hi sunt nostri fúneris portitóres.

Ÿ. Stetit Móyses coram Pharaóne, et dixit : Hæc dicit Dóminus : \* Dimítte pópulum meum ; ut sacrificet mihi in desérto.

pulum meum ; ut sacrificet mihi in desérto.

Ÿ. Dóminus Deus Hebræórum misit me ad te, dicens.

Dimítte pópulum.

#### LECTIO III.

SED quamvis supréma mortis spem vitæ omnis aboléverint, et túmulo próxíma córpora jáceant defunctórum : verbo tamen Dei jam mórtua resúrgunt cadávera : vox reddit, rédditur filius matri, revocátur a túmulo, eripitur a sepúlcro. Quis iste est túmulus tuus, nisi mali mores? Túmulus tuus perfidia est : sepúlcrum tuum guttur est : Sepúlcrum enim patens est guttur eórum, unde verba mórtua proferúntur. Ab hoc sepúlcro te líberat Christus : ab hoc túmulo surges, si audias verbum Dei. Et si grave peccátum est, quod pœniténtiæ lácrymis ipse laváre non possis ; fleat pro te mater Ecclésia, quæ pro singulis tanquam pro únícis filiis vídua mater intérvénit. Compátitur enim quodam spiritali dolóre naturæ, cum suos líberos lethálibus vítiis ad mortem cernit urgéri.

Ÿ. Cantémus Dómino : glorióse enim honorificátus est : equum et ascensórem projéctit in mare : \* Adjútor et protéctor factus est mihi Dóminus in salutem.

Ÿ. Dóminus quasi vir pug-

nátor ; Omnipotens nomen ejus. thánia , de castélló Mariæ , et Marthæ soróris ejus. Et réliqua.

Adjútor.

Glória Patri.

Adjútor.

*Ad Benedictus Antiphona.*

Ibat Jesus \* in civitatem , quæ vocátur Naím : et ecce defúnctus efferebátur filius únicus matri suæ.

*Deinde dicuntur Preces , ut supra , 66.*

ORATIO.

**P**RÆSTA , quæsumus , omnipotens Deus , ut , quos jejúnia votiva castigant , ipsa quoque devótio sancta lætíficet , ut , terrénis afféctibus mitigátis , facilius cœléstia capiamus. Per Dóminum.

*Ad Magnificat Antiphona.*

Prophéta magnus \* surrexit in nobis , et quia Deus visitávit plebem suam.

*Deinde dicuntur Preces , ut supra , 66.*

ORATIO.

**P**OPULI tui Deus institútor et rector , peccáta , quibus impugnátur , expélle , ut semper tibi plácitus , et tuo munímine sit secúrus. Per Dóminum.

~~~~~

## FERIA SEXTA.

Lectio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO I.

[ Cap. 11. ]

**I**N illo témpore , Erat quidam languens Lázarus a Be-

Homília sancti Augustini Epíscopi.

[ Tract. 49 in Joann. ]

**I**N superiori lectione meministis , quod Dóminus éxiit de mánibus eórum , qui lapidáre illum volúerant , et discéssit trans Jordánem , ubi Joánnes baptizábat. Ibi ergo Dómino constitúto , infirmábatur in Bethánia Lázarus : quod castéllum erat próximum Jerosólymis. María autem erat , quæ unxit Dóminum unguénto , et extérsit pedes ejus capíllis suis , cujus frater Lázarus infirmábatur. Misérunt ergo soróres ejus ad eum. Jam intelligimus quo misérunt , ubi erat Jesus : quóniam absens erat , trans Jordánem scilicet. Misérunt ad Dóminum , nuntiántes quod ægrotáret frater eárum , ut si dignarétur , veníret , et eum ab ægritúdine liberáret. Ille distulit sanáre , ut posset resuscitáre.

¶ In mari viæ tuæ , et semitæ tuæ in aquis multis :  
\* Deduxísti sicut oves pópulum tuum in manu Móysi et Aaron.

¶ Transtulísti illos per mare Rubrum , et transvexísti eos per aquam nímiā.

Deduxísti.

## LECTIO II.

**Q**UID ergo nuntiaverunt sorores ejus? Domine, ecce quem amas, infirmatur. Non dixerunt, Veni: amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere, Veni, et sana: non ausæ sunt dicere, Ibi jube, et hic fiet. Cur enim non et istæ, si fides illius Centurionis inde laudatur? Ait enim: Non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantummodo: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Sufficit ut noveris: non enim amas, et deseris.

℞. Qui persequébantur populum tuum, Domine, demersisti eos in profundum: \* Et in columna nubis ductor eorum fuisti.

℣. Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi, et Aaron.

Et in columna.

## LECTIO III.

**D**ICIT aliquis: Quomodo per Lazarum peccator significabatur, et a Domino sic amabatur? Audiat eum dicentem: Non veni vocare justos, sed peccatores. Si enim peccatores Deus non amaret, de cœlo ad terram non descenderet. Audiens autem Jesus, dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut

glorificetur Filius Dei. Talis glorificatio ipsius, non ipsum auxit, sed nobis posuit. Hoc est ergo quod ait, Non est ad mortem, quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum: quo facto crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. Sane videte, quemadmodum tanquam ex obliquo Dominus Deum se dixit: propter quosdam qui negant Filium Deum esse.

℞. Moyses famulus Dei jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus: \* Ut legem Domini mereretur accipere.

℣. Ascendens Moyses in montem Sinai ad Dominum, fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.

Ut legem.

Glória Patri.

Ut legem.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Lazarus \* amicus noster dormit: eamus, et a somno excitemus eum.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

## ORATIO.

**D**EUS, qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis, præsta, quæsumus, ut Ecclesia tua et æternis proficiat institutis et temporalibus non destituatur auxiliis. Per Dominum.

*Hodie dicuntur Psalmi Pœnitentiales.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Dómine, \* si fuisses hic, Lázarus non esset mórtuus : ecce jam foetet quatríduánus in monuménto.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

**D**A nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui infirmitatis nostræ cóncscii, de tua virtúte confidimus, sub tua semper pietáte gaudeamus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

~~~~~

SABBATO.

Lectio sancti Evangélíi secúndum Joánnem.

LECTIO I.

[Cap. 8.]

**I**n illo témpore, Locútus est Jesus turbis Judæórum dicens : Ego sum lux mundi : qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

[Tract. 34, in Joann.]

**Q**UOD ait Dóminus, Ego sum lux mundi; clarum puto esse eis qui habent óculos, unde hujus lucis participes fiant : qui autem non habent óculos, nisi in sola carne, mirántur quod dictum est a Dómino Jesu Christo, Ego sum lux mundi. Et forte non desit qui dicat apud semetipsum : Numquid forte Dóminus Christus est sol iste,

qui ortu et occásu péragit diem? Non enim defuérunt hærétici, qui ista sensérunt. Manichæi solem istum óculis cárneis visibilem, expósitum et públicum non tantum homínibus, sed étiam pecóribus ad vidéndum, Christum Dóminum esse putavérunt.

**R**. Spléndida facta est fácies Móysi, dum respiceret in eum Dóminus : \* Vidéntes senióres claritátem vultus ejus, admirántes timuérunt valde.

**Y**. Cumque descendisset de monte Sínai, portábat duas tábulas testimónii, ignoráns quod cornúta esset fácies ejus ex consórtio sermonis Dei.

Vidéntes.

LECTIO II.

**S**ED cathólicæ Ecclésiæ recta fides improbat tale comméntum, et diabólicam doctrinam esse cognóscit : nec solum agnóscit crédendo, sed in quibus potest convíncit étiam disputádo. Improbémus itaque hujúsmodi errórem, quem sancta ab initio anathematizávit Ecclésia. Non arbitrémur Dóminum Jesum Christum hunc esse solem, quem vidémus oriri ab Oriénte, occidere in Occidente : cujus cúrsui nox succédit, cujus rádii nube obumbrántur : qui certa de loco in locum motióne cómmigrat. Non est hoc Dóminus



Christus. Non est Dóminus Christus sol factus, sed per quem sol factus est. Omnia enim per ip-sum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.

R. Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, et custódiat semper : \* Obsérva et audi vocem meam, et inimicus ero inimicis tuis, et affligéntes te affligam : et præcedet te Angelus meus.

Ÿ. Israel, si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorábis deum alién-um : ego enim Dóminus.

Obsérva.

#### LECTIO III.

EST ergo lux, quæ fecit hanc lucem. Hanc amémus; hanc intelligere cupiámus, ipsam sitiámus, ut ad ipsam duce ipsa aliquándo veniámus, et in illa ita vivámus ut nunquam omnino moriámur. Ista enim lux est, de qua prophetia olim præmissa ita in Psalmo cécinit : Quóniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Advértite quid de tali luce antiquus sanctórum hóminum Dei sermo præmiserit : Hómines, inquit, et juménta salvos fácies, Dómine : sicut multiplicáta est misericórdia tua, Deus.

R. Atténdite, pópule meus, legem meam : \* Inclínate aurem vestram in verba oris mei.

Ÿ. Apériam in parábolis

os meum : loquar proposi-tiónes ab initio sæculi.

Inclináte.

Glória Patri.

Inclináte.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Qui séquitur me, \* non ámbulat in ténebris: sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

#### ORATIO.

FIAT, Dómine, quæsumus, per grátiam tuam fructuósus nostræ devotiónis afféctus : quia tunc nobis próderunt suscep-ta jejúnia, si tuæ sint plácita pietáti. Per Dóminum nostrum.

#### SABBATO

ANTE DOMINICAM PASSIONIS.

AD VESPERAS.

CAPITULUM.

[Hebr., c. 9.]

FRATRES, Christus assis-tens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perfectius tabernáculum non manu-fáctum, id est, non hujus creatiónis : neque per sán-guinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sán-guinem introivit semel in sancta, æténa redemptióne invénta.

#### HYMNUS.

VEXILIA Regis pródeunt : Fulget Crucis mystérium, Qua vita mortem pertulit, Et morte vitam protulit.

Quæ vulneráta lanceæ

Mucrónē diro, criminum  
Ut nos laváret sórdibus,  
Manávit unda, et sáanguine.

Impléta sunt quæcónclit  
David fidéli cármine,  
Dicéndo natióibus:  
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra, et fúlgida,  
Ornáta Regis púrpura,  
Elécta digno stípité  
Tam sancta membra tángere.

Beáta, cujus bráchiis  
Prétium pepéndit sæculi,  
Statéra facta córporis,  
Tulítque prædam tártari.

O Crux, ave, spes única,  
Hoc Passiósni témpore  
Piis adáuge grátiam,  
Reisque dele crimina.

Te, fons salútis, Trínitas,  
Colláudet omnis spíritus:  
Quibus Crucis victóriam  
Largiris, adde præmium.

Amen.

✠. Eripe me, Dómine, ab  
hómīne malo.

℟. A viro iníquo éripe me.  
*Ad Magnificat, Antiphona.*

Ego sum\* qui testimónium  
perhibeo de meipso: et tes-  
timónium pérhibet de me,  
qui misit me, Pater.

ORATIO.

QUÆSUMUS, omnipotens  
Deus, familiam tuam propí-  
tius réspice: ut, te largiēte,  
regátur in córpore, et te ser-  
vāte, custodiátur in mente.  
Per Dóminum.

*Ab hoc Sabbato usque ad  
Feriam secundam post Oc-  
tavam Pentecostes non fiunt*

*commemorationes consuetæ  
de Cruce, de sancta Maria,  
et aliæ in Psalterio positæ.*

*Ad Completorium in res-  
ponsorio brevi non dicitur  
Glória Patri, in Officio fe-  
riali usque ad Feriam quin-  
tam in Cæna Domini.*

## DOMINICA

DE PASSIONE.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.*—Hódiesi vo-  
cem Dómini audiéritis, \* No-  
lite obduráre corda vestra.

*Psalmus Venite, exulté-  
mus, 2.*

*Hoc Invitatorium dicitur  
usque ad feriam quintam in  
Cæna Domini, etiam in fe-  
riali Officio. In Psalmo, Hó-  
die si vocem omittitur, et  
repetitur a Choro Invitato-  
rium: deinde sequitur Sicut  
in exácerbatione.*

*In fine hujus Psalmi non  
dicitur Glória Patri, hoc tem-  
pore Passionis, nisi in Fes-  
tis; sed repetitur Invitato-  
rium, ut alias, in fine. Quod  
etiam servatur in responso-  
riis ad Matutinum, et in  
responsoriis brevibus Hora-  
rum, ubi similiter repetitur  
responsorium.*

HYMNUS.

PANGE, lingua, gloriósi  
Láuream certáminis,  
Et super Crucis trophæo  
Dic triúmphum nóbilem:  
Quáliter Redémptor orbis  
Immolátus vicerit.

De paréntis protoplásti  
Fraude Factor cóndolens,  
Quando pomi noxiális  
In necem morsu ruit:  
Ipse lignum tunc notávit,  
Damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salútis  
Ordo depopóscerat,  
Multifórmis prodtóris  
Ars ut artem fálleret,  
Et medélam ferret inde  
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri  
Plenitúdo témporis,  
Missus est ab arce Patris  
Natus, orbis Cónditor;  
Atque ventre virgináli  
Carne amíctus pródiit.

Vagit infans inter arcta  
Cónditus præsepia:  
Membra pannis involúta  
Virgo Mater álligat:  
Et Dei manus, pedésque  
Stricta cingit fáschia.

Sempitérna sit beátæ  
Trinitáti glória,  
Æqua Patri, Filióque:  
Par decus Paráclito:  
Unius triníque nomen  
Laudet unívérstas.

Amen.

*Ad Nocturnos, omnia ut  
in Psalterio. Versus Erue a  
frámea et alii Versus ibidem  
tempore Passionis.*

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit liber Jeremiæ Pro-  
phétæ.

LECTIO I.

[Cap. 1.]

VERBA Jeremiæ, filii Hel-  
ciæ, de sacerdotibus, qui

fuérunt in Anathoth, in terra  
Bénjamin. Quod factum est  
verbum Dómini ad eum in  
diébus Josiæ filii Amon regis  
Juda, in tertiodécimo anno  
regni ejus. Et factum est in  
diébus Jóakim filii Josiæ re-  
gis Juda, usque ad consum-  
mationem undécimi anni Se-  
decia filii Josiæ regis Juda,  
usque ad transmigratióem  
Jerúsalem, in mense quinto.  
Et factum est verbum Dó-  
mini ad me, dicens: Priús-  
quam te formárem in útero,  
novi te: et ántequam exires  
de vulva, sanctificávi te, et  
Prophétam in Géntibus dedi  
te. Et dixi, A a a, Dómine  
Deus: ecce nescio loqui, quia  
puer ego sum.

¶. Isti sunt dies, quos ob-  
serváre debétis tempóribus  
suis: \* Quartadécima die ad  
vésperum Pascha Dómini est;  
et in quintadécima, solem-  
nitátem celebrábitis altissi-  
mo Dómino.

¶. Locútus est Dóminus  
ad Móysen, dicens: Lóquere  
filiis Israel, et dices ad eos.

Quartadécima.

*Hoc Responsorium non di-  
citur infra Hebdomadam.*

LECTIO II.

ET dixit Dóminus ad me:  
Noli dicere, Puer sum, quón-  
iam ad ómnia, quæ mittam  
te, ibis: et unívérstas, quæ-  
cúmque mandávero tibi, lo-  
quérís. Ne timeas a fácie eó-  
rum: quia tecum ego sum,

ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum : et dixit Dóminus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constitui te hódie super Gentes, et super regna, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens : Quid tu vides, Jeremía? Et dixi : Virgam vigi-lántem ego video. Et dixit Dóminus ad me : Bene vidisti, quia vigilábo ego super verbo meo, ut fáciam illud. Et factum est verbum Dómini secúndo ad me, dicens : Quid tu vides? Et dixi : Ollam succénsam ego video, et fáciem ejus a fácie Aquilónis.

℞. Multiplicáti sunt qui tribulant me, et dicunt : Non est salus illi in Deo ejus. \* Exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

℣. Nequándo dicat inimicus meus : Præválui advérsus eum.

Exúrge, Dómine.

#### LECTIO III.

ET dixit Dóminus ad me : Ab Aquilóne pandétur malum super omnes habitatóres terræ. Quia ecce ego convocábo omnes cognatiónes regnórum Aquilónis, ait Dóminus : et vénient, et ponent unusquisque sólum suum in intróitu portárum Jerúsalem,

et super omnes muros ejus in circúitu, et super univér-sas urbes Juda. Et loquar judicia mea cum eis, super omnem malitiam eórum, qui dereliquerunt me, et libavérunt diis aliénis, et adoravérunt opus mánuum suárum. Tu ergo accíngelumbos tuos, et surge, et lóquere ad eos ómnia quæ ego præcipio tibi. Ne formídes a fácie eórum : nec enim timére te fáciam vultum eórum. Ego quippe dedi te hódie in civitátem munitam, et in colum-nam férream, et in murum æreum, super omnem terram, régibus Juda, principibus ejus, et sacerdotibus, et pópulo terræ. Et bellábunt advérsus te, et non prævalébunt : quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut liberem te.

℞. Usquequo exaltábitur inimicus meus super me? \* Réspice, et exáudi me, Dómine Deus meus.

℣. Qui tribulant me, exultábunt si motus fuéro : ego autem in misericórdia tua sperábo.

Réspice.

Usquequo.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Leónis, Papæ.

#### LECTIO IV.

[Serm. 9 de Quadrages.]

IN ómnibus, dilectissimi, solemnitátibus Christiánis, non ignorámus Paschále sacra-



méntum esse præcípium : cui condigne et cóngrue suscipiéndò, totius quidem nos témporis institúta refórmant; sed devotióem nostram præsentes vel máxime dies éxigunt, quos illi sublimissimo divinæ misericórdiæ sacramento scimus esse contiguos. In quibus mérito a sanctis Apóstolis per doctrinam Spíritus Sancti majóra sunt ordináta jejúnia : ut per commúne consórtium crucis Christi, étiam nos áliquid in eo, quod propter nos gessit, agerémus, sicut Apóstolus ait : Si compátimur, et conglorificábimur. Certa atque secúra est expectatio promissæ beatitúdinis, ubi est participatio Dominicæ passionis.

R. Deus meus es tu, ne discédas a me : \* Quóniam tribulatio próxima est, et non est qui ádjuvet.

Y. Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxiliú tuum a me : ad defensióem meam aspice.

Quóniam tribulatio.

#### LECTIO V.

NEMO est, dilectissimi, cui per conditionem témporis societas hujus glóriæ denegetur, tanquam tranquillitas pacis vácuá sit occasiône virtutis. Apóstolus enim prædicat, dicens : Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutióem patiéntur : et ideo

nunquam deest tribulatio persecutiónis, si nunquam desit observántia pietátis. Dóminus enim in exhortatióibus suis dicit : Qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. Nec dubitare debémus, hanc vocem non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fidéles, totámque Ecclesiam pertinére, quæ salutáre suum in his, qui áderant, universáliter audiébat.

R. In te jactátus sum ex útero, de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discédas a me : \* Quóniam tribulatio próxima est, et non est qui ádjuvet.

Y. Salva me ex ore leónis, et a cónibus unicórnium humilitátem meam.

Quóniam tribulatio.

#### LECTIO VI.

SICUT ergo totius est corpóris pie vivere, ita totius est témporis crucem ferre : quæ mérito ferri unicuique suadet, quia propriis modis atque mensúris ab unoquoque tolerátur. Unum nomen est persecutiónis, sed non una est causa certáminis ; et plus plerúmque perículi est in insidiatóre occúlto, quam in hoste manifestó. Béatus Job alternántibus bonis ac malis mundi hujus eruditus, pie veraciterque dicébat : Nónne tentatio est vita hóminis super terram? Quóniam

non solis doloribus corporis atque suppliciis anima fidelis impetitur, verum etiam, salva incolumitate membrorum, gravi morbo urgetur, si carnis voluptate mollitur. Sed cum caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; praesidio crucis Christi mens rationalis instruitur: nec cupiditatibus noxiis illucta consentit; quoniam continentiae clavis, et Dei timore transfigitur.

R. In proximo est tribulatio mea, Domine, et non est qui adjuvet: ut fodiat manus meas et pedes meos: libera me de ore leonis, \* Ut enarrem nomen tuum fratribus meis.

V. Erue a fratre tua Deus animam meam, et de manu canis unicam meam.

Ut enarrem.

In proximo.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO VII.

[Cap. 8.]

In illo tempore, Dicebat Jesus turbis Iudaeorum: Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papae.

[Homilia 18, in Evangelia.]

PENSATE, fratres charissi-

mi, mansuetudinem Dei. Relaxare peccata venerat, et dicebat: Quis ex vobis arguet me de peccato? Non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare. Sed terribile est valde, quod subditur: Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si enim ipse verba Dei audit, qui ex Deo est, et audire verba ejus non potest quisque ex illo non est: interroget se unusquisque, si verba Dei in aure cordis percipit, et intelliget unde sit. Coelestem patriam desiderare Veritas jubet, carnis desideria conterere, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri.

R. Tota die contristatus ingrediebar, Domine: quoniam anima mea completa est illusionibus: \* Et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

V. Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt, et qui juxta me erant, de longe steterunt.

Et vim.

LECTIO VIII.

PENSET ergo apud se unusquisque vestrum, si haec vox Dei in cordis ejus aure convuluit, et quia jam ex Deo sit, agnoscit. Nam sunt nonnulli,

qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur. Et sunt nonnulli, qui hæc quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur. Et sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fléribus compungantur, sed post lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba Dei non audiunt, qui hæc exercere in opere contemnunt. Vitam ergo vestram, fratres charissimi, ante mentis oculos revocate, et alta consideratione pertimescite hoc, quod ex ore Veritatis sonat: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

R. Ne avertas faciém tuam a púero tuo, Dómine: \* Quóniam tribulor, velóciter exáudi me.

Y. Inténde ánimæ meæ, et libera eam; propter inimicos meos éripi me.

Quóniam.

## LECTIO IX.

Sed hoc, quod de réprobis Veritas loquitur, ipsi hoc de semetipsis réprobi iniquis suis opéribus osténdunt; nam séquitur: Respondérunt igitur Judæi, et dixerunt ei, Nonne bene dicimus nos, quia Samaritánus es tu, et dæmónium habes? Accépta autem tanta contumélia, quid Dóminus respóndeat, audiámus: Ego dæmónium non há-

beo, sed honorífico Patrem meum, et vos inhonorástis me. Quia enim Samaritánus interpretátur custos: et ipse veráciter custos est, de quo Psalmista ait: Nisi Dóminus custodierit civitátem, in vanum vigílant qui custódiunt eam: et cui per Isaíam dicitur: Custos quid de nocte? custos quid de nocte? Respondére nóluit Dóminus: Samaritánus non sum: sed ego dæmónium non hábeo. Duo quippe ei illáta fuérunt; unum negávit, áliud tacéndo consénsit.

R. Quis dabit cápiti meo aquam, et óculis meis fontem lacrymarum, et plorábo die ac nocte? quia frater propínquus supplantávit me, \* Et omnis amicus fraudulénter incéssit in me.

R. Fiant viæ eórum ténebræ et lúbricum: et Angelus Dómini pérsequens eos.

Et omnis.

Quis dabit.

## AD LAUDES.

*Antiphona.*

Vide, Dómine, \* afflictiónem meam, quóniam eréctus est inimicus meus.

*Psalmus* Miserére mei, 63.

*Antiphona.*

In tribulatióne invocávi Dóminum, et exáudivit me in latitúdine.

*Psalmus* Confitémini Dómino, 25.

*Antiphona.*

Judicásti, \* Dómine, causam ánimæ meæ : defénsor vitæ meæ, Dóminus Deus meus.

*Psalmus* Deus, Deus meus, cum reliquis, 19.

*Antiphona.*

Pópule meus, \* quid feci tibi, aut quid moléstus fui? respónde mihi.

*Antiphona.*

Numquid rédditur \* pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ.

## CAPITULUM.

[Hebr., c. 9.]

**F**RATRES, Christus assistens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manu factum, id est, non hujus creatiónis : neque per sanguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium sanguinem introívit semel in sancta, æténa redemptióne invénta.

## HYMNUS.

**L**USTRA sex qui jam perégit Tempus implens córporis, Sponte libera Redemptor Passióni déditus, Agnus in Crucis levátur Immolándus stipite.

Felle potus ecce languet, Spina, clavi, láncea Mite corpus perforárun, Unda manat, et cruor : Terra, pontus, astra, mundus,

Quo lavántur flúmine!

Crux fidélis, inter omnes Arbor una nóbilis, Silva talem nulla profert Fronde, flore, gérmine : Dulce ferrum, dulce lignum, Dulce pondus sústinent.

Flecte ramos, arbor alta, Tensa laxa viscera, Et rigor lentéscat ille, Quem dedit nativitas; Et supérni membra Regis Tende miti stipite.

Sola digna tu fuísti Ferre mundi victimam; Atque portum præparáre Arca mundo náufrago, Quam sacer cruor perúnxit, Fusus Agni córpore.

Sempitérna sit beátæ Trinitáti glória, Æqua Patri, Filióque : Par decus Paráclito : Unius trinique nomen Laudet universitas.

Amen.

✠. Eripe me de inimícis meis, Deus meus.

℞. Et ab insurgéntibus in me libera me.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Dicébat Jesus \* turbis Judæórum, et princípibus sacerdotum : Qui ex Deo est, verba Dei audit : proptérea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

## ORATIO.

**Q**UESUMUS, omnipotens Deus, familiam tuam propítius respice : ut, te largiénte, regátur in córpore, et, te ser-



vante, custodiatur in mente.  
Per Dóminum nostrum.

## AD PRIMAM.

*Antiphona.*

Ego dæmónium \* non há-  
beo, sed honorífico Patrem  
meum, dicit Dóminus.

*Capitulum* Regi sæculó-  
rum, 29.

R. *breve.* Christe, Fili Dei  
vivi, \* Miserere nobis. Christe.

Ÿ. Qui sedes ad dexteram  
Patris.

R. Miserere nobis.

*Repetitur* Christe, Fili Dei  
vivi, miserere nobis.

Ÿ. Exurge, Christe, et re-  
liqua ut in *Psalterio*, 29.

*Ad Absolutionem Capituli.*  
*Lectio brevis* Fáciem meam,  
ut in *Psalterio*, 32.

*Et dicitur in Dominica, et*  
*Feriis usque ad Feriam quin-*  
*tam in Cæna Domini exclu-*  
*sive.*

## AD TERTIAM.

*Antiphona.*

Ego glóriam meam \* non  
quæro: est qui quærat, et jú-  
dicet.

*Capitulum* Fratres, Chris-  
tus assistens, ut *supra*, 246.

R. *breve.* Erue a frámea, \*  
Deus, ánimam meam. Erue.

Ÿ. Et de manu canis únicam  
meam. Deus.

R. Erue a frámea.

Erue.

Ÿ. De ore leónis libera me,  
Dómine.

R. Et a cónibus unicór-  
nium humilitátem meam.

## AD SEXTAM.

*Antiphona.*

Amen, amen dico vobis: \*  
si quis sermónem meum ser-  
váverit, mortem non gustábit  
in ætérnum.

## CAPITULUM.

[Hebr., c. 9.]

SI enim sanguis hircórum,  
et taurórum, et cinis vitulæ  
aspérsus inquinátos sanctifi-  
cat ad emundatióem carnis,  
quanto magis sanguis Christi,  
qui per Spíritum Sanctum  
semetípsum obtulit immacu-  
látum Deo, emundábit cons-  
ciéntiam nostram ab opéribus  
mórtuis, ad serviéndum Deo  
vivénti?

R. *breve.* De ore leónis, \*  
Libera me, Dómine. De ore.

Ÿ. Et a cónibus unicór-  
nium humilitátem meam.

R. Libera me. De ore.

Ÿ. Ne perdas cum impiis,  
Deus, ánimam meam.

R. Et cum viris sánguinem  
vitam meam.

## AD NONAM.

*Antiphona.*

Tulérunt lápidés \* Judæi,  
ut jácerent in eum: Jesus au-  
tem abscondit se, et exivit de  
templo.

## CAPITULUM.

[Hebr., c. 9.]

ET ideo novi Testaménti me-  
diátor est: ut morte interce-  
dente, in redemptionem eá-  
rum prævaricatiónum, quæ

erant sub prióri testaménto, repromissionem accipiant qui vocáti sunt æternæ hereditátis, in Christo Jesu Dómino nostro.

R. *breve*. Ne perdas cum impiis, \* Deus, ánimam meam. Ne perdas.

✠. Et cum viris sánguinem vitam meam.

R. Deus ánimam meam. Ne perdas.

✠. Eripe me, Dómine, ab hómine malo.

R. A viro iníquo éripe me.

#### AD VESPERAS.

*Antiphona, et Psalmus*  
Dixit Dóminus, cum reliquis  
de Dominica, 134.

*Capitulum* Fratres, Christus assistens.

*Hymnus* Vexilla Regis, ut  
*supra*, 239.

✠. Eripe me, Dómine, ab hómine malo.

R. A viro iníquo éripe me.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Abraham \* pater vester exultávit ut vidéret diem meum : vidit, et gávisus est.

*Oratio* Quæsumus, omnipotens, ut *supra*, 246.

*Hymni, versiculi et responsoria brevia supradicta dicuntur etiam in Dominica Palmarum, et in feriali Officio usque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ.*

*Post Vesperas diei dicuntur Vesperæ Defunctorum.*

#### FERIA SECUNDA.

*Invitatorium* Hódie si vocem, ut *supra*, 240.

*Hymnus* Pange, lingua, 240.

*Antiphonæ, et Psalmi hujus Ferie*, ✠. Erue a frámea, ut *ibidem tempore Passionis*.

Lectio sancti Evangelii secundum Joánnem.

#### LECTIO I.

[Cap. 7.]

IN illo témpore, Misérunt principes et Pharisæi ministros, ut apprehénderent Jesum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 31, in Joan.]

QUOMODO apprehénderent adhuc noléntem? Quia ergo non póterant apprehéndere noléntem, missi sunt ut audirent docéntem. Quid docéntem? Dicit ergo Jesus: Adhuc módicum tempus vobiscum sum. Quod modo vultis fácere, factúri estis; sed non modo, quia modo nolo. Quare adhuc modo nolo? Quia adhuc módicum tempus vobiscum sum, et tunc vado ad eum, qui me misit. Implére débeo dispensationem meam, et sic pervenire ad passionem meam.

R. Deus meus, éripe me de manu peccatóris, et de manu contra legem agéntis, et iniqui: \* Quóniam tu es patientia mea.

✠. Deus meus, ne elongé-  
ris a me : Deus meus, in auxi-  
lium meum respice.

Quóniam.

LECTIO II.

**Q**UERETIS me, et non inve-  
niétis, et ubi sum ego, vos  
non potéstis venire. Hic jam  
resurrectiónem suam præ-  
dixit : noluérunt enim agnós-  
cere præsentem, et póstea  
quasiérunt, cum vidérunt in  
eum multitudinem jam cre-  
déntem. Magna enim signa  
facta sunt étiam cum Dómi-  
nus resurrexit, et ascendit  
in cælum. Tunc per discipu-  
los facta sunt magna : sed ille  
per illos, qui et per seipsum.  
Ipse quippe illis dixerat :  
Sine me nihil potéstis fácere.  
Quando claudus ille, qui se-  
debat ad portam, ad vocem  
Petri surrexit, et suis pedi-  
bus ambulávit, ita ut hómines  
miraréntur, sic eos allocútus  
est Petrus, quia non in sua  
potestáte ista fecit, sed in vir-  
túte illius, quem ipsi occide-  
runt. Multi compúncti dixé-  
runt : Quid faciémus?

℞. Qui custodiébant áni-  
mam meam, consílium fecé-  
runt in unum, dicéntes :  
Deus dereliquit eum, \* Perse-  
quimini et comprehéndite  
eum : quia non est qui liberet  
eum : Deus meus, ne elongéris  
a me : Deus meus, in adjutó-  
rium meum inténde.

✠. Omnes inimíci mei ad-

vérsum me cogitábant mala  
mihi : verbum iníquum man-  
davérunt advérsum me, di-  
céntes,

Persequimini.

LECTIO III.

**V**IDERUNT enim se ingéni  
crímine impietátis astrictos,  
quando illum occidérunt,  
quem venerári et adoráre  
debuérunt : et hoc putábant  
esse inexpiable. Magnum  
enim fácinus erat, cujus con-  
siderátio illos fáceret despe-  
ráre : sed non debébant des-  
peráre, pro quibus in cruce  
pendens Dóminus est digná-  
tus oráre. Dixerat enim : Pa-  
ter, ignósce illis, quia nés-  
ciunt quid faciunt. Vidébat  
quosdam suos inter multos  
aliénos : illis jam petébat vé-  
niam, a quibus adhuc acci-  
piébat injúriam. Non enim  
attendébat quod ab ipsis mori-  
ebátur, sed quia pro ipsis  
moriebátur.

℞. Pacífice loquebántur  
mihi inimíci mei, et in ira  
molésti erant mihi : \* Vidísti,  
Dómine, ne síleas, ne discé-  
das a me.

✠. Ego autem cum mihi  
molésti essent, induébam me  
cilicio, et humiliábam in jejú-  
nio ánimam meam.

Vidísti, Dómine.

Pacífice loquebántur.

AD LAUDES.

*Antiphona et Psalmus Mi-*

serere mei, Deus, *cum reliquis de Psalterio*, 63.

## CAPITULUM.

[Jerem., c. 11.]

**V**ENITE, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.

*Hymnus Lustra sex*, 246.

✠. Eripe me de inimicis meis, Deus meus.

℞. Et ab insurgentibus in me libera me.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

In die magno \* festivitatis stabat Jesus, et clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.

*Deinde dicuntur preces, ut supra*, 66.

## ORATIO.

**S**ANCTIFICA, quæsumus, Domine, nostra jejunia: et cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culpæ. Per Dominum.

*Hodie dicitur Officium Defunctorum.*

## AD PRIMAM.

*Antiphona.*

Libera me, Domine, \* et pone me juxta te: et cujusvis manus pugnet contra me.

*Capitulum Pacem et veritatem, cum reliquis*, 38.

*Ad Absolutionem Capituli, lectio brevis* Faciem meam non averti, *ut in Psalterio*, 41.

## AD TERTIAM.

*Antiphona.*

Indicasti, Domine, \* cau-

sam animæ meæ, defensor vitæ meæ, Domine, Deus meus.

## CAPITULUM.

[Jerem., c. 17.]

**D**OMINE, omnes qui te derelinquunt confundentur: recedentes a te, in terra scribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.

℞. *breve.* Erue a fræmea, \* Deus, animam meam. Erue.

✠. Et de manu canis unicam meam.

℞. Deus, animam meam.

Erue a fræmea.

✠. De ore leonis libera me, Domine.

℞. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.

*Deinde dicuntur preces, ut in Psalterio*, 44.

## AD SEXTAM.

*Antiphona.*

Pópule meus, \* quid feci tibi, aut quid molestus fui? responde mihi.

## CAPITULUM.

[Jerem., c. 17.]

**C**ONFUNDANTUR qui me persequuntur, et non confundar ego: pæveant illi, et non pæveam ego: induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione cõtere eos, Domine Deus noster.

℞. *breve.* De ore leonis, \* Libera me, Domine. De ore.

✠. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.



R. Libera me.

De ore.

†. Ne perdas cum impiis,  
Deus, ánimam meam.

R. Et cum viris sánguini-  
um vitam meam.

*Deinde preces, ut in Psal-  
terio, 47.*

### AD NONAM.

#### *Antiphona.*

Numquid rédditur \* pro  
bono malum : quia fodérunt  
fóveam ánimæ meæ?

#### CAPITULUM.

[Jerem., c. 18.]

RECORDARE quod stéterim  
in conspéctu tuo, ut lóque-  
rer pro eis bonum, et avér-  
terem indignationem tuam  
ab eis.

R. *breve.* Ne perdas cum im-  
piis, \* Deus, ánimam meam.  
Ne perdas.

†. Et cum viris sánguini-  
um vitam meam.

R. Deus, ánimam meam.

Ne perdas.

†. Eripe me, Dómine, ab  
hómine malo.

R. A viro iniquo éripe me.

*Deinde preces, ut in Psal-  
terio, 51.*

### AD VESPERAS.

*Antiphonæ et Psalmi Fe-  
ræ secundæ, ut in Psalte-  
rio, 138.*

#### CAPITULUM.

[Jerem., c. 11.]

¶ autem, Dómine, Sá-

baoth, qui júdicas juste, et  
probas renes et corda, ví-  
deam ultiónem tuam ex eis :  
tibi enim revelávi causam  
meam, Dómine Deus meus.

*Hymnus Vexilla Regis,  
239.*

†. Eripe me, Dómine, ab  
hómine malo.

R. A viro iniquo éripe me.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Si quis sitit, \* véniat ad  
me, et bibat : et de ventre  
ejus fluent aquæ vivæ, dicit  
Dóminus.

*Deinde dicuntur preces,  
ut supra, 66.*

#### ORATIO.

DA, quæsumus, Dómine,  
pópulo tuo salutem mentis  
et córporis : ut bonis opéri-  
bus inhæréndo, tua semper  
mereátur protectione de-  
féndi. Per Dóminum.

*Capitula prædicta dicun-  
tur in seriali Officio usque  
ad feriam quartam majoris  
Hebdomadæ : Antiphonæ  
vero per Horas, usque ad  
Dominicam in Palmis.*

~~~~~

### FERIA TERTIA.

Léctio sancti Evangélíi se-  
cúndum Joánnem.

#### LECTIO I.

[Cap. 7.]

IN illo témpore, Ambulábat  
Jesus in Galilæam : non enim  
volébat in Judæam ambu-  
láre, quia quærébant eum

Judæi interficere. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini  
Episcopi.

[Tract. 28 in Joan.]

**I**N isto Evangelii capitulo, fratres, Dominus noster Jesus Christus secundum hominem se plurimum commendavit fidei nostræ. Etenim semper hoc egit dictis et factis suis, ut Deus credatur et homo: Deus qui nos fecit, homo qui nos quesivit: Deus cum Patre semper, homo nobiscum ex tempore. Non enim quereretur quem fecerat, nisi fieret ipse quod fecerat. Verum hoc mementote, et de cordibus vestris nolite dimittere, sic esse Christum hominem factum, ut non destiterit Deus esse. Manens Deus accepit hominem, qui fecit hominem.

R. Adjutor et susceptor meus es tu, Domine: et in verbum tuum speravi. \* Declinate a me, maligni: et scrutabor mandata Dei mei.

¶ Iniquos odio habui: et legem tuam dilexi.

Declinate.

#### LECTIO II.

**Q**UANDO ergo latuit ut homo, non potentiam perdidisse putandus est, sed exemplum infirmitati præbuisse. Ille enim quando voluit, defensus est: quando voluit, occisus est. Sed quoniam futura erant membra ejus,

id est fideles ejus, qui non haberent illam potestatem, quam habebat ipse Deus noster: quod latebat, quod se tanquam ne occideretur, occultabat, hoc indicabat futura esse membra sua, in quibus utique membris suis ipse erat.

R. Docébo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur: \* Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.

¶ Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Libera me.

#### LECTIO III.

**N**ON enim Christus in capite, et non in corpore; sed Christus totus in capite, et in corpore. Quod ergo membra ejus, ipse: quod autem ipse, non continuo membra ejus. Nam si non ipsi essent membra ejus, non diceret Saulo: Quid me persequeris? Non enim Saulus ipsum, sed membra ejus, id est, fideles ejus, in terra persequébatur. Nóluit tamen dicere sanctos meos, servos meos, postrémo honorabilius, fratres meos; sed me, hoc est, membra mea, quibus ego sum caput.

R. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum virissanguinum vitam meam: \* Redime me, Domine.

¶ Eripe me, Domine, ab

ab hómine malo, a viro iniquo libera me.

Rédime me.

Ne perdas.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Tempus meum \* nondum advénit, tempus autem vestrum semper est parátum.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

NOSTRA tibi, Dómine, quæsumus, sint accépta jejúnia; quæ nos et expiándo, grátia tua dignos efficiant, et ad remédia perdúcant æterna. Per Dóminum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Vos ascéndite \* ad diem festum hunc: ego autem non ascendam, quia tempus meum nondum advénit.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

DA nobis, quæsumus, Dómine, perseverántem in tua voluntáte famulátum, ut in diébus nostris et mérito et número pópulus tibi sérvians augeátur. Per Dóminum nostrum.

~~~~~

## FERIA QUARTA.

*Hodie dicuntur psalmi graduales.*

Léctio sancti Evangélíi secúndum Joánnem.

LECTIO I.

[Cap. 10.]

In illo témpore, Facta sunt Vern.

encænia in Jerosólymis, et hiems erat. Et ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Epíscopi.

[Tract. 48, in Joann.]

ENCÆNIA festívitás erat dedicatiónis templi. Græce enim cænon dicitur novum. Quandoquæ novum áliquid fúerit dedicátum, encænia vocántur. Jam et usus habet hoc verbum. Si quis nova túnica induátur, encæniáre dicitur. Illum enim diem, quo templum dedicátum est, Judæi solémniter celebrábant: ipse dies festus agebátur, cum ea quæ lecta sunt locútus est Dóminus.

R. Tota die contristátus ingrediébar, Dómine: quóniam ánimæ mea compléta est illusió nibus: \* Et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

✠. Amíci mei et próximi mei advérsus me appropinquavérunt et stetérunt: et qui juxta me erant de longe steterunt.

Et vim faciébant.

LECTIO II.

HIEMS erat, et ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Circumdederunt ergo eum Judæi, et dicébant ei: Quóusque ánimam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Non veritátem desiderábant, sed ca-

lúmniam præparábant. Hiems erat, et frígidi erant : ad illum enim divínium ignem accédere pigri erant. Si accédere est crédere, qui credit accédit ; qui negat recédit. Non movétur ánima pédibus, sed afféctibus.

R. Ne avértas fáciem tuam a púero tuo, Dómine : \* Quóniam tribulor, velóciter exáudi me.

Ÿ. Inténde ánimæ meæ, et libera eam : propter inimicos meos éripe me.

Quóniam tribulor.

#### LECTIO III.

FRIGUERANT diligéndi charitáte, et ardébant nocéndi cupiditáte. Longe áberant, et ibi erant : non accedébant credéndo, et premébant persequéndo. Quérebat audire a Dómino, Ego sum Christus : et fortásse de Christo secúndum hóminem sapiébant. Prædicavérunt enim Prophétæ Christum ; sed divinitátem Christi et in Prophétis et in ipso Evangélio nec hærétiçi intélligunt : quanto minus Judæi, quándiu velámen est super cor eórum ?

R. Quis dabit cápiti meo aquam, et óculis meis fontem lacrymárum, et plorábo die ac nocte ? quia frater propínquus supplantávit me, \* Et omnis amicus fraudulénter incéssit in me.

Ÿ. Fiant viæ eorum téne-

bræ et lúbricum : et Angelus Dómini pérsequens eos.

Et omnis.

Quis dabit.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Oves meæ \* vocem meam áudiunt : et ego Dóminus agnósco eas.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

#### ORATIO.

SANCTIFICATO hoc jejúnio, Deus, tuórum corda fidélium miserátor illústra, et, quibus devótionis præstas afféctum, præbe supplicántibus pium benignus auditum. Per Dóminum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Multa bona ópera \* operátus sum vobis : propter quod opus vultis me occídere ?

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

#### ORATIO.

ADESTO supplicatióibus nostris, omnípotens Deus, et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, consuétæ misericórdiæ tribue benignus efféctum. Per Dóminum.

### FERIA QUINTA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

#### LECTIO I.

[Cap. 7.]

IN illo témpore, Rogábat Jesum quidam de Pharisæis



ut manducáret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et reliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

[Homilia 33 in Evangelia.]

**C**OGITANTI mihi de Mariæ Magdalénæ poeniténtia flere magis libet quam áliquid dicere. Cujus enim vel saxeum pectus illæ hujus peccatricis lácrymæ ad exémplum poeniténdi non emólliant? Considerávit namque quid fecit, et nóluit moderári quid fáceret. Super convivántes ingressa est, non jussa venit, inter épulas lácrymas óbtulit. Discite quo dolóre ardet quæ flere et inter épulas non erubescit.

℞. Deus meus, éripe mede manu peccatóris, et de manu contra legem agéntis et iníqui: \* Quóniam tu es patientia mea.

℣. Deus meus, ne elongéris a me: Deus meus, in auxílium meum réspice.

Quóniam.

LECTIO II.

**H**ANC vero, quam Lucas peccatricem mulierem, Joánes Mariam nóminat, illam esse Mariam crédimus de qua Marcus septem dæmónia ejécta fuisse testátur. Et quid per septem dæmónia nisi univérsa vítia designántur? Quia enim septem diébus omne tempus comprehédi-

tur, recte septenário número univérsitas figurátur. Septem ergo dæmónia Mariá hábuit, quæ univérsis vitiis plena fuit.

℞. Multiplicáti sunt qui tribulant me, et dicunt: Non est salus illi in Deo ejus. \* Exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

℣. Nequándo dicat inimicus meus: Præválui advérsus eum.

Exúrge, Dómine.

LECTIO III.

**S**ED ecce quia turpitudinis suæ máculas aspéxit, lavánda ad fontem misericórdiæ cucúrrit, convivántes non erúbuit. Nam quia semetipsam grávitèr erubescébat intus, nihil esse crédidit quod veré recundarétur foris. Quid ergo mirámur, fratres? Mariam veniéntem, an Dóminum suscipiéntem? Suscipiéntem dicam, an trahéntem? sed mélius trahéntem dicam et suscipiéntem, quia nimirum ipse eam per misericórdiam traxit intus, qui per mansuetúdinem suscepit foris.

℞. Usquequo exaltábitur inimicus meus super me? \* Réspice, et exáudi me, Dómine Deus meus.

℣. Qui tribulant me exultábunt si motus fúero: ego autem in misericórdia tua sperábo.

Réspice.

Usquequo.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Magister dicit : \* Tempus meum prope est, apud te fácio Pascha cum discipulis meis.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicinalis parcimoniæ studio reformetur. Per Dóminum nostrum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Desiderio desideravi\* hoc pascha manducare vobiscum, antequam pátiar.

*Deinde dicuntur preces ut supra, 66.*

ORATIO.

**E**STO, quæsumus, Dómine, propitius plebi tuæ, ut quæ tibi non placent respuentes, tuorum pótius repleantur delectationibus mandatorum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

~~~~~

## FERIA SEXTA.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO I.

[Cap. 11.]

**I**N illo tempore, Collegérunt Pontífices et Pharisei concilium adversus Jesum, et dicebant : Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 49, in Joann.]

**P**ONTIFICES et Pharisei sibi consulébant : nec tamen dicebant, Credámus. Plus enim pérditi hómines cogitábant quómodo nocérent ut pérderent, quam quomodo sibi consúlerent ne perirent, et tamen timébant, et quasi consulébant. Dicebant enim : Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimíttimus eum sic, omnes credent in eum ; et vénient Románi, et tollent nostrum locum et gentem. Temporália pérdere timuérunt, et vitam ætérnam non cogitavérunt, ac sic utrúmque amisérunt.

¶. Deus meus es tu, ne discédas a me : \* Quóniam tribulatio próxima est, et non est qui ádjuvet.

✠. Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxilium tuum a me : ad defensiónem meam áspice.

Quóniam tribulatio.

LECTIO II.

**N**AM et Románi post Dómini passiónem et glorificatióem tulérunt eis et locum et gentem, expugnándo et transferéndo : et illud eos séquitur, quod álibi dictum est : Filii autem regni hujus ibunt in ténebras exterióres. Hoc autem timuérunt, ne si omnes in Christum créderent,

nemo remaneret qui adversus Romanos civitatem Dei templumque defenderet, quoniam contra ipsum templum et contra suas paternas leges doctrinam Christi esse sentiebant.

℞. In te jactatus sum ex utero, de ventre matris meae. Deus meus es tu, ne discedas a me : \* Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet.

℣. Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Quoniam.

#### LECTIO III.

UNUS autem ex ipsis Caiphas, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit : sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit. Hic docemur, etiam homines malos prophetiae spiritu futura praedicere : quod tamen Evangelista divino tribuit sacramento, quia Pontifex fuit, id est summus sacerdos.

℞. In proximo est tribulatio mea, Domine, et non est qui adjuvet : ut fodiant manus meas et pedes meos : libera me de ore leonis, \* Ut enarrem nomen tuum fratribus meis.

℣. Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam.

Ut enarrem.

In proximo.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Appropinquabat \* autem dies festus Judaeorum : et quaerebant principes sacerdotum quomodo Jesum interficerent, sed timebant plebem.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

#### ORATIO.

CORDIBUS nostris, quaesumus, Domine, gratiam tuam benignus infunde, ut peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur quam suppliciis deputemur aeternis. Per Dominum nostrum.

*Hodie dicuntur psalmi paenitentiales.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Principes sacerdotum \* consilium fecerunt ut Jesum occiderent : dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

#### ORATIO.

CONCEDE, quaesumus, omnipotens Deus, ut, qui protectionis tuae gratiam quaerimus, liberati a malis omnibus, secura tibi mente serviamus. Per Dominum nostrum.

## SABBATO.

Lectio sancti Evangelii secūndum Joānnem.

LECTIO I.  
[Cap. 12.]

**I**N illo tēpore, Cogitavērunt principes sacerdotum ut et Lázarus interficerent : quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credébant in Jesum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 50, in Joann.]

**V**iso Lázaro resuscitato, quia tantum miráculum Dómini tanta erat evidéntia diffamátum, tanta manifestatióne declarátum ut non possent vel occultáre quod factum est vel negáre, quid invenērunt vidéte. Cogitavērunt autem principes sacerdotum ut et Lázarus interficerent. O stulta cogitatio et cæca sævitia! Dóminus Christus, qui suscitáre pótuit mórtuum, non posset occisum? Quando Lázaro inferebátis necem, numquid auferebátis Dómino potestátem? Si aliud vobis vidétur mórtuus, aliud occisus, ecce Dóminus utrúmque fecit, et Lazarum mórtuum et seipsum suscitávit occisum.

**R.** Tota die contristátus ingrediebar, Dómine : quóniam ánima mea compléta est illusióibus : \* Et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

**Y.** Amíci mei et próximi mei advérsus me appropinquavérunt et steterunt : et qui juxta me erant de longe steterunt.

Et vim faciébant.

LECTIO II.  
[Tract. 51.]

**I**N crástinum autem turba multa, quæ vénerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosólymam, acceperunt ramos palmárum, et processerunt óbviā ei, et clamábant : Hosánna, benedictus qui venit in nómine Dómini, Rex Israel. Rami palmárum laudes sunt, significántes victóriam, quia erat Dóminus mórtē moriēdo superatúrus, et trophæo crucis de diábolo, mortis príncipe, triumphatúrus. Vox autem obsecrántis est, Hosánna, sicut nonnulli dicunt, qui hebræam linguam novérunt, magis afféctum indicans quam rem áliquam significans, sicut sunt in lingua latína, quas interjectiões vocant; velut cum dolentes dicimus, Heu; vel cum delectámur, Vali dicimus.

**R.** Ne avértas fáciem tuam a púero tuo, Dómine : \* Quóniam tribulor, velóciter exáudi me.

**Y.** Inténde ánimæ meæ, et libera eam : propter inimicos meos éripe me.



Quóniam tribulor.

## LECTIO III.

**H**AS ei laudes turba dicébat : Hosánna , benedictus qui venit in nómine Dómini, Rex Israel. Quam crucem mentis invidéntia principum Judæórum pérpeti potúerat, quando Regem suum Christum tanta multitúdo clamábat? Sed quid fuit Dómino Regem esse Israel? Quid magnum fuit Regi sæculórum, Regem fieri hóminum? Non enim Rex Israel Christus ad exigéndum tributum, vel exercitum ferro armándum, hostésque visibíliter debellándos; sed Rex Israel, quod mentes regat, quod in ætérnum cónsulat, quod in regnum cælórum credéntes, sperántes, amántesque perducát.

R. Quis dabit cápiti meo aquam, et óculis meis fontem lacrymárum, et plorábo die ac nocte? quia frater propínquus supplantávit me, \* Et omnis amicus fraudulénter incéssit in me.

†. Fiant viæ eórum ténebræ et líbriculum : et Angelus Dómini pérsequens eos.

Et omnis.

Quis dabit.

*Ad Benedictus , Antiphona:*

Clarifica me, \* Pater, apud temetipsum, claritáte quam hábui priúsqum mundus fieret.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

## ORATIO.

**P**ROFICIAT, quæsumus, Dómine, plebs tibi dicáta piæ devotiónis afféctu, ut sacris actiónibus erudita, quanto majestáti tuæ fit grátior, tanto donis potióribus augeátur. Per Dóminum nostrum.

## AD VESPERAS.

## CAPITULUM.

[Philip., c. 2.]

**F**RATRES, Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo : sed semetipsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo.

## HYMNUS.

**V**EXILLA Regis pródeunt :  
Fulget Crucis mystérium,  
Qua vita mortem pertulit,  
Et morte vitam protulit.

Quæ vulneráta lanceæ  
Mucróné diro, criminum  
Ut nos laváret sórdibus,  
Manávit unda et ságuine.

Impléta sunt quæ cóncinit  
David fidéli cármine,  
Dicéndo natióibus :  
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra et fúlgida,  
Ornáta Regis púrpura,  
Elécta digno stipite  
Tam sancta membra tángere.  
Beáta, cujus bráchüs.

Prétium pepéndit sæculi,  
Statéra facta córporis,  
Tulitque prædam tártari.

O Crux! ave, spes única;  
Hoc Passiónis témpore  
Piis adáuge grátiam,  
Reisque dele crimina.

Te, fons salutis Trínitas,  
Colláudet omnis spíritus :  
Quibus Crucis victóriam  
Largiris, adde præmium.

Amen.

✠. Eripe me, Dómine, ab  
hómine malo.

℟. A viro iníquo éripe me.  
*Ad Magnificat, Antiphona.*

Pater juste, \* mundus te  
non cognóvit : ego autem  
novi te, quia tu me misisti.

ORATIO.

OMNIPOTENS sempitérne  
Deus, qui humano géneri ad  
imitándum humilitátis exém-  
plum, Salvatórem nostrum  
carnem súmeret et crucem  
subire fecisti, concéde pro-  
pítius ut et patientiæ ipsius  
habére documénta et resur-  
rectionis consórtia mereá-  
mur. Per eúndem Dóminum  
nostrum.

~~~~~

## DOMINICA IN PALMIS.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Hódie si  
vocem Dómini audiéritis, \*  
Nolite obduráre córda ves-  
tra.

*Psalmus* Veníte, exulté-  
tis, 2.

HYMNUS.

PANGE, lingua, gloriósi  
Láuream cértaminis,  
Et super Crucis trophæo  
Dic triúmphum nóbilem :  
Quáliter Redémptor orbis  
Immolátus vicerit.

De Paréntis protoplásti  
Fraude Factor cóndolens,  
Quando pomi noxiális  
In necem morsu ruit :  
Ipse lignum tunc notávit,  
Damna ligni ut sólveret

Hoc opus nostræ salutis  
Ordo depopóscerat,  
Multifórmis proditóris  
Ars ut artem fálleret,  
Et medélam ferret inde  
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri  
Plenitúdo témporis,  
Missus est ab arce Patris  
Natus, orbis Cónditor;  
Atque ventre virgináli  
Carne amíctus pródiit.

Vagit infans inter arcta  
Cónditus præsépia :  
Membra pannis involúta  
Virgo mater álligat :  
Et Dei manus, pedésque  
Stricta cingit fáscia.

Sempitérna sit beátæ  
Trinitáti Glória,  
Æqua Patri, Filióque :  
Par decus Paráclito :  
Unius Triníque nomen  
Laudet univérsitas.

Amen.

*Ad Nocturnos omnia ut in  
Psalterio.* ✠. Erue a frámea,  
et alii versiculi ibidem tem-  
pore Passionis.

IN PRIMO NOCTURNO.  
De Jeremia Prophéta.

## LECTIO I.

[Cap. 2.]

**O**BSTUPESCITE, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolâmini vehementer, dicit Dóminus. Duo enim mala fecit pópulus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et fodérunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Numquid servus est Israel, aut vernáculus? quare ergo factus est in prædam? Super eum rugiérunt leónes, et dedérunt vocem suam, posuérunt terram ejus in solitúdinem, civitâtes ejus exústæ sunt, et non est qui habitet in eis. Filii quoque Mémpheos et Taphnes constupravérunt te usque ad vérticem. Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dóminum Deum tuum eo témpore, quo ducébat te per viam?

℟. In die, qua invocávi te, Dómine, dixisti, Noli timere: \* Judicásti causam meam, et liberásti me, Dómine Deus meus.

℣. In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, quia exaudisti me.

Judicásti.

## LECTIO II.

**E**T nunc quid tibi vis in via Egypti, ut bibas aquam túrhidam? et quid tibi cum via Assyriórum, ut bibas aquam

flúminis? Arguet te malítia tua, et avérsio tua increpábit te. Scito, et vide, quia malum et amárum est reliquisse te Dóminum Deum tuum, et non esse timórem mei apud te, dicit Dóminus Deus exercituum. A sæculo confregisti jugum meum, rupísti víncula mea, et dixisti: Non sérviam. In omni enim colle sublimi, et sub omni ligno frondóso tu prosternebáris méretrix. Ego autem plantávi te vineam eléctam, omne semen verum: quómodo ergo convérsa es mihi in pravum vinea aliéna? Si láveris te nitro, et multiplicáveris tibi herbam borith, maculáta es iniquitáte tua coram me, dicit Dóminus Deus.

℣. Fratres mei elongavérunt se a me: et noti mei \* Quasi aliéni recessérunt à me.

℣. Dereliquerunt me próximi mei, et qui me novérunt.

Quasi aliéni.

## LECTIO III.

**Q**UID vultis mecum júdicio conténdere? omnes dereliquistis me, dicit Dóminus. Frustra percússi filios vestros, disciplinam non receperunt: devorávit gládius vester Prophétas vestros, quasi leo vastátor generatio vestra. Vidéte verbum Dómini: Numquid solitúdo factus sum Israéli, aut terra

serótina? quare ergo dixit pópulus meus: Recéssimus, non veniémus ultra ad te? Numquid obliviscétur virgo ornamenti sui, aut sponsa fásciæ pectorális suæ? pópulus vero meus oblitus est mei diébus innúmeris.

R. Atténde, Dómine, ad me, et audi voces adversariórum meórum: \* Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

✠. Recordáre quod steterim in cónspectu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, et avérterem indignatióem tuam ab eis.

Numquid.

Atténde, Dómine.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Leónis Papæ.

#### LECTIO IV.

[Serm. 11, de Passione Domini.]

**D**ESIDERATA nobis, dilectissimi, et univérso optábilis mundo adest festívitás dómínicæ Passiós, quæ nos inter exultatióes spiritalium gaudiórum silére non pátitur. Quia etsi difficile est, de eádem solemnitate sæpius digne aptéque dissérere: non est tamen liberum sacerdoti in tanto divínæ misericórdiæ sacraménto fídelibus pópulis subtrahére sermónis officium: cum ipsa matéria ex eo quod est ineffábilis, fandi tribuat facultátem: nec possit deficere quod di-

cátur, dum nunquam potest satis esse quod dicitur. Succúmbat ergo humana infirmitas glóriæ Dei, et in explicándis opéribus misericórdiæ ejus, imparem se semper invéniat. Laborémus sensu, hæreámus ingénio, deficiámus elóquio: bonum est ut nobis parum sit, quod étiam recte de Dómini majestáte sentimus.

R. Conclúsit vias meas inimicus, insidiátor factus est mihi sicut leo in abscondito, replévit et inebriávit me amaritúdine: deduxérunt in lacum mortis vitam meam, et posuérunt lápidem contra me. \* Vide, Dómine, iniquitátes illórum: et júdica causam ánimæ meæ, defénsor vitæ meæ.

✠. Factus sum in derisum omni pópulo meo, cánticum eórum tota die.

Vide, Dómine.

#### LECTIO V.

**D**ICENTE enim Prophéta, Quærite Dóminum, et confirmámini, quærite fáciem ejus semper: némini præsuméndum est quod totum quod quærit invénerit, ne désinat propinquáre qui cessárit accédere. Quid autem inter ómnia ópera Dei, in quibus humanæ admiratióis fatigátur inténtio, ita contemplatióem mentis nostræ et obléctat et supérat, sicut Pássio Salvatóris? Qui ut



humánum genus vinculis mortiferæ prævaricationis absolveret, et sæviénti diábolo poténtiam suæ majestátis occúluit, et infirmitátem nostræ humilitátis objécit. Si enim crudélis et supérbus inimicus consilium misericórdiæ Dei nosse potuisset, Judæórum ánimos mansuetúdine pótius temperáre, quam injústis ódiis studuisset accéndere : ne ómnium captivórum amitteret servitútem, dum nihil sibi debéntis perséquitur libertátem.

R. Salvum me fac, Deus, quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam : ne avértas fáciem tuam a me :

\* Quóniam tribulor, exáudime, Dómine, Deus meus.

Y. Inténde ánimæ meæ, et libera eam : propter inimicos meos éripe me.

Quóniam.

#### LECTIO VI.

**F**EFELLIT ergo illum maliginitas sua : intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hóminum in remédium verterétur. Fudit sanguinem justum, qui reconciliándo mundo et prétium esset et póculum. Suscépit Dóminus, quod secúndum propósitum suæ voluntátis elégit. Admisit in se impias manus furéntium : quæ dum próprio incumbunt scéleri, famulátæ sunt Redemptóri.

Cujus étiam circa interfectóres suos tanta erat pietátis afféctio, ut de cruce supplicans Patri, non se vindicári, sed illis postuláret ignósci.

R. Noli esse mihi, Dómine, aliénus : parce mihi in die mala : confundántur omnes qui me persecuúntur, \* Et non confundar ego.

Y. Confundantur omnes inimici mei, qui quærunt ánimam meam.

Et non.

Noli esse.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

#### LECTIO VII.

[ Cap. 21. ]

**I**n illo témpore, Cum appropinquáset Jesus Jerosólymis, et venisset Béthphage ad montem Olivéti, tunc misit duos discipulos, dicens eis. Et réliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

[ Lib. 9 in Lucam. ]

**P**ULCHRE relictis Judæis, habitatúrus in afféctibus Génitum, templum Dóminus ascéndit. Hoc enim templum est verum, in quo non in littera sed in spíritu Dóminus adorátur. Hoc Dei templum est, quod fidei séries, non lápidum structúra fundávit. Deserúntur ergo qui óderant : eligúntur qui amatúri erant. Et ideo ad montem

venit Olivéti, ut novéllas óleas in sublími virtúte plantáret, quarum mater est illa, quæ sursum est, Jerúsalem. In hoc monte est ille coeléstis agricola: ut plantáti omnes in domo Dei, possint viritim dicere: Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dómini.

℞. Dóminus mecum est tanquam bellátor fortis: proptérea persecúti sunt me, et intelligere non potuérunt: Dómine, probas renes et corda: \* Tibi revelávi causam meam.

℥. Vidisti, Dómine, iniquitátes eórum advérsum me: júdica júdícium meum.

Tibi revelávi.

#### LECTIO VIII.

ET fortásse ipse mons Christus est. Quis enim álius tales fructus ferret oleárum, non curvescéntium ubertáte baccárum, sed spíritus plenitúdine Géntium fœcundárum? Ipse est per quem ascéndimus, et ad quem ascéndimus. Ipse est jánuá, ipse est via, qui aperitur, et qui áperit: qui pulsáitur ab ingrediéntibus, et ab eméritis adoráitur. Ergo in castélló erat, et ligátus erat pullus cum ásina: non póterat solvi nisi jussu Dómini. Solvit eum manus Apostólica. Talis actus, talis vita, talis grátia. Esto talis et tu, ut possis ligátos sólvare.

℞. Dixérunt impíi apud se, non recte cogitátes: Circumveniámus justum, quóniam contrárius est opéribus nostris: promíttit se sciéntiam Dei habére, Fílium Dei se nóminat, et gloriáitur Patrem se habére Deum: \* Videámus si sermónes illius veri sunt: et si est vere Fílius Dei, liberet eum de mánibus nostris: morte turpíssima condemnémus eum.

℥. Tanquam nugáces æstimáti sumus ab illo, et ábstinet se a viis nóstris tanquam ab immundítiis: et præfert novíssima justórum. Videámus.

#### LECTIO IX.

NUNC considerémus, qui fúerint illi, qui erróre détecto, de paradiso ejécti, in castéllum sint relegáti. Et vides, quemádmódum quos mors expúlerat, vita revocáverit. Et ídeo secúndum Matthæum, et ásinam et pullum légimus: ut quia in duóbus homínibus utérque fúerat sexus expúlsus, in duóbus animálibus sexus utérque revocétur. Ergo illic in ásina matre quasi Hevam figurávit erróris, hic autem in pullo generalitátem pópuli gentilis exprésit: et ídeo pullo sedétur ásinæ. Et bene, in quo nemo sedit: quia nullus, ántequam Christus, natiónum pópulos vocávit ad Ecclésiám. Déní-

que secundum Marcum sic habes : Quem nemo adhuc sedit hominum.

*R.* Circumdedérunt me viri mendaces : sine causa flagellis cæcidérunt me : \* Sed tu, Dómine, defensor, vindica me.

*Y.* Quóniam tribulatio próxima est, et non est qui adjuvet.

Sed tu, Dómine.

Circumdedérunt.

### AD LAUDES.

#### *Antiphona.*

Dóminus Deus \* auxiliátor meus : et ideo non sum confusus.

*Psalmus* Miserere mei, Deus, 63.

#### *Antiphona.*

Circumdantes \* circumdedérunt me : et in nómine Dómini vindicabor in eis.

*Psalmus* Confitémini Dómino, 25.

#### *Antiphona.*

Júdica \* causam meam : defende quia potens es, Dómine.

*Psalmus* Deus, Deus meus, cum reliquis, 19.

#### *Antiphona.*

Cum Angelis \* et púeris fideles inveniámur, triumphatóri mortis clamantes : Hosánna in excelsis.

#### *Antiphona.*

Confundántur \* qui me persequúntur, et non confundar ego, Dómine Deus meus.

### CAPITULUM.

[Philip. c. 2.]

**F**RATRES, Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitrátus est esse se æquálem Deo ; sed semetipsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hominum factus, et hábitu invéntus ut homo.

### HYMNUS.

**L**USTRA sex qui jam perégit,  
Tempus implens córporis,  
Sponte libera Redemptor  
Passióni déditus,  
Agnus in Crucis levátur  
Immolándus stípitem.

Felle potus ecce languet,  
Spina, clavi, lancea  
Mite corpus perforárunt,  
Unda manat et cruor :  
Terra, pontus, astra, mundus

Quo lavántur flúmine !

Crux fidélis, inter omnes  
Arbor una nóbilis :  
Silva talem nulla profert  
Fronde, flore, gérmine :  
Dulce ferrum, dulce lignum,  
Dulce pondus sústinent.

Flecte ramos, arbor alta,  
Tensa laxa víscera,  
Et rigor lentéscat ille,  
Quem dedit natívitas,  
Et supérni membra Regis  
Tende miti stípitem.

Sola digna tu fuísti  
Ferre mundi Víctimam ;  
Atque portum præparáre  
Arca mundo náufrago,

Quam sacer cruor perúnxit,  
Fusus Agni corpore.

Sempiterna sit beátæ  
Trinitáti glória,  
Æqua Patri, Fílioque;  
Par decus Paráclito:  
Unius trínique nomen  
Laudet univérsitas.

Amen.

✠. Eripe me de inimícis,  
Deus meus.

R. Et ab insurgéntibus in  
me libera me.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Turba multa, \* quæ con-  
vénerat ad diem festum, cla-  
mábat Domino: Benedictus  
qui venit in nómine Dómini;  
Hosánna in excélsis.

ORATIO.

**O**MNIPOTENS sempitérne  
Deus, qui humano géneri,  
ad imitándum humilitátis  
exémplum, Salvatórem nos-  
trum carnem súmere et cru-  
cem subire fecisti, concéde  
propítius ut et patientiæ ip-  
sius habére documénta et  
resurrectiónis consórtia me-  
reámur. Per eúndem Dómi-  
num nostrum.

AD PRIMAM.

*Antiphona.*

Puéri Hebræórum \* tol-  
léntes ramos olivárum, ob-  
viavérunt Dómino, clamán-  
tes et dicéntes: Hosánna in  
excélsis.

AD TERTIAM.

*Antiphona.*

Puéri Hebræórum \* ves-

timénta prosternébant in via,  
et clamábant dicéntes: Ho-  
sánna filio David: benedic-  
tus qui venit in nómine Dó-  
mini.

*Capitulum Fratres, Hoc  
enim, ut supra, 265.*

R. *breve.* Erue a frámea,  
\* Deus, ánimam meam.  
Erue.

✠. Et de manu canis úni-  
cam meam.

R. Deus.

Erue a frámea.

✠. De ore leónis libera  
me, Dómine.

R. Et a córnibus unicór-  
nium humilitátem meam.

AD SEXTAM.

*Antiphona.*

Tibi revélavi \* causam  
meam, defénsor vitæ meæ,  
Dómine, Deus meus.

CAPITULUM.

[Philip. c. 2.]

**H**UMILIAVIT semetipsum fac-  
tus obédiens usque ad mor-  
tem, mortem autem crucis.  
Propter quod et Deus exal-  
távit illum, et donávit illi  
nomen, quod est super omne  
nomen.

R. *breve.* De ore leónis, \*  
Libera me, Dómine. De  
ore.

✠. Et a córnibus unicór-  
nium humiliatém meam.

R. Libera me.

De ore.

✠. Ne perdas cum impiis,  
Deus, ánimam meam.



R. Et cum viris sanguínum vitam meam.

## AD NONAM.

*Antiphona.*

Invocabo \* nomen tuum, Domine : ne avertas faciem tuam a clamore meo.

## CAPITULUM.

[Philip. c. 2.]

In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum : et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

R. *breve.* Ne perdas cum impiis, \* Deus, animam meam. Ne perdas

Y. Et cum viris sanguínum vitam meam.

R. Deus animam meam. Ne perdas.

Y. Eripe me, Domine, ab homine malo.

R. A viro iniquo eripe me.

## AD VESPERAS.

*Antiphona et Psalmus*  
Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, 134.

*Capitulum* Fratres, Hoc enim.

*Hymnus* Vexilla Regis prædeunt, ut supra, 259.

Y. Eripe me, Domine, ab homine malo.

R. A viro iniquo eripe me.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Scriptum est enim : \* Per-

cútiā pastorem, et dispergentur oves gregis : postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam : ibi me vidébitis, dicit Dominus.

## ORATIO.

OMNIPOTENS sempiternus Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere et crucem subire fecisti, concede propitius ut et patientiæ ipsius habere documénta, et resurrectionis consórtia mereámur. Per eúndem Dominum nostrum.

*Ab hac die usque ad Octavam Paschæ, si occurrat aliquod Festum novem Lectionum, transfertur post Octavam. Trium vero Lectionum a Feria quinta in Cœna Domini, usque ad Feriam tertiam Paschæ, nulla fit commemoratio.*

## FERIA SECUNDA.

*Invitorium* Hódie si vocem.

*Hymnus* Pange, lingua, gloriósi, ut supra, 260.

*Antiphonæ et Psalmi* hujus Feriæ, 52.

Y. Erue a frámea, ibidem tempore Passionis.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Domine.

*Benedictio* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

## LECTIO I.

[Cap. 12.]

**A**NTE sex dies Paschæ venit Jesus Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem suscitávit Jesus. Et réliqua.

Homília sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 50, in Joann.]

**N**E putárent hómines phantásma esse factum, quia mórtuus resurrexit, Lázarus unus erat ex recumbéntibus : vivébat, loquebátur, epulabátur, véritas ostendebátur, infidé-litas Judæórum confundebátur. Discumbébat ergo Jesus cum Lázaro et céteris : ministrábat Martha, una ex soróribus Lázari. María vero, áltera soror Lázari, accépit libram unguénti nardi pís-tici pretiósí, et unxit pedes Jesu, et extérsit capillis suis pedes ejus; et domus impléta est ex odóre unguénti. Factum audívimus : mystérium requirámus.

**R**. Viri impíi dixerunt : Opprimámus virum justum injúste, et deglutiámus eum tanquam inférnus vivum : auferámus memóriam illius de terra : et de spóliis ejus sortem mittámus inter nos : ipsi enim homicidæ thesaurizavérunt sibi mala. \* Insi-piéntes et maligni odérunt sapiéntiam; et rei facti sunt in cón-tationibus suis.

**Y**. Hæc cogitavérunt, et erravérunt : et excacávit illos malítia eórum.

Insi-piéntes et maligni.

*Benedictio* Divinum auxí-lium.

## LECTIO II.

**Q**UÆCUMQUE ánima fidélis vis esse, cum María unge pedes Dómini pretiósó unguénto. Unguéntum illud justítia fuit, ideo libra fuit : erat autem unguéntum nardi pís-tici pretiósí. Quod ait, pís-tici, locum áliquem credere debémus, unde hoc erat unguéntum pretiósó : nec tamen hoc vacat, et sacramén-to óptime cónsonat. Pistis græce, fides latine dicitur. Quærébas operári justitiam. Justus ex fide vivit. Unge pedes Jesu bene vivéndo : dómínica sectáre vestigia. Capillis terge : si habes supérflua, da paupéribus, et Dómini pedes tersísti : capilli enim supérflua córporis videntur. Habes quod agas de supérfluis tuis : tibi supérflua sunt, sed Dómini pédi-bus necessária sunt. Forte in terra Dómini pedes indigent.

**R**. Oppróbrium factus sum nimis inimícis meis : vidérunt me, et movérunt cápita sua : \* Adjuva me, Dómine, Deus meus.

**Y**. Locúti sunt advérsus me lingua dolósa, et sermó-

nibus ódii circumdedérunt me.

Adjuva me.

*Benedictio* Ad societátem.

LECTIO III.

**D**E quibus enim, nisi de membris suis in fine dicturus est: Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis? Superflua vestra impendistis; sed pedibus meis obsecuti estis. Domus autem impléta est odóre: mundus implétus est fama bona: nam odor bonus fama bona est. Qui male vivunt et Christiáni vocántur, injúriam Christo faciunt: de quálibus dictum est, quod per eos nomen Dómini blasphemáitur. Si per tales nomen Dei blasphemáitur, per bonos nomen Dómini laudáitur. Audi Apóstolum: Christi bonus odor sumus, inquit, in omni loco.

℞. Insurrexérunt in me viri iníqui absque misericórdia, quæsiérunt me interficere: et non pepercérunt in faciém meam spúere, et lanceis suis vulneravérunt me, et concússa sunt ómnia ossa mea: \* Ego autem existimábam me tanquam mórtuum super terram.

℥. Effudérunt furórem suum in me: fremuérunt contra me déntibus suis.

Ego autem.

Insurrexérunt in me.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Fáciem meam \* non avérti ab increpántibus, et conspuéntibus in me.

*Psalmi de Laudibus Ferialis secundæ, 63.*

*Antiphona.*

Frámea \* suscitáre adversus eos qui dispérgunt gregem meum.

*Antiphona.*

Appendérunt \* mercédem meam triginta argéteis: quibus appretiátus sum ab eis.

*Antiphona.*

Inundavérunt \* aquæ super caput meum: dixi: Pérrí: invocábo nomen tuum, Dómine Deus.

*Antiphona.*

Lábia insurgéntium \* et cogitatiónes eórum vide, Dómine.

CAPITULUM.

[ Jerem. c. 11. ]

**V**ENITE, mittámus lignum in panem ejus, et eradámus eum de terra vivéntium, et nomen ejus non memorétur ámplius.

*Hymnus* Lustra sex, 265.

℥. Eripe me de inimicis meis, Deus meus.

℞. Et ab insurgéntibus in me libera me.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Clarifica me, \* Pater, apud temetípsum claritáte, quam

hábui priúsquam mundus fieret.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

## ORATIO.

**D**A, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficiamus, intercedente unigéniti Filii tui Passióne, respirémus. Qui tecum vivit et regnat.

## AD TERTIAM.

*Antiphona Frámea suscitáre.*

## CAPITULUM.

[ Jerem. c. 17. ]

**D**OMINE, omnes qui te derelinquunt confundéntur : recedéntes a te, in terra scribéntur : quóniam dereliquerunt venam aquárum vivéntium Dóminum.

*R. breve. Erue a frámea, \* Deus, ánimam meam. Erue.*

*✠. Et de manu canis únicam meam.*

*R. Deus ánimam meam.*

*Erue a frámea.*

*✠. De ore leónis libera me, Dómine.*

*R. Et a cónibus unicórnium humilitátem meam.*

*Kyrie, eléison, 44.*

## AD SEXTAM.

*Antiphona Appendérunt.*

## CAPITULUM.

[ Jerem. c. 17. ]

**C**ONFUNDANTUR qui me persequúntur, et non confundar ego : páveant illi, et non páveam ego : induc super eos

diem afflictiónis, et dúplici contritióne cóntere eos, Dómine Deus noster.

*R. breve. De ore leónis, \* Libera me, Dómine. De ore.*

*✠. Et a cónibus unicórnium humilitátem meam.*

*R. Libera me, Dómine.*

*De ore.*

*✠. Ne perdas cum impiis, Deus, ánimam meam.*

*R. Et cum viris sánguinem vitam meam.*

*Kyrie, eléison, 47.*

## AD NONAM.

*Antiphona Lábia insurgéntium.*

## CAPITULUM.

[ Jerem. c. 18. ]

**R**ECORDARE quod stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, et avérterem indignatióem tuam ab eis.

*R. breve. Ne perdas cum impiis, \* Deus, ánimam meam. Ne perdas.*

*✠. Et cum viris sanguinem vitam meam.*

*R. Deus, ánimam meam.*

*Ne perdas.*

*✠. Eripe me, Dómine, ab hómine malo.*

*R. A viro iníquo éripe me.*

*Kyrie, eléison, 51.*

## AD VESPERAS.

*Antiphona et Psalmi Ferie secundæ, ut in Psalterio, 138.*



## CAPITULUM.

[Jerem. c. 11.]

**T**u autem, Dómine Sábaoth, qui júdicas juste, et probas renes et corda, videam ultiónem tuam ex eis : tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

*Hymnus Vexilla Regis, 259.*

Ÿ. Eripe me, Dómine, ab hómine malo.

R. A viro iniquo éripe me. *Ad Magnificat, Antiphona.*

Non habéres\* in me potestátem, nisi désuper tibi datum fuisset.

*Deinde dicuntur preces, ut supra, 66.*

## ORATIO.

**A**DJUVÁ NOS, Deus salutáris noster : et ad beneficia recolénda, quibus nos instauráre dignátus es, tribue venire gaudéntes. Per Dóminum nostrum.

## FERIA TERTIA.

Pater noster.

*Absolutio Ipsius píetas.*

*Benedictio Deus pater omnipotens.*

De Jeremía Prophéta.

## LECTIO I.

[Cap. 11.]

**Q**UID est, quod diléctus meus in domo mea fecit scélera multa, numquid carnes sanctæ áuferent a te malitias tuas, in quibus gloriáta es? Olivam úberem, pulchram,

fructiferam, speciósam vocávit Dóminus nomen tuum : ad vocem loquélæ, grandis exársit ignis in ea, et combústasunt frutéta ejus. Et Dóminus exercituum qui plantávit te, locútus est super te malum : pro malis domus Israel et domus Juda, quæ fecérunt sibi ad irritándum me, libántes Báalim. Tu autem, Dómine, demonstrásti mihi, et cognóvi : tunc ostendisti mihi stúdia eórum. Et ego quasi agnus mansuétus, qui portátur ad victimam : et non cognóvi quia cogitavérunt super me consília, dicéntes : Mittámus lignum in panem ejus, et eradámus eum de terra vivéntium, et nomen ejus non memorétur ámplius. Tu autem, Dómine Sábaoth, qui júdicas juste, et probas renes et corda, videam ultiónem tuam ex eis : tibi enim revelávi causam meam.

R. Contumélias et terróres passus sum ab eis, qui erant pacífici mei et custodiéntes latus meum, dicéntes : Decipiámus eum, et prævaleámus illi : sed tu, Dómine, mecum es tanquam belátor fortis : \* Cadant in oppróbrium sempitérnus, ut videam vindictam in eis, quia tibi revelávi causam meam.

Ÿ. Júdica, Dómine, causam animæ meæ, defénsor vitæ meæ.

Cadant in oppróbrium.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

## LECTIO II.

[Cap. 12.]

**J**USTUS quidem tu es, Dómine, si disputem tecum: verumtamen justa loquar ad te: Quare via impiórum prosperátur, bene est ómnibus qui prævaricántur et inique agunt? Plantásti eos, et radicem misérunt: proficiunt et faciunt fructum: prope es tu ori eórum, et longe a rénibus eórum. Et tu, Dómine, nosti me, vidisti me, et probásti cor meum tecum: cóngrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisiónis. Usquequo lugébit terra, et herba regiónis siccábitur propter malitiam habitántium in ea? consúptum est ánimál, et vólucres, quóniam dixerunt: Non vidébit novíssima nostra.

℞. Deus Israel, propter te sustinui impropérium, opéruit reveréntia faciém meam, extráneus factus sum frátribus meis, et hospes filiis matris meæ: \* Quóniam zelus domus tuæ comédit me.

℣. Inténde ánimæ meæ, et libera eam, propter inimicos meos éripe me.

Quóniam.

*Benedictio* Ignem sui amoris.

## LECTIO III.

**R**ELIQUI domum meam, di-

mihi hæreditátem meam: didi diléctam ánimarum meam in manu inimicórum ejus. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ideo odívi eam. Numquid avis díscolor hæreditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? veníte, congregámini, omnes béstie terræ, prope- ráte ad devorándum. Pastóres multi demolíti sunt vineam meam, conculcavérunt partem meam: dedérunt porciónem meam desiderábilem in desértum solitúdinis. Posuérunt eam in dissipatió- nem, luxítque super me: desolatióne desoláta est omnis terra, quia nullus est qui recógitet corde.

℞. Synagóga populórum circumdedérunt me: et non réddidi retribuéntibus mihi mala. \* Consumétur, Dómine, nequítia peccatórum, et diriges justum.

℣. Júdica me, Dómine, secúndum justitiam meam, et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur.

Synagóga.

## AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Vide, Dómine, \* et considera, quóniam tribulor: velóciter exáudi me.

*Psalmi de Feria tertia ad Laudes, ut in Psalterio, 77.*

*Antiphona.*

Discérne causam meam,  
\* Dómine : ab hómine iníquo  
et dolóso éripe me.

*Antiphona.*

Dum tribulárer, \* clamávi  
ad Dóminum de ventre ín-  
feri, et exaudivit me.

*Antiphona.*

Dómine, vim pátiór, \* res-  
pónde pro me : quia nescio  
quid dicam inimicis meis.

*Antiphona.*

Dixerunt impii : \* Oppri-  
mámus virum justum, quón-  
iam contrárius est opéribus  
nostris.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ante diem festum \* Pas-  
chæ, sciens Jesus quia venit  
hora ejus, cum dilexisset  
suos, in finem diléxit eos.

*Deinde dicuntur preces, 66.*

## ORATIO.

**O**MNIPOTENS sempiterne  
Deus, da nobis ita domíni-  
cæ Passiónis sacraménta per-  
ágere : ut indulgéntiam per-  
cipere mereámur. Per eúm-  
dem Dóminum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Potestátem hábeo \* po-  
néndi ánimam meam, et íte-  
rum suméndi eam.

*Deinde dicuntur preces,  
ut in Psalterio, 66.*

## ORATIO.

**T**UANOS misericórdia, Deus,  
et ab omni subreptióne ve-  
tustátis expúrget et capáces  
sanctæ novitátis efficiat. Per  
Dóminum.



## FERIA QUARTA

Pater noster.

*Absolutio A vñculis.*

*Benedictio* Ille nos bene-  
dicat.

De Jeremía Prophéta.

## LECTIO I.

[Cap. 17.]

**E**XPECTATIO Israel, Dómi-  
ne : omnes qui te derelin-  
quunt confundéntur : rece-  
déntes a te in terra scribén-  
tur : quóniam dereliquerunt  
venam aquárum vivéntium  
Dóminum. Sana me, Dómi-  
ne, et sanábor : salvum me  
fac, et salvus ero, quóniam  
laus mea tu es. Ecce ipsi di-  
cunt ad me : Ubi est verbum  
Dómini? véniat. Et ego non  
sum turbátus, te pastórem  
sequens : et diem hóminis  
non desiderávi, tu scis. Quod  
egréssum est de lábiis meis  
rectum in conspéctu tuo fuit.  
Non sis tu mihi formídini;  
spes mea tu in die afflictión-  
is. Confundántur qui me  
persequúntur, et non con-  
fúndar ego : páveant illi, et  
non páveam ego : induc su-  
per eos diem afflictiónis, et  
dúplici contritióne cóntere  
eos.

R). Locúti sunt advérsus  
me lingua dolósa, et sermón-  
ibus ódii circumdedérunt  
me : pro eo ut me diligerent,  
detrahébant mihi : \* Ego  
autem orábam, et exau-

disti me, Dómine Deus meus.

✠. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et ódium pro dilectióne mea.

Ego autem.

*Benedictio* Divinum auxilium.

#### LECTIO II.

[Cap. 18.]

QUIS audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel? Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, et defluentes? Quia oblitus est mei populus meus, frustra libantes, et impingentes in viis suis, in sémitis sæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito: ut fieret terra eorum in desolationem et in sibi-lum sempiternum: omnis qui præterierit per eam obstupescet, et movébit caput suum. Sicut ventus urens dispérgam eos coram inimico: dorsum, et non faciém osténdam eis in die perditionis eorum. Et dixerunt: Veníte, et cogitémus contra Jeremíam cogitationes: non enim peribit lex a sacerdote, neque consilium a sapiente, nec sermo a prophéta: veníte, et percutiá-mus eum lingua, et non attendá-mus ad univér-sos sermónes ejus.

℣. Dixerunt impii apud se, non recte cogitantes:

Circumveniá-mus justum, quóniam contrárius est opé-ribus nostris: promittit sciéntiam Dei habére, Fílium Dei se nóminat, et gloriá-tur Patrem se habére Deum: \* Videá-mus si sermónes illius veri sunt: et si est vere Fí-lius Dei, liberet eum de má-nibus nostris: morte turpíssima condemnémus eum.

✠. Tanquam nugáces æstimáti sumus ab illo, et ábs-tinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis: et præfert novíssima justórum.

Videá-mus si sermónes.

*Benedictio* Ad societátem.

#### LECTIO III.

ATTENDE, Dómine, ad me, et audi vocem adversariórum meórum. Numquid rédditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Recordáre quod steterim in conspéctu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et avérterem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gládii: fiant uxóres eorum absque liberis, et víduæ: et viri eárum interficiántur morte: jú-venes eorum confodiántur gládio in prælio. Audiátur clamor de dómibus eorum: addúces enim super eos latrónem repente, quia foderunt foveam ut cáperent me, et láqueos abscondérunt pedibus meis. Tu autem, Dó-



mine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem: ne propitiâ iniquitâtibus eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

R. Circumdederunt me viri mendaces: sine causa flagellis ceciderunt me: Sed tu, Domine defensor, vindica me.

Y. Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet.

Circumdederunt.

Sed tu, Domine.

## AD LAUDES

ET PER HORAS.

### Antiphona.

Libera me\* de sanguinibus, Deus, Deus meus: et exultabit lingua mea justitiam tuam.

*Psalmi de Feria quarta in Laudibus, 87.*

### Antiphona.

Contumelias\* et terrores passus sum ab eis: et Dominus mecum est tanquam bellator fortis.

### Antiphon .

Ipsi vero\* in vanum quasi erunt animam meam; introibunt in inferiora terræ.

### Antiphona.

Omnes inimici\* mei audierunt malum meum, Dó-

mine; lætati sunt, quoniam tu fecisti.

### Antiphona.

Alliga, Domine,\* in vinculis nationes Gentium, et reges earum in compedibus.

### Ad Benedictus, Antiphona.

Simon, dormis?\* non potuisti una hora vigilare mecum?

*Deinde dicuntur preces, ut in Psalterio, 66.*

### ORATIO.

PRESTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui nostris excessibus incessanter affligimur, per unigeniti Filii tui passionem liberemur. Qui tecum vivit et reg-

### Ad Magnificat, Antiphona.

Ancilla dixit Petro:\* Vere tu ex illis es: nam et loquela tua manifestum te facit.

*Deinde dicuntur preces, ut in Psalterio, 66.*

### ORATIO.

RESPICE, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus.

*Tribus sequentibus diebus dicto secreto Pater noster, Ave, Maria, et ad Matutinum et in principio Primæ Credo, omnibus aliis præ-*

*termisſis , absolute incipitur Officium ad Matutinum et Vesperas ab Antiphona primi Psalmi ; et Antiphonæ duplicantur ſicut in feſto Duplici.*

*In fine Psalmorum non*

*dicitur Glória Patri , per omnes Horas , nec in Reſponſoriis : et in fine cujuſlibet Psalmi ad Matutinum extinguitur una ex quindecim candelis poſitis in candelabro triangulari ante Altare.*



# FERIA QUINTA

## IN COENA DOMINI.

### AD MATUTINUM.

#### IN PRIMO NOCTURNO.

##### *Antiphona.*

Zelus domus tuæ comédit me, et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

##### PSALMUS 68.

**S**ALVUM me fac, Deus: \* quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo profúndi: \* et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris: \* et tempésta demérsit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: \* defecerunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei, \* qui odérunt me gratis.

Confortati sunt qui persecúti sunt me inimíci mei iníuste: \* quæ non rápui, tunc exolvebam.

Deus, tu scis insipientiam meam: \* et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubéscant in me qui  
*Vern.*

expéctant te, Dómine, \* Dómine virtútum.

Non confundántur super me \* qui quærunt te, Deus Israel.

Quóniam propter te sustinui oppróbrium: \* opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum fratribus meis: \* et peregrínus filiis matris meæ.

Quóniam zelus domus tuæ comédit me: \* et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opéruí in jejúnio ánimam meam: \* et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium: \* et factus sum illis in parábolam.

Advérsum me loquebántur qui sedébant in porta: \* et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego vero oratió nem meam ad te, Dómine: \* tempus benepláciti Deus.

In multitúdine misericór-

diæ tuæ exáudi me, \* in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar : \* libera me ab iis qui odérunt me, et de profundis aquárum.

Non me demérgat tempéstatas aquæ, neque absórbeat me profundum : \* neque úrgeat super me púteus os suum.

Exáudi me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua : \* secúndum multitudinem miserátionum tuárum réspice in me.

Et ne avértas faciém tuam a púero tuo : \* quóniam tribulor, velóciter exáudi me.

Inténde animæ meæ, et libera eam : \* propter inimicos meos éripe me.

Tuscis impropérium meum, et confusiónem meam, \* et reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tribulant me : \* impropérium expectávit cor meum, et misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit : \* et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel : \* et in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, \* et in retributiónes, et in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum

ne vídeant : \* et dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam : \* et furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta : \* et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussisti persecúti sunt : \* et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum : \* et non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de Libro vivéntium : \* et cum justis non scribántur.

Ego sum pauper et dolens : \* salus tua, Deus, suscepit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico : \* et magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vitulum novéllum, \* córnua producéntem et úngulas.

Videant páuperes, et læténtur : \* quærite Deum, et vivet ánima vestra :

Quóniam exaudivit páuperes Dóminus : \* et vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cœli et terra, \* mare, et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam faciet Sion : \* et ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, \* et hæreditáte acquirént eam.

Et semen servórum ejus



possidébit eam : \* et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.

*Antiphona.*

Zelus domus tuæ comédit me, et oppróbria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

*Antiphona.*

Avertántur retrórsum, et erubéscant, qui cógitant mihi mala.

PSALMUS 69.

**D**EUS, in adjutórium meum inténde : \* Dómine, ad adjuvándum me festina.

Confundántur, et reveréantur, \* qui quærunt ánimam meam :

Avertántur retrórsum et erubéscant, \* qui volunt mihi mala :

Avertántur statim erubescéntes, \* qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent et læténtur in te omnes qui quærunt te, \* et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egénus, et pauper sum : \* Deus, ádjuva me :

Adjutor meus, et liberátor meus es tu : \* Dómine, ne moréris.

*Antiphona.*

Avertántur retrórsum, et erubéscant, qui cógitant mihi mala.

*Antiphona.*

Deus meus, éripe me de manu peccatóris.

PSALMUS 70.

**I**n te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum : \* in justitia tua libera me, et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, \* et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum munitum : \* ut salvum me fácias,

Quóniam firmaméntum meum, \* et refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, \* et de manu contra legem ágéntis, et iníqui :

Quóniam tu es paciéntia mea, Dómine, \* Dómine, spes mea a juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero : \* de ventre matris meæ tu es protector meus :

In te cantátio mea semper : \* tanquam prodígium factus sum multis : \* et tu adjutor fortis :

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam : \* tota die magnitúdinem tuam.

Ne projicias me in témpore senectútis : \* cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimíci mei mihi : \* et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecerunt in unum,

Dicéntes : Deus derelíquit eum, persequímini, et comprehendite eum : \* quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongeris a me : \*  
Deus meus in auxilium meum  
respice.

Confundantur, et deficiant  
detrahentes animæ meæ : \*  
operiantur confusione et pu-  
dore qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper spera-  
bo : \* et adjiciam super om-  
nem laudem tuam.

Os meum annuntiabit jus-  
titiam tuam : \* tota die salu-  
tare tuum.

Quoniam non cognovi lit-  
teraturam, introibo in poten-  
tias Domini : \* Domine, me-  
morabor justitiæ tuæ solius.

Deus, docuisti me a juven-  
tute mea : \* et usque nunc  
pronuntiabo mirabilia tua.

Et usque in senectam et  
senium : \* Deus, ne derelin-  
quas me.

Donec annuntiem brá-  
chium tuum \* generatióni  
omni, quæ ventúra est :

Potentiam tuam, et justi-  
tiam tuam, Deus, usque in al-  
tissima, quæ fecisti magnalia :  
\* Deus, quis similis tibi ?

Quantas ostendisti mihi  
tribulationes multas, et ma-  
las : et conversus vivificasti  
me : \* et de abyssi terræ íte-  
rum reduxisti me :

Multiplicasti magnificen-  
tiam tuam : \* et conversus  
consolatus es me.

Nam et ego confitebor ti-  
bi in vasis psalmi veritatem  
tuam : \* Deus, psallam tibi in  
cithara, sanctus Israel.

Exultabunt lábia mea cum  
cantávero tibi : \* et ánima  
mea, quam redemisti.

Sed et lingua mea tota die  
meditabitur justitiam tuam :  
\* cum confúsi, et revériti  
fúerint qui quærunt mala  
mihi.

### *Antiphona.*

Deus meus, éripe me de  
manu peccatóris.

Ÿ. Avertantur retrórsum,  
et erubéscant.

℞. Qui cógitant mihi mala.

*Hoc triduo post Versiculos  
Nocturnorum dicitur secreto  
Pater noster, nec pronuntia-  
tur Et ne nos, nec dicitur  
Absolutio, neque dantur Be-  
nedictiones ante Lectiones.  
In fine Lectionum non dici-  
tur Tu autem, sed primæ  
tres Lectiones Jeremiæ ter-  
minantur ut infra.*

Incipit Lamentatio Jere-  
miæ Prophætæ.

### LECTIO I.

[Caput 1.]

Aleph. QUOMODO sedet sola  
civitas plena pópulo : facta  
est quasi vídua dómina Gén-  
tium : princeps provinciárum  
facta est sub tribúto.

Beth. Plorans plorávit in  
nocte, et lácrymæ ejus in  
maxillis ejus : non est qui  
consolétur eam ex ómnibus  
charis ejus : omnes amíci ejus  
spreverunt eam, et facti sunt  
ei inimíci.

Ghimel. Migrávit Judas  
propter afflictiónem, et mul-

titudinem servitutis : habitavit inter Gentes, nec invenit requiem : omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.

Daleth. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem : omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squallidæ, et ipsa oppressa amaritudine.

He. Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt : quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus : parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.

Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

*Sic terminantur Lectiones de Lamentationibus in hoc triduo.*

R. In monte Oliveti oravit ad Patrem : Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. \* Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Y. Vigilate, et orate, ut non intratis in tentationem.

Spiritus quidem.

#### LECTIO II.

Vau. Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus : facti sunt principes ejus velut arietes non inveniētes pascua : et abiērunt absque fortitudine ante faciem subsequēntis.

Zain. Recordata est Jeru-

salem dierum afflictionis suæ, et prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator : viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.

Heth. Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est : omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus : ipsa autem gemens conversa est retrorsum.

Teth. Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui : deposta est vehementer, non habens consolatorem : vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

R. Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum : nunc videbitis turbam, quæ circumdabit me : \* Vos fugam capietis, et ego vadam immolari pro vobis.

Y. Ecce appropinquat hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Vos fugam.

#### LECTIO II.

Jod. MANUM suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus : quia vidit Gentes ingressas Sanctuarium suum,

de quibus præcéperas ne intrarent in ecclesiam tuam.

Caph. Omnis pópulus ejus gemens, et quærens panem: dederunt pretiósá quæque pro cibo ad refocillándam ánimam. Vide, Dómine, et considera quóniam facta sum vilis.

Lamed. O vos omnes, qui transitis per viam, atténdite, et vidéte si est dolor sicut dolor meus: quóniam vindemiávit me, ut locútus est Dóminus in diæ iræ furóris sui.

Mem. De excélso misit ignem in óssibus meis, et erúdivit me: expándit rete pedibus meis, convértit me retrórsum: pósuit me desolatam, tota die mœróre conféctam.

Nun. Vigilávit jugum iniquitátum meárum: in manu ejus convolutæ sunt, et impósitæ collo meo: infirmáta est virtus mea: dedit me Dóminus in manu, de qua non pótero súrgere.

Jerúsalem, Jerúsalem, convertere ad Dóminum Deum tuum.

R). Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decórem: aspéctus ejus in eo non est: hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet: ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras:  
\* Cujus livóre sanáti sumus.

†. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.

Cujus livóre.

Ecce vídimus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Liberávit Dóminus páuperem a poténte, et inopem, cui non erat adjutor.

PSALMUS 71.

DEUS, judícium tuum regi da: \* et justítiam tuam filio regis:

Judicáre pópulum tuum in justitia, \* et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo: \* et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet filios páuperum: \* et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, \* in generatióne et generatióne.

Descéndet sicut plúvia in vellus: \* et sicut stillicidia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justitia, et abundántia pacis: \* donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare: \* et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes: \* et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et insulæ múnera ófferent: \* reges Arabum, et Saba dona addúcent:



Et adorábunt eum omnes reges terræ : \* omnes gentes sérvient ei.

Quia liberábit páuperem a poténite : \* et páuperem , cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et inopi : \* et ánimas páuperum salvas fáciat.

Ex usúris et iniquitate rédimet ánimas eórum : \* et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet , et dábitur ei de auro Arábiæ , et adorábunt de ipso semper : \* tota die benedicent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium , superextollétur super Líbanum fructus ejus : \* et florébunt de civitate sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula : \* ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : \* omnes gentes magnificábunt eum.

Benedictus Dóminus Deus Israel , \* qui facit mirabilia solus :

Et benedictum nomen majestátis ejus in ætérnum : \* et replébitur majestate ejus omnis terra : fiat , fiat.

*Antiphona.*

Liberávit Dóminus páuperem a poténite , et inopem , cui non erat adjútor.

*Antiphona.*

Cogitavérunt impii , et locúti sunt nequitiam : iniqui-

tatem in excélso locúti sunt.

PSALMUS 72.

QUAM bonus Israel Deus , \* his qui recto sunt corde !

Mei autem pene moti sunt pedes : \* pene effúsi sunt gressus mei.

Quia zelávi super iniquos , \* pacem peccatórum videns.

Quia non est respectus morti eórum : \* et firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt , \* et cum hominibus non flagellabúntur :

Ideo ténuít eos superbia , \* opérti sunt iniquitate et impietate sua.

Pródiit quasi ex ádipe iniquitas eórum : \* transiérunt in afféctum cordis.

Cogitavérunt , et locúti sunt nequitiam : \* iniquitatem in excélso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os suum : \* et lingua eórum transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hic : \* et dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixerunt : Quómodo scit Deus , \* et si est sciéntia in excélso ?

Ecce ipsi peccatóres , et abundántes in sæculo , \* obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo sine causa justificávi cor meum , \* et lavi inter innocéntes manus meas :

Et fui flagellátus tota die , \* et castigatio mea in matutinis.

Si dicébam : Narrábo sic :  
\* ecce nationem filiorum tuorum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc , \* labor est ante me :

Donec intrem in sanctuárium Dei : \* et intélligam in novíssimis eorum.

Verúntamen propter dolos posuisti eis : \* deiecisti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in desolationem , súbito defecerunt : \* perierunt propter iniquitatem suam.

Velut sómnum surgentium , Dómine , \* in civitate tua imáginem ipsorum ad nihilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum , et renes mei commutáti sunt : \* et ego ad nihilum redáctus sum , et nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te : \* et ego semper tecum.

Tenuísti manum dexteram meam : et in voluntate tua deduxísti me , \* et cum gloria suscepísti me.

Quid enim mihi est in cœlo ?  
\* et a te quid vólui super terram ?

Defécit caro mea , et cor meum : \* Deus cordis mei , et pars mea Deus in ætérnum.

Quia ecce , qui elóngant se a te , peribunt : \* perdidisti omnes , qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærere Deo

bonum est : \* pónere in Dómino Deo spem meam :

Ut annúntiem omnes prædicationes tuas , \* in portis filiæ Sion.

*Antiphona.*

Cogitavérunt impíi , et locúti sunt nequítiam : iniquitatem in excélso locúti sunt.

*Antiphona.*

Exúrge , Dómine , et júdica causam meam.

PSALMUS 73.

UT quid , Deus , repulísti in finem : \* irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ ?

Memor esto congregatiónis tuæ , \* quam possedísti ab initio.

Redemísti virgam hæreditátis tuæ : \* Mons Sion , in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem : \* quanta malignátus est inimicus in sancto !

Et gloriáti sunt qui odérunt te : \* in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua , signa : \* et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignorum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum : \* in secúri , et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni Sanctuárium tuum : \* in terra polluerunt tabernáculum nóminis tui.

Dixerunt in corde suo cognátio eorum simul : \* Quiés-

cere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est prophéta : \* et nos non cognóscet ámplius.

Usquequo, Deus, improperábit inimicus : \* irritat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam et dexteram tuam, \* de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula : \* operátus est salutem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare : \* contribulásti cápita draconum in aquis.

Tu confregísti cápita draconis : \* dedisti eum escam pópulis Æthiopum.

Tu dirupísti fontes, et torrentes : \* tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox : \* tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecisti omnes términos terræ : \* æstátem et ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimicus improperávit Dómino : \* et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi, \* et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum : \* quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus : \* pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge, Deus, júdica causam tuam : \* memor esto impropériórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum : \* superbia eórum qui te odérunt ascendit semper.

#### *Antiphona.*

Exúrge, Dómine, et júdica causam meam.

R. Deus meus, éripe me de manu peccatóris.

V. Et de manu contra legem agéntis, et iniqui.

Pater noster *secreto*.

Ex tractátu sancti Augustini Episcopi super Psalmos.

#### LECTIO IV.

[ In Psalm. 54 ad 1 ver. ]

**E**XAUDI, Deus, oratiómem meam, et ne despéxeris deprecationem meam : inténde mihi, et exáudi me. Satagéntis, solliciti, in tribulatione pósito, verba sunt ista. Orat multa pátiens, de malo liberári desiderans. Súperest ut videámus in quo malo sit : et cum dicere cœperit, agnoscámus ibi nos esse : ut communicáta tribulatione, jungámus oratiómem. Contristátus sum, inquit, in exercitatióne mea, et conturbátus sum. Ubi contristátus? ubi conturbátus? In exercitatióne mea, inquit. Hómines

malos, quos pátitur, commemorátus est : eamdémque passióem malórum hóminum exercitatióem suam dixit. Ne putétis gratis esse malos in hoc mundo, et nihil boni de illis ágere Deum. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigátur : aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceátur.

R. Amicus meus ósculi me trádidit signo : quem osculátus fúero ipse est, tenéte eum : hoc malum fecit signum, qui per ósculum adimplévit homicídium. \* Infélix prætermisit prétium ságuinis, et in fine láqueo se suspéndit.

Y. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

Infélix prætermisit.

#### LECTIO V.

UTINAM ergo qui nos modo exércent, convertántur, et nobiscum exerceántur : tamen quándiu ita sunt ut exerceant, non eos odérimus : quia in eo quod malus est quis eórum, utrum usque in finem perseveráturus sit, ignorámus. Et plerúmque cum tibi vidéris odisse inimicum, fratrem odísti, et nescis. Diábolus, et ángeli ejus in Scriptúris sanctis manifestáti sunt nobis, quód ad ignem ætérnum sint destináti. Ipsórum tantum desperánda est corréctio, contra quos habémus cccúltam luc-

tam : ad quam luctam nos armat Apóstolus, dicens : Non est nobis colluctátió advérsus carnem et ságuinem : id est, non advérsus hómines, quos vidétis, sed advérsus principes, et potestátes, et rectóres mundi, tenebrárum harum. Ne forte cum dixisset, mundi, intelligeres dæmones esse rectóres cœli et terræ. Mundi dixit, tenebrárum harum : mundi dixit, amatórum mundi : mundi dixit, impiórum et iniquórum : mundi dixit, de quo dicit Evangélium : Et mundus eum non cognóvit.

R. Judas mercátor péssimus ósculo pétiit Dóminum : ille, ut agnus innocens, non negávit Judæ ósculum : \* Denariórum número Christum Judæis trádidit.

R. Mélius illi erat, si natus non fuisset.

Denariórum.

#### LECTIO VI.

QUONIAM vidi iniquitátem, et contradiccióem in civitáte. Atténde glóriam crucis ipsíus. Jam in fronte regum crux illa fixa est, cui inimici insultavérunt. Efféctus probávit virtútem : dómuit orbem non ferro, sed ligno. Lignum crucis contuméliis dignum visum est inimicis, et ante ipsum lignum stantes caput agitábant, et dicébant : Si Filius Dei est, descéndat de cruce. Extendébat ille



manus suas ad pópulum non credéntem, et contradicéntem. Si enim justus est, qui ex fide vivit, iniquus est, qui non habet fidem. Quod ergo hic ait, iniquitátem, perfidiam intéllige. Vidébat ergo Dóminus in civitáte iniquitátem et contradicétió-nem, et extendébat manus suas ad pópulum non credéntem et contradicéntem: et tamen et ipsos expéctans dicébat: Pater, ignósce illis, quia nésциunt quid faciunt.

¶. Unus ex discipulis meis tradet me hódie: Væ illi, per quem tradar ego: \* Mélius illi erat, si natus non fuisset.

¶. Qui intíngit mecum manum in parópside: hic me traditúrus est in manus peccatórum.

Mélius illi.

Unus ex discipulis.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Dixi iniquis: Nolite loqui advérsus Deum iniquitátem.

PSALMUS 74.

CONFITEBIMUR tibi, Deus: \* confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: \* cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefacta est terra, et omnes qui hábitant in ea: \* ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iniquis: Nolite inique ágere: \* et delinquentibus: Nolite exaltáre cornu:

Nolite extóllere in altum cornu vestrum: \* nolite loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a désertis montibus: \* quóniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exáltat: \* quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: verúmtamen fæx ejus non est exinaníta, \* bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum: \* cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam: \* et exaltabúntur córnua justí.

*Antiphona.*

Dixi iniquis: Nolite loqui advérsus Deum iniquitátem.

*Antiphona.*

Terra trémuit et quíevit, dum exúrgeret in judicio Deus.

PSALMUS 75.

NOTUS in Judæa Deus: \* in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: \* et habitatio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, \* scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis : \* turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum : \* et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in má-nibus suis.

Ab increpatione tua, Deus Jacob, \* dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis résistet tibi ? \* ex tunc ira tua.

De cœlo auditum fecísti iudícium : \* terra trémuit et quiévit.

Cum exúrgeret in iudícium Deus, ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitatio hómi-nis confitébitur tibi : \* et reliquæ cogitationis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómi-no Deo vestro, \* omnes qui in circúitu ejus affértis mún-nera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum principum, \* terríbili apud reges terræ.

*Antiphona.*

Terra trémuit et quiévit, dum exúrgeret in iudicio Deus.

*Antiphona.*

In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis.

PSALMUS 76.

Voce mea ad Dóminum

clamávi : \* voce mea ad Deum, et inténdit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum : \* et non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea : \* memor fui Dei, et delectátus sum : et exercitátus sum : et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei : \* turbátus sum, et non sum locútus.

Cogitávi dies antiquos : \* et annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo, \* et exercitábar, et scopébam spiritum meum.

Numquid in ætérnum projiciet Deus : \* aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet, \* a generatione in generatió-nem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? \* aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi, Nunc cœpi : \* hæc mutatio dexteræ Excélsi.

Memor fui óperum Dómi-ni : \* quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum.

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis : \* et in adin-ventiónibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua : quis Deus magnus sicut Deus

noster? \* tu es Deus, qui facis mirabilia.

Notam fecisti in pópulis virtutem tuam: \* redemisti in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob, et Joseph.

Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ: \* et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitus aquarum: \* vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: \* vox tonitruui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: \* commota est et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis: \* et vestigia tua non cognoscuntur.

Deduxisti sicut oves pópulum tuum, \* in manu Móysi et Aaron.

### *Antiphona.*

In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis.

†. Exúrge, Dómine.

℞. Et júdica causam meam.

Pater noster *secreto*.

De Epístola prima beati Pauli Apóstoli ad Corínthios.

### LECTIO VIII.

[Cap. 11.]

Hoc autem præcipio: non laudans quod non in melius,

sed in detérioris convenitis. Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiám, audio scissúras esse inter vos, et ex parte credo. Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiám Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℞. Eram quasi agnus innocens: ductus sum ad immolandum, et nesciebam: consilium fecerunt inimici mei adversum me, dicentes: \* Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium.

†. Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum mandaverunt adversum me, dicentes.

Venite.

### LECTIO VIII.

Ego enim, accépi a Dómino, quod et tradidi vobis quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit: Accípите, et

manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratióem. Similiter et cálicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sanguine. Hoc fácite quotiescúmque bibétis, in meam commemoratióem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis : mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

R̃. Una hora non potuístis vigiláre mecum, qui exhortabámini mori pro me? \* Vel Judam non vidétis, quómodo non dormit, sed festínat trádere me Judæis?

Ÿ. Quid dormítis? súr- gite, et oráte, ne intrétis in tentatióem.

Vel Judam.

#### LECTIO IX.

**I**TAQUE quicúmque manducáverit panem hunc, vel biberit cálicem Dómini indigne : reus erit córporis et sanguinis Dómini. Probet autem seípsum homo : et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudícium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dórmunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicáremus, non útique judicáremur. Dum judicá- mur autem, a Dómino cor-

ripimur, ut non cum hoc mundo damnémur. Itaque, fratres mei, cum convenítis ad manducándum, invicem expectáte. Si quis ésurit, domi mandúcet : ut non in iudícium conveniátis. Cétera autem, cum vénero dispónam.

R̃. Senióres pópuli consí- lium fecérunt, \* Ut Jesum dolo tenérent, et occiderent : cum gládiis et fústibus exiérunt tanquam ad latrónem.

Ÿ. Collegérunt Pontífices et Pharisæi concílium.

Ut Jesum.

Senióres.

#### AD LAUDES.

##### *Antiphona.*

Justificéris, Dómine, in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

#### PSALMUS 50.

**M**ISERERE mei, Deus, \* secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitudi- nem miseratiónum tuárum, \* dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab ini- quitáte mea : \* et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : \* et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et ma- lum coram te feci : \* ut jus- tificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus



concéptus sum, \* et in peccatis concépit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: \* incerta, et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: \* lavabis me: et super nivem dealabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: \* et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: \* et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: \* et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: \* et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: \* et spiritu principali confirma me.

Docébo iniquos vias tuas: \* et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae: \* et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Dómine, labia mea aperies: \* et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: \* holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: \* cor contritum, et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Dómine, in bona voluntate tua Sion: \* ut

aedificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes, et holocausta: \* tunc imponent super altare tuum vitulos.

*Antiphona.*

Justificeris, Dómine, in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

*Antiphona.*

Dóminus tanquam ovis ad victimam ductus est, et non aperuit os suum.

PSALMUS 89.

**D**OMINE, refugium factus es nobis, \* a generatione in generationem.

Priusquam montes fierent, aut formarétur terra, et orbis, \* a saeculo et usque in saeculum tu, es Deus.

Ne avertas hominem in humilitatem: \* et dixisti: Convertimini, filii hominum.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, \* tanquam dies hesternae, quae praeteriit,

Et custodia in nocte, \* quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: \* vespere decidat, induret, et areseat.

Quia defecimus in ira tua, \* et in furore tuo turbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: \* et saeculum nostrum in illuminatione vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri

defecerunt : \* et in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur : \* dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni.

Si autem in potentatibus octoginta anni : \* amplius eorum, labor et dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo : \* et corripiemur.

Quis novit potestatem irae tuae, \* et prae timore tuo iram tuam dinumerare?

Dexteram tuam sic notam fac : \* et eruditos corde in sapientia.

Convertere, Domine, usquequo ? \* et deprecabilis esto super servos tuos.

Repleti sumus mane misericordia tua : \* et exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.

Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti : \* annis, quibus vidimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua : \* et dirige filios eorum.

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et ópera manuum nostrarum dirige super nos : \* et opus manuum nostrarum dirige.

*Antiphona.*

Dominus tanquam ovis ad victimam ductus est, et non aperuit os suum.

*Antiphona.*

Contritum est cor meum

in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea.

*Psalmus Deus, Deus meus, 19.*

*Antiphona.*

Exhortatus es in virtute tua, et in refectiōe sancta tua, Domine.

CANTICUM MOYSI.

[Exodi c. 15.]

CANTEMUS Dómino : gloriōse enim magnificatus est, \* equum et ascensorem dejecit in mare.

Fortitudo mea, et laus mea Dóminus, \* et factus est mihi in salutem.

Iste Deus meus, et glorificabo eum : \* Deus patris mei, et exaltabo eum.

Dóminus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus. \* Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare :

Elécti principes ejus submersi sunt in mari Rubro. \* Abyssi operuerunt eos, descendérunt in profundum quasi lapis.

Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine : dextera tua, Domine, percussit inimicum. \* Et in multitudine glóriæ tuæ deposuisti adversarios tuos.

Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam. \* Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.

Stetit unda fluens, \* congregatæ sunt abyssi in medio mari.

Dixit inimicus : Pérsequar et comprehendam, \* dividam spolia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum, \* interficiet eos manus mea.

Flavit spiritus tuus, et opéruit eos mare : \* submersi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis similis tui in fórtibus, Dómine? \* quis similis tui, magníficus in sanctitáte, terribilis atque laudábilis, fáciens mirabilia?

Extendísti manum tuam, et devorávit eos terra. \* Dux fuisti in misericórdia tua pópulo, quem redemísti.

Et portásti eum in fortitúdine tua, \* ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, et irátí sunt : \* dolóres obtinuerunt habitatóres Philisthiim.

Tunc conturbátí sunt principes Edom, robústos Moab obtinuit tremor : \* obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor, \* in magnitúdine bráchii tui :

Fiant immóbiles quasi lapís, donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedisti.

Introdúces eos, et plantábis in monte hæreditátis tuæ, \* firmissimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine.

Sanctuárium tuum, Dó-

mine, quod firmavérunt manus tuæ : \* Dóminus regnabit in ætérnum, et ultra.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus et equítibus ejus in mare : \* et redúxit super eos Dominus aquas maris.

Filii autem Israel ambulavérunt per siccum \* in médio ejus.

### *Antiphona.*

Exhortátus es in virtúte tua, et in refectione sancta tua, Dómine.

### *Antiphona.*

Oblátus est quia ipse vóluit, et peccáta nostra ipse portávit.

*Psalmus* Laudáte Dóminum de cœlis, 21.

*Capitulum et Hymnus non dicuntur.*

✠. Homo pacis meæ, in quo sperávi.

R). Qui edébat panes meos, ampliávit advérsus me supplantationem.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Tráditor autem dedit eis signum, dicens : Quem osculátus fuero ipse est, tenéte eum.

*Interim dum dicitur Canticum Benedictus, extinctis prius omnibus candelis in candelabro triangulari, præter unam, quæ posita est in summitate candelabri, extinguuntur paulatim sex candelæ positæ a principio su-*

*pra Altare, ita ut in ultimo Versu extinguatur ultima candela: similiter extinguuntur lampades, et luminaria per Ecclesiam. Cum repetitur Antiphona Tráditor, accipitur suprema candela ex candelabro, et absconditur sub Altari in cornu Epistolæ.*

*Repetita Antiphona post Benedictus, dicitur:*

✠. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem.

*Secunda nocte additur Mortem autem crucis.*

*Tertia nocte additur Propter quod et Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.*

*Et sic dicitur etiam per omnes Horas diei.*

*Cum incipitur ✠. Christus factus est, omnes genuflectunt, et eo finito, dicitur Pater noster, totum sub silentio; postea Psalmus Miserere mei, Deus, 290; aliquantulum altius; quo finito, sine Oremus, dicitur simili voce.*

#### ORATIO.

**R**ESPICE, quæsumus, Dómine, super hanc familiam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subire tormentum; *sed Qui tecum vivit dicitur sub silentio.*

*Finita Oratione, fit fra-*

*gor et strepitus aliquantulum: mox profertur candela accensa de sub Altari, et omnes surgunt, et cum silentio discedunt.*

#### AD HORAS.

*Prima, Tertia, Sexta, et Nona, dictis secreto Pater noster, Ave, María, et ad Primam Credo, absolute inchoantur a Psalmis consuetis, qui ad Primam sunt, ut in Festis; quibus finitis, dicitur ✠. Christus factus est pro nobis, etc., flexis genibus, et dicitur secreto Pater noster; Psalmus Miserere, 290; Oratio Respice, quæsumus, sicut in Laudibus, 294.*

*In hoc triduo non annuntiatur aliquid de Martyrologio, nec dicitur Pretiosa.*

#### AD VESPERAS.

*Vesperæ, dicto secreto Pater noster, Ave, María, inchoantur absolute a prima Antiphona sine cantu.*

*Antiphona.*

Cálicem salutáris accipiam, et nomen Dómini invocábo.

#### PSALMUS 115.

**C**REDIDI, propter quod locútus sum: \* ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: \* Omnis homo mendax.

Quid retribuam Dómino, \* pro ómnibus quæ retribuit mihi!

Cálicem salutáris accipiam: \* et nomen Dómini invocábo.



Vota mea Dómino reddam  
coram omni pópulo ejus : \*  
pretiósá in conspéctu Dómi-  
ni mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego ser-  
vus tuus, \* ego servus tuus,  
et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea : \*  
tibi sacrificábo hóstiam lau-  
dis, et nomen Dómini invo-  
cábo.

Vota mea Dómino reddam  
in conspéctu omnis pópuli  
ejus : \* in átriis domus Dó-  
mini, in médio tui, Jerúsa-  
lem.

*Antiphona.*

Cálicem salutáris accípiam,  
et nomen Dómini invocábo.

*Antiphona.*

Cum his, qui odérunt pa-  
cem, eram pacíficus : dum  
loquébar illis, impugnábant  
me gratis.

PSALMUS 119.

Ad Dóminum cum tribulá-  
rer clamávi : \* et exaudivit  
me.

Dómine, libera ánimam  
meam a lábiis iniquis, \* et a  
lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid  
apponátur tibi \* ad linguam  
dolósam?

Sagittæ poténtis acútæ, \*  
cum carbónibus desolató-  
riis.

Heu mihi, quia incolátus  
meus prolongátus est : habi-  
távi cum habitántibus Ce-  
dar : \* multum incola fuit  
ánima mea.

Cum his, qui odérunt pa-  
cem, eram pacíficus : \* cum  
loquébar illis, impugnábant  
me gratis.

*Antiphona.*

Cum his, qui odérunt pa-  
cem, eram pacíficus : dum  
loquébar illis, impugnábant  
me gratis.

*Antiphona.*

Ab homínibus iníquis lí-  
bera me, Dómine.

PSALMUS 139.

ERIPE me, Dómine, ab hó-  
mine malo : \* a viro iníquo  
éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitá-  
tes in corde : \* tota die cons-  
tituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sí-  
cut serpéntis : \* venénium ás-  
pidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de  
manu peccatóris : \* et ab ho-  
mínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplan-  
táre gressus meos : \* abs-  
condérunt superbi láqueum  
mihi.

Et funes extendérunt in  
láqueum : \* juxta iter scán-  
dalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus  
es tu : \* exáudi, Dómine, vo-  
cem deprecationis meæ.

Dómine, Dómine, virtus  
salútis meæ : \* obumbrásti  
super caput meum in die  
belli.

Ne tradas me, Dómine, a  
desidério meo peccatóri : \*

cogitavérunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum : \* labor labiórú ipsórum opé-riet eos.

Cadent super eos carbó-nes, in ignem deícies eos : \* in misérius non subsistent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : \* virum injús-tum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciét Dómi-nus júdicium inopis : \* et vin-dictam páuperum.

Verúmtamen iusti confi-tebúntur nómini tuo : \* et habitábunt recti cum vultu tuo.

*Antiphona.*

Ab homínibus iníquis li-bera me, Dómine.

*Antiphona.*

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi, et a scán-dalis operántium iniquitá-tem.

PSALMUS 140.

**D**OMINE, clámavi ad te, exáudi me : \* inténde voci meæ, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsus in conspéctu tuo : \* elevátio mánuum meárum sacrificium vespertinum.

Póne, Dómine, custódiam ori meo : \* et óstium circums-tántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malitiæ, \* ad excu-sándas excusatiónes in pec-cátis.

Cum homínibus operánti-bus iniquitátem : \* et non comunicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in mi-sericórdia, et increpábit me : \* óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc et óratió mea in beneplácitis eórum : \* absórpti sunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea quóniam potuérunt : \* sicut cras-sitúdo terræ erúpta est su-per terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum : \* quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei : in te sperávi, non áu-feras ánimam meam.

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi : \* et a scán-dalis operántium iniquitá-tem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : \* singuláriter sum ego donec tránseam.

*Antiphona.*

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi, et a scándalis operántium iniqui-tátem.

*Antiphona.*

Considerábam ad dexte-ram, et vidébam : et non erat qui cognósceret me.

PSALMUS 141.

**V**OCE mea ad Dóminum cla-mávi : \* voce mea ad Dómi-num deprecátus sum.

Effúndo in conspéctu ejus

oratióem meam, \* et tribulatióem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spiritum meum, \* et tu cognovisti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, \* abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad dexteram, et vidébam : \* et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, \* et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine, \* dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatióem meam : \* quia humiliátus sum nimis.

Libera me a persecúentibus me : \* quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo : \* me expéctant justí, donec retribuas mihi.

*Antiphona.*

Considerábam ad dexteram, et vidébam : et non erat qui cognósceret me.

*Capitulum, Hymnus, et versiculus non dicuntur in hoc triduo.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Cœnantibus autem illis, accépit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis.

✠. Christus factus est, cum reliquis ut supra in Laudibus, 294.

## AD COMPLETORIUM.

*Non dicitur Jube, domne, nec lectio brevis, nec Adjutorium, neque Oratio Dominica, sed facta Confessione et Absolutione, incipitur a Psalmo Cum invocárem. Dictis Psalmis, dicitur Nunc dimittis.*

*Deinde ✠. Christus factus est, cum reliquis ut supra ad Laudes, 294.*

*Sic terminantur omnes Horæ in hoc triduo, usque ad Vesperas Sabbati sancti.*

## FERIA SEXTA.

### IN PARASCEVE.

#### AD MATUTINUM.

#### IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Astitérunt reges terræ, et principes convenérunt in unum, advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

#### PSALMUS II.

QUARE fremuérunt gentes, \* et pópuli meditáti sunt inánia ?

Astitérunt reges terræ, et principes convenérunt in unum, \* advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : \* et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis irridebit eos : \* et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in

ira sua, \* et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, \* prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : \* Filius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, \* et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga férrea, \* et tánquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc, reges, intelligite : \* erudimini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : \* et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplinam, nequándo irascátur Dóminus, \* et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, \* beáti omnes qui confidunt in eo.

*Antiphona.*

Astitérunt reges terræ, et principes convenérunt in unum, advérsus Dóminum et advérsus Christum ejus.

*Antiphona.*

Divisérunt sibi vestiménta mea : et super vestem meam misérunt sortem.

PSALMUS 21.

**D**EUS, Deus meus, respice in me : quare me dereliquis-

ti ? \* longe a salute mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies : \* et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, \* Laus Israel.

In te speravérunt patres nostri : \* speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt : \* in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo : \* oppróbium hominum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me derisérunt me : \* locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum : \* salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre : \* spes mea ab ubéribus matris meæ. In te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meæ Deus es tu, \* ne discésseris a me :

Quóniam tribulátio próxima est : \* quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vituli multi : \* tauri pingues obsederunt me.

Aperuérunt super me os suum, \* sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum : \* et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tan-



quam cera liquescens \* in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis: \* et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: \* concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos: \* dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: \* divisérunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne elongáveris auxilium tuum a me: \* ad defensionem meam conspice.

Erue a fratre, Deus, animam meam: \* et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: \* et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: \* in medio ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: \* universum semen Jacob, glorificate eum:

Timeat eum omne semen Israel: \* quoniam non sprexit, neque despexit deprecationem pauperis:

Nec avertit faciem suam a me: \* et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna: \* vota mea red-

dam in conspectu timéntium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur: et laudabunt Dominum qui requirunt eum: \* vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur et converténtur ad Dominum \* universi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus \* universæ familiæ Gentium.

Quoniam Domini est regnum: \* et ipse dominabitur Gentium.

Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ: \* in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: \* et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventúra: \* et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

*Antiphona.*

Diviserunt sibi vestimenta mea: et super vestem meam miserunt sortem.

*Antiphona.*

Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

PSALMUS 26.

**D**ominus illuminatio mea, et salus mea, \* quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ: \* a quo trepidabo?

Dum appropiant super me

nocentes, \* ut edant carnes meas :

Qui tribulant me inimici mei, \* ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra, \* non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me praelium, \* in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram, \* ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite mee :

Ut videam voluptatem Domini, \* et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo : \* in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me : \* et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : \* cantabo et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te : \* miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquirit te facies mea : \* faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam a me : \* ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto : \* ne derelinquas me, neque des-

picias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me : \* Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua : \* et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me : \* quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini \* in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age : \* et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

### *Antiphona.*

Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

℣. Diviserunt sibi vestimenta mea.

℞. Et super vestem meam miserunt sortem.

Pater noster *secreto.*

De Lamentatione Jeremie Prophetae.

### LECTIO I.

[Cap. 2.]

Heth. COGITAVIT Dominus dissipare murum filiae Sion : tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione : luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est.

Teth. Defixae sunt in terra

portæ ejus : pérdidit , et contrivit vectes ejus : regem ejus et principes ejus in Géntibus : non est lex , et prophétæ ejus non invenérunt visiónem a Dómino.

Jod. Sedérunt in terra , conticuérunt senes filiæ Sion : conspersérunt cinere cápita sua , accincti sunt ciliciis , abjecérunt in terram cápita sua vírgines Jerúsalem.

Caph. Defecérunt præ lacrymis óculi mei , conturbáta sunt viscera mea : effusum est in terra jecur meum super contritióne filiæ pópuli mei , cum deficeret párvulus , et lactens in pláteis óppidi.

Jerúsalem , Jerúsalem , convertere ad Dóminum Deum tuum.

℞. Omnes amíci mei dereliquérunt me , et prævaluérunt insidiántes mihi : trádidit me quem diligébam : \* Et terribílibus óculis plaga crudéli percutiéntes , acéto potábant me.

℣. Inter iníquos projecérunt me et non pepercérunt animæ meæ.

Et terribílibus óculis.

#### LECTIO II.

Lamed. MATRIBUS suis dixerunt : Ubi est tríticum , et vinum ? cum deficerent quasi vulneráti in pláteis civitátis : cum exhalárent ánimas suas in sinu matrum suárum.

Mem. Cui comparábo te ,  
Vern.

vel cui assimilábo te , filia Jerúsalem ? cui exæquábo te , et consolábor te , virgo filia Sion ? magna est enim velut mare contritio tua : quis médebitur tui ?

Nun. Prophétæ tui viderunt tibi falsa , et stulta , nec aperiébant iniquitátem tuam , ut te ad pœniténtiam provocárent : viderunt autem tibi assumptiones falsas , et ejectiones.

Samech. Plausérunt super te mánibus omnes transeúntes per viam : sibilavérunt , et movérunt caput suum super filiam Jerúsalem : Hæccine est urbs , dicéntes , perfecti decóris , gáudium univérsæ terræ ?

Jerúsalem , Jerúsalem , convertere ad Dóminum Deum tuum.

℞. Velum templi scissum est , \* Et omnis terra tremuit : latro de cruce clamábat , dicens : Meménto mei , Dómine , dum véneris in regnum tuum.

℣. Petræ scissæ sunt , et monuménta apérta sunt , et multa córpora sanctórum , qui dormierant , surrexérunt.

Et omnis.

#### LECTIO III.

[ Cap. 3 ]

Aleph. Ego vir videns paupertátem meam in virga indignatiónis ejus.

Aleph. Me minávit , et ad-

dúxit in ténébras, et non in lucem.

Aleph. Tantum in me vertit, et convértit manum suam tota die.

Beth. Vetústam fecit pellem meam et carnem meam, contrívit ossa mea.

Beth. Ædificávit in gyro meo, et circúmdedit me felle et labóre.

Beth. In tenebrósis collocávit me, quasi mórtuos sempiternos.

Ghimel. Circumædificávit advérsus me, ut non egrédíar: aggravávit cómpedem meum.

Ghimel. Sed et cum clamávero, et rogávero, exclúsit oratióem meam.

Ghimel. Conclúsit vias meas lapídibus quadris, sémitas meas subvértit.

Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

R. Vinea mea elécta, ego te plantávi: \* Quómodo convérsa es in amaritúdinem, ut me crucifigeres, et Barábam dimitteres.

R. Sepívi te, et lápides elégi ex te, et ædificávi turrim.

Quómodo convérsa es.  
Vinea mea.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Vim faciébant, qui quærébant ánimam meam.

PSALMUS 37.

**D**OMINE, ne in furóre tuo árguas me, \* neque in ira tua corripias me.

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: \* et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ: \* non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum: \* et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt, et corrúptæ sunt cicatríces meæ, \* a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem: \* tota die contristátus ingrediebar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusióibus: \* et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis: \* rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum: \* et gémitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: \* et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei, et próximi mei \* advérsus me appropinquavérunt, et steterunt.

Et qui iuxta me erant de



longe steterunt : \* et vim faciébant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes : \* et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tanquam surdus non audiébam : \* et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens : \* et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : \* tu exáudies me, Dómine, Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergáudeant mihi inimici mei : \* et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum : \* et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : \* et cogitábo pro peccáto meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me : \* et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : \* quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine, Deus meus : \* ne discesseris a me.

Inténde in adiutórium meum, \* Dómine, Deus salútis meæ.

### *Antiphona.*

Vim faciébant, qui quærebant animam meam.

### *Antiphona.*

Cunfundántur et reve-reántur, qui quærunť animam meam, ut áuferant eam.

### PSALMUS 39.

**E**XPECTANS expectávi Dóminum, \* et inténdit mihi.

Et exaudivit preces meas : \* et edúxit me de lacu misériæ, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos : \* et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, \* carnem Deo nostro.

Vidébunt multi, et timébunt : \* et sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : \* et non respéxit in vanitátes, et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine, Deus meus, mirabilia tua : \* et cogitatióibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi, et locútus sum : \* multiplicáti sunt super númerum.

Sacrificium et oblatiόνem noluísti : \* aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti : \* tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem vo-

luntátem tuam : \* Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, \* ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscondi in corde meo : \* veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscondi misericórdiam tuam, et veritátem tuam \* a concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longe fácias miseratiónes tuas a me : \* misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdederunt me mala, quorum non est númerus : \* comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei : \* et cor meum dereliquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me : \* Dómine, ad adjuvándum me respice.

Confundántur et reve-reántur simul, qui quærunt ánimam meam, \* ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et reve-reántur \* qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam, \* qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent et læténtur super te omnes quæréntes te : \* et

dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, et pauper : \* Dóminus sollicitus est mei.

Adjútor meus, et protéctor meus tu es : \* Deus meus ne tardáveris.

*Antiphona.*

Confundántur et reve-reántur, qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

*Antiphona.*

Aliéni insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam.

PSALMUS 53.

**D**EUS, in nómine tuo salvum me fac : \* et in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratióem meam : \* áuribus pécipere verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsus me, et fortes quæsiérunt ánimam meam : \* et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me : \* et Dóminus suscep-tor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimicis meis : et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, \* et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est :

Quóniam ex omni tribulatione eripuisti me : \* et su-

per inimicos meos despexit  
óculus meus.

*Antiphona.*

Alieni insurrexerunt in  
me, et fortes quæsiérunt ani-  
mam meam.

✠. Insurrexerunt in me  
testes iniqui.

R. Et mentita est iniquitas  
sibi.

*Pater noster secreto.*

Ex Tractátu sancti Augus-  
tini Episcopi super Psalmos.

LECTIO IV.

[In Psalm. 63, ad vers. 2.]

**P**ROTEXISTI ME, Deus, a con-  
vénitu malignántium, a mul-  
titudine operántium iniqui-  
tátem. Jam ipsum caput nos-  
trum intueámur. Multi Már-  
tyres talia passi sunt, sed ni-  
hil sic elúcet, quómodo ca-  
put Mártyrum : ibi mélius  
intuemur, quod illi expéti  
sunt. Protéctus est a multi-  
túdine malignántium, pro-  
tegente se Deo, protegente  
carnem suam ipso Filio, et  
hómine, quem gerébat : quia  
filius hómínis est, et Filius  
Dei est. Filius Dei, propter  
formam Dei, filius hómínis,  
propter formam servi, ha-  
bens in potestáte pónere  
ánimam suam, et recipere  
eam. Quid ei potuérunt fá-  
cere inimíci ? Occiderunt  
corpus, ánimam non occi-  
derunt. Inténdite. Parum  
ergo erat, Dóminum hortári  
Mártyres verbo, nisi firmá-  
ret exémplo.

R. Tanquam ad latrónem  
existis cum gládiis et fústibus  
comprehéndere me : \* Quo-  
tidie apud vos eram in tem-  
plo docens, et non me te-  
nuístis : et ecce flagellátum  
dúctis ad crucifigéndum.

✠. Cumque iniecissent ma-  
nus in Jesum, et tenuissent  
eum, dixit ad eos.

Quotidie.

LECTIO V.

**N**OSTIS qui convéntus erat  
malignántium Judæórum, et  
quæ multitúdo erat operán-  
tium iniquitátem. Quam ini-  
quitátem ? Quia voluérunt  
occidere Dóminum Jesum  
Christum. Tanta ópera bona,  
inquit, osténdi vobis : prop-  
ter quod horum me vultis  
occidere ? Pértulit omnes in-  
firmos eórum, curávit omnes  
lánguidos eórum, prædicávit  
regnum cœlórum, non táciit  
vítia eórum, ut ipsa pótius  
eis displicérent, non médi-  
cus a quo sanabántur. His  
ómnibus curatióibus ejus  
ingrátí, tanquam multa febre  
phrenétici, insaniéntes in  
médicum, qui vénerat cu-  
râre eos, excogitavérunt  
consílium perdéndi eum :  
tanquam ibi voléntes pro-  
bâre, utrum vere homo sit,  
qui mori possit, an áliquíd  
super hómínes sit, et mori  
se non permíttat. Verbum  
ipsórum agnóscimus in Sa-  
piéntia Salomónis : Morte  
turpíssima, inquiunt, con-

demnēmus eum. Interrogēmus eum : erit enim respēctus in sermōnibus illius. Si enim vere Fīlius Dei est , liberet eum.

℞. Tēnebræ factæ sunt , dum crucifixissent Jesum Judæi : et circa horam nonam exclamāvit Jesus voce magna : Deus meus , ut quid me dereliquisti ? \* Et inclināto cāpite emisit spīritum.

℣. Exclāmans Jesus voce magna , ait : Pater , in manus tuas commēdo spīritum meum.

Et inclināto.

#### LECTIO VI.

**EXACUERUNT** tanquam glādiū linguas suas. Non dicant Judæi : Non occidimus Christum. Etenim propterea eum dederunt jūdici Pilāto , ut quasi a morte ejus viderentur immūnes. Nam cum dixisset eis Pilātus , Vos eum occidite , responderunt : Nobis non licet occidere quemquam. Iniquitatem facinoris sui in jūdicem hōinem refūdere volēbant : sed numquid Deum jūdicem fallēbant ? Quod fecit Pilātus , in eo ipso quod fecit , aliquantum pārticeps fuit : sed in comparatione illōrum multo ipse innocēntior. Institit enim quantum pōtuit , ut illum ex eōrum mānibus liberāret : nam propterea flagellātum produxit ad eos.

Non persequēdo Dōminum flagellāvit , sed eōrum furōri satisfācere volens : ut vel sic jam mitēscerent , et desinērent velle occidere , cum flagellātum vidērent. Fecit et hoc. At ubi perseverāvērunt , nostis illum lavisse manus , et dixisse , quod ipse non fecisset , mundum se esse a morte illius. Fecit tamen. Sed si reus quia fecit vel invītus , illi innocētes qui coegērunt ut fāceret ? Nullo modo. Sed ille dixit in eum sentēntiam , et jussit eum crucifigi , et quasi ipse occidit : et vos , o Judæi , occidistis. Unde occidistis ? Glādio linguæ : acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis , nisi quando clamāstis : Crucifige , crucifige ?

℞. Animam meam dilēctam trādidi in manus iniquōrum , et facta est mihi hærēditas mea sicut leo in silva : dedit contra me voces adversārius , dicens : Congregāmini , et properāte ad devorāndum illum : posuerunt me in desēto solitudinis , et luxit super me omnis terra : \* Quia non est invēntus qui me agnōsceret , et fāceret bene.

℣. Insurrexērunt in me viri absque misericōrdia , et non pepercērunt animæ meæ.

Quia non est.

Animam meam.



IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Ab insurgéntibus in me libera me, Dómine, quia occupáverunt ánimam meam.

PSALMUS 58.

**E**RIPE me de inimícis meis, Deus meus : \* et ab insurgéntibus in me libera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem : \* et de viris sanguinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam : \* irruérunt in me fortes.

Neque iniquitas mea, neque peccátum meum, Dómine : \* sine iniquitáte currí, et diréxi.

Exúrge in occúrsum meum, et vide : \* et tu, Dómine, Deus virtútum, Deus Israel.

Inténde ad visitándas omnes Gentes : \* non misereáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam : et famem patiéntur ut canes, \* et circuibunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, et gládus in lábiis eórum : \* quóniam quis audivit ?

Et tu, Dómine, deridébis eos : \* ad níhilum dedúces omnes Gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiám, quia Deus susceptor meus es : \* Deus

meus, misericórdia ejus præveniet me.

Deus osténdet mihi super inimicos meos, ne occídas eos : \* nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua : \* et depóne eos, protector meus, Dómine :

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum : \* et comprehendántur in superbía sua.

Et de execratióne et mendácio annuntiabúntur in consummatione : \* in ira consummationis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob : \* et finium terræ.

Converténtur ad vésperam, et famem patiéntur ut canes : \* et circuibunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum : \* si vero non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam : \* et exultábo mane misericórdiam tuam.

Quia factus es susceptor meus, \* et refúgium meum, in die tribulationis meæ,

Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es : \* Deus meus, misericórdia mea.

*Antiphona.*

Ab insurgéntibus in me libera me, Dómine, quia occupáverunt ánimam meam.

*Antiphona.*

Longe fecisti notos meos a me : tráditus sum, et non egrediébar.

PSALMUS 87.

**D**OMINE Deus salútis meæ : \* in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : \* inclína aurem tuam ad precem meam :

Quia repléta est malis ánima mea : \* et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : \* factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber,

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, quorum non es memor ámplius : \* et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri : \* in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus : \* et omnes fluctus induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me : \* posuérunt me abominatióem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar : \* óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die : \* expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabilia : \* aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam

tuam, \* et veritátem tuam in perditione?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabilia tua : \* et justítia tua in terram obli-viónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi : \* et mane orátio mea præveniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratióem meam : \* avértis faciém tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventúte mea : \* exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ : \* et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die : \* circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amicum et próximum : \* et notos meos a miséria.

*Antiphona.*

Longe fecisti notos meos a me : tráditus sum, et non egrediébar.

*Antiphona.*

Captábunt in ánimam justí : et ságuinem innocentem condemnábunt.

PSALMUS 93.

**D**EUS ultiónum Dóminus : \* Deus ultiónum libere egit.

Exaltáre qui júdicas terram : \* redde retributióem supérbis.

Usquequo peccatóres, Dómine : \* úsquequo peccatóres gloriabúntur :

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem: \* loquéntur omnes qui operántur injustitiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt: \* et hæreditátem tuam vexavérunt.

Viduam et ádvenam interfecérunt: \* et pupílos occiderunt.

Et dixerunt: Non vidébit Dóminus, \* nec intélliget Deus Jacob.

Intelligite, insipiéntes in pópulo: \* et, stulti, aliquándo sapiáte.

Qui plantávit aurem, non áudiet? \* aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit gentes, non árguet: \* qui docet hóminem scientiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, \* quóniam vanæ sunt.

Beátus homo, quem tu crudieris, Dómine: \* et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges ei a diébus malis: \* donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam: \* et hæreditátem suam non derelinquet.

Quoadúsque justitia convertátur in iudicium: \* et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? \* aut quis

stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me: \* paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus est pes meus: \* misericórdia tua, Dómine, adjuvábam me.

Secúndum multitudínem dolórum meórum in corde meo: \* consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis: \* qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justí: \* et ságuinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium: \* et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum: et in malítia eórum dispédet eos: \* dispédet illos Dóminus Deus noster.

### *Antiphona.*

Captábunt in ánimam justí: et ságuinem innocéntem condemnábunt.

✠. Locúti sunt advérsus me lingua dolósa.

R. Et sermónibus ódii circumdedérunt me, et expugnavérunt me gratis.

Pater noster *secreto*.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

### LECTIO VII.

[Cap. 4 et 5.]

**F**ESTINEMUS ingredi in illam réquiem: ut ne in idípsum quis incidat incredulitátis

exemplum. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio anticipi: et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit celos, Jesum Filium Dei: teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

R. Tradiderunt me in manus impiorum, et inter iniquos projecerunt me, et non pepercērunt animæ meæ: congregati sunt adversum me fortes: \* Et sicut gigantes steterunt contra me.

Y. Alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quasiērunt animam meam.

Et sicut gigantes.

#### LECTIO VIII.

ADEAMUS ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Omnis namque Pontifex ex hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis: qui

condolere possit iis qui ignorant et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.

R. Jesum tradidit impius summis principibus sacerdotum et senioribus populi: \* Petrus autem sequebatur eum a longe, ut videret finem.

Y. Adduxerunt autem eum ad Caiapham principem sacerdotum, ubi Scribæ et Pharisæi convenerant.

Petrus autem.

#### LECTIO IX.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore válido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus a Deo



Pontifex juxta ordinem Melchisedech.

R. Caligaverunt oculi mei a fletu meo : qui elongatus est a me qui consolabatur me. Videte, omnes populi, \* Si est dolor similis sicut dolor meus.

Y. O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte.

Si est dolor.

Caligaverunt.

AD LAUDES.

*Antiphona.*

Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

*Psalmus* Miserere mei, Deus, 284.

*Antiphona.*

Anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

PSALMUS 142.

DOMINE, exaudi orationem meam : auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua : \* exaudi me in tua justitia.

Et non intres in iudicium cum servo tuo : \* quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam : \* humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi : \* et anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, \* in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te : \* anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine : \* defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me : \* et similis ero descendentibus in lacum.

Audiam fac mihi mane misericordiam tuam, \* quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem, \* quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi : \* doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : \* propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam, \* et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam : \* quoniam ego servus tuus sum.

*Antiphona.*

Anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

*Antiphona.*

Ait latro ad latronem : Nos quidem digna factis recipi.

mus, hic autem quid fecit? Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum.

*Psalmus Deus meus, 19.*

*Antiphona.*

Cum conturbáta fúerit ánima mea, Dómine, misericórdiæ memor eris.

CANTICUM HABACUC.

[Cap. 2.]

**D**OMINE, audivi auditióem tuam, \* et tímui.

Dómine, opus tuum, \* in médio annórum vivifica illud.

In médio annórum notum fácies : \* cum irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab austro véniet, \* et sanctus de monte Pharan :

Opéruit cœlos glória ejus : \* et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit : \* cónua in mánibus ejus :

Ibi abscondita est fortitúdo ejus : \* ante faciém ejus ibit mors.

Etegre diéitur diábolus ante pedes ejus. \* Stetit, et mensus est terram.

Aspéxit, et dissólvit gentes : \* et contríti sunt montes sæculi.

Incurváti sunt colles mundi, \* ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidit tentória Æthiopiæ, \* turbabúntur pelles terræ Má dian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine? \* aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui ascédes super equos tuos : \* et quadrigæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum : \* juraménta tribubus quæ locútus es :

Flúvios scindes terræ : viderunt, et doluerunt montes : \* gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : altitúdo manus suas levávit.

Sol et luna steterunt in habitáculo suo, \* in luce sagittárum tuárum, ibunt in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : \* et in furóre obstupescías gentes.

Egréssus es in salutem pó puli tui : \* in salutem cum Christo tuo :

Percussisti caput de domo impii : \* denudásti fundamentum ejus usque ad colum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, \* veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exultátio eórum \* sicut ejus qui dévorat páuperem in abscondito.

Viam fecísti in mari equis tuis, \* in luto aquárum multárum.

Audivi, et conturbátus est venter meus : \* a voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in ósibus meis, \* et subter me scáteat.

Ut requiescam in die tribulationis : \* ut ascendam ad populum accinctum nostrum.

Ficus enim non florébit : \* et non erit germen in vineis.

Mentiétur opus olivæ : \* et arva non afferent cibum.

Abscindétur de ovili pecus : \* et non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudebo : \* et exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea : \* et ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea deducet me victor \* in psalmis canéntem.

*Antiphona.*

Cum conturbáta fúerit ánima mea, Dómine, misericórdiæ memor eris.

*Antiphona.*

Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum.

*Psalmus* Laudáte Dóminum de cœlis, 21.

†. Collocávit me in obscúris.

℟. Sicut mórtuos sæculi.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Posuérunt super caput ejus causam ipsíus scriptam : Jesus Nazarénus, Rex Judæórum.

†. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Pater noster *secreto.*

*Psalmus* Miserére mei, Deus, *ut supra*, 284.

ORATIO.

**R**ESPICE, quæsumus, Dómine, super hanc familiam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit manibus tradi nocéntium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit.

*Ad Vesperas, Antiphona, et Psalmi præteriti diei dicuntur sine cantu*, 288.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Cum accepisset acétum, dixit : Consummátum est : et inclináto cápite emisit spiritum.

†. Christus factus est, *et alia ut supra ad Laudes.*



SABBATO SANCTO.

AD MATUTINUM.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

In pace in idípsum dórmiam, et requiescam.

PSALMUS 4.

**C**UM invocárem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : \* in tribulatione dilatásti mihi.

Miserére mei, \* et exáudi oratióem meam.

Filii hóminum, úsquequo gravi corde? \* ut quid diligitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : \* Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: \* quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificæ sacrificium iustitiæ, et sperate in Dómino: \* Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Dómine: \* dedisti lætitiā in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui \* multiplicati sunt.

In pace in idipsum \* dormiam, et requiescam:

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe \* constituisti me.

*Antiphona.*

In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

*Antiphona.*

Habitabit in tabernáculo tuo, requiescet in monte sancto tuo.

PSALMUS 14.

DÓMINE, quis habitabit in tabernáculo tuo? \* aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, \* et operatur iustitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, \* qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, \* et opprobrium non accepit adversus próximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: \*

timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui jurat próximo suo, et non decipit, \* qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et múnera super innocentem non accepit:

Qui facit hæc, \* non movebitur in ætérnum.

*Antiphona.*

Habitabit in tabernáculo tuo, requiescet in monte sancto tuo.

*Antiphona.*

Caro mea requiescet in spe.

PSALMUS 15.

CONSERVA me, Dómine, quóniam speravi in te. \* Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, \* mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: \* póstea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: \* nec memor ero nóminum eorum per lábia mea.

Dóminus, pars hæreditatis meæ et cálicis mei: \* tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præcláris: \* etenim hæreditas mea præclára est mihi.

Benedicam Dóminum, qui tribuit mihi intelléctum: \* insuper et usque ad noctem



increpauerunt me renes mei.

Providēbam Dóminum in conspēctu meo semper : \* quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætatum est cor meum, et exultávit lingua mea : \* insuper et caro mea requiescet in spe.

Quóniam non derelinq̄ues ánimam meam in inférno : \* nec dabis sanctum tuum videre corruptiōnem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplēbis me lætitia cum vultu tuo : \* delectatiōes in dextera tua usque in finem.

### *Antiphona.*

Caro mea requiescet in spe.

†. In pace in idipsum.

℞. Dórmiam et requiescam.

Pater noster *secreto*.

De lamentatiōe Jeremiæ Prophætæ.

### LECTIO I.

[Cap. 5.]

Heth. MISERICORDIÆ Dómini quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus.

Heth. Novi dilúculo, multa est fides tua.

Heth. Pars mea, Dóminus, dixit ánima mea : propterea expectábo eum.

Teth. Bonus est Dóminus, sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum.

Teth. Bonum est præstolari cum siléntio salutáre Dei.

Teth. Bonum est viro, cum

portáverit jugum ab adolescentia sua.

Jod. Sedébit solitárius, et tacébit : quia levávit super se.

Jod. Ponet in púlvere os suum, si forte sit spes.

Jod. Dabit percutiénti se maxíllam, saturábitur opprobriis.

Jerúsalem, Jerúsalem, convertere ad Dóminum Deum tuum.

℞. Sicut ovis ad occisiōnem ductus est, et dum male tractarétur, non apéruit os suum : tráditus est ad mortem, \* Ut vivificáret pópulum suum.

†. Trádidit in mortem ánimam suam, et inter scelerátos reputátus est.

Ut vivificáret.

### LECTIO II.

[Cap. 4.]

Aleph. QUOMODO obscurátum est aurum, mutátus est color óptimus, dispérsi sunt lápidēs sanctuárii in cápité ómnium plateárum ?

Beth. Fílii Sion inclyti, et amicti auro primo : quómodo reputáti sunt in vasa téstea, opus mánuum figuli ?

Ghimel. Sed et lámie nudavérunt mammam, lactavérunt cáculos suos : filia pópuli mei crudélis, quasi strúthio in desérto.

Daleth. Adhæsit lingua lacténtis ad palátum ejus in siti : párvuli petiérunt pa-

nem, et non erat qui frangeret eis.

He. Qui vescebantur voluptuose, interiérunt in viis: qui nutriebantur in cróceis, amplexati sunt stercora.

Vau. Et major effécta est iniquitas filiæ pópuli mei peccáto Sodomórum, quæ subvêrsa est in moménto, et non cepérunt in ea manus.

Jerúsalem, Jerúsalem, convertere ad Dóminum Deum tuum.

℞. Jerúsalem, surge, et éxue te véstibus jucunditátis: induere cinere et cilicio,\* Quia in te occisus est Salvátor Israel.

✠. Deduc quasi torréntem lácrymas per diem et noctem, et non táceat pupilla óculi tui.

Quia in te.

Incipit Orátio Jeremíæ Prophétæ.

#### LECTIO III.

[Cap. 5.]

**RECORDARE**, Dómine quid acciderit nobis: intuere, et réspice oppróbrium nostrum. Hæréditas nostra versa est ad aliénos: domus nostræ ad extráneos. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. Aquam nostram pecúnia bibimus: ligna nostra pretio comparávimus. Cervicibus nostris minabámur, lassís non dabátur réquies. Ægypto dé-

dimus manum et Assyriis, ut saturarémur pane. Patres nostri peccavérunt, et non sunt; et nos iniquitátes eórum portávimus. Servi domináti sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eórum. In animábus nostris afferebámus panem nobis, a fácie gládii in desérto. Pellis nostra, quasi clibanus, exústa est a fácie tempestátum famis. Mulieres in Sion humiliavérunt, et vírgines in civitátibus Juda.

Jerúsalem, Jerúsalem, convertere ad Dóminum Deum tuum.

℞. Plange quasi virgo, plebs mea: ulutáte, pastóres, in cinere et cilicio:\* Quia venit dies Dómini magna, et amára valde.

✠. Accíngite vos, sacerdótes, et plángite, ministri altáris, aspérgite vos cinere.

Quia venit.

Plange quasi virgo.

#### IN SECUNDO NOCTURNO.

##### *Antiphona.*

Elevámini, portæ æternáles, et introíbit Rex glóriæ.

#### PSALMUS 23.

**DOMINI** est terra et plenitúdo ejus,\* orbis terrárum et univérsti qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum,\* et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem

Dómini? \* ant quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, \* qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accipiet benedictiónem a Dómino, \* et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quærentium eum, \* quærentium faciém Dei Jacob.

Attóllite portas, principes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : \* et introibit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, principes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : \* et introibit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus virtutum ipse est rex glóriæ.

*Antiphona.*

Elevámini, portæ æternáles, et introibit Rex glóriæ.

*Antiphona.*

Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

PSALMUS 26.

Dóminus illuminátio mea et salus mea, \* quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, \* a quo trepidábo?

Dum apprópíant super me nocéntes, \* ut edant carnes meas :

Qui trébulant me inimici

mei, \* ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.

Si consistant advérsus me castra, \* non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsus me prælium, \* in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, \* ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ :

Ut vídeam voluptátem Dómini, \* et visitem templum ejus.

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo : \* in die malórum protéxit me in abscondito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : \* et nunc exaltávit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : \* cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te : \* miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te faciés mea : \* faciém tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas faciém tuam a me : \* ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto : \* ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquerunt

me : \* Dóminus autem as-  
súmpsit me.

Legem pone mihi , Dó-  
mine in via tua : \* et dirige  
me in sémitam rectam prop-  
ter inimicos meos.

Ne tradideris me in áni-  
mas tribulántium me : \* quó-  
niam insurrexérunt in me  
testes iníqui, et mentita est  
iniquitas sibi.

Credo vidére bona Dómi-  
ni \* in terra vivéntium.

Expécta Dóminum , viri-  
liter age : \* et confortétur  
cor tuum, et sústine Dómi-  
num.

*Antiphona.*

Credo vidére bona Dó-  
mini in terra vivéntium.

*Antiphona.*

Dómine, abstraxisti ab ín-  
feris ánimam meam.

PSALMUS 29.

**E**XALTABO te, Dómine, quó-  
niam suscepisti me : \* nec  
delectásti inimicos meos su-  
per me.

Dómine, Deus meus , cla-  
mávi ad te : \* et sanásti me.

Dómine, eduxisti ab infér-  
no ánimam meam ; \* salvásti  
me a descendéntibus in la-  
cum.

Psállite Dómino , sancti  
ejus : \* et confitémini me-  
móriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indigna-  
tione ejus : \* et vita in volun-  
tate ejus.

Ad vésperum demorábi-

tur fletus : \* et ad matutínum  
lætítia.

Ego autem dixi in abun-  
dántia mea : \* Non movébor  
in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua,  
\* præstitísti decóri meo vir-  
tutem.

Avertísti fáciem tuam a  
me , \* et factus sum contur-  
bátus.

Ad te, Dómine, clamábo :  
\* et ad Deum meum depre-  
cábor.

Quæ utilitas in sáanguine  
meo : \* dum descéndo in  
corruptiónem ?

Numquid confitébitur tibi  
pulvis : \* aut annuntiábit ve-  
ritátem tuam ?

Audivit Dóminus, et mi-  
sértus est mihi : \* Dóminus  
factus est adjutor meus.

Convertísti planctum  
meum in gáudium mihi : \*  
conscidísti saccum meum ,  
et circumdedísti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea,  
et non compúngar : \* Dó-  
mine, Deus, meus in ætér-  
num confitébor tibi.

*Antiphona.*

Dómine, abstraxisti ab  
inferis ánimam meam.

℣. Tu autem, Dómine,  
miserére mei.

℟. Et resúscita me, et re-  
tribuam eis.

Pater noster *secreto*.

Ex Tractátu sancti Augus-  
tini Epíscopi super Psalmos.



## LECTIO IV.

[In Psalm. 63, vers. 7.]

**ACCEDET** homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. Illi dixerunt: Quis nos videbit? Defecerunt scrutantes scrutationes, consilia mala. Accessit homo ad ipsa consilia, passus est se teneri ut homo. Non enim teneretur nisi homo, aut videretur nisi homo, aut caderetur nisi homo, aut crucifigeretur aut moreretur nisi homo. Accessit ergo homo ad illas omnes passionem, quæ in illo nihil valerent, nisi esset homo. Sed si ille non esset homo, non liberaretur homo. Accessit homo ad cor altum, id est cor secretum, obijciens aspectibus humanis hominem, servans intus Deum: celans formam Dei, in qua æqualis est Patri, et offerens formam servi, quæ minor est Patri.

℞. Recessit pastor noster fons aquæ vivæ, ad cujus transitum sol obscuratus est: \* Nam et ille captus est qui captivum tenebat primum hominem: hodie portas mortis et serras pariter Salvator noster dirupit.

℣. Destruxit quidem claustra inferni, et subvertit potentias diaboli.

Nam et ille.

## LECTIO V.

**QUO** perduxerunt illas scrutationes suas, quas perscru-

tantes defecerunt, ut etiam mortuo Domino et sepulto, custodes ponerent ad sepulcrum? Dixerunt enim Pilato: Seductor ille: hoc appellabatur nomine Dominus Jesus Christus, ad solatium servorum suorum, quando dicuntur seductores: ergo illi Pilato: Seductor ille, inquiunt, dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube itaque custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi, Surrexit a mortuis: et erit novissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, muniérunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus.

℞. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, \* Si est dolor similis sicut dolor meus.

℣. Attendite universi populi, et videte dolorem meum.

Si est dolor.

## LECTIO VI.

**POSUERUNT** custodes milites ad sepulcrum. Concussa terra Dominus resurrexit: miracula facta sunt talia circa sepulcrum, ut et ipsi milites, qui custodes advenerant, testes fierent, si vellent veram nuntiare. Sed avaritia illa, quæ captivavit discipulum comi-

tem Christi, captivavit et militem custodem sepulcri. Damus, inquiunt, vobis pecuniam: et dicite, quia vobis dormientibus venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum. Vere defecerunt scrutantes scrutationes. Quid est, quod dixisti, o infelix astutia? Tantumne deseris lucem consilii pietatis, et in profunda versutiae demergeris, ut hoc dicas: Dicite, quia vobis dormientibus venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum? Dormientes testes adhibes: vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti.

¶. Ecce quomodo moritur justus, et nemo percipit corde: et viri justi tolluntur, et nemo considerat: a facie iniquitatis sublatus est justus: \* Et erit in pace memoria ejus.

✠. Tanquam agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum: de angustia, et de judicio sublatus est.

Et erit in pace.

Ecce quomodo.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ.

PSALMUS 53.

DEUS, in nomine tuo salvum me fac: \* et in virtute tua iudica me.

Deus, exaudi orationem

meam: \* auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quasi erunt animam meam: \* et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: \* et Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: \* et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, \* et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est:

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: \* et super inimicos meos despexit oculus meus.

*Antiphona.*

Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ.

*Antiphona.*

In pace factus est locus ejus, et in Sion habitatio ejus.

PSALMUS 75.

Notus in Judæa Deus: \* in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: \* et habitatio ejus in Sion.

Ibi confrégit potentias arcuum, \* scutum, gladium, et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: \* turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: et nihil invenerunt

omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua Deus Jacob, \* dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? \* ex tunc ira tua.

De coelo auditum fecisti iudicium : \* terra tremuit et quievit.

Cum exurgeret in iudicium Deus, \* ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi : \* et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro : \* omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili et ei qui aufert spiritum principum, \* terribili apud reges terrae.

*Antiphona.*

In pace factus est locus ejus, et in Sion habitatio ejus.

*Antiphona.*

Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

PSALMUS 87.

DOMINE, Deus salutis meae : \* in die clamavi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea : \* inclina aurem tuam ad precem meam :

Quia repleta est malis anima mea : \* et vita mea inferno appropinquavit.

Estimatus sum cum des-

cendentibus in lacum : \* factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius : \* et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori : \* in tenebris, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus : \* et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me : \* posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar : \* oculi mei languerunt pra inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die : \* expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia : \* aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, \* et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscuntur in tenebris mirabilia tua : \* et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi : \* de mane oratio mea praevieniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam : \* avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : \*

exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ : et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die : \* circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amicum et próximum : \* et notos meos a miséria.

*Antiphona.*

Factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

℣. In pace factus est locus ejus.

℞. Et in Sion habitatio ejus.

Pater noster *secreto*.

De Epistola beáti Pauli Apostoli ad Hebræos.

#### LECTIO VII.

[Cap. 9.]

**C**HRISTUS assistens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est non hujus creatiónis, neque per ságuinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium ságuinem introívit semel in Sancta, æténa redemptióne invénta. Si enim sanguis hircórum et taurórum, et cinis vítulæ aspérsus inquinátos sanctificat ad emundatióem carnis : quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetipsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit cons-

ciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti ?

℞. Astitérunt reges terræ, et principes convenérunt in unum, \* Advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

℣. Quare fremuérunt gentes, et pópuli meditáti sunt inánia ?

Advérsus Dóminum.

#### LECTIO VIII.

**E**T ideo novi testaménti mediátor est : ut morte intercedente, in redemptióem earum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri testaménto, repromissióem accipiant qui vocáti sunt æternæ hæreditátis. Ubi enim testaméntum est, mors necesse est intercedat testatóris. Testaméntum enim in mórtuis confirmátum est : alióquin nondum valet, dum vivit qui testátus est. Unde nec primum quidem sine ságuine dedicátum est.

℞. Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum. \* Factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

℣. Posuérunt me in lacu inferióri, in tenebrósis, et in umbra mortis.

Factus sum.

#### LECTIO IX.

**L**ECTO enim omni mandáto legis a Móyse univérso pópulo : accípiens ságuinem vitulórum, et hircórum, cum



aqua et lana coccinea, et hysópo : ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit, dicens : Hic sanguis testaménti, quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum, et ómnia vasa ministérii sanguíne similiter aspérsit. Et ómnia pene in sanguíne secundum legem mundántur : et sine sanguíne effusióne non fit remissio.

¶. Sepúlto Dómino, signátum est monuméntum, volvéntes lápidem ad óstium monuménti : \* Ponéntes milites, qui custodirent illum.

†. Accédentes príncipes sacerdotum ad Pilátum, petierunt illum.

Ponéntes.

Sepúlto Dómino.

AD LAUDES.

*Antiphona.*

O Mors, ero mors tua ; morsus tuus ero, inférne.

*Psalmus Miserere mei, Deus, 284.*

*Antiphona.*

Plangent eum quasi unigénitum, quia innocens Dóminus occisus est.

PSALMUS 42.

JUDICA me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, \* ab hómine iniquo, et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : \* quare me reputasti ? et quare tristis incédo, dum affligit me inimicus ?

Emitte lucem tuam et ve-

ritátem tuam : \* ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introibo ad altáre Dei : \* ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cithara, Deus Deus meus : \* quare tristis es, ánima mea ? et quare contúrbas me.

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : \* salutare vultus mei, et Deus meus.

*Antiphona.*

Plangent eum quasi unigénitum, quia innocens Dóminus occisus est.

*Antiphona.*

Atténdite, univérsi pópuli, et vidéte dolórem meum.

*Psalmus Deus, Deus meus, 19.*

*Antiphona.*

A porta inferi érue, Dómine, ánimam meam.

CANTICUM EZECHIE.

[Isaie c. 58.]

Ego dixi : In dimídio díerum meórum : vadam ad portas inferi.

Quæsívi residuum annórum meórum ; \* dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non aspiciam hóminem ultra, \* et habitatórem quietis.

Generátio mea ábláta est, et convolúta est à me, \* quasi tabernáculum pastórum.

Præcisa est, velut a texente, vita mea : dum adhuc ordier, succidit me : \* de mane usque ad vesperam finies me.

Sperabam usque ad mane, \* quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.

De mane usque ad vesperam finies me : \* sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei, \* suspicientes in excelsum.

Domine, vim patior, responde pro me. \* Quid dicam, aut quid respondabit mihi, cum ipse fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos \* in amaritudine animæ meæ.

Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me. \* Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam ut non periret, \* projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : \* non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie : \* pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine, salvum me fac, \* et psalmos nostros cantabi-

mus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

*Antiphona.*

A porta inferi erue, Domine, animam meam.

*Antiphona.*

O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.

*Psalmus* Laudate Dominum de cœlis, 21.

†. Caro mea requiescet in spe.

℣. Et non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Mulieres sedentes ad monumentum lamentabantur, flentes Dominum.

†. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.

*Pater noster secreto.*

*Psalmus* Miserere mei, Deus, *ut supra*, 284.

ORATIO.

**R**ESPICE, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat.

*Et sic dicitur usque ad Nonam.*

*Dictis Horis, ut supra,*

288. *Dicitur Missa, ut in Ordinario: et facta Communionem Sacerdotis, statim pro Vesperis dicitur Antiphona:*  
Allelúia, allelúia, allelúia.

PSALMUS 116.

**L**AUDATE Dóminum, omnes gentes: \* laudáte eum, omnes pópuli;

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: \* et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri, et Filio.

Sicut erat in principio.

*Et repetitur Antiphona Allelúia, allelúia, allelúia.*

*Capitulum, Hymnus et versiculi non dicuntur.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Véspere autem sábbati, quæ lucéscit in prima sábbati, venit María Magdaléne, et áltera María vidére sepúlcrum. Allelúia.

*Canticum Magnificat, 138, cum Glória Patri; et repetitur Antiphona Véspere autem sábbati.*

*Deinde Sacerdos dicit: Dóminus vobiscum.*

Orémus.

ORATIO.

**S**PIRITUM nobis, Dómine, tuæ charitátis infúnde, ut, quos sacraméntis Paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum.... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti, Deus.

*Deinde Dóminus vobiscum.*

*Vern.*

*Postea Diaconus dicit: Ite, Missa est. Allelúia, allélúia.*

*℟. Deo grátias. Allelúia, allelúia.*

*Extra Chorum, dicto Pater noster et Ave, María, Vesperæ inchoantur absolute ab Antiphona Allelúia; cum reliquis, ut supra: et loco Ite, Missa est. Allelúia, allelúia, dicitur:*

*℣. Benedicámus Dómino. Allelúia, allelúia.*

*℟. Deo grátias. Allelúia, allelúia.*

*Deinde additur Pater noster, et nihil aliud.*

**AD COMPLETORIUM.**

Jube, domne.

*Lectio brevis Fratres, Sóbrii estóte.*

*℣. Adjutórium nostrum.*

*Pater noster.*

*Facta Confessione et Absolutione, dicitur:*

*℣. Convérte nos, Deus.*

*℟. Deus, in adjutórium.*

*Glória Patri.*

*Et amplius non dicitur Laustibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ; sed ejus loco deinceps dicitur Allelúia.*

*Deinde sine Antiphona dicuntur Psalmi consueti.*

*Capitulum, Versiculi et Hymnus non dicuntur.*

*Ad Nunc dimittis, Antiphona Véspere autem sábbati.*

CANTICUM SIMEONIS.

[Lucæ c. 2.]

**N**UNC dimittis servum tuum,

Dómine, \* secúndum verbum tuum in pace.

Quia vidérunt óculi mei \* salutáre tuum

Quod parásti \* ante fáciem ómnium populórum.

Lumen ad revelatióem géntium, \* et glóriam plebis tuæ Israel.

Glória Patri et Fílio.

*Antiphona.*

Vespére autem sábbati, quæ lucéscit in prima sábbati, venit María Magdaléne, et áltera María vidére sepúlcrum. Allelúia.

✠. Dóminus vobíscum.

℞. Et cum spíritu tuo.

ORATIO.

VISITA, quæsumus, Dómine, habitatióem istam, et

omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

✠. Dóminus vobíscum.

℞. Et cum spíritu tuo.

✠. Benedicámus Dómino.

℞. Deo grátias.

*Benedictio.* — Benedícat, et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus.

℞. Amen.

*Antiphona* Regina cœli, ut in *Psalterio*, 161.

*Et non flectuntur genua toto tempore Paschali.*





# DOMINICA

## RESURRECTIONIS.

### AD MATUTINUM.

Pater noster.

Ave, Maria.

Credo.

ŷ. Dómine, lábia mea apé-  
ries.

R. Deus, in adjutórium  
meum.

Glória Patri.

Allelúia.

*Invitatorium.* — Surréxit  
Dóminus vere. \* Allelúia.

*Psalmus* Venite, exulté-  
mus, 2.

*Hymni et Capitula non  
dicuntur in aliqua Horarum  
usque ad Vesperas Sabbati  
in Albis, nec versiculi, nisi  
in Nocturno.*

*Ad Nocturnum, Antiphona.*

Ego sum qui sum, et con-  
siliu meum non est cum  
impiis, sed in lege Dómini  
volúntas mea est. Allelúia.

PSALMUS I.

BEATUS vir, qui non ábiit in  
consilio impiórum, et in via  
peccatórum non stetit, \* et

in cáthedra pestiléntiæ non  
sedit :

Sed in lege Dómini volún-  
tas ejus, \* et in lege ejus me-  
ditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum,  
quod plantátum est secus  
decúrsus aquárum, \* quod  
fructum suum dabit in tém-  
pore suo :

Et fólium ejus non dé-  
fluet : \* et ómnia quæcúm-  
que fáciat, prosperabúntur.

Non sic impii, non sic, \*  
sed tanquam pulvis quem  
próicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent impii  
in iudicio : \* neque peccató-  
res in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus  
viam justórum : \* et iter im-  
piórum peribit.

*Antiphona.*

Ego sum qui sum, et con-  
siliu meum non est cum  
impiis, sed in lege Dómini  
volúntas mea est. Allelúia.

*Antiphona.*

Postulávi Patrem meum.  
Allelúia. Dedit mihi gentes.

Allelúia. In hæreditatem. Allelúia.

## PSALMUS 2.

**Q**UARE fremuerunt gentes,  
\* et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et principes convenérunt in unum, \* advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : \* et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridebit eos : \* et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, \* et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, \* prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : \* Filius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, \* et possessionem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, \* et tanquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc, reges, intelligite : \* erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : \* et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplinam, nequándo irascátur Dóminus, \* et pereátis de via justa.

Cum exárserit in breví ira ejus, \* beáti omnes qui confidunt in eo.

*Antiphona.*

Postulávi Patrem meum. Allelúia. Dedit mihi gentes. Allelúia. In hæreditatem. Allelúia.

*Antiphona.*

Ego dormívi, et somnum cepi : et exurréxi, quóniam Dóminus suscepit me. Allelúia, allelúia.

## PSALMUS 3.

**D**OMINE, quid multiplicáti sunt qui trébulant me? \* multi insúrgunt advérsus me.

Multi dicunt ánimæ meæ : \* Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, \* glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : \* et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : \* et exurréxi, quia Dóminus suscepit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : \* exúrge, Dómine ; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussisti omnes adversátes mihi sine causa : \* dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : \* et super pópulum tuum benedictio tua.

*Antiphona.*

Ego dormívi, et somnum cepi : et exurréxi, quóniam

**Dóminus suscepit me. Allelúia, allelúia.**

✠. **Surréxit Dóminus de sepúlcro. Allelúia.**

℞. Quia pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia.

**Pater noster.**

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

✠. Jube, domne, benedicere.

*Benedictio.* — **Evangélica** lécitio sit nobis salus et protectio.

℞. Amen.

**Lécitio sancti Evangélii secundum Marcum.**

**LECTIO I.**

[Cap. 6.]

**I**n illo témpore, **María Magdaléne et María Jacóbi et Salóme** emérunt arómata, ut venientes úngerent **Jesum**. Et reliqua.

**Homília sancti Gregórii Papæ.**

[Homília 21 in Evangelia.]

**A**UDISTIS, fratres charíssimi, quod sanctæ mulieres quæ **Dóminum** fúerant secútæ, cum aromátibus ad monuméntum venérunt, et ei quem vivéntem diléxerant, étiam mórtuo, stúdio humanitátis obsequúntur. Sed res gesta áliquid in sancta Ecclésia signat geréndum. Sic quippe necesse est ut audiámus quæ facta sunt, quátenus cogitémus étiam quæ nobis sunt ex eórum imitatióne faciéndam. Et nos ergo in eum qui est mórtuus credéntes, si odóre

virtútum reférti, cum opi-nióne bonórum óperum **Dóminum** quærimus, ad monuméntum profécto illius cum aromátibus venimus. Illæ autem mulieres **Angelos** vident, quæ cum aromátibus venérunt; quia videlicet illæ mentes supérnos cives aspiciunt quæ cum virtútum odóribus ad **Dóminum** per sancta desidéria proficiscúntur. Tu autem, **Dómine**, miserére nobis.

℞. Deo grátias.

℞. **Angelus Dómini** descendit de cœlo, et accédens revólvit lápidem, et super eum sedit; et dixit mulieribus: \* **Nolite timére**, scio enim quia crucifixum quæritis; jam surréxit. Venite et vidéte locum ubi pósitus erat **Dóminus**. Allelúia.

✠. Et introéuntes in monuméntum vidérunt júvenem sedéntem in dextris, coopértum stola cándida, et obstupuérunt. Qui dixit illis.

**Nolite timére.**

**Glória Patri.**

*Et repetitur* ℞. **Angelus Dómini usque ad versiculum.**

*Deinde dicitur* ✠. Jube, domne, benedicere.

*Benedictio.* — **Divinum** auxiliúm máneat semper nobíscum.

℞. Amen.

**LECTIO II.**

**N**OTANDUM vero nobis est quidnam sit quod in dextris sedére **Angelus** cernitur.

Quid namque per sinistram, nisi vita præsens; quid vero per dexteram, nisi perpétua vita designatur? Unde in Canticis Canticorum scriptum est: Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Quia ergo Redemptor noster jam præséntis vitæ corruptionem transierat, recte Angelus qui nuntiare perennem ejus vitam venerat in dextera sedebat. Qui stola cándida coopertus apparuit, quia festivitatis nostræ gaudia nuntiavit. Candor etenim vestis splendorem nostræ denuntiavit solemnitatis. Nostræ dicamus, an suæ? Sed, ut fateamur verius, et suæ dicamus et nostræ. Illa quippe Redemptoris nostri resurrectio et nostra festivitas fuit quia nos ad immortalitatem reduxit, et Angelorum festivitas extitit quia, nos revocando ad cœlestia, eorum numerum implévit.

R. Cum transisset sabbatum, María Magdalène et María Jacóbi et Salóme emerunt arómata \* Ut venientes úngerent Jesum. Alleluia, alleluia.

V. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole.

Ut venientes.

Glória Patri.

Ut venientes.

V. Jube, domne.

*Benedictio.* — Ad societatem civium supernorum perducatur nos Rex Angelorum.

R. Amen.

#### LECTIO III.

IN sua ergo ac nostra festivitate Angelus in albis vestibus apparuit, quia, dum nos per resurrectionem dominicam ad superna reducimur, cœlestis patriæ damna reparantur. Sed quid advenientes foeminas affatur audiamus. Nolite expavescere. Ac si aperte dicat: Paveant illi qui non amant adventum supernorum civium; pertimescant qui, carnalibus desideriis pressi, ad eorum se societatem pertingere posse desperant. Vos autem cur pertimescitis quæ vestros concives videtis? Unde et Matthæus Angelum apparuisse describens ait: Erat aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix. In fulgure etenim terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris.

*Post tertiam Lectionem dicitur Te Deum, 18.*

#### AD LAUDES.

##### *Antiphona.*

Angelus autem Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. Alleluia, alleluia.

*Psalmus Dominus regnavit, cum reliquis, 19.*



*Antiphona.*

Et ecce terræmōtus factus est magnus : Angelus enim Dómini descendit de cœlo. Allelúia.

*Antiphona.*

Erat autem aspéctus ejus sicut fulgur, vestiménta autem ejus sicut nix. Allelúia, allelúia.

*Antiphona.*

Præ timóre autem ejus extérriti sunt custódes, et facti sunt velut mórtui. Allelúia.

*Antiphona.*

Respóndens autem Angelus dixit muliéribus : Nolite timére ; scio enim quod Jesum quæritis. Allelúia.

*Capitulum, Hymnus et Versiculi non dicuntur, sed eorum loco dicitur Antiphona :*

Hæc dies quam fecit Dóminus ; exultémus, et lætémur in ea.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Et valde mane una sabbatorum véniunt ad monuméntum, orto jam sole. Allelúia.

## ORATIO.

DEUS, qui hodiérna die per Unigénitum tuum, æternitátis nobis áditum devicta morte reserásti, vota nostra, quæ præveniéndò aspiras, étiam adjuvándò proséquere. Per eúndem Dóminum nostrum.

†. Dóminus vobíscum.

℞. Et cum spiritu túo.

†. Benedicámus Dómino.

Allelúia, allelúia.

℞. Deo grátias. Allelúia, allelúia.

*Sic dicitur in Vesperis et Laudibus, tantum usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive.*

*Ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, post Deus, in adjutórium et Glória Patri dicuntur Psalmi consueti ; ad Primam tamen ut in Festis, scilicet Deus, in nómine tuo, Beáti immaculáti, et Rétribue. Quibus finitis dicitur Antiphona Hæc dies ; postea Oratio quæ ad Primam dicitur, ut in Psalterio, Dómine Deus omnipotens, 31. Pretiósá, cum reliquis, et ad Absolutionem Capituli, Lectio brevis Si consurrexistis cum Christo, ut in Psalterio, 32.*

*Ad alias autem Horas post Antiphonam Hæc dies dicitur Oratio quæ ponitur in Laudibus.*

## AD VESPERAS.

*Antiphona Angelus autem, cum reliquis de Laudibus, 330, et Psalmus Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134.*

*Et sic dicitur usque ad Vesperas Sabbati. Postea Antiphona :*

Hæc dies quam fecit Dóminus exultémus et lætémur in ea.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Et respicientes viderunt revolutum lapidem : erat quippe magnus valde. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui hodierna die, *ut supra.*

*Ad Completorium, dicto* ✠. Jube, domne, Fratres, sobrii estote, ✠. *Adjutorium nostrum, Pater noster, et facta Confessione et Absolutione, post* ✠. *Converte nos Deus, ✠. Deus, in adjutorium, Glória Patri, Allelúia, dicuntur Psalmi consueti; quibus finitis dicitur : Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.*

*Deinde Canticum Simeonis, Nunc dimittis, 325.*

*Postea Antiphona* Hæc dies, *et Oratio* Visita, quæsumus, Dómine, 326.

*Prædictus modus Horarum servatur usque ad Vesperas Sabbati in Albis.*

~~~~~

## FERIA SECUNDA.

*Ad Matutinum, Invatorium, Antiphonæ et Psalmi ad Nocturnos, et Laudes dicuntur ut supra in die Paschæ, per totam Octavam.*

✠. Surréxit Dóminus de sepulcro. Allelúia.

℞. Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia.

*Pater noster.*

*Absolutio* Exaudi, Dómine.

*Benedictio Evangelica* lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

### LECTIO I.

[Cap. 24.]

**I**N illo tempore, Duo ex discipulis Jesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerúsalem, nómine Emmaus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Homilia 23 in Evangelia.]

**A**UDISTIS, fratres charissimi, quia duobus discipulis ambulántibus in via, non quidem credéntibus, sed tamen de se loquéntibus, Dóminus apparuit : sed eis spéciem quam recognóscerent non osténdit. Hoc ergo egit foris Dóminus in óculis córporis quod apud ipsos agebátur intus in óculis cordis. Ipsi namque apud semetipsos intus et amábant et dubitábant : eis autem Dóminus foris et præsens áderat, et quis esset non ostendébat. De se ergo loquéntibus præséntiam exhibuit : sed de se dubitántibus cognitiónis suæ spéciem abscondit.

℞. María Magdaléne et áltera María ibant dilúculo ad monuméntum. \* Jesum quem quæritis, non est hic; surréxit sicut locútus est; præcedet vos in Galilæam; ibi eum vidébitis. Allelúia, allelúia.

✠. Et valde mane una sab-

batórum véniunt ad monuméntum, orto jam sole : et introéuntes vidérunt júvenem sedéntem in dextris, qui dixit illis.

Jesum quem quæritis.

*Benedictio* Divinum auxili-  
lium.

LECTIO II.

**V**ERBA quidem cóntulit, duriti-  
am intelléctus increpávit, sacrae Scripturae mystéria quæ de seipso erant apérui-  
t : et tamen quia adhuc in eórum córdibus peregrinus erat a fide, se ire lóngius finxit. Fingere namque, compónere dicimus : unde et compositóres luti, figulos vocámus. Nihil ergo simplex véritas per duplicitatem fecit : sed talem se eis exhibuit in córpore qualis apud illos erat in mente. Probánda autem erant si hi, qui eum etsi necdum ut Deum diligerent, saltem ut peregrinum amare potuissent.

*R.* Surrexit pastor bonus, qui ánimam suam pósuit pro óvibus suis, et pro grege suo mori dignátus est. \* Allelúia, allelúia, allelúia.

*Y.* Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus.

Allelúia.

Gloria Patri.

Allelúia.

*Benedictio* Ad societatem.

LECTIO III.

**S**ED quia esse extránei a charitáte non póterant hi cum

quibus Véritas gradiebátur, eum ad hospitium quasi peregrinum vocant. Cur autem dicimus vocant, cum illic scriptum sit, Et coegérunt eum? Ex quo nimirum exémplo colligitur quia peregrini ad hospitium non solum invitánda sunt, sed étiam trahéndi. Mensam igitur ponunt, panes cibósque ófferunt : et Deum, quem in Scripturae sacrae expositióne non cognóverant, in panis fractióne cognóscunt. Audiéndo ergo præcépta Dei illumináti non sunt, faciéndo illumináti sunt, quia scriptum est : Non auditóres legis justi sunt apud Deum, sed factóres legis justificabúntur. Quisquis ergo vult audita intelligere, festínet ea quæ jam audire pó-  
tuit ópere implére. Ecce Dóminus non est cógnitus dum loquerétur, et dignátus est cognósci dum páscitur.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Jesus junxit se discipulis suis in via, et ibat cum illis : óculi autem eórum tenebántur ne eum agnóscerent. Et increpávit eos dicens : O stulti et tardi corde ad credéndum in his quæ locúti sunt Prophétæ ! Allelúia.

ORATIO.

**D**EUS, qui solemnitate pascháli mundo remédia contulisti, pópulum tuum, quæsumus, coelésti dono prosé-

quere, ut et perfectam libertatem consequi mereatur et ad vitam proficiat sempiternam. Per Dominum nostrum. *Ad Magnificat, Antiphona.*

Quisunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Allelúia.

~~~~~

### FERIA TERTIA.

✠. Surrexit Dominus vere. Allelúia.

℞. Et apparuit Simóni. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

*Benedictio* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

#### LECTIO I.

[ Cap. 24. ]

**I**n illo tempore, Stetit Jesus in medio discipulorum, et dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

[ Lib. 10 Comm. in Luc. c. 24. ]

**M**IRUM quo modo se natura corporea per impetrabile corpus infuderit invisibili aditu, visibili conspectu, tangi facilis, difficilis aestimari. Denique conturbati discipuli aestimabant se spiritum videre. Et ideo Dominus, ut speciem nobis resurrectionis ostenderet, Palpate, inquit, et videte, quia spiritus car-

nem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis qualitatem, impervia usu clausa penetravit. Nam quod tangitur corpus est, quod palpatur corpus est.

℞. Virtutem magna reddébant Apóstoli \* Testimónium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri. Allelúia, allelúia.

✠. Repléti quidem Spiritu Sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei.

Testimónium.

*Benedictio* Divinum auxilium.

#### LECTIO II.

**I**n corpore autem resurgemus. Seminatur enim corpus animale, surgit corpus spiritale: sed illud subtilius, hoc crassius, utpote adhuc terrenæ labis qualitate concretum. Nam quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit? In quo non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit, quod vulnera suscepta pro nobis cælo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostræ prætia libertatis ostenderet. Talem sibi Pater ad dexteram locat, tropæum nostræ salutis amplectens: tales illic martyres nobis cicatricis suæ coronam monstravit.

℞. De ore prudentis pro-



cédit mel. Allelúia. Dulcédo mellis est sub lingua ejus. Allelúia : \* Favus distillans lábia ejus. Allelúia, allelúia.

℟. Sapiéntia requiescit in corde ejus, et prudéntia in sermóne oris illius.

Favus distillans.

Glória Patri.

Favus distillans.

*Benedictio* Ad societátem.

### LECTIO III.

Et quóniam sermo huc noster evásit, considerémus qua grátia secúndum Joánnem crediderint Apóstoli, qui gávisi sunt; secúndum Lucam quasi incréduli redarguántur: ibi Spíritum Sanctum acceperint, hic sedére in civitáte jubeántur quoadúsque induántur virtúte ex alto. Et vidétur mihi ille quasi Apóstolus majóra et altióra tetigisse, hic sequéntia et humanis próxima: hic histórico ususcircúitu, ille compéndio: quia et de illo dubitári non potest qui testimónium perhibet de iis quibus ipse interfuit, et verum est testimónium ejus; et ab hoc quoque, qui Evangélista esse méruit, vel negligéntiæ vel mendácii suspicióne æquum est propulsári. Et ideo verum putámus utrúmque, non sententiárum varietáte nec personárum diversitáte distinctum. Nam etsi primo Lucas eos non credidisse dicat, póstea tamen credidisse de-

mónstrat: et si prima considerémus, contrária sunt, si sequéntia, certum est convenire.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Stetit Jesus in médio discipulórum suórum, et dixit eis, Pax vobis. Allelúia, allelúia.

### ORATIO.

DEUS, qui Ecclesiám tuam novo semper foetu multiplicas, concéde fámulis tuis ut sacraméntum vivéndo téneant quod fide percepérunt. Per Dóminum nostrum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Vidéte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Allelúia, allelúia.

~~~~~

### FERIA QUARTA.

℟. Gavísi sunt discípuli. Allelúia.

℟. Viso Dómino. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* A vñculis.

*Benedictio* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangélii secundum Joánnem.

### LECTIO I.

[Cap. 21.]

IN illo témpore, Manifestávit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestávit autem sic: Erant simul Simon Petrus,

et Thomas, qui dicitur Didymus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Hom. 24 in Evang.]

**LECTIO** sancti Evangelii quæ modo in auribus vestris lecta est, fratres mei, quæstione animum pulsat, sed pulsatione sua vim discretionis indicat. Quæri etenim potest cur Petrus, qui piscator ante conversionem fuit, post conversionem ad piscationem rediit: et cum Veritas dicat, Nemo mittens manum suam ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei, cur repetiit quod dereliquit? Sed si virtus discretionis inspicitur, citius videtur: quia nimirum negotium quod ante conversionem sine peccato exitit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit.

R. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum et solvere septem signacula ejus. \* Alleluia, alleluia, alleluia.

✠. Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem.

Alleluia, alleluia, alleluia.

*Benedictio* Divinum auxilium.

**LECTIO II.**

**NAM** piscatorem Petrum,

Matthæum vero telonearium scimus: et post conversionem suam ad piscationem Petrus rediit, Matthæus vero ad telonei negotium non resedit, quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia quæ sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat.

R. Ego sum vitis vera, et vos palmites, \* qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Alleluia, alleluia.

✠. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.

Qui manet.

Gloria Patri.

Qui manet.

*Benedictio* Ad societatem.

**LECTIO III.**

**QUÆRI** etiam potest cur, discipulis in mari laborantibus, post resurrectionem suam Dominus in littore stetit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis in fluctibus maris ambulavit. Cujus rei ratio festine cognoscitur si ipsa, quæ tunc inerat, causa pensetur. Quid enim mare nisi præsens sæculum signat, quod se casuum tumultibus et undis vitæ corruptibilis illidit?

Quid per soliditatem littoris, nisi illa perpetuitas quietis æternæ figuratur? Quia ergo discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant. Quia autem Redemptor noster jam corruptionem carnis excésserat, post resurrectionem suam in littore stabat.

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Mittite in dexteram \* navigii rete, et inveniétis. Allelúia.

#### ORATIO.

DEUS, qui nos resurrectionis dominicæ ánnua solemnitate lætificas, concéde propitiis ut per temporália festa quæ ágimus, pervenire ad gáudia æterna mereámur. Per eúndem Dóminum nostrum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Dixit Jesus discipulis \* suis: afférte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascéndit autem Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus. Allelúia.

~~~~~

#### FERIA QUINTA.

†. Surréxit Dóminus de sepúlcro. Allelúia.

℞. Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

*Benedictio* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangélii secundum Joánnem.

#### LECTIO I.

[Cap. 10.]

IN illo tempore, María stabat ad monuméntum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinávit se, et prospéxit in monuméntum: et vidit duos Angelos in albis sedéntes. Et reliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

[Homil. 25 in Evang.]

MARIA Magdaléne, quæ fúerat in civitate peccátrix, amándo veritatem, lavit lácrymis máculas criminis: et vox Veritátis implétur, qua dicitur: Dimissa sunt ei peccáta multa quia diléxit multum. Quæ enim prius frígida peccádo remánserat, postmodum amándo fórtiter ardébat. Nam postquam venit ad monuméntum, ibique corpus dominicum non invénit, sublátum crédidit, atque discipulis nuntiávit: qui vénientes vidérunt, atque ita esse, ut múlter dixerat, crédidérunt. Et de eis prótinus scriptum est, Abiérunt ergo discipuli ad semetipsos; ac deínde subjúngitur: María autem stabat ad monuméntum foris, plorans.

℞. Tulérunt Dóminum meum et nescio ubi posuérunt eum. Dicunt ei Angeli: Múlter, quid ploras? surréxit sicut dixit: \* Præcédet vos in Ga-

lilæam : ibi eum vidébitis.  
Alleluia, alleluia.

R. Cum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum : et vidit duos Angelos in albis, sedentes, qui dicunt ei.

Præcedet vos.

*Benedictio* Divinum auxilium.

#### LECTIO II.

**Q**UA in re pensandum est, hujus mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, quæ a monumento Domini, etiam discipulis recedentibus, non recedebat. Exquirebat quem non invenerat : flebat inquirendo, et, amoris sui igne succensa, ejus quem ablatum credidit ardebat desiderio. Unde contigit ut eum sola tunc videret, quæ remanserat ut quæreretur, quia nimirum virtus boni operis perseverantia est, et voce Veritatis dicitur : Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

R. Congratulâmini mihi, omnes qui diligitis Dominum, quia quem querebam apparuit mihi : \* Et dum flerem ad monumentum, vidi Dominum. Alleluia, alleluia.

Y. Recedentibus discipulis, non recedebam, et amoris ejus igne succensa, ardebam desiderio.

Et dum flerem.

Glória Patri.

Et dum flerem.

*Benedictio* Ad societatem.

#### LECTIO III.

**M**ARIA ergo cum fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum. Certe jam monumentum vacuum viderat, jam sublatum Dominum nuntiaverat : quid est quod se iterum inclinat, iterum videre desiderat ? Sed amanti semel aspexisse non sufficit : quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Quæsit ergo prius, et minime invenit : perseveravit ut quæreretur ; unde et contigit ut inveniret : actumque est ut desideria dilata crescerent, et crescentia caperent quod invenissent.

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Maria stabat \* ad monumentum plorans, et vidit duos Angelos in albis sedentes, et sudarium quod fuerat super caput Jesu. Alleluia.

#### ORATIO.

**D**EUS, qui diversitatem gentium in confessione tui nominis adunasti, da ut renatis fonte baptismatis una sit fides mentium et pietas actionum. Per Dominum nostrum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Tulerunt Dominum \* meum, et nescio ubi posuerunt eum. Si tu sustulisti eum, dicito



mihi. Alleluia. Et ego eum tollam. Alleluia.

FERIA SEXTA.

✠. Surrexit Dominus vere. Alleluia.

℞. Et apparuit Simóni. Alleluia.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

*Benedictio* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO I.

[Cap. 28.]

**I**n illo tempore, Undecim discipuli abiérunt in Galilæam, in montem ubi constitúerat illis Jesus. Et reliqua.

Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

[Lib. 4 Comm in Matth.]

**P**ost resurrectionem Jesus in monte Galilææ conspicitur ibique adoratur, licet quidam dubitent et dubitatio eorum nostram augeat fidem. Tunc manifestius ostenditur Thomæ, et latus lancea vulneratum et manus fixas demonstrat clavis. Accedens Jesus locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Illi potestas data est qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui mortuus jacuerat, qui postea resurrexit. In cœlo autem et in terra

potestas data est, ut qui ante regnabat in cœlo per fidem credentium regnet et in terris.

℞. Surgens Jesus Dominus noster, stans in medio discipulorum suorum, dixit: \* Pax vobis. Alleluia. Gavisí sunt discipuli visó Dómino. Alleluia.

✠. Una ergo sabbatorum, cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus et stetit in medio eorum, et dixit eis.

Pax vobis.

*Benedictio* Divinum auxilium.

LECTIO II.

**E**UNTES autem docete omnes gentes, baptizantes eos in nómine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Primum docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua. Non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante ánima fidei suscepérit veritatem. Baptizantur autem in nómine Patris et Filii et Spiritus Sancti: ut quorum una est divinitas una sit largitio; noménque Trinitatis unus Deus est.

℞. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio: etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: \* Itaque epulemur in Dómino. Alleluia.

✠. Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit

propter justificationem nostram.

Itaque epulémur.

Glória patri.

Itaque epulémur.

*Benedictio* Ad societatem.

#### LECTIO III.

**D**OCENTES eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Ordo præcipuus. Jussit Apóstolis ut primum docerent universas gentes, deinde fidei intingerent sacramento: et post fidem ac baptisma, quæ essent observanda præciperent. Ac ne putemus levia esse quæ jussa sunt et pauca: addidit, Omnia quaecumque mandavi vobis, ut quicumque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta sunt. Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Qui usque ad consummationem sæculi cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros, et se nunquam a credentibus recessurum.

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Undecim discipuli\* in Galilæa videntes Dñm adoraverunt. Allelúia.

#### ORATIO.

**O**MNIPOTENS sempitérne Deus, qui paschale sacramentum in reconciliationis umânæ fœdere contulisti, a mentibus nostris ut quod

professione celebramus imitemur effectu. Per Dñm nostrum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Data est mihi\* omnis potestas in cœlo et in terra. Allelúia.

~~~~~

#### SABBATO IN ALBIS.

✠. Gavisi sunt discipuli. Allelúia.

ñ. Viso Dñmo. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* A vinculis.

*Benedictio* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangélii secundum Joánnem.

#### LECTIO I.

[Cap. 20.]

**I**N illo tempore, Una sabbati María Magdaléne venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum. Et reliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

[Homil 22. in Evang.]

**L**ECTIO sancti Evangélii, quam modo fratres audistis, valde in superficie histórica est aperta: sed ejus nobis sunt mystéria sub brevitate requirenda. María Magdaléne, cum adhuc tenebræ essent, venit ad monumentum. Juxta históriam notatur hora: juxta intellectum vero mysticum, requiréntis signatur intelligentia. María etenim auctorem omnium, quem in carne viderat mortuum, quæ-

rebat in monumento : et quia hunc minime invenit, furatum credidit. Adhuc ergo erant tenebrae, cum venit ad monumentum. Cucurrit citius, discipulis nuntiavit : sed illi prae ceteris cucurrerunt qui prae ceteris amaverunt, videlicet Petrus et Joannes.

℟. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur : quod enim mortuus est peccato mortuus est semel \* Quod autem vivit vivit Deo. Alleluia, alleluia.

℣. Mortuus est semel propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

Quod autem.

*Benedictio Divinum auxilium.*

#### LECTIO II.

CURREBANT autem duo simul: sed Joannes praecurrit citius Petro. Venit ergo posterior Petrus, et intravit. Quid, fratres, quid cursus significat? Numquid haec tam subtilis Evangelistae descriptio a mysteriis vacare credenda est? Minime. Neque enim se Joannes et praesse et non intrasse diceret si in ipsa sui trepidatione mysterium defuisse credidisset. Quid ergo per Joannem nisi Synagoga, quid per Petrum nisi Ecclesia designatur?

℟. Isti sunt agni novelli,

qui annuntiaverunt. Alleluia. Modo venerunt ad fontes, \* Repleti sunt claritate. Alleluia, alleluia.

℣. In conspectu Agni amicti sunt stolis albis, et palmae in manibus eorum.

Repleti sunt.

Glória Patri.

Repleti sunt.

*Benedictio Ad societatem.*

#### LECTIO III.

Nec mirum esse videatur quod per juniorem Synagoga, per seniorem vero Ecclesia signari perhibetur, quia etsi ad Dei cultum prior est Synagoga quam Ecclesia gentium, ad usum tamen saeculi prior est multitudo gentium quam Synagoga, Paulo attestante, qui ait : Quia non prius quod spiritale est, sed quod animale. Per seniore ergo Petrum significatur Ecclesia gentium, per juniorem vero Joannem synagoga Judaeorum. Currunt ambo simul : quia ab ortu sui tempore usque ad occasum, pari et communi via, etsi non pari et communi sensu, gentilitas cum Synagoga cucurrit. Venit Synagoga prior ad monumentum, sed minime intravit : quia legis quidem mandata percipit, prophetias de incarnatione ac passione dominica audivit, sed credere in mortuum noluit.

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Currébant duo simul, \* et ille álius discipulus præcúrrit cítius Petro, et venit prior ad monuméntum. Allelúia.

ORATIO.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui festa paschália venerádo égimus per hæc contingere ad gáudia ætérna mereámur. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS.

*Officium fit Duplex.*

*Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

*Psalmus Benedictus Dóminus Deus meus, cum reliquis de Psalterio, 15r.*

CAPITULUM.

[Joan., c. 5.]

CHARISSIMI, Omne quod natum est ex Deo vincit mundum: et hæc est victória quæ vincit mundum, fides nostra.

HYMNUS.

Ad régias Agni dapes,  
Stolis amicti cándidis,  
Post tránsitum maris Rubri  
Christo canámus Principi.

Divína cujus cháritas  
Sacrum propínat sánguinem,  
Almíque membra córporis  
Amor Sacérdos immolat.

Sparsum cruórem póstibus  
Vastátor horret Angelus:  
Fugitque dívísium mare;  
Mergúntur hostes flúctibus.

Jam Pascha nostrum Christus est,

Paschális idem Víctima,  
Et pura puris méntibus  
Sinceritátis ázyma.

O vera cœli víctima,  
Subjécta cui sunt tártara,  
Solúta mortis víncula,  
Recépta vitæ præmia.

Victor subáctis inferis  
Tropæa Christus éxplicat,  
Cœlóque apérto súbditum  
Regem tenebrárum trahit.

Ut sis perénne méntibus  
Paschále, Jesu, gáudium,  
A morte dira críminum  
Vitæ renátos libera.

Deo Patri sit glória,  
Et Fílio, qui a mortúis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

*Sic terminantur omnes  
Hymni ejusdem metri usque  
ad Ascensionem, præterquam  
in Officio Beatæ Mariæ,  
et in Hymno sanctæ  
Crucis ad Vesperas.*

†. Mane nobiscum, Dómine. Allelúia.

†. Quóniam advesperáscit.  
Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Cum esset sero die illa una sabbatórum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregáti in unum, stetit Jesus in médio, et dixit eis: Pax vobis. Allelúia.

ORATIO.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Paschália festa perégimus, hæc, te largiénte, móribus et vita



teneamus. Per Dóminum nostrum.

†. Benedicamus Dómino; deinceps dicitur sine Allelúia.

Completorium dicitur ut in Psalterio, omissis Precibus, et loco Antiphonæ Miserere dicitur Antiphona Allelúia, allelúia, allelúia; et in fine Antiphonæ Salva nos additur Allelúia.

Sic dicitur usque ad Dominicam SS. Trinitatis exclusive; et quando non est Duplex, nec infra Octavam, dicuntur Preces, ut in Psalterio, 159.

Ad Responsorii brevia, et Versiculos per omnes Horas <sup>invenitur</sup> Allelúia, usque ad Sabbatum post Pentecosten, præterquam in Versiculis ad Preces Primæ et Completorii, quando dicuntur. Et quodcumque Allelúia jungitur Responsorio brevi, duplicatur; sed in Versiculis dicitur semel.

~~~~~  
DOMINICA IN ALBIS,

IN OCTAVA PASCHÆ.

(Duplex.)

AD MATUTINUM.

Invitorium. — Surréxit Dóminus vere. \* Allelúia.

Psalmus Veníte, exultemus, 2.

Hymnus Rex sempitérne, ut in Psalterio, 3.

IN PRIMO NOCTURNO.

Antiphona.

Allelúia. Lapis revolútus

est. Allelúia. Ab óstio monumenti. Allelúia, allelúia.

Psalmi de Dominica, ut in Psalterio, 4, qui dicuntur in quolibet Nocturno sub una Antiphona.

†. Surréxit Dóminus de sepúlcro. Allelúia.

†. Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

LECTIO I.

[Cap. 3.]

SI consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram. Mórui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparúerit, vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glória. Mortificáte ergo membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscéntiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrórum sérvitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitátis: in quibus et vos ambulástis aliquándo cum viverétis in illis.

†. Angelus Dómini descendit de cœlo, et accédens revólvit lápidem, et super eum sedit, et dixit mulieribus: \* Nolíte timére; scio enim quia crucifixum quæri-

tis. Jam surrexit : veníte, et vidéte locum ubi pòsitus erat Dóminus. Allelúia.

✠. Et introeúntes in monuméntum vidérunt juvenem sedéntem in dextris, coopértum stola cándida, et obstupuérunt. Qui dixit illis.

Nolíte timére.

#### LECTIO II.

NUNC autem depónite et vos ómnia : iram, indignatióem, malitiam, blasphemiam, turpem sermónem de ore vestro. Nolíte mentíri invicem, expoliántes vos véterem hóminem cum áctibus suis, et induéntes novum eum, qui renovátur in agnitióem secundum imáginem ejus, qui creávit illum. Ubi non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Bárbarus et Scythia, servus et liber, sed ómnia et in ómnibus Christus. Indúite vos ergo sicut elécti Dei, sancti et dilécti, viscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, paciéntiam : supportántes invicem, et donántes vobismetípsis, si quis adversus áliquem habet querélam : sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

✠. Angelus Dómini locútus est mulieribus, dicens : Quem quæritis ? an Jesum quæritis ? jam surrexit : \* Veníte, et vidéte. Allelúia, allelúia.

✠. Jesum quæritis Nazaré-

num crucifixum ? surrexit, non est hic.

Veníte.

#### LECTIO III.

SUPER ómnia autem hæc, charitátem habéte, quod est vinculum perfectiónis : et pax Christi exúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore : et grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia, docétes, et commonétes vosmetípsos psalmis, hymnis, et cánticis spirituálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo. Omne, quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias ágéntes Deo et Patri per ipsum.

℟. Cum transisset sábbatum, María Magdaléne et María Jacóbi et Salóme, emérunt arómata, \* Ut veniéntes úngerent Jesum. Allelúia, allelúia.

✠. Et valde mane una sabbatórum véniunt ad monuméntum, orto jam sole.

Ut veniéntes.

Glória Patri.

Ut veniéntes.

#### IN SECUNDO NOCTURNO.

##### *Antiphona.*

Allelúia. Quem quæris mulier. Allelúia. Vivéntem cum mórtuis ? Allelúia, allelúia.

*Psalmus Consérva, cum reliquis, ut in Psalterio, 11.*

†. Surréxit Dóminus vere.  
Alleluia.

R. Et apparuit Simóni. Alleluia.

Sermo sancti Augustini  
Episcopi.

## LECTIO IV.

[Serm. 1 in Oct. Paschæ.]

PASCHALIS solémnitas hodierna festivitáte concluditur, et ideo hódie Neophytórum hábitus commutátur, ita tamen ut candor, qui de hábitu depónitur, semper in corde teneátur. In qua quidem primum nobis agéndum est, ut quia Pascháles dies sunt, id est, indulgéntiæ ac remissiónis, ita a nobis sanctorum diérum festivitas agátur, ut relaxatióne córporum puritas non obfuscétur: sed pótius abstinéntes ab omni luxu, ebrietáte, lascívia, demus óperam sóbriæ remissióni, ac sanctæ sinceritati: ut quidquid modo corporáli abstinéntia non acquirimus, méntium puritaté quæramus.

R. María Magdaléne, et áltera María ibant dilúculo ad monuméntum. \* Jesum quem quæritis, non est hic; surréxit sicut locútus est, præcedet vos in Galilæam, ibi eum vidébitis. Alleluia, alleluia.

†. Et valde mane una sabbatórum véniunt ad monuméntum, orto jam sole: et introeúntes vidérunt júvenem sédentem in dextris, qui dixit illis.

Jesum quem quæritis.

## LECTIO V.

AD omnes quidem pértinet sermo, quos cura nostra complectitur: verúmtamen hódie termináta Sacramentórum solémnitate, vos allóquimur novélla gérmina sanctitátis, regeneráta ex aqua et Spíritu Sancto; germen pium, exámen novéllum, flos nostri honóris, et fructus labóris, gáudium et coróna mea, omnes qui statis in Dómino. Apostólicis verbis vos allóquor: Ecce nox præcésit, dies autem appropinquávit: abjicite ópera tenebrárum, et induíte vos arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus: non in comessatió nibus, et ebrietátibus, non in cubilibus, et impudiciis, non in contentiône, et æmulatióne; sed induímini Dóminum Jesum Christum.

R. Surréxit pastor bonus, qui ánimam suam pósuit pro óvibus suis, et pro grege suo mori dignátus est: \* Alleluia, alleluia, alleluia.

†. Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus.

Alleluia.

## LECTIO VI.

HABEMUS, inquit, certiórem prophéticum sermónem: cui bene fácitis intendéntes, tanquam lucérnæ in obscúro loco, donec dies lucéscat, et lúCIFER oriátur in córdibus vestris. Sint ergo lumbi ves-

tri accincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. Ecce dies adveniunt, in quibus Dominus dicit: Pusillum, inquit, et non videbitis me: et iterum pusillum, et videbitis me. Hæc est hora, de qua dixit: Vos tristes eritis, sæculum autem gaudébit: id est, vita ista tentationibus plena, in qua peregrinamur ab eo. Sed iterum, inquit, videbo vos, et gaudébit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

℞. Virtute magna reddébant Apóstoli, \* Testimónium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri. Allelúia, allelúia.

℣. Repléti quidem Spiritu Sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei.

Testimónium.

Glória Patri.

Testimónium

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Allelúia. Noli flere, María. Allelúia. Resurrexit Dominus. Allelúia, allelúia.

*Psalmus* Cæli enarrant, cum reliquis, ut in Psalterio, 15.

℣. Gavisi sunt discipuli. Allelúia.

℞. Viso Domino. Allelúia.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

# LECTIO VII.

[Cap. 20.]

**I**N illo tempore, Cum sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Hom. 26 in Evang.]

**P**RIMA lectionis hujus evangelicæ quæstio animum pulsat: quomodo post resurrectionem corpus dominicum verum fuit, quod clausis januis ad discipulos ingredi potuit? Sed sciendum nobis est, quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa nostri Redemptoris opera, quæ ex semetipsis comprehendendi nequaquam possunt, ex alia operatione pensanda sunt: ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim corpus Domini intravit ad discipulos januis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exivit utero Virginis. Quid ergo mirum, si clausis januis post resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens, non aperto utero Virginis exivit?



**R.** De ore prudentis procedit mel. Alleluia. Dulcedo mellis est sub lingua ejus. Alleluia. \* Favus distillans labia ejus. Alleluia, alleluia.

**Y.** Sapientia requiescit in corde ejus, et prudentia in sermone oris illius.

Favus distillans.

LECTIO VIII.

**S**ED quia ad illud corpus, quod videri poterat, fides intuendum dubitabat, ostendit eis protinus manus et latus: palpandam carnem præbuit, quam clausis januis introduxit. Qua in re duo mira, et juxta humanam rationem sibi valde contraria ostendit: dum post resurrectionem suam corpus suum incorruptibile et tamen palpabile demonstravit. Nam et corrumpi necesse est quod palpatur: et palpári non potest quod non corrumpitur. Sed miro modo atque inæstimabili Redemptor noster et incorruptibile post resurrectionem, et palpabile corpus exhibuit: ut monstrando incorruptibile, invitaret ad præmium: et præbendo palpabile, firmaret ad fidem. Et incorruptibilem se ergo, et palpabilem demonstravit: ut profecto esse post resurrectionem ostenderet corpus suum et ejusdem naturæ, et alterius gloriæ.

**R.** Surgens Jesus Dominus noster, stans in medio discipulorum suorum, dixit:

\* Pax vobis. Alleluia. Gavisi sunt discipuli viso Domino. Alleluia.

**Y.** Una ergo sabbatorum, cum fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati, venit Jesus et stetit in medio eorum, et dixit eis.

Pax vobis.

Glória Patri.

Pax vobis.

LECTIO IX.

**D**IXIT eis: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, id est, sicut misit me Pater Deus Deum, et ego mitto vos homo homines. Pater Filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quem videlicet in mundum venire ad passionem voluit: sed tamen amavit Filium, quem ad passionem misit. Electos vero Apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo et Filius amatur a Patre, et tamen ad passionem mittitur ita et discipuli a Domino amatur, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum. Itaque recte dicitur: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: id est, ea vos charitate diligo, cum inter scándala persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.

Te Deum laudamus. 18.

AD LAUDES

*Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia,  
allelúia, allelúia, allelúia,  
allelúia, allelúia, allelúia.

*Psalmi* Dóminus regnáv-  
it; Jubiláte Deo; Deus Deus  
meus, 19.

*Antiphona.*

Surréxit Christus de se-  
púlcro, qui liberávit tres  
púeros de camino ignis ar-  
déntis. Allelúia.

*Canticum* Benedícite, 20.

*Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

*Psalmus* Laudáte Dómi-  
num de cœlis, 21.

CAPITULUM.

[ I Joan. c. 5. ]

CHARISSIMI, Omne quod na-  
tum est ex Deo vincit mun-  
dum: et hæc est victória quæ  
vincit mundum, fides nostra.

HYMNUS.

AURORA cœlum púrpurat:  
Æther resúltat láudibus,  
Mundus triúmphans júbilat,  
Horrens avérnus infremit:

Rex ille dum fortissimus  
De mortis inférno specu  
Patrum Senátum liberum  
Educit ad vitæ jubar.

Cujus sepúlcrum plúrimo  
Custóde signábat lapis,  
Victor triúmphant, et suo  
Mortem sepúlcro fúnerat.

Sat fúneri, sat lácrymis,  
Sat est datum dolóribus:  
Surréxit extíctor necis,

Clamat corúscans Angelus.

Ut sis perénne méntibus  
Paschále, Jesu, gáudium,  
A morte dira criminum  
Vitæ renátos libera.

Deo Patri sit glória,  
Et Filio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Cum esset sero die illa una  
sabbatórum, et fores essent  
clausæ, ubi erant discipuli  
congregáti in unum, stetit  
Jesus in médio, et dixit eis:  
Pax vobis. Allelúia.

Ÿ. In resurrectione tua,  
Christe. Allelúia.

Ÿ. Cœli et terra læténtur.  
Allelúia.

ORATIO.

PŒSTA, quæsumus, omni-  
potens Deus, ut qui Pas-  
chália festa perégimus, hæc,  
te largiente, móribus et vita  
teneámus. Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Hymnus* Jam lucis, 24.

*Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia,  
allelúia, allelúia.

*Psalmi* Deus, in nómine  
tuo, 24; Beáti immaculáti,  
26; Retribue, 26; et Qui-  
cúmque, 27.

*Prædicti Psalmi dicuntur  
Dominicis diebus usque ad  
Ascensionem.*

*Capitulum* Regi sæculó-  
sum, 29.

Ÿ. breve. Christe Fili Dei

vivi, miserere nobis. \* Allelúia, allelúia. Christe.

℣. Qui surrexisti a mortuis.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Christe.

℣. Exúrge, Christe, adjuva nos. Allelúia.

℞. Et libera nos propter nomen tuum. Allelúia.

*Et sic dicitur Responsum breve usque ad Ascensionem.*

*Et quando non est Duplex, aut infra Octavas, dicuntur Preces de Dominica, ut in Psalterio, 29.*

*Ad Absolutionem Capituli, Lectio brevis Si consurrexistis cum Christo, ut in Psalterio, 31.*

### AD TERTIAM

ET ALIAS HORAS.

*Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

*Capitulum Charíssimi, omne quod natum, ut supra, 348.*

℞. *breve.* Surrexit Dóminus de sepúlcro. \* Allelúia, allelúia. Surrexit.

℣. Qui pro nobis pepéndit in ligno.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri Surrexit.

℣. Surrexit Dóminus vere. Allelúia.

℞. Et apparuit Simóni. Allelúia.

### AD SEXTAM.

CAPITULUM.

[I. Joan. c. 5.]

QUIS est autem qui vincit  
Vern.

mundum, nisi qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei? hic est qui venit per aquam et ságuinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et ságuine.

℞. *breve.* Surrexit Dóminus vere. \* Allelúia, allelúia. Surrexit.

℣. Et apparuit Simóni.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Surrexit.

℣. Gavisi sunt discipuli. Allelúia.

℞. Viso Dómino. Allelúia.

### AD NONAM.

CAPITULUM.

[I. Joan., cap. 5.]

SI testimónium hóminum accépinus, testimónium Dei, majus est, quóniam hoc est testimónium Dei, quod majus est, quóniam testificátus est de Fílio suo: qui credit in Fílium Dei, habet testimónium Dei in se.

℞. *breve.* Gavisi sunt discipuli. \* Allelúia, allelúia. Gavisi.

℣. Viso Dómino.

℞. Allelúia, allelúia

Glória Patri. Gavisi sunt.

℣. Mane nobiscum, Dómine. Allelúia.

℞. Quóniam advesperáscit. Allelúia.

### AD VESPERAS.

*Antiphona.*

Allelúia, allelúia, allelúia.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica,

134, qui sub una tantum Antiphona dicuntur.

*Capitulum* Charissimi, Omne quod natum.

*Hymnus* Ad régias Agni dapes, ut supra in *Vesperis Sabbati*, 342.

✠. Mane nobiscum, Dómine. Allelúia.

℞. Quóniam advesperáscit. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Post dies octo jánuis clausis ingressus Dóminus dixit eis: Pax vobis. Allelúia, allelúia.

*Oratio* Præsta, quæsumus, ut supra, 348.

*Hymni, Versiculi et Responsoria brevia hujus Dominicæ dicuntur usque ad Ascensionem, etiam in feriæli Officio.*

~~~~~

## FERIA SECUNDA.

*Invitatorium.* — Allelúia, allelúia, \* Allelúia.

*Psalmus* Venite, exultemus, 2.

*Hymnus* Rex sempitérne, 3.

*Antiphona* Allelúia, *Psalmus* Dóminus illuminatio, cum reliquis de secunda FERIA, ut in *Psalterio*, 52.

*Psalmi feriales Nocturnorum, et Vesperarum dicuntur sub prima Antiphona* Allelúia usque ad *Ascensionem*.

✠. Surrexit Dóminus de sepúlcro. Allelúia.

℞. Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia.

Incipit liber Actuum Apostolorum.

## LECTIO I.

[Cap. 1.]

PRIMUM quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Jesus fácere et docére usque in diem quæ præcipiens Apóstolis per Spíritum Sanctum quos elégit, assúptus est: quibus et præbuit seípsum vivum post Passiónem suam in multis arguméntis, per dies quadraginta appárens eis et loquens de regno Dei. Et convéscens, præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Joánnes quidem baptizávit aqua, vos autem baptizabimini Spíritu Sancto non post multos hos dies. Igitur qui convénerant interrogábant eum dicéntes: Dómine, si in témpore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis. Non est vestrum nosse témpora vel mómenta, quæ Pater pósuit in sua potestáte: sed accipiétis virtutem superveniéntis Spíritus Sancti in vos, et éritis mihi testes in Jerúsalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad últimum terræ.

℞. Virtúte magna reddébant Apóstoli \* Testimónium resurrectionis Jesu Christi Dómini nostri. Allelúia, allelúia.



Ÿ. Replēti quidem Spiritu  
Sancto loquebāntur cum fi-  
dúcia verbum Dei.

Testimónium.

LECTIO II.

ET cum hæc dixisset, vidén-  
tibus illis elevátus est : et  
nubes suscepit eum ab óculis  
eórum. Cumque intueréntur  
in cœlum eúntem illum, ecce  
duo viri astitérunt juxta illos  
in véstibus albis, qui et dixé-  
runt : Viri Galilæi, quid stat-  
tis aspiciéntes in cœlum? Hic  
Jesus, qui assúptus est a vo-  
bis in cœlum, sic véniet que-  
mádmódum vidistis eum eún-  
tem in cœlum. Tunc revérsti  
sunt Jerosólymam a monte,  
qui vocátur Olivéti, qui est  
juxta Jerúsalem, sábbati ha-  
bens iter. Et cum introissent  
in cœnáculum, ascendérunt  
ubi manébant Petrus et Jóan-  
nes, Jacóbus et Andréas, Phi-  
lippus et Thomas, Bartholo-  
mæus et Matthæus, Jacóbus  
Alphæi et Simon Zelótes et  
Judas Jacóbi. Hi omnes erant  
perseverántes unanimiter in  
oratione cum muliéribus, et  
María matre Jesu, et fratri-  
bus ejus.

Ÿ. De ore prudentis pro-  
cédit mel. Allelúia. Dulcédo  
mellis est sub lingua ejus.  
Allelúia. \* Favus distillans  
lábia ejus. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Sapiéntia requiescit in  
corde ejus, et prudentia in  
sermóne oris illius.

Favus distillans.

Glória Patri.

Favus distillans.

LECTIO III.

IN diébus illis exúrgens Pe-  
trus in médio fratrum dixit :  
( erat autem turba hóminum  
simul fere centum viginti )  
Viri fratres, opórtet impléri  
Scriptúram quam prædixit  
Spíritus Sanctus per os David  
de Juda, qui fuit dux eórum  
qui comprehendérunt Jesum:  
qui connumerátus erat in no-  
bis, et sortitus est sortem mi-  
nistérii hujus. Et hic quidem  
possédit agrum de mercéde  
iniquitátis, et suspénsus cré-  
puit médius : et diffúsa sunt  
ómnia viscera ejus. Et no-  
tum factum est ómnibus ha-  
bitántibus Jerúsalem, ita ut  
appellarétur ager ille lingua  
eórum, Hacéldama, hoc est  
Ager Sanguinis. Scriptum est  
enim in libro Psalmórum :  
Fiat commorátio eórum de-  
sérta : et non sit qui inhábi-  
tet in ea : et episcopátum ejus  
accipiat alter. Opórtet ergo  
ex his viris, qui nobiscum  
sunt congregáti in omni témpo-  
re, quo intrávit et exívit  
inter nos Dóminus Jesus, in-  
cípiens a baptísmate Joánnis  
usque in diem qua assúmp-  
tus est a nobis, testem resur-  
rectionis ejus nobiscum fieri  
unum ex istis. Et statuérunt  
duos, Joseph, qui vocabátur  
Bársabas, qui cognominátus  
est Justus, et Mathiam. Et

orantes dixerunt : Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, osténde quem elégeris ex his duóbus unum accipere locum ministérii hujus et Apostolátus de quo prævaricátus est Judas ut abíret in locum suum. Et dedérunt sortes eis, et cécidit super Mathiam, et annumerátus est cum úndecim Apóstolis.

*Hoc tempore paschali non dicitur tertium Responsorium in feriali Officio, sed Hymnus Te Deum laudamus, 18.*

#### AD LAUDES.

*Antiphona Allelúia.*

*Psalmus Dóminus regnávít, cum reliquis Antiphonis et Psalmis de Psalterio, ut in Dominica, 19.*

#### CAPITULUM.

[ Rom. c. 6. ]

**C**HRISTUS resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo.

*Hymnus Auróra cœlum púrpurat.*

✠. In resurrectione tua, ut supra.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Surgens Jesus\* mane prima sábbati, apparuit primo Mariæ Magdalénæ, de qua ejécerat septem dæmónia. Allelúia.

#### ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omni-

potens Deus, ut qui paschália festa perégimus, hæc, te largiēte, móribus et vita tenéamus. Per Dóminum nostrum.

*Postea fit commemoratio de Cruce : quæ commemoratio quotidie fit in Laudibus et Vesperis usque ad Ascensionem, tam in officio de Tempore quam de Sanctis, nisi sit Duplex aut infra Octavas. Aliæ commemorationes de sancta Maria, de Apostolis et de Pace non dicuntur tempore paschali.*

*In Laudibus Antiphona de Cruce.*

Crucifixus surréxit a mórtuis, et redémit nos. Allelúia, allelúia.

✠. Dícite in natióibus. Allelúia.

R). Quia Dóminus regnávít á ligno. Allelúia.

#### ORATIO.

**D**EUS, qui pro nobis Fílium tuum crucis patibulum subíre voluísti, ut inimici a nobis expélleres potestátem, concéde nobis fámulis tuis, ut resurrectionis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

#### IN VESPERIS.

*Antiphona.*

Crucem sanctam súbiit,\* qui inférnum confrégit, accinctus est poténtia, surréxit die tértia. Allelúia.

*Versiculus et Oratio, ut supra.*

*In seriali Officio Prima dicitur sicut in festis Simpli-  
cibus toto tempore paschali.*

*Psalmi Horarum dicuntur  
cum quatuor Allelúia. Capi-  
tulum Regi sæculórum, 29.  
Preces de Dominica, ut in  
Psalterio, 29.*

### AD TERTIAM.

*Capitulum* Christus resúr-  
gens.

R. *breve.* Surrexit Dómi-  
nus de sepúlcró. \* Allelúia,  
allelúia. Surrexit.

Ÿ. Qui pro nobis pepéndit  
in ligno.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Surrexit.

Ÿ. Surrexit Dóminus vere.  
Allelúia.

R. Et appáruit Simóni. Al-  
lelúia.

### AD SEXTAM.

#### CAPITULUM.

[ I Cor. c. 15. ]

CHRISTUS resurrexit a mór-  
tuis primitiæ dormiéntium,  
quóniam quidem per hómi-  
nem mors, et per hóminem  
resurrectio mortuórum. Et  
sicut in Adam omnes mo-  
riúntur, ita et in Christo om-  
nes vivificabúntur.

R. *breve.* Surrexit Dómi-  
nus vere. \* Allelúia, alle-  
lúia. Surrexit.

Ÿ. Et appáruit Simóni.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Surrexit.

Ÿ. Gavisi sunt discipuli.  
Allelúia.

R. Viso Dómino. Allelúia.

### AD NONAM.

#### CAPITULUM.

[ I Pet. c. 3. ]

CHRISTUS semel pro peccá-  
tis nostris mórtuus est, jus-  
tus pro injústis, ut nos offérret  
Deo, mortificátus quidem  
carne, vivificátus autem spi-  
ritu.

R. *breve.* Gavisi sunt dis-  
cipuli. \* Allelúia, allelúia.  
Gavisi.

Ÿ. Viso Dómino.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Gavisi.

Ÿ. Mane nobiscum, Dó-  
mine. Allelúia.

Ÿ. Quóniam advesperás-  
cit. Allelúia.

### AD VESPERAS.

*Antiphona* Allelúia.

*Psalmus* Diléxi cum reli-  
quis de Psalterio, 138, sub  
una *Antiphona* Allelúia.

#### CAPITULUM.

[ Rom. c. 6. ]

CHRISTUS resúrgens ex mór-  
tuis jam non móritur, mors  
illi ultra non dominábitur.  
Quod enim mórtuus est pec-  
cáto mórtuus est semel; quod  
autem vivit, vivit Deo.

*Hymnus* Ad régias Agni,  
ut *supra*, 342.

Ÿ. Mane nobiscum, Dó-  
mine. Allelúia.

R. Quóniam advesperás-  
cit. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Pax vobis, \* ego sum. Al-

allelúia. Nolite timere. Allelúia.

*Invitatorium, Capitula, et Responsoria brevia superscripta dicuntur in feriali Officio usque ad Ascensionem.*

~~~~~

### FERIA TERTIA.

De áctibus Apostolorum.

#### LECTIO I.

[Cap. 2.]

ET cum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter in eódem loco: et factus est repénite de cœlo sonus, tanquam adveniéntis spíritus veheméntis, et replévit totam domum ubi erant sedéntes. Et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eórum: et repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus Sanctus dabat éloqui illis. Erant autem in Jerúsalem habitántes Judæi, viri religiósi ex omni natióne quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce, convénit multitúdo, et mente confúsa est, quóniam audiébat unusquisque lingua sua illos loquéntes. Stupébant autem omnes, et mirabántur, dicéntes: Nonne ecce omnes, isti qui loquúntur, Galilæi sunt, et quómodo nos audívimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?

R. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum et sólvere septem signácula ejus. \* Allelúia, allelúia, allelúia.

✠. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitátem, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem, et glóriam, et benedictiónem.

Allelúia, allelúia, allelúia.

#### • LECTIO II.

STANS autem Petrus cum undecim, levávit vocem suam, et locútus est eis: Viri Judæi, et qui habitátis Jerúsalem universi, hoc vobis notum sit, et áuribus percípите verba mea. Non enim, sicut vos aestimétis, hi ébrii sunt, cum sit hora diéi tértia: sed hoc est, quod dictum est per Prophétam Joel: Et erit in novissimis diébus, (dicit Dóminus) effúndam de Spíritu meo super omnem carnem: et prophetábunt filii vestri, et filiae vestrae, et júvenes vestri visiones vidébunt, et senióres vestri sómnia somniábunt. Et quidem super servos meos, et super ancillas meas in diébus illis effúndam de Spíritu meo, et prophetábunt: et dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deórsum, ságuinem, et ignem, et vapórem fumi: sol convertétur in ténebras, et luna in ságuinem, ántequam véniat dies Dómini magnus et



manifestus. Et erit : omnis, quicumque invocaverit nomen Dómini, salvus erit.

R. Ego sum vitis vera, et vos pálmities : \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos.

Qui manet.

Glória Patri.

Qui manet.

#### LECTIO III.

**V**IRI Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbátum a Deo in vobis, virtútibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per illum in médio vestri, sicut et vos scitis : hunc definito consilio et præsciéntia Dei tráditum, per manus iniquórum affligéntes interemistis : quem Deus suscitávit, solútis dolóribus inférni, juxta quod impossibile erat tenéri illum ab eo. David enim dicit in eum : Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : quóniam a dextris est mihi ne commóvear : Propter hoc lætátum est cor meum et exultávit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe : Quóniam non derelinques ánimam meam in inférno, nec dabis Sanctum tuum vidére corruptionem.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Præcédam vos \* in Galí-

læam, ibi me vidébitis, sicut dixi vobis. Allelúia, allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Mitte manum tuam, \* et cognósce loca clavórum. Allelúia. Et noli esse incredulus, sed fidélis. Allelúia.

~~~~~

#### FERIA QUARTA.

De Actibus Apostolorum.

#### LECTIO I.

[Cap. 3.]

**P**ETRUS autem, et Joánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, bajulabátur : quem ponébant quotidie ad portam templi quæ dicitur Speciósá, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum. Is cum vidisset Petrum et Joánnem incipientes introire in templum, rogábat ut eleemósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joáanne, dixit : Réspice in nos. At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis. Petrus autem dixit : Argéntum et aurum non est mihi : *quod autem hábeo, hæc tibi* do : In nómine Jesu Christi Nazaréni surge, et ámbula.

R. Surgens Jesus Dóminus noster, stans in médio discipulórum suórum, dixit : \* Pax vobis. Allelúia. Gavisí sunt discipuli viso Dómino. Allelúia.

✠. Una ergo sabbatorum, cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus, et stetit in medio eorum, et dixit eis.

Pax vobis.

LECTIO II.

ET apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, et proutinus consolidatæ sunt bases ejus, et plantæ. Et exiliens stetit, et ambulabat: et intravit cum illis in templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem, et laudantem Deum. Cognoscébant autem illum, quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: et impléti sunt stupore et éxtasi in eo quod contigerat illi. Cum tenéret autem Petrum et Joánnem, cucurrit omnis populus ad eos ad pórticum quæ appellatur Salomónis, stupéntes.

℣. Expurgáte vetus fermentum, ut sitis nova conspersio: etenim Pascha nostrum immolátus est Christus: \* Itaque epulémur in Dómino. Allelúia.

✠. Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificatióem nostram.

Itaque epulémur.

Glória Patri.

Itaque epulémur.

LECTIO III.

VIDENS autem Petrus res-

póndit ad pópulum: Viri Israelitæ, quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quasi nostra virtúte aut potestáte fecérimus hunc ambulare? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificávit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negástis ante fáciem Piláti, judicánte illo dimitti. Vos autem sanctum et justum negástis, et petistis virum homicidam donári vobis, auctórem vero vitæ interfecistis; quem Deus suscitávit a mórtuis; cujus nos testes sumus. Et in fide nóminis ejus, hunc quem vos vidistis et nostis, confirmávit nomen ejus: et fides, quæ per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspéctu ómnium vestrum.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ego sum vitis vera. \* Allelúia. Et vos pálmities veri. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Quia vidisti me, \* Thoma, credidisti: beáti qui non vidérunt, et credidérunt. Allelúia.

~~~~~

FERIA QUINTA.

De Actibus Apostolorum.

LECTIO I.

[Cap. 5.]

VIR autem quidam nómine Ananías, cum Saphíra uxóre

sua vendidit agrum, et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: et afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus Anania: Cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, et venditum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, et expiravit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt.

R. Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus est peccato mortuus est semel, \* Quod autem vivit, vivit Deo. Alleluia, alleluia.

Y. Mortuus est semel propter delicta nostra, et surrexit propter justificationem nostram.

Quod autem.

#### LECTIO III.

FACTUM est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidisti? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare

Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, et efferent te. Confestim cecidit ante pedes ejus, et expiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam: et extulerunt, et sepelierunt ad virum suum. Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnes qui audierunt hæc.

R. Surrexit pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et pro grege suo mori dignatus est. \* Alleluia, alleluia, alleluia.

Y. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.

Alleluia.

Glória Patri.

Alleluia.

#### LECTIO III.

PER manus autem Apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audébat se conjungere illis: sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, et vexatos

a spirítibus immúndis : qui curabántur omnes.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ardens est cor meum, \* desídero vidére Dóminum meum : quæro, et non invénio ubi posuérunt eum. Allelúia, allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Misi dígitum meum in fixúras clavórum, et manum meam in latus ejus, et dixi : Dóminus meus, et Deus meus. Allelúia.

~~~~~

### FERIA SEXTA.

De Actibus Apostolórum.

#### LECTIO I.

[Cap. 8.]

**V**IR autem quidam nómine Simon, qui ante fúerat in civitáte magus, sedúcens gentem Samariæ, dicens se esse álicquem magnum : cui auscultábant omnes a mínimo usque ad máximum, dicéntes : Hic est virtus Dei, quæ vocátur magna. Attendébant autem eum, propter quod multo témpore magis suis dementásset eos. Cum vero credidissent Philippo evangelizánti de regno Dei, in nómine Jesu Christi baptizabántur viri ac mulieres. Tunc Simon et ipse credidit : et cum baptizátus esset, adhærébat Philippo. Videns étiam signa, et virtútes máximas fieri, stupens admirabátur.

℣. Virtúte magna reddé-

bant Apóstoli \* Testimónium resurrectionis Jesu Christi Dómini nostri. Allelúia, allelúia.

℣. Repléti quidem Spíritu Sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei.

Testimónium.

#### LECTIO II.

**C**UM autem audissent Apóstoli, qui erant Jerosólymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, misérunt ad eos Petrum et Joánnem. Qui cum veníssent, oravérunt pro ipsis ut accíperent Spíritum Sanctum : nondum enim in quemquam illórum vénerat, sed baptizáti tantum erant in nómine Dómini Jesu. Tunc imponébant manus super illos, et accipiébant Spíritum Sanctum. Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolórum darétur Spíritus Sanctus, óbtulit eis pecúniam dicens : Date et mihi hanc potestátem, ut, cui-cúmque imposúero manus, accípiat Spíritum Sanctum.

℣. De ore prudéntis procedit mel. Allelúia. Dulcédo mellis est sub lingua ejus. Allelúia. \* Favus distillans lábia ejus. Allelúia, allelúia.

℣. Sapiéntia requiescit in corde ejus, et prudéntia in sermóne oris illius.

Favus distillans.

Glória Patri.

Favus distillans.



## LECTIO III.

**P**ETRUS autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua: et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem Simon dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis.

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Venerunt \* ad monumentum Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum. Alleluia.

*Ad Vesperas, nisi occurrat Festum novem Lectionum, a Capitulo fit de sancta Maria, clxix.*

## SABBATO.

De Actibus Apostolorum.

## LECTIO I.

[Cap. 10.]

**V**IR autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornélius, Centurio cohortis, quæ dicitur Itálica, religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans

Deum semper: is vidit in visu manifeste, quasi hora diæi nona, Angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi, Cornéli. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen: et accersi Simónem quemdam, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur apud Simónem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere. Et cum discessisset Angelus qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, et militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen.

## LECTIO II.

**P**OSTERA autem die iter illis facientibus, et appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora ut oraret circa horam sextam. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: et vidit cælum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentina terræ, et volatilia cæ-

li. Et facta est vox ad eum : Surge, Petre, occide, et manduca. Ait autem Petrus : Absit, Dómine, quia nunquam manducávi omne comúnne et immúndum. Et vox iterum secúndo ad eum : Quod Deus purificávit, tu comúnne ne dixeris. Hoc autem factum est per ter : et statim recéptum est vas in cœlum. Et dum intra se hæsitéret Petrus quidnam esset visio quam vidisset : ecce viri, qui missi erant a Cornélio, inquirentes domum Simónis, astiterunt ad jánuam.

## LECTIO III.

**A**PERIENS autem Petrus os suum, dixit : In veritate cómperi quia non est personarum accéptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, et operátur justitiam, accéptus est illi. Verbum misit Deus filiis Israel, annúntians pacem per Jesum Christum : (hic est ómnium Dóminus) Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam : incipiens enim a Galilæa post baptismum, quod prædicávit Joánes, Jesum a Názaeth : quomodo unxit eum Deus Spíritu sancto, et virtúte, qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes opprêssos a diabolo, quóniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus ómnium, quæ fecit in regio-

ne Judæorum, et Jerúsalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitávit tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni pópulo, sed téstibus præordinátis a Deo : nobis, qui manducávimus, et bîbimus cum illo postquam resurrexit a mórtuis.

## AD VESPERAS.

*Antiphona Allelúia.*

*Psalmus Benedictus, cum reliquis, 150.*

## CAPITULUM.

[ Pet. c. 2. ]

**C**HARISSIMI, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exéplum, ut sequámini vestigia ejus : qui peccátum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

## HYMNUS.

**A**d régias Agni dapes  
Stolis amicti cándidis  
Post tránsitum maris Rubri  
Christo canámus Principi.

Divina cujus cháritas  
Sacrum propínat sánguinem,  
Almique membra córporis  
Amor Sacérdos ímmolat.

Sparsum cruórem póstibus

Vastátor horret Angelus,  
Fugítque divisum mare :  
Mergúntur hostes flúctibus.

Jam Pascha nostrum Christus est,

Paschális idem Víctima,  
Et pura puris méntibus  
Sinceritátis ázyna.

O vera cœli Victima,  
Subiecta cui sunt tártara,  
Solúta mortis víncula,  
Recépta vitæ præmia.

Victor subáctis ínferis  
Trophæa Christus éxplicat,  
Cœlóque apérto súbditum  
Regem tenebrárum trahit.

Ut sis perénne méntibus  
Paschále, Jesu, gáudium,  
A morte dira criminum  
Vitæ renátos líbera.

Deo Patri sit glória,  
Et Filio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

Ÿ. Mane nobíscum, Dómi-  
ne. Allelúia.

℞. Quóniam advesperás-  
cit. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Ego sum pastor \* óvium :  
ego sum via, véritas et vita :  
ego sum pastor bonus, et cog-  
nósco oves meas, et cognós-  
cunt me meæ. Allelúia, alle-  
lúia.

ORATIO.

DEUS, qui in Fílii tui hu-  
militáte jacéntem mundum  
erexisti, fidélibus tuis perpé-  
tuam concéde lætítiam; ut,  
quos perpétuæ mortis eri-  
puisti cásibus, gáudiis fácias  
pérfrui sempitérnis. Per eúm-  
dem Dóminum.

*Deinde fit commemoratio  
de Cruce.*

*Antiphona.*

Crucem sanctam súbiit,  
qui inférnum confrégit, ac-

cíntus est poténtia, surréxit  
die tértia. Allelúia.

Ÿ. Dicite in natióibus.  
Allelúia.

℞. Quia Dóminus regnávít  
a ligno. Allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui pro nobis Fílium  
tuum crucis patíbulum subí-  
re voluisti, ut inimíci a no-  
bis expélleres potestátem,  
concéde nobis fámulis tuis,  
ut resurrectionis grátiam  
consequámur. Per eúmдем  
Dóminum nostrum.

## DOMINICA II

POST PASCHA.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium. — Surréxit  
Dóminus.*

*Hymnus Rex sempitérne,  
et alia usque ad Lectiones,  
ut in Psalterio, 3.*

De Actibus Apostolórum.

LECTIO I.

[ Cap. 13. ]

CUM a Papho navigássent  
Paulus, et qui cum eo erant,  
venérunt Pergen Pamphylíæ.  
Joánnes autem discédens ab  
eis, revérsus est Jerosóly-  
mam. Illi vero pertranseún-  
tes Pergen, venérunt Antio-  
chíam Pisidiæ, et ingrési  
synagógam die sabbatórum,  
sedérunt. Post lectionem au-  
tem legis et Prophetárum,  
misérunt príncipes synagó-  
gæ ad eos, dicéntes : Viri  
fratres, si quis est in vobis  
sermo exhortatiónis ad ple-

hem, dicite. Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, ait: Viri Israelitæ, et qui timétis Deum: audite: Deus plebis Israel elégit patres nostros, et plebem exáltavit, cum essent incolæ in terra Ægypti, et in bráchio excélso edúxit eos ex ea, et per quadraginta annórum tempus mores eórum sustinuit in desérto. Et dés-truens gentes septem in terra Chánaan, sorte distribuit eis terram eórum, quasi post quadringéntos et quinquaginta annos: et post hæc dedit júdices, usque ad Sámuel Prophétam.

R. Virtúte magna reddébant Apóstoli \* Testimónium resurrectionis Jesu Christi Dómini nostri. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Repléti quidem Spíritu Sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei.

Testimónium.

#### LECTIO II.

ET exínde postulavérunt regem: et dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Bénjamin, annis quadraginta. Et amóto illo, suscitávit illis David regem: cui testimonio pérhibens, dixit: Inveni David filium Jése, virum secúndum cor meum, qui fáciat omnes voluntátes meas. Hujus Deus ex sémine secúndum promissionem edúxit Israel Salvátorem Je-

sum, prædicánte Joánnē ante faciē adventus ejus baptismum pœnitentiæ omni pópulo Israel. Cum impléret autem Joánnēs cursum suum, dicébat: Quem me arbitrámini esse, non sum ego, sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceaménta pedum sólvere.

R. De ore prudéntis procédit mel. Allelúia. Dulcédo mellis est sub lingua ejus. Allelúia. \* Favus distillans lábia ejus. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Sapiéntia requiészit in corde ejus, et prudéntia in sermóne oris illius.

Favus distillans.

#### LECTIO III.

VIRI fratres, filii géneris Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitábant Jerúsalem, et príncipes ejus, hunc ignorátes, et voces Prophétarum, quæ per omne sábbatum legúntur, judicátes implevérunt, et nullam causam mortis inveniētes in eo, petiérunt a Piláto, ut interficerent eum. Cumque consummássent ómnia, quæ de eo scripta erant, deponētes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto. Deus vero suscitávit eum a mór-tuis tértia die: qui visus est per dies multos his qui simul ascénderant cum eo de Galilæa in Jerúsalem: qui



usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiámus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quóniam hanc Deus adimplévit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secúndo scriptum est: Filius meus es tu, ego hódie génui te.

℞. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et sólvare septem signácula ejus. \* Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinátam, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem, et glóriam, et benedictionem.

Allelúia, allelúia, allelúia.

Glória Patri.

Allelúia, allelúia, allelúia.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona* Allelúia.

*Psalmus* Consérva, cum reliquis ut in *Psalterio*, 11.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO IV.

[Serm. 1. de Ascen. Dom]

**H**i dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem Dómini, ascensionemque fluxerunt, non otioso transiére decursu, sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt revelata mystéria. In iis metus diræ mortis aufertur, et non solum animæ, sed etiam carnis immortalitas declaratur. In iis per insufflationem

Dómini infúnditur Apóstolis ómnibus Spíritus Sanctus: et beáto Apóstolo Petro supra ceteros, post regni claves, ovilis domínici cura mandatur.

℞. Ego sum vitis vera, et vos pálmities: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Allelúia, allelúia.

℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos.

Qui manet.

Glória Patri.

Qui manet.

LECTIO V.

**I**n iis diébus, duóbus discipulis tértius in via Dóminus comes júngitur, et ad omnem nostræ ambiguitátis caliginem detergéndam, pavéntium ac trepidántium tarditas increpátur. Flammam fidei illumináta corda concipiunt: et quæ erant tépida, reseránte Scriptúras Dómino, efficiúntur ardéntia. In fractione quoque panis, convéscentium aperiúntur obtúti: multo felicius eórum óculis patefactis, quibus naturæ suæ manifestáta est glorificátio, quam illórum géneris nostri princípum, quibus prævaricationis suæ est ingesta confusio.

℞. Surgens Jesus Dóminus noster, stans in médio discipulórum suórum, dixit: \* Pax vobis. Allelúia. Gavísi

sunt discipuli viso Dómino.  
Alleluia.

R. Una ergo sabbatorum,  
cum fores essent clausæ, ve-  
nit Jesus, et stetit in médio  
eórum, et dixit eis.

Pax vobis.

LECTIO VI.

**I**NTER hæc autem, aliaque  
miracula, cum discipuli tré-  
pidis cogitationibus æstuá-  
rent, et apparuisset in médio  
eórum Dóminus, dixissetque,  
Pax vobis: ne hoc remaneret  
in eórum opinióibus, quod  
volvebátur in córdibus, (pu-  
tábant enim se spíritum vi-  
dere, non carnem) redárguit  
cogitationes a veritate discór-  
des: ingerit dubitántium ócu-  
lis manéntia in mánibus suis  
et pédibus suis signa: et ut  
diligéntius pertractétur invi-  
tat. Quia ad sanánda infidé-  
lium córdium vúlnera, cla-  
vórum et lanceæ erant serváta  
vestigia: ut non dubia fide,  
sed constantíssima sciéntia  
tenerétur, eam natúram in  
Dei Patris consessúram thro-  
no, quæ jacúerat in sepúlcro.

R. Expurgáte vetus fermén-  
tum, ut sitis nova conspér-  
sio: étenim Pascha nostrum  
immolátus est Christus: \* Ita-  
que epulémur in Dómino.  
Alleluia.

✠. Mórtuus est propter  
delicta nostra, et resurrexit  
propter justificatióem nos-  
tram.

Itaque.

Glória Patri.

Itaque.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona* Alleluia.

*Psalmus* Cœli enarrant, cum  
reliquis, ut in *Psalterio*, 15.

Lectio sancti Evangelii se-  
cúndum Joánnem.

LECTIO VII.

[Cap. 10.]

**I**N illo témpore, Dixit Jesus  
Pharisæis: Ego sum pastor  
bonus. Bonus pastor ánimam  
suam dat pro óvibus suis. Et  
réliqua.

Homilia sancti Gregórii  
Papæ.

[Homil. 14, in Evang.]

**A**UDISTIS, fratres charíssimi,  
ex léctione evangélica erudi-  
tiónem vestram: audistis et  
perículum nostrum. Ecce  
enim is, qui non ex acciden-  
ti dono, sed essentialiter bo-  
nus est, dicit: Ego sum pas-  
tor bonus. Atque ejúdem  
bonitátis formam, quam nos  
imitémur, adjúngit, dicens:  
Bonus pastor ánimam suam  
ponit pro óvibus suis. Fecit  
quod mónuit: osténdit quod  
jussit. Bonus pastor pro óvi-  
bus suis ánimam suam pósuit,  
ut in sacraménto nostro cor-  
pus suum et sánguinem vér-  
teret, et oves quas redéme-  
rat, carnis suæ aliménto sati-  
tiáret.

R. Christus resúrgens ex  
mórtuis, jam non móritur,  
mors illi ultra non dominá-

bitur : quod enim mórtuus est semel , mórtuus est peccáto ; \* Quod autem vivit , vivit Deo. Allelúia , allelúia.

Ÿ. Mórtuus est semel propter delicta nostra , et resurrexit propter justificatióem nostram.

Quod autem.

LECTIO VIII.

**O**STENSA nobis est de contéptu mortis via , quam sequámur : appósita est forma , cui imprimámur. Primum nobis est , exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere : postrémum vero , si necesse sit , étiam mortem nostram pro eisdem óvibus ministráre. A primo autem hoc mínimo pervénitur ad postrémum majus. Sed cum incomparabiliter longe sit mélior ánima , qua vivimus , quam terréna substántia , quam extérius possidémus : qui non dat pro óvibus substántiam suam , quando pro his datúrus est ánimam suam?

R. Surrexit pastor bonus , qui ánimam suam pósuit pro óvibus suis , et pro grege suo mori dignátus est. \* Allelúia , allelúia , allelúia.

Ÿ. Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus.

Allelúia.

Glória Patri.

Allelúia.

LECTIO IX.

**E**T sunt nonnúllo , qui dum plus terrénam substántiam ,

quam oves diligunt , mérito nomen pastóris perdunt : de quibus prótinus súbditur : Mercenárius autem , et qui non est pastor , cujus non sunt oves própriæ , videt lupum veniéntem , et dimittit oves , et fugit. Non pastor , sed mercenárius vocátur , qui non pro amóre íntimo oves dominicas , sed ad temporáles mercédes pascit. Mercenárius quippe est , qui locum quidem pastóris tenet , sed lucra animárum non quærit : terrénis cómmodis ínhíat , honóre prælatiósni gaudet , temporálibus lucris páscitur , impénsa sibi ab homínibus reveréntia lætátur.

Te Deum laudámus , 18.

AD LAUDES.

*Antiphona Allelúia.*

*Psalmus Dóminus regnávít , cum reliquis Antiphonis et Psalmis de Psalterio , 19.*

CAPITULUM.

[I Pet. c. 2.]

**C**HARISSIMI , Christus passus est pro nobis , vobis relínquens exéplum , ut sequámini vestígia ejus : qui peccátum non fecit , nec invéntus est dolus in ore ejus.

HYMNUS.

**A**URORA cœlum púrpurat ,  
Æther resúltat láudibus ,  
Múndus triúmphans júbilat ,  
Horrens Avérnus ínfremít.

Rex ille dum fortíssimus  
De mortis inférno specu

Patrum Senátum liberum  
Educit ad vitæ jubar.

Cujus sepúlcrum plúrimo  
Custóde signábat lapis,  
Victor triúmphant, et suo  
Mortem sepúlcro fúnerat.

Sat fúneri, sat lácrymis,  
Sat est datum dolóribus:  
Surréxit extíntor necis,  
Clamat corúscans Angelus.

Ut sis perénne méntibus  
Paschále, Jesu, gáudium,  
A morte dira críminum  
Vitæ renátos libera.

Deo Patri sit glória,  
Et Filio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

✠. In resurrectione tua  
Christe. Allelúia.

℞. Coeli et terra læténtur.  
Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ego sum pastor óvium : \*  
ego sum via, véritas, et vita:  
ego sum pastor bonus, et  
cognóscó oves meas, et cog-  
nóscunt me meæ. Allelúia,  
allelúia.

#### ORATIO.

DEUS, qui in Filii tui hu-  
militate jacéntem mundum  
erexisti, fidélibus tuis perpé-  
tuam concéde lætítiam, ut  
quos perpétuæ mortis eri-  
puisti casibus, gáudiis fácias  
pérfrui sempitérnis. Per eúm-  
dem Dóminum.

*Commemoratio de Cruce.*

*Antiphona.*

Crucifixus surréxit a mór-

tuis, et redémit nos. Allelúia,  
allelúia.

✠. Dícite in natió nibus.  
Allelúia.

℞. Quia Dóminus regnávít  
a ligno. Allelúia.

#### ORATIO.

DEUS, qui pro nobis Filium  
tuum crucis patibulum subire  
voluisti ut inimici a nobis  
expélleres potestátem, con-  
céde nobis fámulis tuis ut  
resurrectiónis grátiam con-  
sequámur. Per eúmdem Dó-  
minum nostrum.

#### AD TERTIAM.

*Capitulum* Charíssimi,  
Christus passus, 365.

℞. *breve.* Surréxit Dómi-  
nus de sepúlcro. \* Allelúia,  
allelúia. Surréxit.

✠. Qui pro nobis pepéndit  
in ligno.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Surréxit.

✠. Surréxit Dóminus vere.  
Allelúia.

℞. Et appáruit Simóni.  
Allelúia.

#### AD SEXTAM.

##### CAPITULUM.

[I Pet. c. 2.]

TRADEBAT autem judicánti  
se injúste: qui peccáta nostra  
ipse pertulit in córpore suo  
super lignum : ut peccátis  
mórtui, justitiæ vivámus : cu-  
jus livóre sanáti sumus.

℞. *breve.* Surréxit Dómi-  
nus vere. \* Allelúia, allelúia.  
Surréxit.



✠. Et apparuit Simóni.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Surréxit.

✠. Gavisi sunt discipuli.  
Allelúia.

℞. Viso Dómino. Allelúia.

## AD NONAM.

### CAPITULUM.

[I Pet. c. 2.]

**E**RA<sup>T</sup>IS enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastórem, et episcopum animárum vestrárum.

℞. *breve.* Gavisi sunt discipuli. \* Allelúia, allelúia. Gavisi.

✠. Viso Dómino.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Gavisi.

✠. Mane nobiscum, Dómine. Allelúia.

℞. Quóniam advesperáscit. Allelúia.

## AD VESPERAS.

*Antiphona* Allelúia.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134.

*Capitulum* Charíssimi, Christus passus.

*Hymnus* Ad régias Agnidae, ut supra, 360.

✠. Mane nobiscum, Dómine. Allelúia.

℞. Quóniam advesperáscit. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Ego sum pastor bonus, \* qui pascio oves meas, et pro ovibus meis pono ánimam meam. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui in Filii tui, ut supra, 358.

*Deinde de Cruce, Antiphona.*

Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit, accinctus est poténtia, surréxit die tértia. Allelúia.

✠. Dicite in natióibus. Allelúia.

℞. Quia Dóminus regnavit a ligno. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui pro nobis, ut supra, 366.

~~~~~

## FERIA SECUNDA.

### AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Allelúia, allelúia, \* Allelúia.

*Psalmus* Veníte, exultemus, 2.

*Hymnus* Rex sempitérne, 3.

*Antiphona et Psalmi de Psalterio*, 51.

De Actibus Apostolórum.

### LECTIO I.

[Cap. 15.]

**S**URREXERUNT autem quidam de hæresi Pharisæórum, qui credidérunt, dicéntes: Quia opórtet circumcidi eos, præcipere quoque serváre legem Móysi. Convenerúntque Apóstoli, et senióres vidére de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quóniam ab antíquis diébus Deus in nobis elégit per os meum audíre gentes verbum Evangélii, et crédere. Et qui novit corda Deus, testimó-

nium perhibuit, dans illis Spíritum Sanctum, sicut et nobis, et nihil discrēvit inter nos et illos, fide purificans corda eórum. Nunc ergo quid tentátis Deum, impónere jugum super cervices discipulórum, quod neque patres nostri neque nos portáre potuimus? Sed per grátiam Dómini Jesu Christi credimus salvári, quemádmódum et illi. Táuít autem omnis multitúdo: et audiébant Bárnam, et Paulum narrátes quanta Deus fecisset signa et prodígia in géntibus per eos.

℣. Virtúte magna reddébant Apóstoli \* Testimónium resurrectionis Jesu Christi Dómini nostri. Allelúia, allelúia.

℣. Repléti quidem Spíritu Sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei.

Testimónium.

#### LECTIO II.

**E**T postquam tacuerunt, respóndit Jacóbus, dicens: Viri fratres, audite me. Simon narrávit quemádmódum primum Deus visitávit sumere ex géntibus pópulum nómini suo. Et huic concórdant verba Prophetárum, sicut scriptum est: Post hæc revértar, et reædificábo tabernáculum David, quod decídít: et diruta ejus reædificábo, et érigam illud; ut requírant céteri hóminum Dóminum, et

omnes gentes, super quas invocátum est nomen meum, dicit Dóminus, fáciens hæc. Notum a sæculo est Dómino opus suum. Propter quod ego júdico non inquietári eos qui ex géntibus convertúntur ad Deum, sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrórum, et fornicatione, et suffocátis, et ságuine. Móyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagógis, ubi per omne sábbatum légitur.

℣. De ore prudentis procedit mel. Allelúia. Dulcédo mellis est sub lingua ejus. Allelúia. \* Favus distillans lábia ejus. Allelúia, allelúia.

℣. Sapiéntia requiescit in corde ejus, et prudentia in sermóne oris illius.

Favus distillans.

Glória Patri.

Favus distillans.

#### LECTIO III.

**T**unc placuit Apóstolis et senióribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Bárnaba Judam, qui cognominabátur Bársabas, et Silam, viros primos in fratribus, scribentes per manus eórum. Apóstoli et senióres fratres his qui sunt Antiochiæ et Syriæ et Ciliciæ fratribus ex géntibus, salútem. Quóniam audivimus quia quidam ex no-

bis exeúntes turbavérunt vos verbis, everténtes ánimas vestras, quibus non mandávimus, plácuít nobis colléctis in unum eligere viros, et mittere ad vos cum charíssimi snostri Bárnaba et Paulo, homínibus qui tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. Mísimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi vobis verbis réferent éadem. Visum est enim Spíritui Sancto et nobis nihil ultra impónere vobis óneris quam hæc necessária, ut abstineátis vos ab immolátis simulacrórum et ságuine et suffocáto et fornicatióne, a quibus custodiéntes vos bene agétis. Valéte.

Te Deum laudámus, 18.

#### AD LAUDES.

*Antiphona Allelúia.*

*Psalmus Dóminus regnávít, cum reliquis Antiphonis et Psalmis de Psalterio, ut in Dominica, 19.*

#### CAPITULUM.

[Rom. c. 6.]

CHRISTUS resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

*Hymnus Auróra cœlum púrpurat.*

Ÿ. In resurrectione tua, *ut supra, 23.*

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Eúntes in mundum. \* Allelúia. Docéte omnes gentes. Allelúia.

*Oratio Deus, qui in Filií tui, ut supra, 158.*

#### AD VESPERAS.

*Antiphona Allelúia.*

*Psalmus Diléxi, cum reliquis, ut in Psalterio, 138, sub una Antiphona Allelúia.*

#### CAPITULUM.

[Rom. c. 6.]

CHRISTUS resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

*Hymnus Ad régias Agni.*

Ÿ. Mane nobíscum, 360.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Pastor bonus \* ánimam suam ponit pro óvibus suis. Allelúia.

#### FERIA TERTIA.

De Actibus Apostolórum.

#### LECTIO I.

[Cap. 17 et 18.]

STANS autem Paulus in médio Areopági, ait: Viri Athenienses, per ómnia quasi supersticiosiôres vos vîdeo. Præteriens enim, et videns simulácra vestra, invéni et aram in qua scriptum erat: Ignóto Deo. Quod ergo ignorántes cólitis, hoc ego annúntio vobis. Deus, qui fe-

cit mundum, et ómnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dóminus, non in manufactis templis hábitat, nec mánibus humánis cólitur, indigens áliquo, cum ipse det ómnibus vitam, et inspiratióem, et ómnia : fecitque ex uno omne genus hóminum inhabitáre super univérsam fáciem terræ, definiens statúta témpora, et términos habitatiónis eórum, quærere Deum, si forte attréctent eum, aut invéniant, quamvis non longe sit ab unoquóque nostrum.

℞. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, et sólvare septem signácula ejus, \* Allelúia, allelúia, allelúia.

✠. Dignus est Agnus, qui occisus est, accíperere virtútem, et divinitátem, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem, et glóriam, et benedictiόem.

Alléluia, allelúia, allelúia.

#### LECTIO II.

**I**N ipso enim vivimus, et movémur, et sumus : sicut ut et quidam vestrórum poetárum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debémus æstimáre auro, aut argénto, aut lápidi, sculptúræ artis, et cogitatiónis hóminis, Divínus esse símile. Et témpora quidem hujus ignorántiæ despiciens Deus,

nunc annúntiat homínibus, ut omnes ubique poeniténtiam agant, eo quod státuit diem, in quo judicáturus est orbem in æquitáte, in viro, in quo státuit, fidem præbens ómnibus, súscitans eum a mórtuis. Cum audissent autem resurrectiόem mortuórum, quidam quidem irridébant, quidam vero dixerunt : Audiémus te de hoc iterum. Sic Paulus exívit de médio eórum.

℞. Ego sum vitis vera, et vos pálmities : \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Allelúia, allelúia.

✠. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos.

Qui manet.

Glória Patri.

Qui manet.

#### LECTIO III.

**Q**UIDAM vero viri adhæréntes ei, credidérunt : in quibus et Dionysius Areopagita, et múluer nómine Dámaris, et álíi cum eis. Post hæc egréssus ab Athénis, venit Corinthum, et invéniens quemdam Judæum nómine Aquilam, Pónticum génere, qui nuper vénerat ab Itália, et Priscíllam uxórem ejus, (eo quod præcepisset Cláudius discédere omnes Judæos a Roma) accéssit ad eos. Et quia ejúsdem erat artis, manébat apud eos, et operabátur : (erant autem scenofactóriæ artis.)



Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu, suadebatque Judæis et Græcis.

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Euntes in mundum, \* docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Alleluia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Mercenarius autem, \* cuius non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves. Alleluia.

## FERIA QUARTA.

De Actibus Apostolorum.

### LECTIO I.

[Cap. 20.]

A MILETO Paulus mittens Ephesum, vocavit Majores natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis: Vos scitis a primâ die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum: quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, et docerem vos publice, et per domos, testificans Judæis, atque gentilibus in Deum pœ-

nitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem: quæ in ea ventura sint mihi, ignorans: nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: Quoniam vincula, et tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiorum quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei.

R). Surgens Jesus Dominus noster, stans in medio discipulorum suorum, dixit: \* Pax vobis. Alleluia. Gavisissimi sunt discipuli viso Domino. Alleluia.

✠. Una ergo sabbatorum, cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus, et stetit in medio eorum, et dixit eis.

Pax vobis.

### LECTIO II.

ET nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis,

et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcetes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate memoria retinentes: quoniam per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum.

R. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio: etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: \* Itaque epulemur in Domino. Alleluia.

V. Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

Itaque epulemur.

Glória Patri.

Itaque epulemur

LECTIO III.

ET nunc commendo vos Deo, et verbo gratiae ipsius, qui potens est aedificare, et dare hereditatem in sanctificatis omnibus. Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istae. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laboran-

tes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatus est magis dare quam accipere. Et cum haec dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium: et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ite, nuntiате \* fratribus meis. Alleluia. Ut eant in Galilaeam. Alleluia. Ibi me videbunt. Alleluia, alleluia, alleluia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Sicut novit me Pater, \* et ego cognosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. Alleluia.

~~~~~

## FERIA QUINTA.

De Actibus Apostolorum.

LECTIO I.

[Cap. 24.]

RESPONDIT autem Paulus, annuente sibi Praeside dicere. Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. Potes enim cognoscere quia non plus sunt mihi dies quam duodecim, ex quo ascendi adorare in

Jerusalem : et neque in templo invenérunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagógis, neque in civitate : neque probare possunt tibi de quibus nunc me accúsant. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri, et Deo meo, credens omnibus quæ in Lege et Prophetis scripta sunt : spem habens in Deum, quam et hi ipsi expéctant, resurrectionem futuram justorum et iniquorum. In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper.

R. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur : quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : \* Quod autem vivit, vivit Deo. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Mortuus est semel propter delicta nostra, et surrexit propter justificationem nostram.

Quod autem.

#### LECTIO II.

Post annos autem plures, eleemósynas factururus in gentem meam, veni, et oblationes, et vota. In quibus invenérunt me purificatum in templo : non cum turba, neque cum tumultu. Quidam autem ex Asia Judæi, quos

*Vern.*

oportebat apud te præsto esse, et accusare si quid haberent adversum me : aut hi ipsi dicant si quid invenérunt in me iniquitatis, cum stem in concilio, nisi de una hac solúmmodo voce, qua clamavi inter eos stans : Quoniam de resurrectione mortuorum ego júdicor hódie a vobis.

R. Surrexit pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et pro grege suo mori dignatus est. \* Allelúia, allelúia, allelúia.

Ÿ. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.

Allelúia.

Glória Patri.

Allelúia.

#### LECTIO III.

**D**ISTULIT autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens : Cum Tribúnus Lyrias descenderit, áudiam vos. Jussitque Centurióni custodire eum, et habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxóre sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem, quæ est in Christum Jesum. Disputante autem illo de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus Felix respondit : Quod nunc áttinet, vade : tempore autem opportuno accersam te : simul et spe-



rans, quod pecúnia ei darétur a Paulo, propter quod et frequenter accersens eum, loquebátur cum eo. Biennio autem expléto, accépit successórem Felix Pórtium Festum. Volens autem grátiam præstáre Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Tu solus peregrínus es, \* et non audísti de Jesu, quómodo tradidérunt eum in damnatióem mortis? Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Alias oves hábeo, \* quæ non sunt ex hoc ovili, et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovile, et unus pastor. Allelúia.

~~~~~

## FERIA SEXTA.

De Actibus Apostolórum.

### LECTIO I.

[Cap. 25.]

**F**ESTUS ergo cum venisset in provínciam, post trídium ascéndit Jerosólymam a Cæsará. Adiéruntque eum príncipes sacerdótum, et primi Judæórum advérsus Paulum: et rogábant eum, postulánte grátiam advérsus eum, ut jubéret perducí eum in Jerúsalem, insídias tendénte, ut interficerent eum in via. Festus autem respóndit, servári Paulum in Cæsará,

se autem matúrius profectúrum. Qui ergo in vobis (ait) poténtes sunt, descendénte simul, si quod est in viro crimen, accúsent eum.

R. Virtúte magna reddebant Apóstoli \* Testimónium resurrectionis Jesu Christi Dómini nostri. Allelúia, allelúia.

V. Repléti quidem Spiritu Sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei.

Testimónium.

### LECTIO II.

**D**EMORATUS autem inter eos dies non ámplius quam octo, aut decem, descéndit Cæsará, et áltera die sedit pro tribunáli, et jussit Paulum addúci. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum qui ab Jerosólyma descénderant Judæi, multas et graves causas objiciénte, quas non póterant probáre, Paulo ratióne reddénte: Quóniam neque in legem Judæórum, neque in templum, neque in Cæsará quidquam peccávi.

R. De ore prudéntis procedit mel. Allelúia. Dulcédo mellis est sub lingua ejus. Allelúia. \* Favus distillans labia ejus. Allelúia, allelúia.

V. Sapiéntia requiescit in corde ejus, et prudéntia in sermóne oris illius.

Favus distillans.

Glória Patri.

Favus distillans.



## LECTIO III.

**F**ESTUS autem volens grátiam præstare Judæis, respondens Paulo, dixit: Vis Jerosólymam ascéndere, et ibi de his judicári apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribúnal Cæsaris sto, ibi me opórtet judicári: Judæis non nócuí, sicut tu mélius nosti. Si enim nócuí, aut dignum morte áliquid feci, non recúso mori: si vero nihil est eórum, quæ hi accúsant me, nemo potest me illis donáre. Cæsarem apello. Tunc Festus cum concílio locútus, respóndit: Cæsarem appellásti, ad Cæsarem ibis.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Nónne sic opórtuit \* pati Christum, et ita intráre in glóriam suam? Alleluia.

*Ad Vesperas, nisi occurrat Festum novem Lectio-num, a Capitulo fit de sancta Maria, clxix.*

## SABBATO.

De Actibus Apostolorum.

## LECTIO I.

[Cap. 11.]

**C**UM autem venissémus Romam, permissum est Paulo manére sibi cum custodiénte se milite. Post tertium autem diem convocávit primos Judæórum. Cumque convenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil advérsus plebem fáciens aut

morem patérnum, vinctus ab Jerosólymis tráditus sum in manus Romanórum, qui cum interrogatióne de me habuissent, voluérunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. Contradicéntibus autem Judæis, coáctus sum appelláre Cæsarem, non quasi gentem meam habens áliquid accusáre. Propter hanc igitur causam rogávi vos vidére, et álloqui. Propter spem enim Israel caténa hac circúmdatus sum.

## LECTIO II.

**A**T illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accépimus de te a Judæa: neque advéniens áliquis fratrum nuntiávit, aut locútus est quid de te malum. Rogámus autem a te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospítium plúrimi, quibus exponébat testificans regnum Dei, suadénsque eis de Jesu ex lege Móysi, et Prophétis a mane usque ad vésperam. Et quidam credébant his, quæ dicebantur: quidam vero non credébant.

## LECTIO III.

**C**UMQUE invicem non essent consentiéntes, dicebant, dicénte Paulo unum verbum: Quia bene Spíritus sanctus locútus est per Isaíam Prophétam ad patres nostros,

dicens : Vade ad pópulum istum , et dic ad eos : Aure audiétis , et non intelligétis : et vidéntes vidébitis , et non perspiciétis. Incrassátum est enim cor pópuli hujus , et áuribus gráviter audiérunt , et óculos suos compressérunt : ne forte vídeant óculis , et áuribus áudiant , et corde intélligant , et convertántur , et sanem eos. Notum ergo sit vobis , quóniam Géntibus missum est hoc salutáre Dei , et ipsi áudiant. Et cum hæc dixisset , exiérunt ab eo Judæi , multam habéntes inter se quæstiónem. Mansit autem biénio toto in suo conducto : et suscipiebat omnes , qui ingrediebántur ad eum , prædicans regnum Dei , et docens quæ sunt de Dómino Jesu Christo cum omni fidúcia , sine prohibitione.

## AD VESPERAS.

## CAPITULUM.

[ I Pet. c. 2. ]

CHARISSIMI , Obsecro vos tanquam ádvenas et peregrinos abstinere vos a carnálibus desidériis , quæ militánt adversus ánimam.

*Hymnus* Ad régias Agnidapes , ut supra , 342.

✠. Mane nobiscum , Dómine. Alleluia.

℞. Quóniam advesperáscit. Alleluia.

*Ad Magnificat , Antiphona.* Módicum , \* et non vidé-

bitis me , dicit Dóminus : iterum módicum , et vidébitis me , quia vado ad Patrem. Alleluia , alleluia.

## ORATIO.

DEUS , qui errántibus , ut in viam possint redire justitiæ , veritátis tuæ lumen osténdis , da cunctis qui Christiána professióne censéntur , et illa respúere quæ huic inimica sunt nómini , et ea quæ sunt apta sectári. Per Dóminum nostrum.

*Deinde fit commemoratio de Cruce.*

*Antiphona.*

Crucem sanctam súbüt , qui inférnum confrégit , accinctus est poténtia , surrexit die tértia. Alleluia.

✠. Dicite in natióibus. Alleluia.

℞. Quia Dóminus regnavit a ligno. Alleluia.

## ORATIO.

DEUS , qui pro nobis Fílium tuum crucis patibulum subire voluisti ut inimici a nobis expélleres potestátem , concéde nobis fámulis tuis ut resurrectionis grátiam consequámur. Per eúndem Dóminum nostrum.

## DOMINICA III

## POST PASCHA.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium , Hymnus , et alia usque ad Lectiones , ut in Psalterio , 2.*

Incipit liber Apocalypsis  
beáti Joánnis Apóstoli.

## LECTIO I.

[Cap. i.]

**A**POCALYPSIS Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis tuis, quæ opórtet fieri cito, et significávit, mittens per Angelum suum servo suo Joánni, qui testimónium perhibuit verbo Dei, et testimónium Jesu Christi, quæcúmque vidit. Beátus, qui legit, et audit verba prophetiæ hujus, et servat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est. Joánnes septem Ecclésiis, quæ sunt in Asia. Grátia vobis, et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui ventúrus est: et a septem spirítibus qui in cónspectu throni ejus sunt: et a Jesu Christo, qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum, et princeps regum terræ, qui diléxit nos, et lavit nos a peccátis nostris in ságuine suo, et fecit nos regnum, et sacerdótes Deo et Patri suo: ipsi glória, et impérium in sæcula sæculórum. Amen.

℞. Dignus es, Dómine, accipere librum, et aperíre signácula ejus. Allelúia. Quóniam occísus es, et redemísti nòs Deo. \* In ságuine tuo. Allelúia.

℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et sacerdótium.

In ságuine.

## LECTIO II.

**E**CCE venit cum núbibus, et vidébit eum omnis óculus, et qui eum pupugérunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen. Ego sum alpha et oméga, princípium, et finis, dicit Dóminus Deus: qui est, et qui erat, et qui ventúrus est, omnípotens. Ego Joánnes frater vester, et párticeps in tribulatióne, et regno, et paciéntia in Christo Jesu, fui in insula, quæ appellátur Patmos, propter verbum Dei, et testimónium Jesu. Fui in spíritu in domínica die, et audívi post me vocem magnam tanquam tubæ, dicéntis: Quod vides, scribe in libro: et mitte septem Ecclésiis, quæ sunt in Asia, Epheso, et Smyrnæ, et Pérgamo, et Thyatí-ræ, et Sardis, et Philadelphíæ, et Laodicíæ.

℞. Ego sicut vitis fructificávi suavitátem odóris. Allelúia. \* Transíte ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generatióibus meis adimplémini. Allelúia, allelúia.

℣. In me omnis grátia viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis.

Transíte.

## LECTIO III.

**E**T convérsus sum, ut vidérem vocem quæ loquebátur

mecum : et convérsus vidi septem candelábra áurea : et in médio septem candelabrórum aureórum símilem filio hóminis, vestítum podére, et præcínctum ad mamíllas zona áurea : caput autem ejus, et capilli erant cándidi, tanquam lana alba, et tanquam nix, et óculi ejus tanquam flamma ignis, et pedes ejus símiles aurichálco, sicut in camíno ardénti, et vox illius tanquam vox aquárum multárum : et habébat in dextera sua stellas septem : et de ore ejus gládus utrâque parte acútus exíbat : et fácies ejus sicut sol lucet in virtúte sua. Et cum vidissem eum, cécidi ad pedes ejus tanquam mórtuus. Et pósuit dexteram suam super me, dicens : Noli timére : ego sum primus et novíssimus, et vivus, et fui mórtuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculórum, et hábeo claves mortis et inférni. Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et opórtet fieri post hæc.

R. Audívi vocem de cœlo tanquam vocem tonítrui magni. Allelúia. Regnábit Deus noster in ætérnum. Allelúia. \* Quia facta est salus, et virtus, et potéstas Christi ejus. Allelúia, allelúia.

Y. Et vox de throno exívit, dicens : Laudem dícite Deo nostro omnes sancti ejus, et qui timétis Deum pusílli et magni.

Quia facta.

Glória Patri.

Quia facta.

IN SECUNDO NOCTURNO

*Antiphona* Allelúia.

*Psalmus* Consérva, cum reliquis, ut in *Psalterio*, 11

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

LECTIO IV.

[Serm. 147 de Temp.]

**D**IEBUS his sanctis resurrectioni Dómini dedicátis, quantum donánte ipso póssumus, de carnis resurrectione tractémus. Hæc enim est fides nostra : hoc donum in Dómini nostri Jesu Christi nobis carne promíssum est, et in ipso præcéssit exéplum. Vóluit enim nobis, quod promísit in fine, non solum prænuntiáre, sed étiam demonstráre. Illi quidem qui tunc fuérunt, cum illum vidérunt, et cum expavéscerent, et spíritum se vidére créderent, soliditátem córporis tenuérunt. Locútus est enim non solum verbis ad aures, sed étiam spécie ad óculos eórum : parúmque erat se præbére cernéndum, nisi étiam offérret pertractándum, atque palpándum.

R. Locútus est ad me unus ex septem Angelis, dicens : Veni, osténdam tibi novam nuptam, sponsam Agni. \* Et vidi Jerúsalem descendéntem de cœlo, ornátam monilibus suis. Allelúia, allelúia, allelúia.



✠. Et sústulit me in spíritu  
in montem magnum et altum.  
Et vidi.

## LECTIO V.

Ait enim : Quid turbáti estis, et cogitationes ascéndunt in cor vestrum ? Putavérunt enim se spíritum vidére. Quid turbáti estis, inquit, et cogitationes ascéndunt in cor vestrum ? Vidéte manus meas, et pedes meos : palpáte, et vidéte : quia spíritus ossa et carnem non habet, sicut me vidétis habére. Contra istam evidéntiam disputábant hómines. Quid enim áliud fácerent hómines, qui ea, quæ sunt hóminum, sapiunt, quam sic disputáre de Deo contra Deum ? Ille enim Deus est, isti hómines sunt. Sed Deus novit cogitationes hóminum, quóniam vanæ sunt.

℞. Audívi vocem in cœlo Angelórum multórum dicéntium : \* Timéte Dóminum, et date claritátem illi, et adoráte eum qui fecit cœlum et terram, mare, et fontes aquárum. Allelúia, allelúia.

✠. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cœli, voce magna clamántem et dicéntem.

Timéte.

## LECTIO V.

Is hómine carnáli tota régula intelligéndi est consuetúdo cernéndi. Quod solent vidére, credunt : quod non solent, non credunt. Præter

consuetúdinem facit Deus mirácula, quia Deus est. Majóra quidem mirácula sunt, tot quotidie hómines nasci, qui non erant, quam paucos resurrexisse, qui erant : et tamen ista mirácula non consideratione comprehénsa sunt, sed assiduitáte vilúerant. Resurrexit Christus : absolúta est res. Corpus erat, caro erat : pepéndit in cruce, emisit ánimam, pósita est caro in sepúlcro. Exhibuit illam vivam, qui vivébat in illa. Quare mirámur ? quare non crédimus ? Deus est qui fecit.

℞. Véniens a Líbano quam pulchra facta est. Allelúia. \* Et odor vestimentórum ejus super ómnia arómata. Allelúia, allelúia.

✠. Favus distillans lábia ejus, mel et lac sub lingua ejus.

Et odor.

Glória Patri.

Et odor.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona* Allelúia.

*Psalmus* Cœli enarrant, cum reliquis, ut in *Psalterio*, 15.

Lectio sancti Evangélíi secúndum Joánnem.

LECTIO VII.

[Cap. 16]

In illo témpore, Dixit Jesus discíplis suis : Módicum, et jam non vidébitis me : et iterum módicum, et vidébitis me : quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini  
Episcopi.

[ Tract. 101 in Joann. ]

**M**ODICUM est hoc totum spatium, quo præsens pervolat sæculum. Unde dicit idem ipse Evangelista in Epistola sua: Novissima hora est. Ideo namque addidit: Quia vado ad Patrem: quod ad priorem sententiam referendum est, ubi ait: Modicum, et jam non videbitis me: non ad posteriorem, ubi ait: Et iterum modicum, et videbitis me. Eundo quippe ad Patrem, facturus erat ut eum non viderent. Ac per hoc non ideo dictum est, quia fuerat moriturus, et donec resurgeret, ab eorum aspectibus recessurus: sed quod esset iturus ad Patrem, quod fecit posteaquam resurrexit, et, cum eis per quadraginta dies conversatus, ascendit in cælum.

R. Decantabat populus Israel. Alleluia. Et universa multitudo Jacob canebat legitime: \* Et David cum cantoribus citharam percutiebat in domo Domini, et laudes Deo canebat. Alleluia, alleluia.

Y. Sanctificati sunt ergo sacerdotes, et Levitæ: et universus Israel deducebat arcam foederis Domini in iúbilo.

Et David.

LECTIO VIII.

ILLIS ergo ait: Modicum,

et jam non videbitis me; qui eum corporaliter tunc videbant: quia iturus erat ad Patrem, et eum deinceps mortalem visuri non erant, qualem, cum ista loqueretur, videbant. Quod vero addidit: Et iterum modicum, et videbitis me, universæ promisit Ecclesiæ, sicut universæ promisit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Non tardat Dominus promissum. Modicum, et videbimus eum: ubi jam nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil desiderandum remanebit, nihil querendum latebit.

R. Tristitia vestra. Alleluia. \* Convertetur in gaudium. Alleluia, alleluia.

Y. Mundus autem gaudet, vos vero contristabimini: sed tristitia vestra.

Convertetur.

Glória Patri.

Convertetur.

LECTIO IX.

**H**oc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur: cum finitum fuerit, tunc sentiemus quam modicum fuerit. Non ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus, de quo dictum est: Mundus autem gaudet. Nec tamen in huius desiderii parturitione sine gaudio tristes sumus: sed, sicut ait Apostolus: Spe gaudentes: In tribulatione patien-

tes : quia et ipsa parturiens , cui comparati sumus , plus gaudet de mox futura prole , quam tristis est de presenti dolore . Sed hujus sermonis iste sit finis : habent enim questionem molestissimam , quæ sequuntur : nec brevitate coarctanda sunt , ut possint commodius , si Dominus voluerit , explicari .

Te Deum laudamus , 18.

#### AD LAUDES.

*Antiphona Alleluia.*

*Psalmus Dominus regnavit , cum reliquis Antiphonis et Psalmis de Psalterio , 19.*

#### CAPITULUM.

[ I. Pet. , c. 2. ]

**CHARISSIMI** , Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis , quæ militant adversus animam .

*Hymnus Aurora cælum purpurat , 23.*

✠. In resurrectione tua Christe . Alleluia .

℞. Cæli et terra lætentur . Alleluia .

*Ad Benedictus , Antiphona.*

Módicum , \* et non videbitis me , dicit Dominus : iterum módicum , et videbitis me , quia vado ad Patrem . Alleluia , alleluia .

#### ORATIO.

**DEUS** , qui errantibus ut in viam possint redire justitiæ , veritatis tuæ lumen ostendis , da cunctis qui christiana professione censentur ,

et illa respicere quæ huic inimica sunt nomini et ea quæ sunt apta sectari . Per Dominum nostrum .

*Deinde de Cruce Antiphona.*

Crucifixus surrexit a mortuis , et redemit nos . Alleluia , alleluia .

✠. Dicite in nationibus . Alleluia .

℞. Quia Dominus regnavit a ligno . Alleluia .

#### ORATIO.

**DEUS** , qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti ut inimici a nobis expelleres potestatem , concede nobis famulis tuis ut resurrectionis gratiam consequamur . Per eundem Dominum .

#### AD TERTIAM.

*Capitulum Charissimi , obsecro.*

℞. *breve.* Surrexit Dominus de sepulcro . \* Alleluia , alleluia . Surrexit .

✠. Qui pro nobis pependit in ligno .

℞. Alleluia , alleluia .

Glória Patri . Surrexit .

✠. Surrexit Dominus vere . Alleluia .

℞. Et apparuit Simóni . Alleluia .

#### AD SEXTAM.

#### CAPITULUM.

[ I. Pet. , c. 2. ]

**SUBJECTI** igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum : sive regi , quasi præ-

cellénti : sive dúcibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.

R. *breve*. Surréxit Dóminus vere. \* Allelúia, allelúia. Surréxit.

✠. Et appáruit Simóni.

R. Allelúia, allelúia.

Glória. Surréxit.

✠. Gavisi sunt discipuli. Allelúia.

R. Viso Dómino. Allelúia.

### AD NONAM.

#### CAPITULUM.

[I Pet., c. 2.]

**S**ERVI, súbditi estóte in omni timóre dóminis, non tantum bonis et modéstis, sed étiam dyscolis. Hæc est enim grátia in Christo Jesu Dómino nostro.

✠. *breve*. Gavisi sunt discipuli. \* Allelúia, allelúia. Gavisi.

✠. Viso Dómino.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Gavisi.

✠. Mane nobiscum, Domine. Allelúia.

R. Quóniam advesperáscit. Allelúia.

### AD VESPERAS.

*Antiphona* Allelúia.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de Domínica, 134.

*Capitulum* Charíssimi, Obsecro.

*Hymnus* Ad régias Agni, 342.

✠. Mane nobiscum, Domine. Allelúia.

R. Quóniam advesperáscit. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Amen dico vobis, \* quia plorábitis et flébitis vos : mundus autem gaudébit, vos vero contristabímmini : sed tristitia vestra vertétur in gáudium. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui errántibus, *ut supra*, 381.

*Deinde de Cruce Antiphona.*

Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit, accinctus est poténtia, surréxit die tértia. Allelúia.

✠. Dicite in natióibus. Allelúia.

R. Quia Dóminus regnávít a ligno. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui pro nobis, *ut supra*, 381.

~~~~~

### FERIA SECUNDA.

#### AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Allelúia, allelúia. \* Allelúia.

*Psalmus* Venite, exultémus, 2.

*Hymnus* Rex sempitérne cœlitum, 3.

*Antiphona, et Psalmi de Psalterio*, 52.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

#### LECTIO I.

[Cap. 2.]

**A**NGELO Ephesi Ecclésiæ scribe : Hæc dicit, qui tenet



septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos: et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, et non sunt: et invenisti eos mendaces: et patientiam habes, et sustinui propter nomen meum, et non defecisti. Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris: et age poenitentiam, et prima opera fac. Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.

R. Vidi portam civitatis ad Orientem positam, et Apostolorum nomina et Agni super eam scripta: \* Et super muros ejus Angelorum custodiam. Alleluia.

Ÿ. Vidi coelum novum, et terram novam et civitatem novam descendentem de celo.

Et super.

#### LECTIO II.

ET Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus, et novissimus, qui fuit mortuus, et vivit: Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam,

sed dives es: et blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Sathanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini: et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non lædetur a morte secunda.

R. Ostendit mihi Angelus fontem aquæ vivæ, et dixit ad me. Alleluia. \* Hic Deum adora. Alleluia, alleluia, alleluia.

Ÿ. Postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat, et dixit mihi.

Hic Deum.

Glória Patri.

Hic Deum.

#### LECTIO III.

ET Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet rhomphæam utraque parte acutam: Scio ubi habitas, ubi sedes est Sathanæ: et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Sathanas habitat. Sed habeo adversus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis

Israel, édere, et fornicári: ita habes et tu tenéntes doctrinam Nicolaitárum. Similiter pœniténtiam age: si quo minus, véniam tibi cito, et pugnábo cum illis in gládio oris mei. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis: Vincénti dabo manna absconditum, et dabo illi cálculum cándidum: et in cálculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui áccipit.

Te Deum laudámus, 18.

AD LAUDES.

*Antiphona Allelúia.*

*Psalmus Dóminus regnávít, cum reliquis Antiphonis et Psalmis de Psalterio, ut in Dominica, 19.*

CAPITULUM.

[Rom. c. 6.]

CHRISTUS resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

*Hymnus Auróra cœlum púrpurat.*

Ÿ. In resurrectione tua, ut supra, 23.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Et incipiens a Móyse \* et ómnibus Prophétis, interpretabátur illis Scriptúras, quæ de ipso erant. Allelúia.

*Oratio Deus, qui errántibus, ut supra, 381.*

AD VESPERAS.

*Antiphona Allelúia.*

*Psalmus Diléxi, cum reli-*

*quis de Psalterio, 138, sub una Antiphona Allelúia.*

CAPITULUM.

[Rom. c. 6.]

CHRISTUS resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

*Hymnus Ad régias Agni.*

Ÿ. Mane nobiscum, 342.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Tristitia vestra \* vertétur in gáudium. Allelúia. Et gáudium vestrum nemo tollet a vobis. Allelúia, allelúia.

~~~~~

FERIA TERTIA.

Do libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

LECTIO I.

[Cap. 4.]

Post hæc vidí: et ecce óstium apértum in cœlo, et vox prima quam audívi tanquam tubæ loquéntis mecum, dicens: Ascénde huc, et osténdam tibi quæ opórtet fieri post hæc. Et statim fui in spíritu: et ecce sedes pósita erat in cœlo, et supra sedem sedens. Et qui sedébat similis erat aspéctui lápidis jáspidis, et sárdinis: et iris erat in circúitu sedis similis visióni smaragdinae. Et in circúitu sedis sedília vigintiquátuor: et super thronos vigintiquátuor senióres sedéntes, circumamicti vestiméntis albis, et in capítibus eórum coronæ áu-

reæ. Et de throno procedebant fúlgura, et voces, et tonitrua: et septem lámpades ardentes ante thronum, qui sunt septem spíritus Dei.

Ÿ. Vidi Jerúsalem descendentem de cœlo, ornátam auro mundo, et lapídibus pretiósus intéxtam. \* Allelúia, allelúia.

Ÿ. Et erat structúra muri ejus ex lápide jáspide, ipsa vero aurum mundum, simile vitro mundo.

Allelúia, allelúia.

#### LECTIO II.

ET in conspéctu sedis tanquam mare vítreum simile crystállo: et in médio sedis, et in circúitu sedis quátuor animalia plena óculis ante et retro. Et ánimál primum simile leóni, et secúndum ánimál simile vítulo, et tértium ánimál habens fáciem quasi hóminis, et quartum ánimál simile áquilæ volánti. Et quátuor animalia, singula eórum habebant alas senas: et in circúitu, et intus plena sunt óculis: et réquiem non habebant die ac nocte, dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui ventúrus est.

Ÿ. In diadémate cápitis Aaron magnificéntia Dómini sculpta erat, \* Dum perficerétur opus Dei. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ÿ. In veste enim podéris

quam habébat, totus erat orbis terrárum, et paréntum magnália in quátuor ordinibus lápidum sculpta erant.

Dum perficerétur.

Glória Patri.

Dum perficerétnr.

#### LECTIO III.

ET cum darent illa animalia glóriam, et honórem, et benedictionem sedénti super thronum, vivénti in sæcula sæculórum, procidébant viginti quátuor senióres ante sedéntem in throno, et adorábant vivéntem in sæcula sæculórum, et mittébant corónas suas ante thronum, dicéntes: Dignus es, Dómine Deus noster, accipere glóriam et honórem et virtútem: quia tu creásti ómnia, et propter volúntatem tuam erant, et creáta sunt.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Et coegérunt illum, \* dicéntes: Mane nobiscum, Dómine, quóniam advesperáscit. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Tristitia implévit \* cor vestrum: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis. Allelúia, allelúia.

~~~~~

#### FERIA QUARTA.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

#### LECTIO I.

[Cap. 5.]

ET vidi in dextera sedéntis

supra thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus? Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque sub terra, aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum: Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fléveris : ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. Et vidi : et ecce in medio throni, et quatuor animalium, Agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum.

R. Plátæ tuæ, Jerúsalem, sternentur auro mundo. Allelúia. Et cantabitur in te canticum lætitiæ. Allelúia. \* Et per omnes vicos tuis ab universis dicetur. Allelúia, allelúia.

✠. Luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt te.

Et per omnes.

#### LECTIO II.

ET cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti-

quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum : et cantabant canticum novum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione : et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes, et regnabimus super terram.

R. Decantabat populus Israel. Allelúia. Et universa multitudo Jacob canebat legitime : \* Et David cum cantoribus citharam percutiebat in domo Domini, et laudes Deo canebat. Allelúia, allelúia.

✠. Sanctificati sunt ergo sacerdotes et Levitæ : et universus Israel deducebat arcam fœderis Domini in júbilo.

Et David.

Glória Patri.

Et David.

#### LECTIO III.

ET vidi, et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum : et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna : Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et



fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cælo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo : omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Et quattuor animalia dicebant : Amen. Et viginti-quattuor seniores ceciderunt in facies suas; et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Mane nobiscum, \* quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Alleluia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Tristitia vestra. \* Alleluia. Vertetur in gaudium. Alleluia.

~~~~~

## FERIA QUINTA.

De libro Apocalypsis Beati Joannis Apostoli.

### LECTIO I.

[Cap. 15.]

Et vidi aliud signum in cælo magnum, et mirabile, Angelos septem habentes plagas septem novissimas : quoniam in illis consummata est ira Dei. Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes

citharas Dei : et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes : Magna, et mirabilia sunt opera tua, Domine, Deus omnipotens : justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius est : quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.

℣. Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus. Alleluia. Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo. \* In sanguine tuo. Alleluia.

℣. Fecisti enim nos Deo nostro regnum et sacerdotium.

In sanguine.

### LECTIO II.

Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cælo : et exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo, et candido, et præcincti circa pectorazonis aureis. Et unum de quattuor animalibus dedit septem Angelis, septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. Et impletum est templum fumo a majestate Dei, et de virtute ejus : et nemo poterat introire in templum, donec consummarerentur sep-

tem plagæ septem Angelorum.

R. Ego sicut vitis fructificavi suavitatem odoris. Allelúia. \* Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplémini. Allelúia, allelúia.

Y. In me omnis grátia viæ et veritátis : in me omnis spes vitæ et virtútis.

Transite ad me.

Glória Patri.

Transite ad me.

#### LECTIO III.

[Cap. 16.]

ET audivi vocem magnam de templo, dicentem septem Angelis : Ite, et effúndite septem phíalas iræ Dei in terram. Et abiit primus, et effúdit phíalam suam in terram, et factum est vulnus sævum, et péssimum in homines, qui habébant charactérem béstię, et in eos qui adoravérunt imáginem ejus. Et secúndus Angelus effúdit phíalam suam in mare, et factus est sanguis tanquam mórtui : et omnis ánima vivens mórtua est in mari. Et tértius effúdit phíalam suam super flúmina, et super fontes aquárum, et factus est sanguis. Et audivi Angelum aquárum dicentem : Justus es, Dómine, qui es, et qui eras sanctus, qui hæc judicásti. Quia sánguinem Sanctórum, et Prophetárum effudérunt, et sánguinem eis

dedisti bibere : digni enim sunt.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Et intrávit cum illis : \* et factum est, dum recúmberet cum illis, accépit panem, et benedíxit, ac fregit, et porrigébat illis. Allelúia, allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Amen, amen dico vobis, iterum vidébo vos, et gaudébit cor vestrum, et gáudium vestrum nemo tollet a vobis. Allelúia.

~~~~~

#### FERIA SEXTA.

De libro Apocalypsis Beáti Joánnis Apostóli.

#### LECTIO I.

[Cap. 19.]

POST hæc audivi quasi vocem turbárum multárum in cœlo dicentium : Allelúia. Salus, et glória, et virtus Deo nostro est ; quia vera et justa judicia sunt ejus, qui judicávit de meretrice magna, quæ corrúpit terram in prostitutione sua, et vindicávit sánguinem servórum suórum de manibus ejus. Et iterum dixerunt. Allelúia. Et fumus ejus ascéndit in sæcula sæculórum. Et cecidérunt seniores vigintiquátuor, et quátuor animália, et adoravérunt Deum sedéntem super thronum, dicentes : Amen : Allelúia. Et vox de throno exivit, dicens : Laudem dicite Deo nostro, omnes servi

ejus : et qui timétis eum, pu-  
silli et magni.

℞. Locutus est ad me unus  
ex septem Angelis, dicens :  
Veni, ostendam tibi novam  
naptam, sponsam Agni. \*  
Et vidi Jerúsalem descendén-  
tem de cœlo, ornátam moni-  
libus suis. Allelúia, allelúia,  
allelúia.

Ÿ. Et sústulit me in spi-  
ritu in montem magnum et  
altum.

Et vidi Jerúsalem.

#### LECTIO II.

ET audívi quasi vocem tur-  
bæ magnæ, et sicut vocem  
aquarum multarum, et sicut  
vocem tonitruorum magnó-  
rum, dicentium : Allelúia :  
quóniam regnávít Dóminus  
Deus noster omnipotens.  
Gaudeámus, et exultémus,  
et demus glóriam ei : quia  
venérunt nuptiæ Agni, et  
uxor ejus præparávit se. Et  
datum est illi ut coopériat se  
byssino splendénti et cán-  
dido. Byssinum enim justifi-  
cationes sunt Sanctorum. Et  
dixit mihi : Scribe : Beáti, qui  
ad cœnam nuptiarum Agni  
vocáti sunt; et dixit mihi :  
Hæc verba Dei vera sunt. Et  
cécidi ante pedes ejus, ut  
adorárem eum. Et dicit mihi :  
Vide ne féceris : consérvus  
tuus sum, et fratrum tuó-  
rum habéntium testimónium  
Jesu. Deum adóra. Testimó-  
nium enim Jesu est spiritus  
prophetiæ.

℞. Audívi vocem in cœlo  
Angelorum multorum dicen-  
tium : \* Timéte Dóminum, et  
date claritátem illi, et ado-  
ráte eum, qui fecit cœlum et  
terram, mare et fontes aquá-  
rum. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Vidi Angelum Dei for-  
tem, volántem per médium  
cœli, voce magna clamán-  
tem, et dicentem.

Timéte.

Glória Patri.

Timéte.

#### LECTIO III.

ET vidi cœlum apértum, et  
ecce equus albus, et qui se-  
débat super eum, vocabáitur  
Fidélis, et Verax, et cum jus-  
titia júdicat, et pugnat. Oculi  
autem ejussicut flamma ignis,  
et in cápíte ejus diadémata  
multa, habens nomen scrip-  
tum, quod nemo novit nisi  
ipse. Et vestitus erat veste  
aspérsa ságuine : et vocáitur  
nomen ejus, Verbum Dei. Et  
exércitus qui sunt in cœlo,  
sequebántur eum in equis  
albis, vestiti byssino albo et  
mundo. Et de ore ejus pro-  
cédit gládius ex utrâque parte  
acútus : ut in ipso percútiat  
gentes. Et ipse reget eas in  
virga férrea ; et ipse calcet  
tórular vini furóris iræ Dei  
omnipoténtis. Et habet in  
vestiménto, et in fémóre suo  
scriptum : Rex regum, et  
Dóminus dominántium.

Te Deum laudámus, 18.



*Ad Benedictus, Antiphona.*

Cognoverunt Dóminum,\*  
Jesum. Alleluia. In fractiōne  
panis. Alleluia.

*Ad Vesperas, nisi occurrat  
Festum novem Lectionum, a  
Capitulo fit de sancta Ma-  
ria, clxix.*

~~~~~

### SABBATO.

De libro Apocalypsis beāti  
Joánnis Apóstoli.

#### LECTIO I.

[Cap. 22.]

ET osténdit mihi flúvium  
aquæ vivæ, spléndidum tan-  
quam crystállum, procedén-  
tem de sedē Dei et Agni. In  
medio plátæ ejus, et ex utrâ-  
que parte flúminis lignum  
vitæ, áfferens fructus duó-  
decim, per menses singulos  
reddens fructum suum, et fó-  
lia ligni ad sanitátem géntium.  
Et omne maledictum non erit  
ámplius: sed sedes Dei et Agni  
in illa erunt, et servi ejus sér-  
vient illi. Et vidébunt fáciem  
ejus: et nomen ejus in frón-  
tibus eórum. Et nox ultra non  
erit: et non egébunt lúmine  
lucérnæ, neque lúmine solis,  
quóniam Dóminus Deus il-  
luminábit illos, et regná-  
unt in sæcula sæculórum. Et  
dixit mihi: Hæc verba fidelís-  
sima sunt, et vera. Et Dó-  
minus Deus spirituum Pro-  
phetárum misit Angelum  
suum osténdere servis suis  
quæ opórtet fieri cito, Et  
ecce vénio velóeiter. Beátus,

qui custódivit verba prophe-  
tiæ libri hujus.

#### LECTIO II.

ET ego Joánnes, qui au-  
divi, et vidi hæc. Et post-  
quam audissem, et vidis-  
sem, cédidi ut adorárem ante  
pedes Angeli, qui mihi hæc  
osténdebat: et dixit mihi:  
Vide ne féceris: consérvus  
enim tuus sum, et fratrum  
tuórum Prophetárum, et eó-  
rum, qui servant verba pro-  
phetiæ libri hujus: Deum  
adóra. Et dicit mihi: Ne sig-  
náveris verba prophetiæ li-  
bri hujus: tempus enim pro-  
pe est. Qui nocet, nóceat  
adhuc: et qui in sórdibus est,  
sordéscat adhuc: et qui jus-  
tus est, justificétur adhuc: et  
sanctus sanctificétur adhuc.  
Ecce vénio cito, et merces  
mea mecum est, réddere uni-  
cuique secúndum ópera sua.

#### LECTIO III.

Ego sum alpha et oméga,  
primus et novíssimus, prin-  
cípium et finis. Beāti, qui  
lavant stolas suas in sáanguine  
Agni: ut sit potéstas eórum  
in ligno vitæ, et per portas  
intrent in civitátem. Foris  
canes, et venéfici, et impu-  
dici, et homicidæ, et idó-  
lis serviéntes, et omnis qui  
amat et facit mendácium.  
Ego Jesus misi Angelum  
meum, testificári vobis hæc  
in Ecclesiis. Ego sum radix,  
et genus David, stella splén-  
dida, et matutina. Et spiri-



tus, et sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, véniat: et qui vult, accípiat aquam vitæ gratis. Contéstor enim omni audiénti verba prophetiæ libri hujus: Si quis apposuérít ad hæc, appónet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuérít de verbis libri prophetiæ hujus, áuferet Deus patrem ejus de libro vitæ, et de civitaté sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimónium pérhibet istórum. Etiam vénio cito: Amen. Veni, Dómine Jesu. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum ómnibus vobis. Amen.

## AD VESPERAS.

## CAPITULUM.

[Jac. c. 1.]

**C**HARISSIMI, Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est descendens a Patre lúminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

*Hymnus* Ad régias Agnidae, *ut supra*, 342.

Ÿ. Mane nobíscum, Dómine. Allelúia.

R. Quóniam advesperáscit. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Vado ad eum \* qui misit me: et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Allelúia, allelúia.

## ORATIO.

**D**EUS, qui fidélium mentes unius éfficis voluntátis, da pópulis tuis id amáre quod præcipis, id desideráre quod promíttis, ut inter mundánas varietátes, ibi nostra fixa sint corda ubi vera gáudia. Per Dóminum nostrum.

*Deinde fit commemoratio de Cruce.*

*Antiphona.*

Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit, accinctus est poténtia, surrexit die tértia. Allelúia.

Ÿ. Dicite in natióibus. Allelúia.

R. Quia Dóminus regnávít a ligno. Allelúia.

## ORATIO.

**D**EUS, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem, concéde nobis fámulis tuis ut resurrectionis grátiam consequámur. Per eúndem Dóminum nostrum.



## DOMINICA IV

POST PASCHA.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium, Hymnus, et alia usque ad Lectiones, ut in Psalterio, 2.*

*Si lectiones primi Nocturni lectæ sint pridie, quando scilicet in Sabbato præcedenti occurrit Festum SS. Apostolorum Philippi, Jacobi,*

*in Dominica legantur Lectiones Feriæ secundæ sequentis, 397.*

IN PRIMO NOCTURNO

Incipit Epístola Cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

LECTIO I.

[Cap. 1.]

**J**ACOBUS Dei, et Dómini nostri Jesu Christi servus, duódecim tribubus, quæ sunt in dispersióne, salutem. Omne gáudium existimate, fratres mei, cum in tentatiónes varias incidéritis: sciéntes quód probatio fidei vestræ patientiam operátur. Patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapiéntia, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat: et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hæsitans.

R. Si oblítus fuero tui. Alleluia. Obliviscátur mei dextera mea: \* Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non memínero tui. Alleluia, alleluia.

✠. Super flúmina Babylo-nis illic sédimus et flévimus, dum recordarémur tui, Sion.

Adhæreat.

LECTIO II.

**Q**UI enim hæsitat, similis est flúctui maris, qui a vento movétur, et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat áliquid a Dó-

mino. Vir duplex ánimo inconstans est in ómnibus viis suis. Glórietur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitate sua, quóniam sicut flos fœni transíbit. Exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus decídit, et decor vultus ejus depériit: ita et dives in itinéribus suis marcéscet.

R. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, et timuérunt: \* Multitúdo só-nitus aquárum, vocem dedérunt nubes. Alleluia, alleluia, alleluia.

✠. Illuxérunt coruscationes tuæ orbi terræ: vidit, et commóta est terra.

Multitúdo.

LECTIO III.

**B**EATUS vir, qui suffert tentatióne: quóniam cum probátus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligéntibus se. Nemo cum tentátur, dicat quóniam a Deo tentátur: Deus enim intentátor malórum est: ipse autem néminem tentat. Unusquisque vero tentátur a concupiscéntia sua abstractus, et illéctus. Deinde concupiscéntia cum concéperit, parit peccátum: peccátum vero cum consummátum fuér, generat mortem. Nolite itaque erráre, fratres mei dilectissimi.

R. Narrábo nomen tuum

fratribus meis. Allelúia. \* In medio Ecclesiæ laudábo te. Allelúia, allelúia.

†. Confitébor tibi in pó- pulis, Dómine, et psalmum dicam tibi in géntibus.

In medio.

Glória Patri.

In medio.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona* Allelúia.

*Psalmus* Consérva, cum reliquis, ut in *Psalterio*, 111.

Ex Tractátu sancti Cy- priáni Episcopi et mártiris, de Bono patiéntiæ.

LECTIO IV.

[Serm. 2.]

DE Patiéntia locutúrus, fratres dilectíssimi, et utili- tates ejus et cómoda præ- dicatúrus, unde pótius inci- piam, quam quod nunc quo- que ad audiéntiam, vestram patiéntiam vídeo esse neces- sariam: ut nec hoc ipsum, quod auditis et discitis, sine patiéntia fácere possitis? Tunc enim demum sermo et ratio salutis efficaciter disci- tur, si sapiénter quod dicitur audiatur. Nec invénio, fra- tres dilectíssimi, inter cé- teras coeléstis disciplinæ vias, quibus ad consequénda divi- nitus præmia spei ac fidei nostræ secta dirigitur, quid magis sit vel utilius ad vi- tam vel majus ad glóriam quam ut qui præcéptis do- minicis obséquio timóris ac devotiónis innítimur, patién-

tiam máxime tota observatió- ne tueámur. Hanc se sectári philósophi quoque profitén- tur: sed tam illic patiéntia falsa est quam et falsa sapién- tia est. Unde enim vel sápiens esse, vel pátiens possit, qui nec sapiéntiam, nec patién- tiam Dei novit?

†. In Ecclesiis benedicite Deo. Allelúia. \* Dómino de fóntibus Israel. Allelúia, al- lelúia.

†. Psalmum dícite nómini ejus, date glóriam laudi ejus. Dómino.

LECTIO V.

[Cap. 2., 3 et 8.]

Nos autem, fratres dilectís- simi, qui philósophi non ver- bis, sed factis sumus: nec vestítu sapiéntiam, sed veri- tate præférimus: qui vir- tútum consciéntiam magis quam jactántiam nóvimus: qui non lóquimur magna, sed vívimus quasi servi et cultóres Dei: patiéntiam, quam magistériis coeléstibus discimus, obséquiis spirita- libus præbeámus. Est enim nobis cum Deo virtus ista commúnis: inde patiéntia incipit, inde cláritas ejus et dignitas caput sumit. Origo et magnitúdo patiéntiæ Deo auctóre procedit. Diligénda res hómini, quæ Deo chara est. Bonum quod amat, ma- jestas divína comméndat. Si Dóminus nobis et Pater Deus est, sectémur patiéntiam Dó-

mini, páriter et Patris : quia et servos opórtet esse obsequentes, et filios non decet esse degeneres.

R. In toto corde meo. Allelúia. Exquisívi te. Allelúia.

\* Ne repéllas me a mandátis tuis. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Benedictus es tu, Dómine, doce me justificatiónes tuas.

Ne repéllas.

#### LECTIO VI.

**P**ATIENTIA est, quæ nos Deo et comméndat et servat, ipsa est, quæ iram téperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis ímpetum frangit, tumóris violéntiam cómprimit, incéndium simultátis extinguit, coércet poténtiam divitum, inópiam páuperum réfovet, tuétur in virgínibus beátam integritátem, in víduis laboriósam castitátem, in conjúctis et maritátis indivíduam charitátem : facit húmiles in prósperis, in advérsis fortes, contra injúrias et contumélias mites : docet delinquéntibus cito ignóscere : si ipse delinquas, diu et multum rogáre : tentatiónes expúgnat, persecutiónes tólerat, passiónes et martyria consúmmat. Ipsa est, quæ fidei nostræ fundaménta firmiter munit.

R. Hymnum cantáte nobis. Allelúia. \* Quómodo

cantábimus cánticum Dómini in terra aliéna? Allelúia, allelúia.

Ÿ. Illic interrogavérunt nos, qui captivos duxérunt nos, verba cantiónum.

Quómodo.

Glória Patri.

Quómodo.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona* Allelúia.

*Psalmus* Cœli enarrant, cum reliquis, ut in *Psalterio*, 15.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

#### LECTIO VII.

[Cap. 11.]

**I**N illo témpore, Dixit Jesus discipulis suis : Vado ad eum qui misit me : et nemo ex vobis intérogat me, Quo vadis? Et reliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

[Tractat. 94, in Joan.]

**C**UM Dóminus Jesus prædixisset discipulis suis persecutiónes, quas passúri erant post ejus abcéssum, subjúnxit, atque ait : Hæc autem vobis ab inítio non dixi, quia vobíscum eram : nunc autem vado ad eum, qui me misit. Ubi primum vidéndum est, utrum eis futúras non prædixerit ante passiónes. Sed álíi tres Evangelistæ satis eum prædixisse ista démonstrant, ántequam ventum esset ad cœnam : qua perácta, secúndum Joán-



nem ista locutus est, ubi ait: Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.

R. Deus canticum novum cantabo tibi. Alleluia: \* In psalterio decem chordarum psallam tibi. Alleluia, alleluia.

Y. Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te.

In psalterio.

#### LECTIO VIII.

AN forte hinc ista solvitur questio, quia et illi eum narrant passioni proximum fuisse cum hæc diceret? Non ergo ab initio, quando cum illis erat: quia jam discessurus, jamque ad Patrem perrecturus hæc dixit. Et ideo etiam secundum illos Evangelistas verum est, quod hic dictum est: Hæc autem vobis ab initio non dixi. Sed quid agimus de fide Evangelii secundum Matthæum, qui hæc eis a Domino non solum cum jam Pascha esset cum discipulis cenaturus, imminente passione, verum et ab initio denuntiata esse commemorat, ubi primum nominatim duodecim exprimuntur Apostoli, et ad opera divina mittuntur?

R. Bonum est confiteri Domino. Alleluia. \* Et psallere. Alleluia.

Y. In decachordo psalterio, cum cantico, et cithara.

Et psallere.

Gloria Patri.

Et psallere.

#### LECTIO IX.

QUID sibi ergo vult, quod hic ait: Hæc autem vobis ab initio non dixi, qui vobiscum eram: nisi quia ea, quæ hic dicit de Spiritu Sancto, quod sit venturus ad eos, et testimonium perhibiturus, quando mala illa passuri sunt, hæc ab initio eis non dixit, quia cum ipsis erat? Consolatur ergo ille, vel advocatus (utrumque enim interpretatur, quod est græce Paracletus) Christo abeunte, fuerat necessarius: et ideo de illo non dixerat ab initio, quando cum illis erat, quia ejus præsentia consolabantur.

Te Deum laudamus, 18.

#### AD LAUDES.

*Antiphona Alleluia.*

*Psalmus Dominus regnavit, cum reliquis Antiphonis et Psalmis de Psalterio, 19.*

#### CAPITULUM.

[Jac. c. 1.]

CHARISSIMI, Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

*Hymnus Aurora cælum purpurat, 23.*

Y. In resurrectione tua, Christe. Alleluia.

R. Cœli et terra lætentur. Alleluia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Vado ad eum, \* qui misit me: et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Allelúia, allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui fidélium mentes unius éfficis voluntátis, da pópulis tuis id amáre quod præcipis, id desideráre quod promíttis, ut inter mundánas varietátes ibi nostra fixa sint corda ubi vera sunt gáudia. Per Dóminum.

*Deinde de Cruce Antiphona.*

Crucifixus surréxit a mórtuis, et redémit nos. Allelúia, allelúia.

✠. Dícite in natióibus. Allelúia.

R). Quia Dóminus regnávít a ligno. Allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluisti, ut inimíci a nobis expélleret potestátem, concéde nobis fámulis tuis ut resurrectionis grátiam consequámur. Per eúndem Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

*Capitulum Charissimi, Omne dátum, ut supra, 395.*

R). *breve.* Surréxit Dóminus de sepúlcro. \* Allelúia, allelúia. Surréxit.

✠. Qui pro nobis pepéndit in ligno.

R). Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Surréxit.

✠. Surréxit Dóminus veré. Allelúia.

R). Et appáruit Simóni. Allelúia.

AD SEXTAM.

CAPITULUM.

[Jac. c. 1.]

SCITIS, fratres mei dilectísimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum: tardus autem ad loquéndum, et tardus ad iram. Ira enim viri justítiam Dei non operátur.

R). *breve.* Surréxit Dóminus veré. \* Allelúia, allelúia. Surréxit.

✠. Et appáruit Simóni.

R). Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Surréxit.

✠. Gavísi sunt discipuli. Allelúia.

R). Viso Dómino. Allelúia.

AD NONAM.

CAPITULUM.

[Jac. c. 1.]

PROPTER quod abjiciéntes omnem immundítiam, et abundantiam malitíæ, in mansuetúdine suscipite insitum verbum, quo potest salváre ánimas vestras.

R). *breve.* Gavísi sunt discipuli. \* Allelúia, allelúia. Gavísi.

✠. Viso Dómino.

R). Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Gavísi.

✠. Mane nobíscum, Dómine. Allelúia.

R). Quóniam advesperáscit. Allelúia.

## AD VESPERAS.

*Antiphona Allelúia.**Psalmus Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134.**Capitulum Charissimi, Omne datum.**Hymnus Ad régias Agni, ut supra, 360.*

✠. Mane nobiscum, Dómine. Allelúia.

℟. Quóniam advesperáscit. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Vado ad eum, \* qui misit me: sed quia hæc locútus sum vobis, tristitia implévit cor vestrum. Allelúia.

*Oratio Deus, qui fidélium, ut supra, 396.**Deinde de Cruce, Antiphona.*

Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit, accinctus est poténtia, surréxit die tértia. Allelúia.

✠. Dicite in natióibus. Allelúia.

℟. Quia Dóminus regnávit a ligno. Allelúia.

*Oratio Deus, qui pro nobis, ut supra, 396.*

## FERIA SECUNDA.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium. — Allelúia, allelúia, \* Allelúia.**Psalmus Veníte, exultemus, 2.**Vern.**Hymnus Rex sempitérne, 3.**Antiphona, et Psalmi de Psalterio, 52.*

De Epístola beáti Jacóbi Apóstoli.

## LECTIO I.

[Cap. 1.]

OMNE datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim genuit nos verbo veritátis, ut simus initium áliquod creatúræ ejus. Scitis, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum: tardus autem ad loquéndum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operátur.

℟. Dicant nunc, qui redempti sunt. Allelúia. \* A Dómino. Allelúia, allelúia.

✠. Quos redémit de manu inimíci, et de regiónibus congregávit eos.

A Dómino.

## LECTIO II.

PROPTER quod abjiciéntes omnem immundítiam, et abundántiam malitiæ, in mansuetúdine suscépite insitum verbum, quod potest salváre ánimas vestras. Estóte autem factóres verbi, et non auditóres tantum, falléntes vosmetípsos. Quia si quis auditor est verbi, et non factor: hic comparábi-

tur viro consideránti vultum  
nativitátis suæ in spéculo :  
considerávit enim se, et ábiit,  
et statim oblítus est qualis  
fúerit.

R. Cantáte Dómino. Alle-  
lúia. \* Psalmum dicite ei.  
Allelúia.

V. Afférte Dómino gló-  
riam et honórem, afférte  
Dómino glóriam nómini ejus.

Psalmum.

Glória Patri.

Psalmum.

#### LECTIO III.

QUI autem perpéxerit in le-  
gem perféctam libertátis, et  
permánserit in ea non audí-  
tor obliuíus factus, sed  
factor óperis: hic beátus in  
facto suo erit. Si quis autem  
putat se religiósus esse, non  
refrænans linguam suam, sed  
sedúcens cor suum, hujus  
vana est religio. Religio  
munda, et immaculáta apud  
Deum et Patrem, hæc est:  
Visitáre pupillos et víduas  
in tribulatióne eórum, et  
immaculátum se custodíre  
ab hoc sæculo.

Te Deum laudámus, 18.

#### AD LAUDES.

*Antiphona Allelúia.*

*Psalmus Dóminus regná-  
vit, cum reliquis Antiphonis  
et Psalmis de Psalterio, ut  
in Dominica, 19.*

#### CAPITULUM.

[Rom. c. 6.]

CHRISTUS resúrgens ex mór-

tuis, jam non móritur, mors  
illi ultra non dominábitur.  
Quod enim mórtuus est pec-  
cáto, mórtuus est semel ;  
quod autem vivit, vivit Deo.

*Hymnus Auróra cælum.*

V. In resurrectione tua,  
365.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Nónne cor nostrum \* ar-  
dens erat in nobis de Jesu,  
dum loquerétur nobis in via?  
Allelúia.

*Oratio Deus, qui fidélium  
ut supra, 396.*

#### AD VESPERAS.

*Antiphona Allelúia.*

*Psalmus Diléxi, cum re-  
liquis de Psalterio, 138, sub  
una Antiphona Allelúia.*

#### CAPITULUM.

[Rom. c. 6.]

CHRISTUS resúrgens ex mór-  
tuis jam non móritur, mors  
illi ultra non dominábitur.  
Quod enim mórtuus est pec-  
cáto, mórtuus est semel;  
quod autem vivit, vivit Deo.

*Hymnus Ad régias Agni.*

V. Mane nobiscum, Dómi-  
ne, ut supra 360.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Ego veritátem dico vobis:  
éxpedit vobis ut ego vadam:  
si enim non abiero, Parácli-  
tus non véniet ad vos. Alle-  
lúia.



## FERIA TERTIA.

De Epístola beáti Jacóbi Apóstoli.

## LECTIO I.

[Cap. 2.]

**F**RATRES mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Dómini nostri Jesu Christi glóriæ. Etenim si introierit in convéntum vestrum vir áureum ánnulum habens in veste cándida, introierit autem et pauper in sórdido hábitu, et intendátis in eum, qui indútus est veste præclára, et dixeritis ei: Tu sede hic bene: páuperi autem dicátis: Tu sta illic, aut sede sub scábello pedum meórum: nonne judicátis apud vosmetipsos, et facti estis júdices cogitationum iniquárum?

*R.* In Ecclésiis benedicite Deo. Allelúia. \* Dómino de fóntibus Israel. Allelúia, allelúia.

*Y.* Psalmum dicite nómini ejus, date glóriam laudi ejus. Dómino.

## LECTIO II.

**A**UDITE, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo, dívites in fide, et hærédes regni quod repromísit Deus diligéntibus se? Vos autem exhonorástis páuperem. Nonne dívites per poténtiam ópprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad júdicia? Nónne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocátum

est super vos? Si tamen legem perficitis regálem secúndum Scriptúras: Diliges próximum tuum sicut teípsum: bene fácitis: si autem persónas accípitis, peccátum operámini, redargúti a lege quasi transgressóres.

*R.* In toto corde meo. Allelúia. Exquisívi te. Allelúia, \* Ne repéllas me a mandátis tuis. Allelúia, allelúia.

*Y.* Benedictus es tu, Dómine, doce me justificatiónes tuas.

Ne repéllas.

Glória Patri.

Ne repéllas.

## LECTIO III.

**Q**UICUMQUE autem totam legem serváverit, offéndat autem in uno, factus est ómnium reus. Qui enim dixit, Non mœcháberis, dixit et, Non occídes. Quod si non mœcháberis, occídes autem, factus es transgressor legis. Sic loquimini, et sic fácite, sicut per legem libertátis incipientes judicári. Judícium enim sine misericórdia illi qui non fecit misericórdiam: superexáltat autem misericórdia judícium.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Pax vobis, \* ego sum. Allelúia. Nolite timére. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Cum vénerit Paráclitus \* Spíritus veritátis, ille árguet mundum de peccáto, et de

justitia, et de iudicio. Alleluia.

~~~~~

### FERIA QUARTA.

De Epistola beati Jacobi Apostoli.

#### LECTIO I.

[Cap. 2.]

**Q**UID prouderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si autem frater, et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, et saturamini; non dedistis autem eis quae necessaria sunt corpori, quid prouderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

*R.* Deus, canticum novum cantabo tibi. Alleluia: \* In psalterio decem chordarum psallam tibi. Alleluia, alleluia.

*V.* Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te.

In psalterio.

#### LECTIO II.

**S**ED dicet quis: Tu fidem habes, et ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus: et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est Deus: Bene facis: et daemones credunt, et contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine

operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: et ex operibus fides consummata est.

*R.* Bonum est confiteri Domino. Alleluia. \* Et psallere. Alleluia.

*V.* In decachordo psalterio, cum cantico, et cithara. Et psallere.

Gloria Patri.

Et psallere.

#### LECTIO III.

**E**t supplata est Scriptura, dicens, Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, et amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum? Similiter et Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, et alia via ejiciens? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Benedictus Antiphona.*

Spiritus \* carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere: jam credite. Alleluia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Adhuc multa habeo \* vobis dicere, sed non potestis portare modo: cum autem venerit ille Spiritus veritatis,

docēbit vos omnem veritatem. Allelúia.

~~~~~

### FERIA QUINTA.

De Epístola beáti Jacóbi Apóstoli.

#### LECTIO I.

[ Cap. 3. ]

**N**OLITE plures magistri fieri, fratres mei, sciētes quóniam majus iudiciū sūmitis. In multis enim offēdimus omnes. Si quis in verbo non offēdit, hic perfectus est vir. Pótest etiā fræno circumducere totum corpus. Si autem equis fræna in ora mīttimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illórum circumferimus.

R. Si oblitus fuero tui. Allelúia. Obliviscátur mei dextera mea: \* Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non memínero tui. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Super flúmina Baby-lónis illic sédimus et flévimus, dum recordarémur tui, Sion.

Adhæreat.

#### LECTIO II.

**E**CCE et naves, cum magnæ sint et a ventis válidis mīnēntur, circumferúntur a módico gubernáculo, ubi impetus dirigētis volúerit. Ita et lingua módicum quidem membrum est, et magna exáltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incēndit! Et lingua ignis

est, universitas iniquitátis.

R. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, et timuérunt: \* Multitúdo só-nitus aquárum, vocem de-dérunt nubes. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ÿ. Illuxérunt coruscationes tuæ orbi terræ: vidit, et commóta est terra.

Multitúdo sónitus.

Glória Patri.

Multitúdo sónitus.

#### LECTIO III.

**L**INGUA constitúitur in membris nostris, quæ máculat totum corpus: et inflámmat rotam nativitátis nostræ inflammáta a gehénna. Omnis enim natúra bestiárum, et volucrum et serpéntium et ceterórum domántur, et dómita sunt a natúra humana: linguam autem nullus hóminum domáre potest: inquiétum malum, plena venéno mortifero. In ipsa benedicimus Deum et Patrem: et in ipsa maledicimus hómines, qui ad similitúdinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procēdit benedictio et maledictio.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Obtulérunt discípuli \* Dómino partem piscis assi, et favum mellis. Allelúia, allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Non enim loquétur \* a semetipso: sed quæcúmque audiet, loquétur: et quæ ven-

túra sunt, annuntiábit vobis. Allelúia.

~~~~~

### FERIA SEXTA.

De Epístola beáti Jacóbi Apóstoli.

#### LECTIO I.

[Cap. 4.]

**U**NDE bella, et lites in vobis? nónne hinc? ex concupiscéntiis vestris quæ militant in méntibus vestris? Concupiscitis, et non habétis: occiditis, et zelátis: et non potéstis adipisci: litigátis, et belligerátis, et non habétis: propter quod non postulátis. Pétitis, et non accípitis: eo quod male petátis: ut in concupiscéntiis vestris insumátis. Adúlteri, nescitis quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo volúerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.

**R.** In Ecclésiis benedicite Deo. Allelúia. \* Dómino de fóntribus Israel. Allelúia, allelúia.

**Y.** Psalmum dicite nómini ejus, date glóriam laudi ejus. Dómino.

#### LECTIO II.

**A**N putátis, quia inániter Scriptúra dicat: Ad invidiam concupiscit spiritus, qui hábitat in vobis? Majórem autem dat grátiam. Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humílibus autem dat grátiam. Súbditi ergo estóte

Deo, resistite autem diabolo et fúgiet a vobis. Appropinquáte Deo, et appropinquábit vobis. Emundáte manus, peccátores: et purificáte corda, dúplices ánimo. Miseri estóte, et lugéte, et ploráte: risus vester in luctum convertátur, et gáudium in mœrórém. Humiliámini in conspectu Dómini, et exaltábit vos.

**R.** In toto corde meo. Allelúia. Exquisivi te. Allelúia. \* Ne repéllas me a mandátis tuis. Allelúia, allelúia.

**Y.** Benedictus es tu, Dómine, doce me justificatiónes tuas.

Ne repéllas.

Glória Patri.

Ne repéllas.

#### LECTIO III.

**N**OLITE detráhere altérutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui júdicat fratrem suum, detrahit legi, et júdicat legem. Si autem júdicas legem: non es factor legis, sed judex. Unus est legislátor et judex, qui potest perdere, et liberáre. Tu autem quis es, qui júdicas próximum? Ecce nunc qui dicitis: Hódie, aut crástino ibimus in illam civitátem, et faciémus ibi quidem annum, et mercábimur, et lucrum faciémus: qui ignorátis quid erit in crástino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad módicum parens, et deinceps



exterminabitur : pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit. Et : Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Isti sunt sermones, \* quos dicebam vobis, cum essem vobiscum. Alleluia, alleluia.

*Ad Vesperas, nisi occurrat Festum novem Lectionum, a capitulo fit de sancta Maria, clxix.*

### SABBATO.

De Epistola beati Jacobi Apostoli.

#### LECTIO I.

[ Cap. 3. ]

**AGITE** nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advénient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt : et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum, et argentum vestrum æruginavit : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis. Adduxistis, et occidistis justum, et non restitit vobis.

#### LECTIO II.

**P**ATIENTES igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, et serotinum. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra : quoniam adventus Domini appropinquavit. Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini. Ecce iudex ante januam assistit. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, et patientiæ, Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator.

#### LECTIO III.

**ANTE** omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester : Est, est : Non, non : ut non sub iudicio decidatis. Tristatur aliquis vestrum ? oret. Æquo animo est ? psallat. Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo al-

térutrum peccáta vestra , et oráte pro ínvicem , ut salvémini : multum enim valet deprecátio justí assídua.

### AD VESPERAS.

#### CAPITULUM.

[Jac. c. 1. ]

**C**HARISSIMI , estóte factóres verbi , et non auditóres tantum , falléntes vosmetípsos. Quia si quis auditor est verbi , et non factor : hic comparábitur viro consideránti vultum nativitátis suæ in spéculo ; considéravit enim se , et ábiit , et statim oblitus est qualis fúerit.

*Hymnus* Ad régias Agni dapes , *ut supra* , 360.

✠. Mane nobíscum , Dómine. Allelúia.

℞. Quóniam advesperáscit. Allelúia.

*Ad Magnificat , Antiphona.*

Usque modo \* non petistis quidquam in nómine meo : pétite , et accipiétis. Allelúia.

#### ORATIO.

**D**EUS , a quo bona cuncta procedunt , largíre supplicibus tuis ut cogitémus , te inspiránte , quæ recta sunt , et , te gubernánte , éadem faciámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

*Deinde fit commemoratio de Cruce.*

*Antiphona.*

Crucem sanctam súbiit , qui inférnum confrégit , ac-

cíntus est poténtia , surrexit die tértia. Allelúia.

✠. Dícite in natióibus. Allelúia.

Quia Dóminus regnávít a ligno. Allelúia.

#### ORATIO.

**D**EUS , qui pro nobis Fílium tuum crucis patibulum subire voluísti , ut inimíci a nobis expélleres potestátem , concede nobis fámulis tuis ut resurrectionis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum.

### DOMINICA V

POST PASCHA.

#### AD MATUTINUM.

*Invitatorium , Hymnus , et alia usque ad Lectiones , ut in Psalterio , 3.*

Incipit Epístola prima Beáti Petri Apóstoli.

#### LECTIO I.

[Cap. 1.]

**P**ETRUS Apóstolus Jesu Christi , eléctis ádvenis dispersionis Ponti , Galátiae , Cappadóciae , Asiae et Bithyniae , secúndum præsiciéntiam Dei Patris , in sanctificatióem Spíritus , in obediéntiam , et aspersionem ságuinis Jesu Christi : Grátia vobis , et pax multiplicétur. Benedíctus , Deus , et Pater Dómini nostri Jesu Christi , qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam , per resurrec-

tionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.

R. Si oblitus fuero tui. Allelúia. Obliviscatur mei dextera mea : \* Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Super flúmina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordarémur tui, Sion.

Adhæreat lingua.

#### LECTIO II.

In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus : ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et glóriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi, quem cum non videritis, diligitis : in quem nunc quoque non videntes creditis : credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, et glorificata : reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophætæ, qui de futura in vobis grátia prophetaverunt : scrutantes in quod, vel quale tempus sig-

nificaret in eis Spiritus Christi : prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glórias : quibus revelatum est, quia non sibi metipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere.

R. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, et timuerunt : \* Multitúdo sónitus aquarum, vocem dederunt nubes. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ÿ. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ : vidit et commota est terra.

Multitúdo sónitus.

#### LECTIO III.

PROPTER quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, grátiam, in revelationem Jesu Christi : quasi filii obediéntiæ, non configurati prióribus ignorantiae vestræ desiderijs ; sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum : et ipsi in omni conversatione sancti sitis ; quóniam scriptum est : Sancti éritis, quóniam ego Sanctus sum. Et si Patrem invocátis eum, qui sine acceptione personarum júdicat secundum uniuscujusque opus, in timóre incolátus vestri tempore conversámini. Sciéntes

quod non corruptibilibus auro, vel argénto redempti estis de vana vestra conversatione patrénæ traditionis; sed pretioso ságuine quasi agni immaculáti Christi, et incontamináti: præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestáti autem novíssimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deo qui suscitávit eum a mórtuis, et dedit ei glóriam, ut fides vestra et spes esset in Deo.

R. Narrábo nomen tuum fratribus meis. Allelúia. \* In médio Ecclésiæ laudábo te. Allelúia, allelúia.

℣. Confitébor tibi in pópulis, Dómine, et psalmum dicam tibi in géntibus.

In médio.

Glória Patri.

In médio.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona* Allelúia.

*Psalmus* Consérva, cum reliquis, ut in *Psalterio*, 11.

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi, de Fide Resurrectionis.

LECTIO IV.

[Post medium.]

QUONIAM Dei mori non póterat sapiéntia, resúrgere autem non póterat quod mórtuum non erat: assúmitur caro, quæ mori posset: ut dum móritur quod solet, quod mórtuum fúerat, hoc

resúrgeret. Neque enim póterat esse, nisi per hóminem, resurrectio: quóniam sicut per hóminem mors, ita et per hóminem resurrectio mortuórum. Ergo resurrexit homo, quóniam homo mórtuus est: resuscitátus homo; sed resúscitans Deus: tunc secúndum carnem homo, nunc per ómnia Deus. Nunc enim secúndum carnem jam non nóvimus Christum; sed carnis grátiam tenémus, ut ipsum primitias quiescéntium, ipsum primogénitum ex mórtuis novérinus.

R. In Ecclésiis benedicite Deo. Allelúia. \* Dómino de fóntibus Israel. Allelúia, allelúia.

℣. Psalmum dicite nómini ejus, date glóriam laudi ejus.

Dómino.

LECTIO V.

PRIMITIÆ útique ejúdem sunt géneris atque natúræ, cujus et reliqui fructus: quorum pro lætióre provéntu primitiva Deo múnera deferúntur; sacrum munus pro ómnibus, et quasi reparátæ quædam liba natúræ. Primitiæ ergo quiescéntium Christus. Sed utrum suórum quiescéntium, qui quasi mortis exórtes dulci quodam sopóre tenéntur, an ómnium mortuórum. Sed sicut in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur. Ita-



que sicut primitiæ mortis in Adam, ita etiam primitiæ resurrectionis in Christo omnes resurgunt. Sed nemo desperet, neque justus doleat commune consortium resurgendi, cum præcipuum fructum virtutis expectet. Omnes quidem resurgent, sed unusquisque, ut ait Apostolus, in suo ordine. Communis est divinæ fructus clementiæ, sed distinctus ordo meritum.

R. In toto corde meo. Alleluia. Exquisivi te. Alleluia. \* Ne repellas me a mandatis tuis. Alleluia, alleluia.

Y. Benedictus es tu, Domine, doce me justificationes tuas.

Ne repellas.

#### LECTIO VI.

ADVERTIMUS quam grave sit sacrilegium, resurrectionem non credere. Si enim non resurgemus, ergo Christus gratis mortuus est, ergo Christus non resurrexit. Si enim nobis non resurrexit, utique non resurrexit, qui sibi cur resurgeret non habebat. Resurrexit in eo mundus, resurrexit in eo cælum, resurrexit in eo terra. Erit enim cælum novum, et terra nova. Sibi autem non erat necessaria resurrectio, quem mortis vincula non tenebant. Nam etsi secundum hominem mortuus, in ipsis tamen erat liber infernis. Vis scire quam liber? Factus sum sicut ho-

mo sine adiutorio, inter mortuos liber. Et bene liber, qui se poterat suscitare, juxta quod scriptum est: Solvite hoc templum, et in triduo resuscitabo illud. Et bene liber, qui alios descenderat redempturus.

R. Hymnum cantate nobis. Alleluia. \* Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena. Alleluia, alleluia, alleluia.

Y. Illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba canticum.

Quomodo cantabimus.

Gloria Patri.

Quomodo cantabimus.

IN TERTIO NOCTURNO.

Antiphona Alleluia.

Psalmus Cœli enarrant, cum reliquis, ut in Psalterio, 15.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

#### LECTIO VII.

[Cap. 16.]

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 103 in Joan.]

DOMINI verba nunc ista tractanda sunt: Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Jam dictum est in superioribus hujus Domini

sermónis pártibus, propter eos, qui nonnulla petunt a Patre in Christi nómine, nec accipiunt: non peti in nómine Salvatóris, quidquid pétitur contra ratióem salútis. Non enim sonum litterárum, ac syllabárum, sed quod sonus ipse significat, et quod eo sono recte ac veráciter intelligitur, hoc accipiendus est dicere, cum dicit: In nómine meo.

R. Deus cánticum novum cantábo tibi. Allelúia. \* In psaltério decem chordárum psallam tibi. Allelúia, allelúia.

Y. Deus meus es tu, et confitébor tibi: Deus meus es tu, et exaltábo te.

In psaltério.

#### LECTIO VIII.

UNDE qui hoc sentit de Christo, quod non est de único Dei Filio sentiéndum, non petit in ejus nómine, étiam si non táceat litteris ac syllábis Christum: quóniam in ejus nómine petit, quem cógitat cum petit. Qui vero quod est de illo sentiéndum sentit, ipse in ejus nómine petit, et áccipit quod petit, si non contra suam salútem sempitérnam petit; áccipit autem quando debet accipere. Quædam enim non negántur: sed ut cóngruo dentur témpore, differúntur. Ita sane intelligéndum est quod ait: Dabit vobis: ut ea beneficia signi-

ficáta sciántur his verbis, quæ ad eos, qui petunt, próprie pértinent. Exaudiúntur quippe omnes sancti pro seípsis, non autem pro ómnibus exaudiúntur vel amicis, vel inimicis suis, vel quibúlibet áliis: quia non utcúmque dictum est, Dabit; sed, Dabit vobis.

R. Bonum est confitéri Dómino. Allelúia. \* Et psállere. Allelúia.

Y. In decachóordo psaltério, cum cántico et cíthara.

Et psállere.

Glória Patri.

Et psállere.

#### LECTIO IX.

USQUE modo, inquit, non petistis quidquam in nómine meo. Pétite, et accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum. Hoc quod dicit, gáudium plenum, profecto non carnále, sed spiritále gáudium est: et quando tantum erit, ut áliquíd ei jam non sit addéndum, procul dubio tunc erit plenum. Quidquid ergo pétitur, quod pertaineat ad hoc gáudium consequéndum, hoc est in nómine Christi peténdum, si divínam intelligimus grátiam, si vere beátam póscimus vitam. Quidquid autem áliud pétitur, nihil pétitur: non quia nulla omnino res est, sed quia in tantæ rei comparatióne quidquid áliud concupiscitur, nihil est.

Te Deum laudamus, 18.

AD LAUDES.

*Antiphona* Allelúia.

*Psalmus* Dóminus regnávít, cum reliquis de Psalterio, 19.

CAPITULUM.

[Jac. c. 1.]

**CHARISSIMI**, Estóte factóres verbi, et non auditóres tantum, falléntes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparábitur viro consideránti vultum nativitátis suæ in spéculo : considéravit enim se, et ábiit, et statim oblitus est qualis fúerit.

*Hymnus* Auróra cælum púrpurat, 23.

✠. In resurrectione tua, Christe. Allelúia.

℟. Cœli et terra læténtur. Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Usque modo \* non petístis quidquam in nómine meo : pétite, et accipiétis. Allelúia.

ORATIO.

**DEUS**, a quo bona cuncta procedunt, largíre supplicibus tuis ut cogitémus, te inspiránte, quæ recta sunt, et, te gubernánte, éadem faciámus. Per Dóminum nostrum.

*Deinde fit commemoratio de Cruce.*

*Antiphona.*

Crucifixus surrexit a mórtuis, et redémit nos. Allelúia, allelúia.

✠. Dícite in natióibus. Allelúia.

℟. Quia Dóminus regnávít a ligno. Allelúia

ORATIO.

**DEUS**, qui pro nobis Fílium tuum crucis patibulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem, concede nobis fámulis tuis ut resurrectionis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

*Capitulum* Charíssimi, Estóte factóres, ut supra.

℟. *breve.* Surrexit Dóminus de sepúlcro. \* Allelúia, allelúia. Surrexit.

✠. Qui pro nobis pepéndit in ligno.

℟. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Surrexit.

✠. Surrexit Dóminus vere. Allelúia.

℟. Et appáruit Simóni. Allelúia.

AD SEXTAM.

CAPITULUM.

[Jac. c. 1.]

**QUI** autem perspéxerit in legem perféctam libertátis, et permánserit in ea, non auditor obliuíosus factus, sed factor óperis : hic beátus in facto suo erit.

℟. *breve.* Surrexit Dóminus vere. \* Allelúia, allelúia. Surrexit.

✠. Et appáruit Simóni.

℟. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Surréxit.  
 ✠. Gavisi sunt discipuli.  
 Allelúia.

R. Viso Dómino. Allelúia.  
 AD NONAM.

## CAPITULUM.

[Jac. c. 1.]

**R**ELIGIO munda, et immaculáta apud Deum et Patrem, hæc est: Visitare pupillos, et víduas in tribulatióne eórum, et immaculátum se custodire ab hoc sæculo.

R. *breve*. Gavisi sunt discipuli. \* Allelúia, allelúia. Gavisi.

✠. Viso Dómino.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Gavisi.

✠. Mane nobiscum, Dómine. Allelúia.

R. Quóniam advesperáscit. Allelúia.

## AD VESPERAS.

*Antiphona* Allelúia.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134.

*Capitulum* Charíssimi, Estóte factóres.

*Hymnus* Ad régias Agnidapes, ut supra, 360.

✠. Mane nobiscum, Dómine. Allelúia.

R. Quóniam advesperáscit. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Pétite, et accipiétis, \* ut gáudium vestrum sit plenum: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amástis et credidistis. Allelúia.

*Oratio* Deus, a quo bona, ut supra, 409.

*Deinde commemoratio de Cruce.*

*Antiphona.*

Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit, accinctus est poténtia, surréxit die tértia. Allelúia.

✠. Dícite in natióibus. Allelúia.

R. Quia Dóminus regnávít a ligno. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui pro nobis, ut supra, 409.



## FERIA SECUNDA.

## IN ROGATIONIBUS.

*Si hodie occurrat Festum novem Lectionum, fit de eo cum nona Lectione de sequenti Homilia, et commemoratione de Feria ad Laudes tantum, ut infra. De Festo autem trium Lectionum fit tantum commemoratio.*

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium* Allelúia, allelúia, \* Allelúia.

*Psalmus* Veníte \* exultemus, 2.

*Hymnus* Rex sempitérne, 3.

*Antiphona et Psalmi de Psalterio, 52.*

Léctio sancti Evangélii secundum Lucam.

## LECTIO I.

[Cap. 11.]

**I**N illo témpore, Dixit Jesus discipulis suis: Quis vestrum habébit amicum, et ibit



ad illum média nocte, et dicet illi : Amice, cómoda mihi tres panes. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

[Lib. 7 in Luc. c. 11.]

**ALIUS** præcepti locus est, ut omnibus moméntis, non solum diébus, sed étiam nóctibus oratio deberátur. Vides enim, quod iste, qui média nocte perréxit, tres panes ab amico suo póstulans, et in ipsa peténdi intentione persistens, non defraudétur orátis. Qui sunt isti tres panes, nisi mystérii coeléstis aliméntum? Quod si diligas Dóminum Deum tuum, non solum tibi, sed étiam áliis póteris emeréri. Quis autem amícior nobis, quam qui pro nobis corpus suum trádedit?

R. Dicant nunc, qui redempti sunt. Allelúia. \* A Dómino. Allelúia, allelúia.

V. Quos redémit de manu inimici, et de regiónibus congregávit eos.

A Dómino.

#### LECTIO II.

**AB** hoc média nocte panes David pétiit, et accépit. Pétiit enim, quando dicébat : Média nocte surgébam ad confiténdum tibi. Ideo méruit hos panes, quos appósuit nobis edéndos. Pétiit cum dicit : Lavábo per singulas noctes lectum meum. Neque enim tímuit, ne excitáret dórmiéntem, quem scit semper

vigilántem. Et ideo scriptórum mémores, nóctibus ac diébus orationi instántes, peccátis nostris véniam postulémus.

R. Cantáte Dómino. Allelúia. \* Psalmum dicite ei. Allelúia.

V. Afférte Dómino glóriam et honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Psalmum.

#### LECTIO III.

**NAM** si ille tam sanctus, et qui regni erat necessitatibus occupátus, sépties in die laudem Dómino dicébat, matutinis et vespertinis sacrificiis semper inténtus: quid nos fácere opórtet, qui eo ámplius rogáre debémus, quo frequentius carnis ac mentis fragilitáte delinquimus, ut de via lassis, et istius ævi cursu, ac vitæ hujus anfráctu grávitèr fatigátis, panis refectionis deesse non possit, qui hómínis corda confirmet? Nec solum média nocte Dóminus, sed ómnibus prope docet vigilándum esse moméntis. Venit enim et vespertina, et secúnda, et tértia vigília: et pulsáre consuévit. Beáti itaque servi illi, quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes.

*Hac nocte dicitur tertium Responsorium, quia non dicitur Te Deum. In duabus vero sequentibus Feriis dicituri*

R. Narrábo nomen tuum fratribus meis. Allelúia. \* In médio Ecclésiæ laudábo te. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Confitébor tibi in pópulis, Dómine, et psalmum dicam tibi in Géntibus.

In médio.

Glória Patri.

In médio.

### AD LAUDES.

*Antiphona Allelúia.*

*Psalmus Dóminus regnávít, cum reliquis Antiphonis et Psalmis de Psalterio, 19.*

### CAPITULUM.

[Rom. c. 6.]

**C**HRISTUS resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

*Hymnus Auróra cœlum púrpurat, ut supra, 23.*

Ÿ. In resurrectione tua, Christe. Allelúia.

R. Cœli et terra læténtur. Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Pétite, et accipiétis: \* quærite, et inveniétis: pulsáte, et aperiétur vobis. Allelúia.

### ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa ómnia tua semper protectio-

ne muniámur. Per Dóminum nostrum.

*Hæc Oratio dicitur ad Laudes, et per Horas, præter Vesperas, et hodie tantum. Duabus vero sequentibus Feriis dicitur Oratio Dominicæ præcedentis, Deus, a quo bona, 409.*

*Hoc triduo qui non inter-sunt Processionibus Rogationum, privatim post Laudes dicant Litanias cum suis Precibus, et Orationibus, sine Psalmis pœnitentialibus.*

*Ad Horas, omnia dicuntur ut in feriali Officio tempore Paschali.*

*Vesperæ, nisi occurrat Festum novem Lectionum, dicuntur de Psalterio, cum Oratione Dominicæ præcedentis. Sive-ro sequatur Festum simplex, a Capitulo fit de Festo, cum commemoratione de Cruce tantum, ut supra, 410.*

### AD VESPERAS.

*Antiphona Allelúia.*

*Psalmus Diléxi, cum reliquis de Psalterio, 138, sub una Antiphona Allelúia.*

### CAPITULUM.

[Rom. c. 6.]

**C**HRISTUS resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo.

*Hymnus Ad régias Agni.*

Ÿ. Mane nobiscum, 360.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Ipsē enim Pater amat vos, quia vos me amāstis, et credidistis. Allelúia.

*Oratio* Deus, a quo bona, ut *supra*, 409.

## FERIA TERTIA

IN ROGATIONIBUS.

*Si hodie occurrat Festum simplex, fit de eo, sine commemoratione de Feria, sed tantum de Cruce.*

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

### LECTIO I.

[Cap. 4.]

**C**HRISto igitur passo in carne, et vos eādē cogitationē armāmini: quia qui passus est in carne, desuit a peccatis: ut jam non desideriiis hóminum, sed voluntāti Dei, quod reliquum est in carne, vivat témporis. Súfficit enim præteritum tempus ad voluntatem géntium consummādam his, qui ambulavérunt in luxúriis, desideriiis, vinoléntiis, comessationibus, potationibus, et illicitis idolórum cultibus. In quo admirántur non concurréntibus vobis in eādem luxúriæ confusiónem, blasphemántes. Qui reddent ratióem ei, qui parátus est judicāre vivos et mórtuos. Propter hoc enim et mórtuis evangelizátum est: ut judicéntur quidem secúndum hómines in carne, vivant autem secúndum Deum

in spíritu. Omnium autem finis appropinquávit.

R. In ecclésiis benedicite Deo. Allelúia. \* Dómino de fóntibus Israel. Allelúia, allelúia.

R. Psalmum dicite nómini ejus, date glóriam laudi ejus. Dómino.

### LECTIO II.

**E**STOTE itaque prudéntes, et vigiláte in orationibus. Ante ómnia autem, mútuam in vobismetipsis charitátem continuam habéntes: quia charitas óperit multitudinem peccatórum. Hospitáles invicem sine murmuratióne: Unusquisque, sicut accépit grátiam, in altérutrum illam ministrátes, sicut boni dispensatóres multifórmis grátiae Dei. Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtúte, quam administrat Deus: ut in ómnibus honorificétur Deus per Jesum Christum: cui est glória, et impérium in sæcula sæculórum. Amen.

R. In toto corde meo. Allelúia. Exquisívi te. Allelúia. \* Ne repéllas me a mandátis tuis. Allelúia, allelúia.

✠. Benedictus es tu, Dómine; doce me justificatiónes tuas.

Ne repéllas.

Glória Patri.

Ne repéllas.

### LECTIO III.

**C**HARISSIMI, nolite peregrini-

nári in fervóre, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat : sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione glóriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobrámini in nómine Christi, beátí éritis : quóniam quod est honoris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut alienórum appetitor. Si autem ut Christiánus, non erubéscat, gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Opportébat pati Christum, \* et resúrgere a mórtuis. Allelúia.

#### ORATIO.

DEUS, a quo bona cuncta procedunt, largíre supplicibus tuis ut cogitémus, te inspiránte, quæ recta sunt, et, te gubernánte, eadem faciámus. Per Dóminum nostrum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Exívi a Patre, \* et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Allelúia.

~~~~~

#### FERIA QUARTA

IN ROGATIONIBUS.

VIGILIA ASCENSIONIS.

*Si hodie occurrat Festum*

*novem Lectionum, fit de eo, cum nona Lectione de Homilia Vigilæ, et commemoratione ad Laudes, ut infra. De Festo autem trium Lectionum fit tantum commemoratio.*

Léctio sancti Evangélíi secundum Joánnem.

#### LECTIO I.

[Cap. 17.]

IN illo témpore, Sublevátis Jesus óculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. Et reliqua.

Homília sancti Augustini Epíscopi.

[Tract. 104 in Joann.]

POTERAT Dóminus noster, unigénitus et coæternus Patri, in forma servi, et ex forma servi, si hoc opus esset, oráre siléntio : sed ita se Patri exhibére vóluit precatórem, ut meminisset nostrum se esse doctórem. Proinde eam, quam fecit orationem pro nobis, notam fecit et nobis, quóniam tanti magístri non solum ad ipsos sermocinatio, sed étiam pro ipsis ad Patrem oratio, discipulórum est ædificatio : et si illórum, qui hæc dicta áderant auditóri, profecto et nostra, qui fuerámus conscripta lectóri.

ñ. Deus, cánticum novum cantábo tibi. Allelúia. \* In psaltério decem chordárum psallam tibi. Allelúia, allelúia.

†. Deus meus es tu, et



confitébor tibi : Deus meus  
es tu, et exaltábo te.

In psalterio.

## LECTIO II.

**Q**UAPROPTER hoc quod ait :  
Pater, venit hora, clarifica  
Filius tuum? osténdit, omne  
tempus, et quid, quando  
faceret, vel fieri sineret, ab  
illo esse dispositum, qui  
tempori súbditus non est :  
quóniam quæ futura erant  
per singula tempora, in Dei  
sapientia causas efficiéntes  
habent, in qua nulla sunt  
tempora. Non ergo credátur  
hæc hora fato urgente ve-  
nisse, sed pótius ordinánte.  
Nec siderea necéssitas Christi  
connéxuit passionem : absit  
enim ut sidera mori cógerent  
siderum conditórem.

¶. Bonum est confitéri Dó-  
mino. Allelúia : \* Et psállere.  
Allelúia.

†. In dechachórdo psalté-  
rio, cum cántico et cithara.

Et psállere.

Glória Patri.

Et psállere.

## LECTIO III.

**C**LARIFICATUM a Patre Fi-  
lius nonnulli accipiunt in

hoc, quod ei non pepércit,  
sed pro nobis ómnibus trá-  
didit eum. Sed si passióne  
clarificátus dicitur, quanto  
magis resurrectione? Nam  
in passióne magis ejus hu-  
militas, quam cláritas com-  
mendátur, Apóstolo teste,  
qui dicit : Humiliávit semet-  
ipsum, factus obédiens usque  
ad mortem, mortem autem  
crucis. Deinde séquitur, et  
de ejus clarificatióne jam di-  
cit : Propter quod et Deus  
illum exaltávit, et donávit  
ei nomen : ut in nómine Jesu  
omne genu flectátur, coelés-  
tium, terréstrium, et infer-  
nórum. Et omnis lingua con-  
fiteátur, quia Dóminus Jesus  
Christus in glória est Dei  
Patris. Hæc est clarificatio  
Dómini nostri Jesu Christi,  
quæ ab ejus resurrectione  
sumpsit exórdium.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Pater, venit hora, \* clari-  
fica Filius tuum claritáte  
quam hábui priúsqum mun-  
dus esset apud te. Allelúia.

*Oratio* Deus, a quo bona,  
*ut supra*, 414.





# IN ASCENSIONE DOMINI.

## AD VESPERAS.

*Antiphona* Viri Galilæi,  
cum reliquis de *Laudibus*,  
ut *infra*.

*Psalmus* Dixit Dóminus,  
cum reliquis de *Dominica*,  
134, et loco ultimi, *Psalmus*  
Laudáte Dóminum, omnes  
gentes, 139.

## CAPITULUM.

[Act. c. 1.]

PRIMUM quidem sermónem  
feci de ómnibus, o Theó-  
phile, quæ cœpit Jesus fácere  
et docére usque in diem,  
qua, præcipiens Apóstolis  
per Spíritum Sanctum, quos  
elegit, assúmpsus est.

## HYMNUS.

SALUTIS humanæ Sator,  
Jesu, volúptas córdium,  
Orbis redépti Cónditor,  
Et casta lux amántium.

Qua victus es cleméntia,  
Ut nostra ferres crimina?  
Mortem subires innocens,  
A morte nos ut tólleress?

Perrúmpis inférnum chaos;

Vinctis caténas détrahis;  
Victor triúmpho nóbili  
Ad dexteram Patris sedes.

Te cogat indulgéntia,  
Ut damna nostra sárcias,  
Tuíque vultus cómpotes  
Dites beáto lúmine.

Tu dux ad astra, et sémita,  
Sis meta nostris córdibus,  
Sis lacrymárum gáudium,  
Sis dulce vitæ præmium.

Amen.

*In aliis Hymnis ejusdem  
metri usque ad Pentecosten  
in fine dicitur :*

Jesu, tibi sit glória,  
Qui victor in cœlum redis,  
Cum Patre, et almo Spíritu,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

✠. Ascéndit Deus in ju-  
bilatióne. Allelúia.

℞. Et Dóminus in voce  
tubæ. Allelúia.

*Ad Magnificát, Antiphona.*

Pater, manifestávi nomen  
tuum hominibus quos de-  
disti mihi : nunc autem pro eis

rogo, non pro mundo, quia  
ad te vénio. Allelúia.

## ORATIO.

**C**ONCEDE, quæsumus, om-  
nípotens Deus, ut qui ho-  
dierna die Unigénitum tuum  
Redemptórem nostrum ad  
cælos ascendisse crédimus,  
ipsi quoque mente in cœlés-  
tibus habitemus. Per eúm-  
dem Dóminum nostrum Je-  
sum Christum.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Allelúia.  
Christum Dóminum ascen-  
déntem in cœlum, \* Veníte,  
adorémus. Allelúia.

*Psalmus* Veníte, exulté-  
mus, 2.

## HYMNUS.

**Æ**TERNE Rex altissime,  
Redemptor et fidélium,  
Cui mors perempta détulit  
Summæ triúmphum glóriæ.

Ascéndis orbes síderum,  
Quo te vocábat cœlitus  
Colláta, non humánitus  
Rerum potestas ómnium,

Ut trina rerum máchina,  
Cœléstium, terréstrium,  
Et inferórum cóndita  
Flectat genu jam súbdita.

Tremunt vidéntes Angéli  
Versam vicem mortálium:  
Peccat caro, mundat caro,  
Regnat Deus Dei caro.

Sis ipse nostrum gáudium,  
Manens Olympo præmium,  
Mundi regis qui fábricam,  
Mundána vincens gáudia.

Hinc te precántes, quæsu-  
mus,

Ignósce culpis ómnibus,  
Et corda sursum súbleva  
Ad te supérna grátia.

Ut cum repénite cœperis  
Clarére nube júdicis,  
Pœnas repéllas débitas,  
Reddas corónas pérditas.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui victor in cœlum redis,  
Cum Patre, et almo Spíritu,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

## IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Eleváta est magnificéntia tua  
super cœlos Deus. Allelúia.

## PSALMUS 8.

**D**OMINE, Dóminus noster,  
\* quam admirábile est nomen  
tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est mag-  
nificéntia tua, \* super cœlos.

Ex ore infántium et lactén-  
tium perfecisti laudem prop-  
ter inimicos tuos, \* ut déstruas  
inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos  
tuos, ópera digitórum tuó-  
rum: \* lunam et stellas, quæ  
tu fundásti.

Quid est homo, quod me-  
mor es ejus? aut filius hó-  
minis, quóniam visitas eum?

Minuísti eum paulo minus  
ab Angélis, glória et honóre  
coronásti eum, \* et consti-  
tuísti eum super ópera má-  
nuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pé-  
dibus ejus, \* oves et boves  
univérsas: insuper et pécora  
campi,



Vólucres cœli, et pisces maris, \* qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, \* quam admirábile est nomen tuum in univérſa terra!

*Antiphona.*

Eleváta est magnificéntia tua super cœlos, Deus. Allelúia.

*Antiphona.*

Dóminus in templo sancto suo, Dóminus in cœlo. Allelúia.

PSALMUS 10.

**I**N Dómino confido : quómo dicitis ánimæ meæ : \* Trásmigra in montem sicut passer ?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretâ, \* ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecisti, destruxérunt : \* justus autem quid fecit ?

Dóminus in templo sancto suo : \* Dóminus in cœlo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : \* pálpebræ ejus interrogant filios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : \* qui autem diligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : \* ignis, et sulphur, et spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus,

et justítias diléxit : \* æquitátem vidit vultus ejus.

*Antiphona.*

Dóminus in templo sancto suo, Dóminus in cœlo. Allelúia.

*Antiphona.*

A summo cœlo egréssio ejus, et occúrsus ejus usque ad summum ejus. Allelúia.

PSALMUS 18.

**C**ŒLI enárrant glóriam Dei, \* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, \* et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, \* quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, \* et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum, \* et ipse tanquam sponsus procedens de thámo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam : \* a summo cœlo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : \* nec est qui se abscondat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : \* testimoniúm Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : \* præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Tímor Dómini sanctus,

pérmanens in sæculum sæculi : \* iudícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lápidem pretiósum multum, \* et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea ; \* in custodiéndis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit ? ab occultis meis munda me, \* et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero ; \* et emundábor a delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : \* et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, \* et redémptor meus.

#### *Antiphona*

A summo cœlo egressio ejus, et occúrsus ejus usque ad summum ejus. Allelúia.

✠. Ascéndit Deus in jubilatione. Allelúia.

℟. Et Dóminus in voce tubæ. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

✠. Jube, Domne.

*Benedictio* Benedictione perpétua.

Incipit liber Actuum Apostolorum.

#### LECTIO I.

[Cap. 1.]

**P** RIMUM quidem sermónem

feci de ómnibus, o Theóphile : quæ cœpit Jesus fácere, et docére usque in diem, qua præcípíens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúptus est : quibus et præbuit seípsum vivum post passionem suam in multis arguméntis, per dies quadraginta appárens eis, et loquens de regno Dei. Et convéscens, præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum : quia Joánnes quidem baptizávit aqua, vos autem baptizabimini Spíritu Sancto non post multos hos dies.

℟. Post passionem suam per dies quadraginta appárens eis, et loquens de regno Dei. Allelúia. \* Et vidéntibus illis elevátus est. Allelúia. Et nubes suscepit eum ab óculis eórum. Allelúia.

℟. Et convéscens præcépit eis, ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissionem Patris.

Et vidéntibus.

*Benedictio* Unigénitus Dei Fílius.

#### LECTIO II.

**I** GITUR qui convénérant, interrogábant eum, dicéntes : Dómine, si in témpore hoc restitues regnum Israel ? Dixit autem eis : Non est vestrum nosse témpora vel moménta, quæ Pater pósuit in sua po-

testate : sed accipietis virtutem superveniētis Spiritus Sancti in vos , et eritis mihi testes in Jerúsalem , et in omni Judæa , et Samaria , et usque ad ultimum terræ. Et cum hæc dixisset, vidētibz illis, elevatus est : et nubes suscepit eum ab oculis eorum.

R. Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera : \* Species ejus in nubi- bus cœli, et nomen ejus in æternum permanet. Alleluia.

†. A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.

Species ejus.

*Benedictio Spiritus Sancti gratia.*

### LECTIO III.

CUMQUE intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidisti seum euntem in cœlum. Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerúsalem, sabbati habens iter. Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebat Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et

*Vern.*

Judas Jacobi. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus.

R. Exaltare, Domine. Alleluia. \* In virtute tua. Alleluia.

†. Elevata est magnificentia tua super cœlos, Deus.

In virtute.

Glória Patri.

In virtute.

IN SECUNDO NOCTURNO.

### *Antiphona.*

Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus, et psallemus. Alleluia.

### PSALMUS 20.

DOMINE, in virtute tua lætabitur rex : \* et super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei : \* et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : \* posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te : \* et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutari tuo : \* glóriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum

sæculi : \* lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : \* et in misericórdia Altissimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua omnibus inimicis tuis : \* dextera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clibanum ignis in témpore vultus tui : \* Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : \* et semen eórum a filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : \* cogitavérunt consilia, quæ non potuérunt stabilire.

Quóniam pones eos dorsum : \* in reliquiis tuis præparabis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : \* cantábitus et psallémus virtútes tuas.

*Antiphona.*

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : cantábitus, et psallémus. Allelúia.

*Antiphona.*

Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me. Allelúia.

PSALMUS 29.

EXALTABO te, Dómine, quóniam suscepisti me : \* nec delectásti inimicos meos super me.

Dómine, Deus meus, clamávi ad te, \* et sanásti me.

Dómine, eduxisti ab in-

férno ánimam meam : \* salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus : \* et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : \* et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : \* et ad matutinum lætítia.

Ego autem dixi in abundantia mea : \* Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua, præstitisti decóri meo virtútem.

Avertisti fáciem tuam a me, \* et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo : \* et ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in ságuine meo, \* dum descéndo in corruptiόνem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, \* aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et mísertus est mei : \* Dóminus factus est adjútor meus.

Convertisti planctum meum in gáudium mihi : \* conscidisti saccum meum; et circumdedisti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : \* Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.



*Antiphona.*

Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me. Allelúia.

*Antiphona.*

Ascéndit Deus in jubilatione, et Dóminus in voce tubæ. Allelúia.

## PSALMUS 46.

OMNES gentes, pláudite má-nibus : \* jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis, \* Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, \* et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditatem suam, \* spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo, \* et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite; \* psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus, \* psállite sapiénter.

Regnabit Deus super gentes : \* Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : \* quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

*Antiphona.*

Ascéndit Deus in jubilatione, et Dóminus in voce tubæ. Allelúia.

†. Ascéndens Christus in altum. Allelúia.

℞. Captivam duxit captivitatem. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius píetas.

†. Jube, Domne.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

Sermo sancti Leónis Papæ.

## LECTIO IV.

[Serm. 1 de Ascens. Dom.]

Post beátam et gloriósam resurrectionem Dómini nostri Jesu Christi, qua verum Dei templum, judáica impietate resolutum, divina in tri-duo poténtia suscitávit, quadragenárius hódie, dilectissimi, sanctórum diérum explétus est númerus, sacratíssima ordinatióne dispositus, et utilitatem nostræ eruditiónis impensus : ut dum a Dómino in hoc spátio mora præsentiae corporális exténditur, fides resurrectionis documéntis necessariis munirétur. Mors enim Christi multum discipulórum corda turbáverat : et de supplicio crucis, de emissióne Spíritus, de exanimáti córporis sepultura, gravátis mœstitúdine méntibus, quidam diffidentiae torpor obrépserat.

℞. Tempus est, ut revér-tar ad eum qui me misit, dicit Dóminus, nolite contristári, nec turbétur cor vestrum : \* Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custó-diat. Allelúia, allelúia.

†. Nisi ego abiero, Paráclitus non véniet : cum assump-tus fuero, mittam vobis eum.

Rogo pro vobis.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

LECTIO V.

UNDE beatissimi Apóstoli, omnesque discipuli, qui et de exitu crucis fuerant trépidi, et de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicua roborati, ut Dómino in cœlorum eunte sublimia, non solum nulla afficerentur tristitia, sed etiam magno gaudio replerentur. Et revéra magna et ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super ómnium creaturarum cœlestium dignitatem humáni generis natura conscenderet, supergressúra angélicos órdenes, et ultra Archangelórum altitudines elevánda: nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitúra, nisi æterni Patris recepta consessu, illius glóriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio.

R. Non turbetur cor vestrum: ego vado ad Patrem, et cum assumptus fuero a vobis mittam vobis. Allelúia. \* Spiritum veritátis, et gaudébit cor vestrum. Allelúia.

✠. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis.

Spiritum veritátis.

*Benedictio* Ignem sui amoris.

LECTIO VI.

QUIA igitur Christi ascensio nostra provectio est, et quo præcessit glória cápitis eo spes vocatur et cörperis, dignis, dilectissimis, exultemus gaudiis, et pia gratiarum actione lætemur. Hódie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo supérna penetrávimus, amplióra adépti per ineffabilem Christi grátiam quam per diaboli amiseráimus invidiam. Nam quos viruléntus inimicus primi habitáculi felicitate dejecit, eos sibi incorporátos Dei Filius ad dexteram Patris collocávit: cum quo vivit et regnat in unitate Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

R. Ascéndens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, \* Dedit doná hominibus. Allelúia, allelúia, allelúia.

✠. Ascéndit Deus in jubilatione, et Dóminus in voce tubæ.

Dedit dona.

Glória Patri.

Dedit dona.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Nimis exaltátus est. Allelúia. Super omnes deos. Allelúia.

PSALMUS 96.

DOMINUS regnávít, exúltet terra: \* læténtur ínsulæ multæ.

Nubes et caligo in circúitu ejus : \* justítia et judícium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet,\* et inflammábit in circúitu inimicos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ,\* vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : \* a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus,\* et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adorant sculptília,\* et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : \* audívit, et lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ,\* propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram,\* nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum,\* odíte malum : \* custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo,\* et rectis corde lætítia.

Lætámini, justí, in Dómino : \* et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

*Antiphona.*

Nimis exaltátus est. Alleluia. Super omnes deos. Alleluia.

*Antiphona.*

Dóminus in Sion. Alleluia. Magnus et excélsus. Alleluia.

PSALMUS 98.

**D**OMINUS regnávít, irascántur pópuli : \* qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : \* et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno,\* quóniam terríbile et sanctum est : \* et honor regis judícium diligit.

Tu parásti directiões,\* judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabellum pedum ejus : \* quóniam sanctum est.

Móyses et Aáron in sacerdotibus ejus : \* et Sámuel inter eos qui invocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum,\* et ipse exaudiébat eos : \* in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus,\* et præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster,\* tu exaudiébas eos : \* Deus, tu propítius fuísti eis, et ulciscens in omnes adinventiões eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus,\* quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

*Antiphona.*

Dóminus in Sion. Allelúia.  
Magnus et excelsus. Allelúia.

*Antiphona.*

Dóminus in cœlo. Allelúia.  
Parávit sedem suam. Allelúia.

## PSALMUS 102.

**B**ENEDIC, ánima mea, Dómino : \* et, ómnia quæ intrame sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino : \* et noli oblivisci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitatibus tuis : \* qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de intéritu vitam tuam : \* qui coronat te in misericórdia et miseratió- nibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum : \* renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus : \* et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, \* filiis Israel voluntates suas.

Miserátor, et miséricors Dóminus : \* longánimis, et multum miséricors.

Non in perpétuum irascétur : \* neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis : \* neque secúndum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem cœli a terra : \* corro-

borávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidente : \* longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se : \* quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus : \* homo sicut fœnum ; dies ejus tanquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransibit in illo, et non subsistet : \* et non cognóscet amplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, \* et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in filios filiórum, \* his qui servant testaméntum ejus?

Et mémoires sunt mandatórum ipsíus, ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam : \* et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus : \* poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermonum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus : \* ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus : \* in omni loco



dominationis ejus, benedic,  
ánima mea, Dómino.

*Antiphona.*

Dóminus in cœlo. Allelúia.  
Parávit sedem suam. Alle-  
lúia.

Ÿ. Ascendo ad Patrem  
meum, et Patrem vestrum.  
Allelúia.

R. Deum meum, et Deum  
vestrum. Allelúia.

*Pater noster.*

*Absolutio A vinculis.*

Ÿ. Jube, Domne.

*Benedictio Evangélica léc-  
tio.*

Lectio sancti Evangélii se-  
cúndum Marcum.

LECTIO VII.

[Cap. 16.]

IN illo témpore, Recumbén-  
tibus úndecim discípulis, ap-  
páruit illis Jesus : et expro-  
brávit incredulitátem eórum  
et durítiam cordis : quia iis,  
qui víderant eum resur-  
rexisse, non credidérunt. Et  
réliqua.

Homília sancti Gregórii  
Papæ.

[Homília 29 in Evangelia.]

QUOD resurrectionem do-  
minicam discipuli tarde cre-  
didérunt, non tam illórum  
infirmetas, quam nostra, ut  
ita dicam, futúra firmitas  
fuit. Ipsa namque resurréc-  
tio illis dubitántibus per  
multa arguménta monstráta  
est : quæ dum nos legéntes  
agnóscimus, quid áliud quam  
de illórum dubitatíone soli-

dámur? Minus enim míhi  
María Magdaléne præstitit,  
quæ citius crédidit, quam  
Thomas, qui diu dubitávit.  
Ille étenim dubitádo, vúl-  
nerum cicatríces tétigit, et  
de nostro pectore dubitatió-  
nis vulnus amputávit.

R. Ego rogábo Patrem,  
et álium Paráclitum dabit  
vobis, \* Ut máneat vobiscum  
in ætérnum, Spíritum veri-  
tátis. Allelúia.

Ÿ. Si enim non abíero, Pa-  
ráclitus non véniet ad vos :  
si autem abíero, mittam eum  
ad vos.

Ut máneat.

*Benedictio Divinum auxi-  
lium.*

LECTIO VIII.

AD insinuándam quoque ve-  
ritátem dominicæ resurrec-  
tiónis, notándum nobis est  
quid Lucas réferat, dicens :  
Convéscens præcépit eis ab  
Jerosólymis ne discéderent.  
Et post pauca : Vidéntibus  
illis elevátus est, et nubes  
suscepit eum ab óculis eó-  
rum. Notáte verba, signáte  
mystéria. Convéscens elevá-  
tus est. Comédit, et ascéndit :  
ut videlicet per efféctum co-  
mestiónis, véritas patésceret  
carnis. Marcus vero, priús-  
quam cœlum Dóminus as-  
céndat, eum de cordis atque  
infidelitátis durítia incre-  
passe discipulos mémorat.  
Qua in re quid considerán-  
dum est, nisi quod idcirco

Dóminus tunc discipulos increpávit, cum eos corporáliter reliquit, ut verba, quæ recédens diceret, in corde audiéntium ártius impréssa remanérent?

R. Ponis nubem ascénsu tuum, Dómine : \* Qui ámbulas super pennas ventórum. Allelúia.

Y. Confessióem et decórem induísti, amíctus lumen sicut vestiméntum.

Qui ámbulas.

Glória Patri.

Qui ámbulas.

*Benedictio Ad societátem.*

#### LECTIO IX.

**I**NCREPATA igitur eórum duritia, quid admonéndo dicat, audiámus : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Numquid, fratres mei, sanctum Evangélium vel insensátis rebus, vel brutis animalibus fúerat prædicándum, ut de eo discipulis dicátur, Prædicáte omni creatúræ? Sed omnis creatúræ nómine signátur homo. Omnis autem creatúræ áliquíd habet homo. Habet namque commúne esse cum lapídibus, vivere cum arbóribus, sentíre cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commúne habet áliquíd cum omni creatúra, homo juxta áliquíd omnis creatúra est homo. Omni ergo creatúræ prædi-

cátur Evangélium, cum soli hómini prædicátur.

Te Deum laudámus, 18.

#### AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

**V**IRI Galilæi, quid aspíctis in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic véniet. Allelúia.

*Psalmus Dóminus regnávít, cum reliquis, 19.*

*Antiphona.*

Cumque intueréntur in cœlum eúntem illum, dixerunt. Allelúia.

*Antiphona.*

Elevátis mánibus benedixit eis, et ferebátur in cœlum. Allelúia.

*Antiphona.*

Exaltáte Regem regum, et hymnum dicite Deo. Allelúia.

*Antiphona.*

Vidéntibus illis elevátus est, et nubes suscepit eum in cœlo. Allelúia.

#### CAPITULUM.

[ Act. c. 1. ]

**P**RIUM quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Jesus fácere, et docére usque in diem, quæ præcipiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assumptus est.

#### HYMNUS.

**S**ALUTIS humánæ Sator,  
Jesu, volúptas córdium,  
Orbis redempti Cónditor,

Et casta lux amantium.

Qua victus es clementia,  
Ut nostra ferres crimina?  
Mortem subires innocens,  
A morte nos ut tolleres?

Perrumpis infernum chaos;  
Vinctis catenas detrahis;  
Victor triumpho nobili  
Ad dexteram Patris sedes.

Te cogat indulgentia  
Ut damna nostra sarcias,  
Tuique vultus compotes  
Dites beato lumine.

Tu Dux ad astra, et semita,  
Sis meta nostris cordibus,  
Sis lacrymarum gaudium,  
Sis dulce vitae praeium.

Amen.

✠. Dominus in caelo. Alleluia.

R. Paravit sedem suam. Alleluia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ascendo ad Patrem meum,  
et Patrem vestrum : Deum  
meum, et Deum vestrum.  
Alleluia.

#### ORATIO.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad caelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum.

#### AD PRIMAM.

R. *breve.* Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis. \* Alleluia, alleluia. Christe Fili.

✠. Qui scandis super sidera.

R. Alleluia, alleluia.

Glória Patri. Christe Fili.

✠. Exurge, Christe, adjuva nos. Alleluia.

R. Et libera nos propter nomen tuum. Alleluia.

*Sic dicitur quotidie usque ad Pentecosten.*

*Ad Absolutionem Capituli, Lectio brevis Viri Galilæi, ut infra ad Nonam.*

#### AD TERTIAM.

*Antiphona* Cumque intuerentur.

*Capitulum* Primum quidem, 428.

R. *breve.* Ascendit Deus in jubilatione. \* Alleluia, alleluia. Ascendit.

✠. Et Dominus in voce tubæ.

R. Alleluia, alleluia.

Glória Patri. Ascendit.

✠. Ascendens Christus in altum. Alleluia.

R. Captivam duxit captivitatem. Alleluia.

#### AD SEXTAM.

*Antiphona* Elevatis manibus.

#### CAPITULUM.

[Act., c. 1.]

ET convescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum: quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem bapti-

zabimini Spíritu Sancto non post multos hos dies.

R. *breve*. Ascéndens Christus in altum. \* Allelúia, allelúia. Ascéndens.

Ÿ. Captivam duxit captivitatem.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Ascéndens.

Ÿ. Ascéndo ad Patrem meum, et Patrem vestrum. Allelúia.

R. Deum meum, et Deum vestrum. Allelúia.

### AD NONAM.

*Antiphona* Vidéntibus illis.

#### CAPITULUM.

[Act. c. 1.]

**V**IRI Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

R. *breve*. Ascéndo ad Patrem meum, et Patrem vestrum. Allelúia, allelúia. Ascéndo.

Ÿ. Deum meum, et Deum vestrum.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Ascéndo.

Ÿ. Dóminus in cœlo. Allelúia.

R. Parávit sedem suam. Allelúia.

### AD VESPERAS.

*Antiphona* Viri Galilæi, cum reliquis de Laudibus, 428.

*Psalmi, Capitulum, et*

*Hymnus ut supra ut in primis Vesperis, 417.*

Ÿ. Dóminus in cœlo. Allelúia.

R. Parávit sedem suam. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

O Rex glóriæ, Dómine virtutum, qui triumphátor hódie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos órphanos: sed mitte promissum Patris in nos, Spíritum veritátis. Allelúia.

*Oratio* Concède, quæsumus, 428.

*Infra Octavam Ascensionis usque ad Pentecosten, quotidie fit Officium de Ascensione, nisi occurrat Festum novem Lectionum. De Festis vero trium Lectionum fit tantum commemoratio cum nona Lectione de eis.*

~~~~~

### FERIA SEXTA.

#### IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epístola secúnda beáti Petri Apóstoli.

#### LECTIO I.

[Cap. 1.]

**S**IMON Petrus, servus, et Apóstolus Jesu Christi, iis, qui coæquálem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri, et Salvatóris Jesu Christi. Grátia vobis, et pax adimpleátur in cognitióne Dei, et Christi Jesu Dómini nostri: quómodo ómnia nobis divínæ virtútis suæ, quæ



ad vitam, et pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria, et virtute, per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

R. Post passionem suam per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. Alleluia. \* Et videntibus illis elevatus est. Alleluia. Et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Alleluia.

Ÿ. Et convalescens præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.

Et videntibus.

#### LECTIO II.

Vos autem curam omnem subinferentes, ministræte in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinencia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint, et superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purga-

tionis veterum suorum delictorum.

R. Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera: \* Species ejus in nubibus cæli, et nomen ejus in æternum permanet. Alleluia.

Ÿ. A summo cælo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.

Species.

#### LECTIO III.

QUA PROPTER, fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. Propter quod incipiam vos semper commone de his: et quidem scientes et confirmatos vos in præsenti veritate. Justum autem arbitror quândiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi. Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

R. Exaltare, Domine. Alleluia. \* In virtute tua. Alleluia.

Ÿ. Elevata est magnificentia tua super cælos, Deus.

In virtúte.

Glória Patri.

In virtúte.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO IV.

[Serm. 2 de Ascens. Dom.]

**S**ACRAMENTUM, dilectissimi, salutis nostræ, quam prætio sanguinis sui universitatis conditor æstimavit, a die corporalis ortus usque ad exitum passionis, per dispensationem humilitatis implétum est. Et licet multa, étiam in forma servi, divinitatis signa radiaverint, próprias tamen illius temporis actio ad demonstrandam suscepti hominis pertinuit veritatem. Post passionem vero ruptis mortis vinculis, quæ vim suam in eum qui peccati erat nescius, incedendo perdiderat: infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam: quam Dominus Jesus Christus in multis manifestisque documentis, multorum declaravit aspectibus, donec triumphum victoriæ, quem reportaret a mortuis, inferret et cælis.

℞. Tempus est, ut revértar ad eum qui me misit, dicit Dominus: nolite contristári, nec turbétur cor vestrum: \* Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custódiat. Allelúia, allelúia.

℣. Nisi ego abiero, Paráclitus non véniet: cum as-

súptus fuero, mittam vobis eum.

Rogo pro vobis.

LECTIO V.

**S**ICUT ergo in solemnitate Paschali resurrectio Domini fuit nobis causa lætandi: ita ascensio ejus in cælos præsentium nobis est matéria gaudiorum, recoléntibus illum diem, et rite venerántibus, quo naturæ nostræ humilitas in Christo super omnem cæli militiam, super omnes órdenes Angelórum, et ultra ómnium altitudinem potestatum, ad Dei Patris est provécta conséssum. Quo ordine óperum divinórum nos fundáti, nos ædificáti sumus: ut mirabílior fieret grátia Dei, cum remótis a conspéctu hominum, quæ mérito reveréntiam sui sentiebántur indicare, fides non deficeret, spes non fluctuáret, cháritas non tepéret.

℞. Non turbétur cor vestrum: ego vado ad Patrem: et cum assúptus fuero a vobis, mittam vobis. Allelúia. \* Spíritum veritátis, et gaudébit cor vestrum. Allelúia.

℣. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. Spíritum.

LECTIO VI.

**M**AGNARUM hic vigor est mentium, et valde fidélium lumen est animárum, incunctanter credere, quæ corpóreo non videntur intuitu, et

ibi figere desidéríum, quonéqueas inférre conspéctum. Hæc autem pietas unde in nostris córdibus nascerétur, aut quómodo quisquam justificarétur per fidem, si in iis tantum salus nostra consisteret, quæ obtútibus subjacerent? Unde et illi viro qui de resurrectione Christi videbátur ambígere nisi in ipsius carne vestigia passiónis et visu explorásset et tactu, Quia vidisti me, inquit Dóminus, credidisti: beáti qui non viderunt, et crediderunt.

R. Ascéndens Christus in altum, captívam duxit captivitátém, \* Dedit dona homínibus. Alleluía, alleluía, alleluía.

✠. Ascéndit Deus in jubilatione, et Dóminus in voce tubæ.

Dedit dona.

Glória Patri.

Dedit dona.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundum Marcum.

LECTIO VII.

[Cap. 16.]

In illo témpore, Recumbéntibus undecim discípulis, apparuit illis Jesus: et exprobrávit incredulitátém eórum, et durítiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homília sancti Gregórii Papæ.

[Ex eadem Homília.]

QUI crediderit, et baptizátus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnábitur. Fortásse unusquisque apud semetípsum dicat: Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidélibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Joánnes ait: Qui dicit se nosse Deum, et mandáta ejus non custódit, mendax est.

R. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis, \* Ut máneat vobiscum in ætérnum Spíritum veritátis. Alleluía.

✠. Si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos: si autem abíero, mittam eum ad vos.

Ut máneat.

LECTIO VIII.

QUOD cum ita sit, fidei nostræ veritátém in vitæ nostræ consideratione debémus agnóscere. Tunc enim veráciter fidéles sumus, si quod verbis promíttimus, opéribus complémus. In die quippe baptismatis, ómnibus nos antiqui hostis opéribus, atque ómnibus pompis abrenuntiáre

promisimus. Itaque unusquisque vestrum ad considerationem suam mentis oculos reducat; et si servat post baptismum, quod ante baptismum spopondit, certus jam, quia fidelis est, gaudeat.

R. Ponis nubem ascensum tuum, Domine, \* Qui ambulat super pennas ventorum. Alleluia.

V. Confessionem et decorem induisti, amictus lumen sicut vestimentum.

Qui ambulat.

Glória Patri.

Qui ambulat.

#### LECTIO IX.

**S**ED ecce, si quod promisit, minime servavit, si ad exercenda prava opera, ad concupiscendas mundi pompas dilapsus est: videamus, si jam scit plangere, quod erravit. Apud misericordem namque iudicem nec ille fallax habetur, qui ad veritatem revertitur, etiam postquam mentitur: quia omnipotens Deus, dum libenter nostram poenitentiam suscipit, ipse suo iudicio hoc, quod erravimus, abscondit.

Te Deum laudamus, 18.

~~~~~

#### SABBATO.

##### IN PRIMO NOCTURNO.

De Epistola secunda beati Petri Apostoli.

#### LECTIO I.

[Cap. 3.]

**H**ANC ecce vobis, charissimi-

mi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excitato in commonitione sinceram mentem: ut memores sitis eorum quae praedixi verborum a sanctis Prophetis, et Apostolorum vestrorum, praepitorum Domini et Salvatoris. Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscencias ambulantes, dicentes: Ubi est promissio, aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae. Latet enim eos hoc volentes, quod caeli erant prius, et terra de aqua, et per aquam consistens Dei verbo: per quae, ille tunc mundus aqua inundatus perierit. Coeli autem, qui nunc sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicii, et perditionis impiorum hominum.

R. Post passionem suam per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. Alleluia. \* Et videntibus illis elevatus est. Alleluia. Et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Alleluia.

V. Et convalescens praecipit eis, ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.

Et videntibus.

#### LECTIO II.

**U**NUM vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies



apud Dóminum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dóminus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam revêrti. Advéniet autem dies Dómini ut fur: in quo cœli magno impetu trãsient, eleménta vero calore solvuntur, terra autem, et quæ in ipsa sunt ópera, exurentur. Cum igitur hæc ómnia dissolvenda sint, quales opórtet vos esse in sanctis conversatióibus et pietatibus, expectántes et properántes in adventum diéi Dómini, per quem cœli ardentes solvuntur, et eleménta ignis ardore tabéscent? Novos vero cœlos, et novam terram secúndum promissa ipsius expectámus, in quibus justitia hábitat.

R. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sidera: \* Spécies ejus in núbibus cœli, et nomen ejus in ætérnum pérmanet. Allelúia.

Y. A summo cœlo egressio ejus, et occúrsus ejus, usque ad summum ejus.

Spécies ejus.

### LECTIO III.

PROPTER quod, caríssimi, hæc expectántes, satágite immaculáti, et invioláti ei inveniri in pace. Et Dómini nostri longanimitátem, salutem

arbitrémini: sicut et charíssimus frater noster Paulus secúndum datam sibi sapiéntiam scripsit vobis, sicut et in ómnibus epístolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intelléctu, quæ indócti et instábiles deprávant, sicut et céteras Scriptúras, ad suam ipsórum perditionem. Vos igitur, fratres, præsciéntes custodíte, ne insipientium errore tradúcti, excidátis a própria firmitáte. Crécite vero in grátia, et in cognitióne Dómini nostri, et Salvatóris Jesu Christi. Ipsi glória et nunc, et in diem æternitátis. Amen.

R. Exaltáre, Dómine. Allelúia. \* In virtute tua. Allelúia.

Y. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos, Deus.

In virtúte.

Glória Patri.

In virtúte.

### IN SECUNDO NOCTURNO.

De sermóne sancti Leónis Papæ.

### LECTIO IV.

[Ex serm. 2 de Ascens. Dom.]

QUOD itaque Redemptóris nostri conspícuum fuit, in sacraménta transívit: et ut fides excelléntior esset ac firmior, visióni doctrína succéssit, cujus auctoritátem supérnis illumináta rádiis credéntium corda sequeréntur. Hanc fidem ascensióne Dó-

mini auctam, et Spiritus Sancti múnere roborátam, non víncula, non cárceres, non exília, non fames, non ignis, non laniátus ferárum, nec exquisita persecuéntium crudelitátibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per univérsum mundum non solum viri, sed étiam fœminæ: nec tantum impúbes púeri, sed étiam téneræ vírgines usque ad effusióem sui sanguinis decertáru. Hæc fides dæmónia ejécit, ægritudines depulit, mórtuos suscitávit.

℞. Tempus est ut revértar ad eum qui me misit, dicit Dóminus: nolite contristári, nec turbétur cor vestrum: \* Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custódiat. Allelúia, allelúia.

℣. Nisi ego abíero, Paráclitus non véniet: cum assumptus fuéro, mittam vobis eum.

Rogo pro vobis.

#### LECTIO V.

UNDE et ipsi beáti Apóstoli, qui tot miráculis confirmáti, tot sermónibus erudíti, atrocitátem tamen domínice Passiós expáverant, et veritátem resurrectionis ejus non sine hæsitatióne suscepérant, tantum de ascensióne Dómini profecérunt, ut quidquid illis prius intúlerat metum, verterétur in gáudium. Totam enim contemplatióem

ánimi in divinitátem ad Patris dexteram considéntis eréxerant: nec jam corpóreæ visiós tardabántur objéctu, quo minus in id áciem mentis inténdèrent, quod nec a Patre descendéndo abfúerat, nec a discipulis ascendéndo discésserat. Tunc igitur, dilectíssimi, filius hóminis, Dei Fílius, excellentius sacratíusque innótuit, cum in Patérnæ majestátis glóriam se recepit, et ineffábili modo cœpit esse divinitáte præsentior, qui fáctus est humanitáte loquinquior.

℞. Non turbétur cor vestrum: ego vado ad Patrem: et cum assumptus fuéro a vobis, mittam vobis. Allelúia.

\* Spiritum veritátis, et gaudébit cor vestrum. Allelúia.

℣. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis.

Spiritum.

#### LECTIO VI.

TUNC ad æquálem Patri Filium eruditior fides gressu mentis cœpit accédere, et contrectatióne in Christo corpóreæ substántiæ, quæ Patre minor est, non egere: quóniam glorificáti córporis manénte natúra, eo fides credéntium vocabátur, ubi non carnáli manu, sed spiritali intelléctu par genitóri unigénitus tangerétur. Hinc illud est, quod post resurrectionem suam Dóminus

Mariæ Magdalénæ personam Ecclesiæ gerenti, cum ad contactum ipsius properaret accédere, dicit: Noli me tangere, nondum enim ascendendi ad Patrem meum: hoc est: Nolo ut ad me corporaliter vénias, nec ut me sensu carnis agnóscas: ad sublimióra te differo, majóra tibi præparo: cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius veriúsque palpábis, apprehensúra quod non tangis, et creditúra quod non cernis.

℞. Ascéndens Christus in altum, captivam duxit captivitatem. \* Dedit dona hominibus. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ÿ. Ascéndit Deus in jubilatione, et Dóminus in voce tubæ.

Dedit dona.

Glória Patri.

Dedit dona.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

LECTIO VII.

[Cap. 16.]

In illo témpore, recumbéntibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus; et exprobrávit incredulitatem eórum, et duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homilia sancti Gregórii Papæ.

[Ex eadem Hom. 29.]

SIGNA autem eos, qui credituri sunt, hæc sequéntur. In nómine meo dæmónia ejicient, linguis loquéntur novis, serpentes tollent: et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquidnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditois? Sed hæc necessariá in exórdio Ecclesiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miraculis fuérat nutriéndam: quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus quousque ea in terra jam coáluisse videámus: et si semel radicem fixerint, irrigatio cessábit. Hinc est enim, quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus.

℞. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis, \* Ut máneat vobiscum in ætérnum Spíritus veritátis. Allelúia.

Ÿ. Si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos: si autem abíero, mittam eum ad vos.

Ut máneat.

LECTIO VIII.

HABEMUS de his signis atque virtútibus, quæ adhuc subti-

lius considerare debeamus. Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritaliter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Nam sacerdotes ejus cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt nisi demonia ejiciunt? Et fideles quique, qui jam vite veteris secularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudes et potentiam, quantum praevalent, narrant; quid aliud faciunt, nisi novis linguis loquuntur? Qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt.

R. Ponis nubem ascensum tuum, Domine: \* Qui ambulas super pennas ventorum. Alleluia.

V. Confessionem et decorem induisti, amictus lumen sicut vestimentum.

Qui ambulas.

Gloria Patri.

Qui ambulas.

#### LECTIO IX.

Et dum pestíferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur: mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocet. Qui quoties proximos suos in bono opere infirmati conspiciunt, dum eis tota virtute concurrunt,

et exemplo suae operationis illorum vitam roborant qui in propria actione titubant; quid aliud faciunt, nisi super aegros manus imponunt, ut bene habeant? Quae nimirum miracula tanto majora sunt, quanto spiritalia: tanto majora sunt, quanto per haec non corpora, sed animae suscitantur.

Te Deum laudamus, 18.

#### AD VESPERAS.

##### CAPITULUM.

[1 Pet. c. 4.]

CHARISSIMI, Estote prudentes, et vigilate in orationibus. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Hymnus Salutis humanae, 428.

V. Dominus in caelo. Alleluia.

R. Paravit sedem suam. Alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Alleluia.

##### ORATIO.

OMNIPOTENS sempiternus Deus, fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem, et majestati tuae sincero corde servire. Per Dominum nostrum.



*Et fit commemoratio de Ascensione.*

*Antiphona.*

O Rex glóriæ, Dómine virtutum, qui triumphátor hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos órphanos : sed mitte promissum Patris in nos, Spíritum veritátis. Allelúia.

Ÿ. Ascéndit Deus in jubilatione. Allelúia.

R. Et Dóminus in voce tubæ. Allelúia.

ORATIO.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui hodierna die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad cœlos ascendisse crédimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

## DOMINICA

INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

*Totum Officium fit de Ascensione, exceptis his, quæ hic habentur propria.*

*Si Lectiones primi Nocturni lectæ sunt pridie, quando scilicet in Sabbato præcedenti occurrit Festum S. Joannis ante Portam Latinam, in Dominica legantur Lectiones Feriæ secundæ sequentis.*

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epístola primi beati Joánnis Apóstoli.

LECTIO I.

[Cap. 1.]

Quod fuit ab initio, quod vidimus óculis nostris, quod perspéximus, et manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ : et vita manifestáta est, et vidimus, et testámur, et annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, et appáruit nobis : quod vidimus et audivimus, annuntiámus vobis, ut et vos societátem habeátis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo. Et hæc scribimus vobis ut gaudeátis, et gáudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, et annuntiámus vobis : Quóniam Deus lux est, et ténebræ in eo non sunt ullæ.

R. Post passiónem suam per dies quadraginta appárens eis, et loquens de regno Dei. Allelúia. \* Et vidéntibus illis elevátus est. Allelúia. et nubes suscepit eum ab óculis eórum. Allelúia.

Ÿ. Et convéscens præcepit eis, ab Jerosólymis ne discederent, sed expectárent promissionem Patris.

Et convéscens.

LECTIO II.

Si dixérimus quóniam so-

ciétatem habémus cum eo , et in ténebris ambulámus , mentímur , et veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus sicut et ipse est in luce , sociétatem habémus ad invicem , et sanguis Jesu Christi Fílii ejus emúndat nos ab omni peccáto. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus , ipsi nos sedúci-mus , et véritas in nobis non est. Si confiteámur peccáta nostra , fidélis est et justus , ut remíttet nobis peccáta nostra , et emúndet nos ab omni iniquitáte. Si dixérimus quóniam non peccávimus , mendácem fácimus eum , et verbum ejus non est in nobis.

R. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sídera : \* Spécies ejus in núbibus cœli , et nomen ejus in ætérnum pérmanet. Allelúia.

Ÿ. A summo cœlo egrés-sio ejus , et occúrsus ejus usque ad summum ejus.

Spécies ejus.

#### LECTIO III.

[ Cap. 2. ]

FILIOLI mei , hæc scribo vobis , ut non peccétis. Sed et si quis peccáverit , advocátum habémus apud Patrem , Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccátis nostris : non pro nostris autem tantum , sed étiam pro totíus mundi. Et in hoc scimus quóniam cognóvimus

eum , si mandáta ejus observémus. Qui dicit se nosse eum , et mandáta ejus non custódit , mendax est , et in hoc véritas non est. Qui autem servat verbum ejus , vere in hoc cháritas Dei perfécta est : et in hoc scimus quóniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manére , debet , sicut ille ambulávit , et ipse ambuláre.

R. Exaltáre , Dómine. Allelúia. \* In virtúte tua. Allelúia.

Ÿ. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos , Deus.

In virtúte.

Glória Patri.

In virtúte.

#### IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Augustini Epíscopi.

#### LECTIO IV.

[ Serm. 2 de Ascens. Domini. ]

SALVATOR noster , dilectissimi fratres , ascéndit in cœlum : non ergo turbémur in terra. Ibi sit mens , et hic erit réquies. Ascendámus cum Christo ínterim corde : cum dies ejus promíssus advénerit , sequémur et corpore. Scire tamen debémus , fratres , quia cum Christo non ascéndit supérbia , non avarítia , non luxúria : nullum vitium nostrum ascéndit cum mé-dico nostro. Et ídeo si post médicum desiderámus ascéndere , debémus vítia et pec-

cáta depónere. Omnes enim quasi quibúsdam compédi-  
bus nos premunt, et pecca-  
tórum nos rétibús ligáre con-  
téndunt: et ideo cum Dei  
adjutório, secúndum quod  
ait Psalmísta: Dirumpámus  
víncula eórum: ut secúri  
possimus dicere Dómino:  
Dirupísti víncula mea, tibi  
sacrificábo hóstiam laudis.

R. Tempus est, ut revér-  
tar ad eum qui me misit,  
dicit Dóminus: nolite con-  
tristári, nec turbétur cor ves-  
trum: \* Rogo pro vobis Pa-  
trem, ut ipse vos custódiat.  
Allelúia, allelúia.

✠. Nisi ego abiero, Pa-  
ráclitus non véniet: cum as-  
súptus fuero, mittam vobis  
eum.

Rogo pro vobis.

#### LECTIO V.

**RESURRECTIO** Dómini spes  
nostra est: ascénsio Dómini  
glorificátio nostra est. As-  
censiónis hódie solémnia ce-  
lebrámus. Si ergo recte, si  
fidéliter, si devóte, si sancte,  
si pie ascensiónem Dómini  
celebrámus, ascendámus cum  
illo, et sursum corda habeá-  
mus. Ascendéntes autem non  
extollámur, nec de nostris,  
quasi de própriis méritis præ-  
sumámus. Sursum autem cor-  
da habére debémus ad Dó-  
minum. Sursum enim cor  
non ad Dóminum supérbia  
vocátur: sursum autem cor  
ad Dóminum, refúgium vo-

cátur. Vidéte, fratres, mag-  
num miráculum. Altus est  
Deus, érigis te, et fugit a  
te: humílias te, et descendit  
ad te. Quare hoc? Quia excél-  
sus est, et humília réspicit,  
et alta de longe cognóscit.  
Humília de próximo réspicit,  
ut attóllat: alta, id est, su-  
pérba, de longe cognóscit,  
ut déprimat.

R. Non turbétur cor ves-  
trum: ego vado ad Patrem,  
et cum assúptus fuero a  
vobis, mittam vobis. Alle-  
lúia. \* Spíritum veritátis, et  
gaudebit cor vestrum. Alle-  
lúia.

✠. Ego rogábo Patrem, et  
álium Paráclitum dabit vobis.  
Spíritum.

#### LECTIO VI.

**RESURREXIT** enim Christus,  
ut spem nobis daret, quia  
surgit homo, qui móritur:  
ne moriéndó desperarémus,  
et vitam nostram in morte  
fínitam putarémus; secúros  
nos fecit. Solíciti enim erá-  
mus de ipsa ánima: et ille  
nobis resurgéndo de carnis  
resurrectióne fidúciám dedit.  
Crede ergo, ut mundéris.  
Prius te opórtet crédere, ut  
póstea per fidem Deum me-  
reáris aspícere. Deum enim  
vidére vis? Audi ipsum: Beá-  
ti mundo corde, quóniam  
ipsi Deum vidébunt. Prius  
ergo cógita de corde mun-  
dándó: quidquid ibi vides,  
quod displicet Deo, tolle.

R. Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, \* Dedit dona hominibus. Alleluia, alleluia, alleluia.

✠. Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubae.

Dedit dona.

Gloria Patri.

Dedit dona.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO VII.

[Cap. 15.]

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 92 in Joan.]

**DOMINUS** Jesus, in sermone, quem locutus est discipulis suis post cenam, proximus passioni, tanquam iturus, et relicturus eos praesentia corporali, cum omnibus autem suis usque in consummationem saeculi futurus praesentia spiritali, exhortatus est eos ad perferendas persecutiones impiorum, quos mundi nomine nuncupavit: ex quo tamen mundo etiam ipsos discipulos se elegisse dixit: ut scirent se Dei gratia esse,

quod sunt: suis autem vitis fuisse, quod fuerunt.

R. Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, \* Ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis. Alleluia.

✠. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Ut maneat.

*Benedictio* Divinum auxilium.

LECTIO VIII.

**DEINDE** persecutores et suos et ipsorum, Judaeos evidenter expressit: ut omnino appareret, etiam ipsos mundi damnabilis appellatione conclusos, qui persequuntur sanctos. Cumque de illis diceret, quod ignorarent eum, a quo missus est; et tamen odissent et Filium, et Patrem, hoc est, et eum qui missus est, et eum a quo missus est, (de quibus omnibus in aliis sermonibus jam disseruimus) ad hoc pervenit, ubi ait: Ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.

R. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos: \* Cum autem venerit ille, docebit vos omnem veritatem. Alleluia.

✠. Non enim loquetur a semetipso: sed quaecumque audiet, loquetur: et quae



ventúra sunt, annuntiábit vobis.

Cum autem.

Glória Patri.

Cum autem.

#### LECTIO IX.

**D**EINDE tanquam consequenter adjúnxit, unde modo disputáre suscepimus: Cum autem vénerit Paráclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spíritum veritátis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Quid hoc pertinet ad illud quod dixerat: Nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum: sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis? An quia Paráclitus quando venit Spíritus veritátis, eos, qui viderunt et oderunt, testimonio manifestiore convicit? Imo vere etiam aliquos ex illis, qui viderunt, et adhuc oderant, ad fidem, quæ per dilectionem operatur, sui manifestatione convertit.

Te Deum laudamus, 18.

#### AD LAUDES.

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Viri Galilæi, \* quid aspiciatis in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet. Allelúia.

*Psalmus* Dóminus regnavit, cum reliquis, 19.

*Antiphona.*

Cumque intueréntur \* in cœlum euntem illum, dixerunt. Allelúia.

*Antiphona.*

Elevátis manibus \* benedixit eis, et ferebátur in cœlum. Allelúia.

*Antiphona.*

Exaltáte Regem \* regum, et hymnum dicite Deo. Allelúia.

*Antiphona.*

Videntibus illis \* elevátus est, et nubes suscepit eum in celo. Allelúia.

#### CAPITULUM.

[I. Pet. c. 4.]

**C**HARISSIMI, Estóte prudentes, et vigiláte in orationibus. Ante ómnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas óperit multitudinem peccatorum.

*Hymnus* Salútis humanæ, 428.

✠. Dóminus in cœlo. Allelúia.

R. Parávit sedem suam. Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Cum vénerit Paráclitus, \* quem ego mittam vobis Spíritum veritátis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Allelúia.

#### ORATIO.

**O**MNIPOTENS sempitérne Deus, fac nos tibi semper et

devótam gérere voluntátem, et majestáti tuæ sincéro corde servíre. Per Dóminum nostrum.

*Et fit commemorario de Ascensione.*

*Antiphona.*

Ascéndo ad Patrem meum, et Patrem vestrum : Deum meum, et Deum vestrum. Allelúia.

✠. Ascéndit Deus in jubilatione. Allelúia.

℞. Et Dóminus in voce tubæ. Allelúia.

*Oratio* Concéde, quæsumus, ut supra, 429.

*Ad Absolutionem Capituli, ad Primam, Lectio brevis* Si quis lóquitur, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM.

*Antiphona* Cumque intueréntur.

*Capitulum* Charíssimi, es-tóte, ut supra, 443.

℞. *breve.* Ascéndit Deus in jubilatione. \* Allelúia, allelúia. Ascéndit.

✠. Et Dóminus in voce tubæ.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Ascéndit.

✠. Ascéndens Christus in altum. Allelúia.

℞. Captívam duxit captivitátem. Allelúia.

AD SEXTAM.

*Antiphona* Elevátis máni-bus.

CAPITULUM.

[ I Pet. c. 4. ]

**H**OSPITALES invicem sine murmuratione. Unusquisque, sicut accépit grátiam, in alté-rutrum illam administrátes, sicut boni dispensatóres mul-tifórmis grátiae Dei.

℞. *breve.* Ascéndens Chris-tus in altum. \* Allelúia, al-lelúia. Ascéndens.

✠. Captívam duxit capti-vitátem.

Glória Patri. Ascéndens.

✠. Ascéndo ad Patrem meum, et Patrem vestrum. Allelúia.

✠. Deum meum, et Deum vestrum. Allelúia.

AD NONAM.

*Antiphona* Vidéntibus il-lis.

CAPITULUM.

[ I Pet. c. 4. ]

**S**I quis lóquitur, quasi ser-mónes Dei : si quis ministrat, tanquam ex virtúte quam administrat Deus : ut in óm-nibus honorificétur Deus per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℞. *breve.* Ascéndo ad Pa-trem meum, et Patrem ves-trum. \* Allelúia, allelúia. As-céndo.

✠. Deum meum, et Deum vestrum.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Ascéndo.

✠. Dóminus in cœlo. Allelúia.

℞. Parávit sedem suam. Allelúia.

### AD VESPERAS.

*Antiphona* Viri Galilæi, quid, cum reliquis de Laudibus, 432.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi, *Psalmus* Laudáte Dóminum, omnes gentes, ut supra, 139.

*Capitulum, et Hymnus, ut supra in Vesperis, 427.*

✠. Dóminus in cœlo. Allelúia.

℞. Parávit sedem suam. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Hæc locútus sum \* vobis, ut cum vénerit hora eórum, reminiscámini quia ego dixi vobis. Allelúia.

*Oratio* Omnipotens sempitérne, ut supra, 432.

*Et fit commemoratio de Ascensione.*

*Antiphona.*

O Rex glóriæ, Dómine virtútum, qui triumphátor hódie super omnes cœlos ascendisti ne derelinquas nos órphanos: sed mitte promissum Patris in nos, Spíritum veritátis. Allelúia.

✠. Ascéndit Deus in jubilatione. Allelúia.

℞. Et Dóminus in voce tubæ. Allelúia.

*Oratio* Concède, quæsumus, ut supra, 428.

*Vern.*

### FERIA SECUNDA

post dominicam infra octavam  
ASCENSIONIS.

IN PRIMO NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

LECTIO I.

[Cap. 3.]

VIDETE qualem charitátem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominémur et simus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum. Charíssimi, nunc filii Dei sumus: et nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam cum apparúerit, similes ei érimus: quóniam vidébimus eum sicuti est. Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Omnis, qui facit peccátum, et iniquitatem facit: et peccátum est iniquitas. Et scitis quia ille appáruit ut peccáta nostra tólleret: et peccátum in eo non est. Omnis, qui in eo manet, non peccat: et omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognóvit eum.

℞. Post passiónem suam per dies quadraginta appárens eis, et loquens de regno Dei. Allelúia. \* Et vidéntibus illis elevátus est. Allelúia. Et nubes suscepit eum ab óculis eórum. Allelúia.

✠. Et convéscens præcepit eis, ab Jerosólymis ne dis-

céderent, sed expectarent promissionem Patris.

Et vidéntibus.

LECTIO II.

**F**ILIOLI, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est: sicut et ille justus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus justa.

**R.** Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera: \* Species ejus in nubibus cœli, et nomen ejus in æternum permanet. Alleluia.

**V.** A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.

Species ejus.

LECTIO III.

**N**OLITE mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus

quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clausit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.

**R.** Exaltare, Domine. Alleluia. \* In virtute tua. Alleluia.

**V.** Elevata est magnificentia tua super cœlos, Deus.

In virtute.

Glória Patri.

In virtute.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

LECTIO IV.

[Serm. de Ascen. Dom. tom. 3.]

**C**HRISTUS ascendens in cœlum, nostræ naturæ primitias obtulit Patri, et oblatum donum miratus est Pater, quod et tanta dignitas offerebat, et quod offerebatur, nulla macula fedabatur. Nam et suis manibus suscepit oblatum, et suæ sedis fecit esse



participem, et quod plus est, ad partem suæ dexteræ collocavit. Cognoscamus, quis est ille, qui audivit, Sede ad dexteram meam: quæ natura est, cui Deus dixit, esto meæ particeps sedis. Illa natura est, quæ audivit: Terra es, in terram ibis.

R. Tempus est, ut revérter ad eum qui me misit, dicit Dóminus: nolite contristári, nec turbétur cor vestrum: \* Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custódiat. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Nisi ego abiero, Paráclitus non véniet: cum assumptus fuero, mittam vobis eum.

Rogo pro vobis.

## LECTIO V.

Non enim ad omnem glóriam cœlos transisse suffecerat, non cum Angelis stare: sed cœlos transivit, supra Chérubim ascéndit, ultra Séraphim elevátur, nec antestit, nisi sedem Domínicam meruisset. Vide quo spátio cœlum separátur a terra, imo terra quanto ab inferis abest, et ipsum cœlum quanto ab altióre cœlo separátur, et de altióre cœlo ad Angelos quantum spátii est, ad superiores étiam potestates, ad ipsam quoque Domínicam sedem. Super hæc ómnia natura nostra eleváta est, ut homo, qui loco tam húmili tenebátur, ut descéndere non

posset ultérius, ad tam excelsam sedem elevarétur, ut áltius non posset ascéndere.

R. Non turbétur cor vestrum: ego vado ad Patrem: et cum assumptus fuero a vobis, mittam vobis. Allelúia. \* Spíritum veritátis, et gaudébit cor vestrum. Allelúia.

Ÿ. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. Spíritum veritátis.

## LECTIO VI.

Et hæc osténdens Paulus dicebat: Qui descéndit, ipse est qui ascéndit. Et iterum: Descéndit ad inferióra terræ, et ascéndit super omnes cœlos. Discite igitur quisnam ascéndit, et quæ natura eleváta est. In hoc enim cúpio remorári sermóne, ut húmáni géneris commemoratióne, divínam cleméntiam cum omni admiratióne discamus, quæ summum honórem, magnámque glóriam nostræ naturæ largita est, quæ ómnibus hodiérna die méruit excelsior reperiri. Hódie Angeli atque Archángeli naturam nostram in sede Domínica immortáli glória fulgéntem viderunt.

R. Ascéndens Christus in altum, captivam duxit captivitátem, \* Dedit dona hominibus. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ÿ. Ascéndit Deus in jubilatione, et Dóminus in voce tubæ.

Dedit dona.

Glória Patri.  
Dedit dona.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

LECTIO VII.

[Cap. 16.]

**I**n illo tempore, Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus : et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis : quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Ex ead. Homilia. 29.]

**E**t Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. In veteri testamento cognovimus, quod Elias sit raptus in cœlum. Sed aliud est cœlum aereum, aliud æthereum. Cœlum quippe aereum terræ est proximum : unde et aves cœli dicimus, quia eas volitare in ære videmus. In cœlum itaque aereum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quo usque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat. Ille etenim mortem distulit, non evasit : Redemptor autem noster, quia non distulit, superavit, eamque resurgendo consumpsit, et resurrectionis

suae glóriam ascendendo declaravit.

**R.** Ego rogabo Patrem, et alium Paráclitum dabit vobis, \* Ut maneat vobiscum in ætérnum; Spiritum veritatis. Alleluia.

**Ÿ.** Si enim non abiero, Paráclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.

Ut maneat.

LECTIO VIII.

**N**otandum quoque est, quod Elias in curru legitur ascendisse : ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe facta illa et ostensa sunt adiumenta : quia nec in cœlum quidem aereum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noster non curru, non Angelis sublevatus legitur : quia is, qui fecerat omnia, nimirum super omnia, sua virtute ferebatur. Illo etenim revertebatur, ubi erat : et inde redibat, ubi remanebat : quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatem suam et terram pariter continebat et cœlum.

**R.** Ponis nubem ascensum tuum, Domine : \* Qui ambulat super pennas ventorum. Alleluia.

**Ÿ.** Confessionem et decór-

rem induisti, amictus lumen  
sicut vestimentum.

Qui ámbulas.

Glória Patri.

Qui ámbulas.

#### LECTIO IX.

SICUT autem Joseph a fratribus vénditus venditióem Redemptóris nostri figurávit: sic Henoch translátus, atque ad cœlum aéreum Elias sublevátus, ascensióem Domínicam utrúque designávit. Ascensióis ergo suæ Dóminus prænúntios et testes hábuit, unum ante legem, álium sub lege: ut quandóque veniret ipse, qui veráciter cœlos penetráre potuisset. Unde et ipse ordo in eórum quoque utrorúmqe sublevatióne per quædam incrementa distinguitur. Nam Henoch translátus, Elias vero ad cœlum subvéctus esse memorátur: ut veniret póstmodum, qui nec translátus, nec subvéctus, cœlum æthéreum sua virtúte penetráret.

Te Deum laudámus, 18.

~~~~~

#### FERIA TERTIA.

IN PRIMO NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

#### LECTIO I.

[Cap. 4.]

CHARISSIMI, nolíte omni spíritui crédere, sed probáte spíritus si ex Deo sint: quóniam multi pseudoprophætæ

exiérunt in mundum. In hoc cognóscitur spíritus Dei: omnis spíritus qui confitétur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: et omnis spíritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus, de quo audístis quóniam venit, et nunc jam in mundo est. Vos ex Deo estis filioli, et vicístis eum quóniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquúntur, et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognóscimus Spíritum veritátis, et spíritum erróris.

℞. Post passióem suam per dies quadragínta appárens eis, et loquens de regno Dei. Allelúia. \* Et vidéntibus illis elevátus est. Allelúia. Et nubes suscepit eum ab óculis eórum. Allelúia.

℣. Et convéscens præcepit eis, ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissióem Patris.

Et vidéntibus.

#### LECTIO II.

CHARISSIMI, diligámus nos invicem: quia cháritas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognóscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quóniam Deus cháritas est. In hoc appáruit cháritas Dei in nobis,

quóniam Filium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est charitas : non quasi nos dilexérimus Deum, sed quoniam ipse prior diléxit nos, et misit Filium suum propitiatióem pro peccátis nostris. Charíssimi, si sic Deus diléxit nos : et nos debémus altérutrum diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invícem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfécta est. In hoc cognóscimus quóniam in eo manémus, et ipse in nobis : quóniam de Spíritu suo dedit nobis. Et nos vidimus et testificámur quóniam Pater misit Filium suum Salvatórem mundi.

R. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sídera :  
\* Spécies ejus in núbibus cœli, et nomen ejus in ætérnum permanet. Allelúia.

✠. A summo cœlo egressio ejus, et occúrsus ejus usque ad summum ejus.

Spécies ejus.

#### LECTIO III.

**Q**UISQUIS conféssus fúerit quóniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognóvimus, et credidimus charitati quam habet Deus in nobis. Deus charitas est : et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfécta est charitas Dei nobíscum, ut

fidúciam habeámus in die judicii : quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate : sed perfécta charitas foras mittit timórem, quóniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perféctus in charitate. Nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos. Si quis dixerit quóniam diligo Deum, et fratrem suum óderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quómodo potest diligere? Et hoc mandátum habémus a Deo : ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

R. Exaltáre, Dómine. Allelúia. \* In virtúte tua. Allelúia.

✠. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos, Deus.

In virtúte.

Glória Patri.

In virtúte.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Máximi Episcopi.

#### LECTIO IV.

[Hom. 43 quæ est 2 de Pentec.]

**M**EMINIT sánctitas vestra, quod áquilæ illi de Psaltério, cujus innovátam juventútem légimus, comparáverim Salvatórem. Est enim similitúdo non parva. Sicut enim áquila humilia désert, alta petit, cœlórums vicinã conscéndit : ita et Salvátor humilia inférni déservit, paradisi altióra pé-



tiit, cœlorum fastigia penetravit. Et sicut aquila, relictis terrenis sordibus, sublime volans, purioris aeris salubritate perfruitur: ita et Dominus terrenorum faciem deserens peccatorum, in sanctis suis volitans, purioris vitæ simplicitate lætatur.

R. Tempus est, ut revértar ad eum, qui me misit, dicit Dominus: nolite contristári, nec turbétur cor vestrum: \* Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custódiat. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Nisi ego abiero, Paráclitus non véniet: cum assumptus fuero, mittam vobis eum.

Rogo pro vobis.

## LECTIO V.

PER omnia igitur aquilæ comparatio convenit Salvatori. Sed quid facimus, quod aquila prædam frequenter diripit, tollit frequenter alienum? Nec in hoc tamen dissimilis est Salvator. Prædam enim quodammodo sustulit, cum hominem quem suscepit, inférni raptum faucibus portavit ad cœlum, et alienæ dominationis, id est, diabolicæ potestatis servum de captivitate erutum, duxit ad altiora captivum, sicut scriptum est in Prophéta: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.

R. Non turbétur cor ves-

trum: ego vado ad Patrem: et cum assumptus fuero a vobis, mittam vobis. Allelúia. \* Spíritum veritátis, et gaudébit cor vestrum. Allelúia

Ÿ. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. Spíritum.

## LECTIO VI.

ASCENDIT, inquit, in altum, captivam duxit captivitatem. Quam bene triúmphum Dómini Prophéta describit! Solébat, sicut dicunt, regum triúphantium currus captivorum pompa præcedere. Ecce Dóminum euntem ad cœlos non præcedit, sed comitátur gloriósa captivitas, non ante vehículum ducitur, sed ipsa évehit Salvatórem. Quodam enim mystério, dum Filium Dei, filium hominis sustulit ad cœlum, ipsa captivitas portátur, et portat.

R. Ascéndens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, \* Dedit dona hominibus. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ÿ. Ascéndit Deus in jubilatione, et Dóminus in voce tubæ.

Dedit dona.

Glória Patri.

Dedit dona.

## IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangélii secundum Marcum.

## LECTIO VII.

[ Cap. 16. ]

In illo tempore, Recumbén-

tibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus : et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis : quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Ex eadem Homilia 29.]

**C**ONSIDERANDUM vero nobis est, quid est quod Marcus ait : Sedet a dextris Dei : et Stephanus dicit : Video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. Quid est quod hunc Marcus sedentem, Stephanus vero stantem se videre testatur? Sed scitis, fratres, quia sedere iudicantis est, stare vero pugnantis, vel adjuvantis.

R. Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, \* Ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Alleluia.

✠. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.

Ut maneat.

#### LECTIO VIII.

**Q**UIA ergo Redemptor noster assumptus in cœlum, et nunc omnia iudicat, et ad extremum iudex omnium veniet : hunc post assumptionem Marcus sedere describit, quia post ascensionis suæ gloriā iudex in fine videbitur. Stephanus vero hunc

in labore certaminis positum stantem vidit, quem adiutorem habuit : quia ut iste in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de cœlo illius grātia pugnāvit.

R. Ponis nubem ascensum tuum, Dómine : \* Qui ambulat super pennas ventorum. Alleluia.

✠. Confessionem et decorem induisti, amictus lumen sicut vestimentum.

Qui ambulat.

Glória Patri.

Qui ambulat.

#### LECTIO IX.

**S**EUQUITUR : Illi autem profecti prædicaverunt ubique Dómino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Quid in his considerandum est, quid memoriæ commendandum : nisi quod præceptum obedientiæ, obedientiam vero signa secuta sunt? Sed quia auctore Deo breviter lectionem evangelicam exponendo transcurrimus : restat, ut aliquid de ipsa tantæ consideratione solemnitatis dicamus.

Te Deum laudamus, 18.

~~~~~

#### FERIA QUARTA.

##### IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epistola secunda beati Joannis Apóstoli.

##### LECTIO I.

**S**ENIOR Elæctæ dómīnæ, et natis ejus, quos ego diligo in veritate, et non ego solus,

sed et omnes, qui cognoverunt veritatem, propter veritatem, quæ permanet in nobis, et nobiscum erit in æternum. Sit vobiscum grátia, misericórdia, pax a Deo Patre, et a Christo Jesu Filio Patris in veritate, et charitate. Gavisus sum valde, quóniam invéni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandátum accepimus a Patre. Et nunc rogo te, dómina, non tanquam mandátum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum.

R. Post passionem suam per dies quadraginta appárens eis, et loquens de regno Dei. Allelúia. \* Et vidéntibus illis elevátus est. Allelúia. Et nubes suscepit eum ab óculis eórum. Allelúia.

✠. Et convéscens præcepit eis, ab Jerosólymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.

Et vidéntibus.

#### LECTIO II.

ET hæc est caritas, ut ambulémus secúndum mandáta ejus. Hoc est enim mandátum, ut quemádmódum audistis ab initio, in eo ambulétis: quóniam multi seductóres exiérunt in mundum, qui non confiténtur Jesum Christum venisse in carnem: hic est sedúctor, et antichristus. Vidéte vosmetipsos, ne perdátis quæ operáti estis:

sed ut mercédem plenam accipiátis. Omnis, qui recédit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Fílium habet.

R. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sidera: \* Spécies ejus in núbibus cœli, et nomen ejus in æternum permanet. Allelúia.

✠. A summo cœlo egressio ejus, et occúrsus ejus usque ad summum ejus.

Spécies.

#### LECTIO III.

SI quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolíte recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat opéribus ejus malignis. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui: ut gáudium vestrum plenum sit. Salútant te filii soróris tuæ Eléctæ.

R. Exaltáre, Dómine. Allelúia. \* In virtúte tua. Allelúia.

✠. Eleváta est magnificéntia tua snper cœlos, Deus.

In virtúte.

Glória Patri.

In virtúte.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Gregórii Nyssæni.

#### LECTIO VI.

[ Orat de Ascens. Dom. ]

HODIERNAM celebritátem sa-

tis per se magnam, Prophéta David majórem éfficit, dum illi gáudium e Psalmis adjúgit. Hic enim excélsus Prophéta supra seípsum egrédiens, tanquam corporis óne-re nihil premátur, infert se coeléstibus potestátibus, et voces eárum nobis expónit, cum in coelum redeúntem Dóminum ipsæ comitántes, Angelis, qui versántur in terris, quibúsque in humánam vitam ingrédus commissus est, imperant ad hunc modum: Tóllite portas, principes, vestras, et elevámini portæ æternáles, et introíbit Rex glóriæ.

R. Tempus est ut revértar ad eum qui me misit, dicit Dóminus: nolite contristári, nec turbétur cor vestrum: \* Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custódiat. Allelúia, allelúia.

✠. Nisi ego abiero, Paráclitus non véniet: cum assumptus fuero, mittam vobis eum.

Rogo pro vobis.

#### LECTIO V.

ET quóniam ubicúmque fuérit ille, qui in seípso ómnia cóntinet, pro suscipiéntium captu seípsum dimetitur (neque enim solum inter hómines homo fit, verum étiam dum inter Angelos versátur, ad illórum vocem sese demittit) idcirco janitóres interrogant: Quis est iste Rex

glóriæ? Respóndent ipsis, demonstrántque fortem et poténtem in prælio, qui pugnatúrus erat contra illum, qui natúram humánam in servitúte captívam detinébat, et eversúrus eum, qui mortis habébat impérium: ut gravíssimo hoste superáto, genus hóminum in libertátem et pacem vindicáret.

R. Non turbétur cor vestrum: ego vado ad Patrem, et cum assumptus fuero a vobis, mittam vobis. Allelúia. \* Spíritum veritátis, et gaudébit cor vestrum. Allelúia.

✠. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis.

Spíritum.

#### LECTIO VI.

OCCURRUNT ei custódes, et portas jubent reclúdi, ut in ipsis rursum glóriam assequátur. Verum non agnóscunt eum, qui sórdidam vitæ nostræ stolam indútus est: cujus rubra sunt vestiménta ex humanórum malórum torculári. Itaque rursus cómites ejus vóci-bus illis interrogántur: Quis est iste Rex glóriæ? Respondétur autem non ámplius, fortis et potens in prælio; sed, Dóminus virtútum; qui mundi principátum obtínuit, qui summátim ómnia in se collégit, qui prístinum in statum cuncta restituit: ipse est Rex glóriæ.



R. Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, \* Dedit dona hominibus. Allelúia, allelúia, allelúia.

Y. Ascendit Deus in jubilatione, et Dóminus in voce tubæ.

Dedit dona.

Glória Patri.

Dedit dona.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

LECTIO VII.

[Cap. 16.]

In illo tempore, Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus : et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis : quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Ex ead. Homil. 29.]

Hoc autem nobis primum querendum est, quidnam sit, quod nato Dómino apparuerunt Angeli, et tamen non leguntur in albis vestibus apparuisse? Ascendente autem Dómino, missi Angeli in albis leguntur vestibus apparuisse. Sic etenim scriptum est videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri steterunt juxta illos in vestibus albis.

In albis autem vestibus gaudium et sollemnitas mentis ostenditur. Quid est ergo, quod nato Dómino, non in albis vestibus, ascendente autem Dómino, in albis vestibus Angeli apparent : nisi quod tunc magna sollemnitas Angelis facta est, cum cælum Deus homo penetravit? Quia nascente Dómino videbatur divinitas humiliata : ascendente vero Dómino est humanitas exaltata. Albæ etenim vestes exaltationi magis congruunt quam humiliationi.

R. Ego rogabo Patrem, et alium Paráclitum dabit vobis, \* Ut maneat vobiscum in ætérnum, Spíritum veritatis. Allelúia.

Y. Si enim non abiero, Paráclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.

Ut maneat.

LECTIO VIII.

In Ascensione ergo ejus Angeli in albis vestibus videri debuérunt : quia qui in natiuitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis. Sed hoc nobis magnópere, fratres charissimi, in hac sollemnitate pensandum est : quia deletum est hodierna die chirographum damnationis nostræ, mutata est sententia corruptionis nostræ. Illa enim natura, cui dictum est :

Terra es, et in terram ibis, hódie in cœlum ivit. Pro hac ipsa namque carnis nostræ sublevatióne, per figuram beátus Job Dóminum avem vocat. Quia enim ascensionis ejus mystérium Judæam non intelligere conspexit, de infidelitate ejus per figuram beátus Job sententiam protulit, dicens : Sémitam ignorávit avis.

℞. Ponis nubem ascensum tuum, Dómine : \* qui ámbulas super pennas ventórum. Alleluia.

℣. Confessionem et decorem induisti, amictus lumen sicut vestiméntum.

Qui ámbulas.

Glória Patri.

Qui ámbulas.

#### LECTIO IX.

**A**vis enim recte appellátus est Dóminus, quia corpus cárneum ad æthera libravit. Cujus avis sémitam ignorávit, quisquis eum ad cœlum ascendisse non crédidit. De hac solemnitate per Psalmistam dicitur : Eleváta est magnificentia tua super cœlos. De hac rursus ait : Ascéndit Deus in jubilatione, et Dóminus in voce tubæ. De hac iterum dicit : Ascéndens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Ascéndens quippe in altum, captivam duxit captivitatem : quia corruptionem nostram virtute suæ incor-

ruptionis absorbuit. Dedit vero dona hominibus, quia misso désuper Spíritu, álii sermónem sapiéntiæ, álii sermónem sciéntiæ, álii grátiam virtútum, álii grátiam curatiónum, álii génera linguárum, álii interpretatió-nem tribuit sermónum.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Vesperas, Duplex, omnia ut in primis Vesperis Festi, 407.*

### IN OCTAVA

#### ASCENSIONIS.

*Omnia sicut in die, 417, præter Lectiones, quæ leguntur ut infra.*

#### IN PRIMO NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

#### LECTIO I.

[ Cap. 4. ]

**O**BSECRÓ itaque vos egovinctus in Dómino ut digne ambulétis vocatione, qua vocá estis, cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem Spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus Spíritus sicut vocáti estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et

in ómnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit : Ascéndens in altum, captívam duxit captivitátem : dedit dona hominibus.

℞. Post passiónem suam per dies quadraginta appárens eis, et loquens de regno Dei. Allelúia : \* Et vidéntibus illis elevátus est. Allelúia. Et nubes suscepit eum ab óculis eórum. Allelúia.

℣. Et convéscens præcépit eis, ab Jerosólymis ne discederent, sed expectárent promissiónem Patris.

Et vidéntibus.

#### LECTIO II.

Quod autem ascéndit, quid est, nisi quia et descéndit primum in inferiôres partes terræ? Qui descéndit, ipse est et qui ascéndit super omnes cœlos, ut impléret ómnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios vero Evangelistas, álios autem pastôres, et doctôres, ad consummationem sanctórum in opus ministérii, in ædificationem córporis Christi : donec occurrámus omnes in unitátem fidei, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perfectum, in mensúram ætátis plenitudinis Christi, ut jam non simus párvuli fluctuán-

tes, et circumferámur ómni vento doctrinæ in nequitia hóminum, in astútia ad circumventionem erróris.

℞. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sidera : \* Spécies ejus in núbibus cœli, et nomen ejus in ætérnum pérmanet. Allelúia.

℣. A summo cœlo egréssio ejus, et occúrsus ejus usque ad summum ejus.

Spécies.

#### LECTIO III.

VERITATEM autem faciéntes in charitáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus : ex quo totum corpus compáctum, et connéxum per omnem junctúram subministratiónis, secúndum operationem in mensúram uniuscujusque membri, augméntum córporis facit in ædificationem sui in charitáte. Hoc igitur dico, et testificor in Dómino, ut jam non ambulétis, sicut et gentes ámbulant in vanitáte sensus sui, ténebris obscurátum habéntes intelléctum, alienáti a vita Dei per ignorántiam quæ est in illis, propter cæcitatém cordis ipsórum, qui desperántes, semetipsos tradiderunt impudicitíæ, in operationem immunditiæ omnis, in avarítiam. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, et in ipso edócti estis.

℞. Exaltáre, Dómine. Alle-

lúia : \* In virtúte tua. Allelúia.

Ÿ. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos, Deus.

In virtúte.

Glória Patri.

In virtúte.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Augustini Episeopi.

LECTIO IV.

[ Sermone. 3. de Ascen. ]

**O**MNIA, Charíssimi, quæ Dóminus Jesus Christus in hoc mundo sub fragilitáte nostra mirácula édedit, nobis proficiunt : qui dum humánam conditionem sidéribus importávit, credéntibus cœlum patére posse monstrávit : et dum victórem mortis in cœlestia elevávit, victóribus quo sequántur, osténdit. Ascénsio ergo Dómini cathólicæ fidei confirmátio fuit : ut secúri in pósterum crederémus miráculi illius donum, cujus jam in præsentí percipissémus efféctum : et fidélis quisque cum jam tanta percéperit, per ea, quæ cognóscit præstita, discat speráre promissa, ac Dei sui præteritam præsentémque bonitatem, quasi futurórum téneat cautionem.

R. Tempus est, ut revértar ad eum qui me misit, dicit Dóminus : nolite contristári, nec turbétur cor vestrum, \* Rogo pro vobis Patrem, ut

ipse vos custódiat. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Nisi ego abiero, Paráclitus non véniet : cum assúptus fuero, mittam vobis eum.

Rogo pro vobis.

LECTIO V.

**S**UPER excélsa ergo cœli terrenum corpus impónitur : ossa intra sepúlcri angústias paulo ante conclúsa Angelórum coetibus inferúntur : in grémium immortalitátis mortális natúra transfúnditur : et ideo sacra Apostólicæ lectiónis testátur história : cum hæc dixisset, inquit, vidéntibus illis, elevátus est. Dum audis elevátum, agnósce militiæ cœlestis obséquium : unde hodiérna festívitás, hóminis nobis et Dei sacraménta manifestávit. Sub una eadémque persóna, in eo, qui élevat, divínam poténtiam ; in eo autem, qui elevátur, humánam cognósce substántiam.

R. Non turbétur cor vestrum : ego vado ad Patrem, et cum assúptus fuero a vobis, mittam vobis. Allelúia.

\* Spíritum veritátis, et gaudebit cor vestrum. Allelúia.

Ÿ. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. Spíritum veritátis.

LECTIO VI.

**I**DEOQUE omnimodis detes-



tanda sunt venena Orientalis erroris, qui impia novitate præsumit assérere, Fílium Dei ac filium hóminis unius esse naturæ. In altérutra enim parte, vel qui solum hóminem fuisse dixerit, negábit Conditóris glóriam : vel qui solum Deum, negábit misericórdiam Redemptóris. Quo genere non fáciie Ariánus Evangélicam póterit habére veritátem, ubi Fílium Dei nunc æquálem légimus, nunc minórem. Qui enim unius naturæ Salvatórem nostrum mortífera persuasióne crediderit, solum hóminem, aut solum Deum cogétur dicere crucifixum. Sed non ita est. Mortem enim nec solus Deus sentire, nec solus homo superáre potuisset.

℞. Ascéndens Christus in altum, captivam duxit captivitátem, \* Dedit dona hominibus. Alleluia, alleluia, alleluia.

℣. Ascéndit Deus in jubilatione, et Dóminus in voce tubæ.

Dedit dona.  
Glória Patri.  
Dedit dona.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangélii secundum Marcum.

LECTIO VII.

[Cap. 16.]

In illo témpore, Recumbéntibus undecim discipulis, ap-

páruit illis Jesus : et exprobrávit incredulitátem eórum, et durítiam cordis : quia iis qui viderant eum resurrexisse non credidérunt. Et reliqua.

De Homilia sancti Grégorii Papæ.

[Ex eadem Homilia. 29.]

**D**E hac ascensionis ejus glória étiam Hábacuc ait : Elevátus est sol, et luna stetit in órđine suo. Quis enim sólís nómine, nisi Dóminus ; et quæ lunæ nómine, nisi Ecclésia designátur ? Quoúsque enim Dóminus ascéndit ad cœlos, sancta ejus Ecclésia advérsa mundi omnímmodo formidávit : at postquam ejus ascensione roboráta est, apérte prædicávit, quod occúlte credidit. Elevátus est ergo sol, et luna stetit in órđine suo : quia cum Dóminus cœlum pétiit, sancta ejus Ecclésia in auctoritáte prædicationis excrevit.

℞. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis, \* Ut máneat vobíscum in ætérnum, Spíritum veritátis. Alleluia.

℣. Si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos : si autem abíero, mittam eum ad vos.

Ut máneat.

LECTIO VIII.

**H**inc ejúsdem Ecclésiæ voce per Salomónem dicitur : Ecce

iste venit sáliens in móntibus, transiliens colles. Considerávit namque tantórum óperum cúlmina, et ait : Ecce iste venit sáliens in móntibus. Veniéndó quippe ad redemptiónem nostram, quosdam, ut ita dicam, saltus dedit. Vultis, fratres charíssimi, ipsos ejus saltus agnóscere ? De cœlo venit in úterum, de útero venit in præsépe, de præsépe venit in crucem, de cruce venit in sepúlcrum, de sepúlcro rédiit in cœlum. Ecce ut nos post se currere fáceret, quosdam pro nobis saltus manifestáta per carnem Vértitas dedit : quia exultávit ut gigas ad curréndam viam suam, ut nos ei dicerémus ex corde : Trahe nos post te : currémus in odórem unguentórum tuórum.

R. Ponis nubem ascénsu tuum, Dómine : \* Qui ámbulas super pennas ventórum. Alleluia.

✠. Confessióem et decórem induísti, amíctus lumen sicut vestiméntum.

Qui ámbulas.

Glória Patri.

Qui ámbulas.

#### LECTIO IX.

UNDE, fratres charíssimi, opórtet ut illuc sequámur corde, ubi eum córpore ascendisse crédimus. Desidéria terréna fugiámus : nihil nos jam deléctet in ínfimis, qui

Patrem habémus in cœlis. Et hoc nobis est magnópere perpendéndum : quia is, qui plácidus ascéndit, terríbilis redibit : et quidquid nobis cum mansuetúdine præcépit, hoc a nobis cum districtiône éxiget. Nemo ergo indúlta pœniténtiæ témpora parvipéndat, nemo curam sui, dum valet, ágere negligat : quia Redemptór noster tanto tunc in iudícium districtior véniet, quanto nobis ante iudícium magnam patiéntiam prærogávit.

Te Deum laudámus, 18.

*In secundis Vesperis non fit commemoratio Officii sequentis diei.*

*Duobus sequentibus diebus Officium fit sicut infra Octavam Ascensionis, exceptis Lectionibus, quæ habentur propriæ, et responsorio octavo; Capitulis, Antiphonis ad Benedictus et Magnificat, et Oratione, quæ dicuntur de Dominica infra Octavam Ascensionis, ut supra, 443. Et non dicuntur Preces ad Primam, et Completorium.*

*Si vero Feria sexta occurrat Festum novem Lectionum, etiam translatum, fit de Festo cum commemoratione Officii ejusdem diei, nisi illud Festum fuerit ex solemnioribus, ut dicitur in Rubrica de commemorationibus.*

## FERIA SEXTA

POST OCTAVAM ASCENSIONIS.

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epístola tértia beáti Joánnis Apóstoli.

## LECTIO I.

**SENIOR** Caio charíssimo quem ego diligo in veritate. Charissime, de ómnibus orationem fácio prósperare te ingredi, et valére, sicut prósperare agit ánima tua. Gávisus sum valde veniéntibus fratribus, et testimonium perhibéntibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ámbulas. Majórem horum non hábeo grátiam, quam ut áudiam filios meos in veritate ambuláre.

**R.** Post passionem suam per dies quadraginta appárens eis, et loquens de regno Dei. Allelúia. \* Et vidéntibus illis elevátus est. Allelúia. Et nubes suscepit eum ab óculis eórum. Allelúia.

**Y.** Et convéscens præcepit eis, ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissionem Patris.

Et vidéntibus.

## LECTIO II.

**CHARISSIME**, fidéliter facis quidquid operáris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddidérunt charitatituae in conspéctu ecclésiæ: quos, benefáciens, dedúces digne Deo. Pro nómine enim ejus profécti sunt, nihil acci-

piéntes a géntibus. Nos ergo debémus suscipere hujúsmodi, ut cooperatóres simus veritátis. Scripsissem fórsitan Ecclésiæ: sed is, qui amat primátum gérere in eis, Diótrophes, non récipit nos. Propter hoc si vénero, commonébo ejus ópera, quæ facit, verbis malignis gárriens in nos: et quasi non ei ista sufficiant: neque ipse súscipit fratres: et eos, qui suscipiunt, próhibet, et de Ecclésia éjicit.

**R.** Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sídera: \* Spécies ejus in núbibus cœli, et nomen ejus in ætérnum pérmanet. Allelúia.

**Y.** A summo cœlo egréssio ejus, et occúrsus ejus usque ad summum ejus.

Spécies ejus.

## LECTIO III.

**CHARISSIME**, noli imitári malum, sed quod bonum est. Qui benefácit, ex Deo est: qui maléfacit, non vidit Deum. Demétrio testimonium rédditur ab ómnibus, et ab ipsa veritate, sed et nos testimonium perhibémus: et nosti quóniam testimonium nostrum verum est. Multa hábui tibi scríbere: sed nólui per atraméntum, et calámm scribere tibi. Spero autem prótinus te vidére, et os ad os loquémur. Pax tibi. Salútant te amíci. Salúta amícos nominátim.

R. Exaltáre, Dómine. Allelúia. \* In virtúte tua. Allelúia.

Ÿ. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos, Deus.

In virtúte.

Glória Patri.

In virtúte.

IN SECUNDO NOCTURNO.

De Sermóne sancti Augustini Episcopi.

LECTIO IV.

[Ex eodem serm. 176.]

**S**ALVATOR noster, charissimi, si non in nostra carne diábulum triumphávit, se exércuit, non nobis vicit. Si non in nostro corpore resurrexit, conditioni nostræ resurgéndo nihil cóntulit. Hæc qui dicit, susceptæ et assumptæ carnis non intélligit ratióne, confúndit ordinem, évacuat utilitatem. Si non in nostra carne perégit medicinam, solam ergo ex hómine nascéndi elégit injúriam. Recédât a sénsibus nostris tam periculósa persuásio. De nostro est quod appéndit, de suo est quod donávit. Meum testor esse quod cécidit, ut meum sit quod resurrexit. Meum testor esse quod jácuit intra túmulum, ut meum sit quod ascéndit in cœlum.

R. Tempus est, ut revértar ad eum qui me misit, dicit Dóminus: nolíte contristári, nec turbétur cor vestrum: \* Rogo pro vobis Pa-

trem, ut ipse vos custódiat. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Nisi ego abíero, Paráclitus non véniet: cum assumptus fuero, mittam vobis eum.

Rogo pro vobis.

LECTIO V.

**I**N illo itaque nostri géneris corpore nos Christi mors vivificávit, nos resurrectio eréxit, nos ascénsio consecrávit. In illo nostræ originis corpore cœlestibus regni arham nostræ conditionis impósuit. Elaborémus ergo, charissimi, ut quemádmódum Dóminus in hac die nostro cum corpore ad supérna conscéndit, ita nos post illum quómodo póssumus, spe ascendámus, et corde sequámur. Ipso afféctu páriter, et proféctu ascendámus post illum: etiam per vítia ac passiones nostras. Si útique unusquisque nostrum súbdere eas sibi stúdeat, ac super eas stare consuésca, ex ipsis sibi gradum cónstruit, quo possit ad supériora conscéndere. Elevábunt nos, si fuérint infra nos.

R. Non turbétur cor vestrum ego vado ad Patrem; et cum assumptus fuero a vobis, mittam vobis. Allelúia. \* Spíritum veritátis, et gáudébit cor vestrum. Allelúia.

Ÿ. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis.

Spíritum veritátis.



## LECTIO VI.

DE vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Nam cum bonitatis auctore non ascendit malitia, nec cum Filio Virginis libido atque luxuria. Non, inquam, ascendunt vitia post virtutum parentem, peccata post justum, nec infirmitates ac morbi possunt ire post medicum. Igitur si intrare ipsius medici regnum volumus, prius vulnera nostra curamus. Ordinemus et custodiamus in nobis statum utriusque substantiae; ne animam, nobiliorem utique hominis portionem, tartaro pars devolvat inferior: sed secum potius caelo sanctificatum corpus acquirat natura gloriosior: ipso adjuvante, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

R. Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem \* Dedit dona hominibus. Alleluia, alleluia, alleluia.

Y. Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubae.

Dedit dona.

Gloria Patri.

Dedit dona.

## IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

## LECTIO VII.

[Cap. 11.]

In illo tempore, Dixit Je-

sus discipulis suis: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et reliqua.

De Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 29, in Joann.]

VENIT die Pentecostes Spiritus Sanctus in centum viginti homines congregatos, in quibus et Apostoli omnes erant: qui illo adimplenti, cum linguis omnium gentium loquerentur, plures ex his, qui oderant, tanto miraculo stupefacti (quandocumque viderunt, loquente Petro, tam magnum, atque divinum testimonium perhiberi de Christo: ut ille, qui occisus ab eis inter mortuos deputabatur, resurrexisse, et vivere probaretur) compuncti corde conversi sunt, et tanti sanguinis, tam impie atque immaniter fusi, indulgentiam percepérunt, ipso redempti sanguine, quem fuderunt.

R. Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, \* Ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis. Alleluia.

Y. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

Ut maneat.

## LECTIO VIII.

**C**HRISTI enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere, quo fusus est. Hoc ergo intuens Dominus dicebat: Odio habuerunt me gratis: cum autem venerit Paracletus, ille testimonium perhibebit de me. Tanquam diceret: Odio me habuerunt, et occiderunt videntes: sed tale de me Paracletus testimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non videntes. Et vos, inquit, testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Perhibebit Spiritus Sanctus, perhibetis et vos. Quia enim ab initio mecum estis, potestis predicare quod nostis: quod ut modo non faciatis, illius Spiritus plenitudo nondum adest vobis.

R. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos: \* Cum autem venerit ille, docebit vos omnem veritatem. Alleluia.

Y. Non enim loquetur a semetipso: sed quaecumque audiet, loquetur: et quae ventura sunt, annuntiabit vobis.

Cum autem.

Glória Patri.

Cum autem.

## LECTIO IX.

**I**LLE ergo testimonium per-

hibebit de me, et vos testimonium perhibebitis: dabit enim vobis fiduciam testimonium perhibendi charitas Dei diffusa in cordibus vestris per Spiritum Sanctum, qui dabitur vobis. Quae utique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillae interrogatione perterritus, non potuit verum testimonium perhibere, sed contra suam pollicitationem timore magno compulsus est ter negare. Timor autem iste non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem. Denique ante passionem Domini, servilis timor ejus interrogatus est a foemina servitutis; post resurrectionem vero Domini, liberalis ejus amor ab ipso principe libertatis: et ideo ibi turbabatur, hic tranquillabatur: ibi quem dilexerat, negabat: hic quem negaverat, diligebat. Sed adhuc etiam tunc amor ipse infirmus fuerat, et angustus, donec eum roboraret, et dilataret Spiritus Sanctus.

Te Deum laudamus, 18.

~~~~~

## SABBATO IN VIGILIA

## PENTECOSTES.

*Ab hac die usque ad Festum SS. Trinitatis inclusive, si occurrat Festum novem Lectionum transfertur post praedictum Festum SS. Trinitatis.*

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epístola Cathólica  
beáti Judæ Apóstoli.

LECTIO I.

JUDAS Jesu Christi servus, frater autem Jacóbi, his, qui sunt in Deo Patre diléctis, et Christo Jesu conservátis, et vocátis. Misericórdia vobis, et pax, et cháritas adimpleátur. Charíssimi, omnem sollicitúdinem faciēns scribēdi vobis de commúni vestra salúte, necesse hábui scribere vobis: déprecans supercertári semel traditæ sanctis fidei. Subintroiērent enim quidam hómines (qui olim præscripti sunt in hoc iudiciū) impii, Dei nostri grátiam transferētes in luxúriam, et solum Dominatórem, et Dóminum nostrum Jesum Christum negāntes.

R. Post passióem suam per dies quadragínta appárens eis, et loquens de regno Dei. Allelúia. \* Et vidéntibus illis elevátus est. Allelúia. Et nubes suscepit eum ab óculis eórum. Allelúia.

Y. Et convéscens præcepit eis, ab Jerosólymis ne discēderent, sed expectárent promissióem Patris.

Et vidéntibus.

LECTIO II.

COMMONERE autem vos volo, sciētes semel ómnia, quóniam Jesus pópulum de terra Ægypti salvans, secúndo eos qui non credidérunt, pérdi-

dit: ángelos vero, qui non servavérunt suum principátum, sed dereliquérunt suum domicílium, in iudiciū magni diéi, vīculis ætérnis sub calígine reservávit. Sicut Sódoma, et Gomórrha, et finitimæ civitatessímili modo exfornicatæ, et abeúntes post carnem álteram, factæ sunt exémplum, ignis ætérni pœnam sustinētes. Similiter et hi carnem quidem máculant, dominationem autem spernunt, majestátem autem blasphemant.

R. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sídera: \* Spécies ejus in núbibus cœli, et nomen ejus in ætérnum pérmanet. Allelúia.

Y. A summo cœlo egrésio ejus, et occúrsus ejus usque ad summum ejus.

Spécies ejus.

LECTIO III.

CUM Michael Archángelus cum diábolo disputans altercarétur de Móysi corpore, non est ausus iudiciū inférre blasphemíæ, sed dixit: Imperet tibi Dóminus. Hi autem quæcúmque quidem ignórant, blasphemant: quæcúmque autem naturaliter, tanquam muta animália, norunt, in his corrumpúntur. Væ illis, quia in via Cain abiérunt, et erróre Bálaam mercéde effúsi sunt, et in contradicióne Core perierunt. Hi sunt in épulis suis

máculæ, convivantes sine timóre, semetipsos pascéntes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferúntur, árbores autumnáles, infructuósæ, bis mórtuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumántes suas confusiónes, sidera errántia: quibus procélla tenebrárum serváta est in ætérnum.

R. Exaltáre, Dómine. Allelúia. \* In virtúte tua. Allelúia.

Y. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos, Deus.

In virtúte.

Glória Patri.

In virtúte.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex tractátu sancti Augustíni Episcopi de Symbolo ad Catechúmenos.

LECTIO IV.

[Lib. 4, c. 1.]

**D**UM per sacratíssimum crucis signum vos suscepit in útero sancta mater Ecclésia, quæ sicut et fratres vestros cum summa lætítia spiritaliter páriet, nova proles futúra tantæ matris, quousque per lavácrum sanctum regenerátos veræ luci restituat, congruis aliméntis eos, quos portat, pascat in útero, et ad diem partus sui lætos læta perdúcat: quóniam non tenétur hæc senténtia Hevæ, quæ in tristítia et gémitu parit filios: nec ipsos gaudéntes, sed pótius flentes. Hæc enim solvit, quod illa ligáverat: ut prolem, quam per

inobediéntiam sui, morti donávit, hæc per obediéntiam restituat vitæ. Omnia sacraménta, quæ acta sunt, et agúntur in vobis per minístérium servórum Dei, exorcismis, oratióibus, cánticis spiritalibus, insufflatiόνibus, cilicio, inclinatióne cervicum, humilitáte pedum, pavor ipse omni securitáte appeténdus: hæc ómnia, ut dixi, escæ sunt, quæ vos reficiunt in útero, ut renátos ex baptismo hilares vos mater exhibeat Christo.

R. Tempus est ut revértar ad eum qui me misit, dicit Dóminus: nolíte contristári, nec turbétur cor vestrum: \* Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custódiat. Allelúia, allelúia.

Y. Nisi ego abiero, Paráclitus non véniet: cum assúptus fuero, mittam vobis eum.

Rogo pro vobis.

LECTIO V.

**A**CCEPISTIS et Symbolum, protectionem parturiéntis contra venéna serpéntis. In Apocalypsi Joánnis Apóstoli scriptum est hoc, quod staret draco in conspéctu mulieris, quæ paritúra erat, ut cum peperisset, natum ejus coméderet. Draconem diábolum esse nullus vestrum ignórat: Mulierem illam, vírginem Mariam significásse, quæ caput nos-



trum integra integrum péperit; quæ étiam ipsa figuram in se sanctæ Ecclesiæ demonstrávit : ut quómodo filium páriens, virgo permánsit, ita et hæc omni témpore membra ejus páriat, et virginitatem non amittat. Ipsas senténtias sacratissimi Symboli adjuvante Dómino exponédas suscepimus, ut, quid singulæ contineant, vestris sénsibus intimémus. Paráta sunt corda vestra, quia exclusus est inimicus de córdibus vestris.

℞. Non turbétur cor vestrum : ego vado ad Patrem, et cum assúptus fuero a vobis, mittam vobis. Allelúia. \* Spíritum veritátis, et gáudebit cor vestrum. Allelúia.

℣. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis.

Spíritum veritátis.

#### LECTIO VI.

**H**UIC vos renunciáre professi estis : in qua professione, non homínibus, sed Deo, et Angelis ejus conscribéntibus dixístis : Renúntio. Renuntiáte non solum vóci, sed étiam móribus : non tantum sono linguæ, sed et actu vitæ : nec tantum lábiis sonántibus, sed opéribus pronuntiántibus. Scitóte vos cum cállido, antiquo et veternóso inimico suscepisse certámen : non in vobis post renunciatiónem invéniat ópera sua, non jure vos átrahat in servitútem

suam. Deprehénderis enim et detégeris, Christiáne, quando áliud agis, et áliud profitéris, fidélis in nómine, áliud démonstrans in ópere, non tenens promissionis tuæ fidem : modo ingrédiens Ecclesiám oratiónes fúndere, post módicum in spectáculis cum histriónibus impudice clamáre quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiásti ?

℞. Ascéndens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, \* Dedit dona homínibus. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Ascéndit Deus in jubilatione, et Dóminus in voce tubæ.

Dedit dona.

Glória Patri.

Dedit dona.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangélii secundum Joánnem.

#### LECTIO VII.

[Cap. 14.]

**I**N illo témpore, Dixit Jesus discipulis suis : Si diligitis me, mandáta mea serváte. Et ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. Et reliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

[Tract. 74 in Joann. et 75.]

**Q**UOD ait, Rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis, osténdit et seípsum esse

Paráclitum. Paráclitus enim Latine dicitur advocátus : et dictum est de Christo : Advocátum habémus ad Patrem, Jesum Christum justum. Sic autem mundum dixit non posse accipere Spíritum Sanctum, sicut étiam dictum est : Prudentia carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjécta, nec enim potest : velut si dicámus : Injustitia justitia esse non potest. Mundum quippe ait hoc loco, mundi significans dilectóres : quæ diléctio non est a Patre. Et ideo dilectióni hujus mundi de qua satágimus ut minuátur, et consumátur in nobis, contrária est diléctio Dei, quæ diffúnditur in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis.

R. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. \* Ut máneat vobiscum in ætérnum, Spíritum veritátis. Allelúia.

Y. Si enim non abiero, Paráclitus non véniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.

Ut máneat.

#### LECTIO VIII.

MUNDUS ergo eum accipere non potest, quia non videt eum, neque scit eum. Non enim habet invisibiles óculos mundána diléctio, per quos vidéri Spíritus Sanctus potest, qui vidéri nisi invisibi-

liter non potest. Vos autem, inquit, cognoscétis eum : quia apud vos manébit, et in vobis erit. Erit in eis, ut máneat ; non manébit, ut sit : prius est enim esse alicubi, quam manére. Sed ne putárent quod dictum est, Apud vos manébit ; ita dictum, quemádmódum apud hóminem hospes visibíliter manére consuévít, expósuit quid dixerit, Apud vos manébit, cum adjúnxit et dixit, in vobis erit.

R. Si enim non abiero, Paráclitus non véniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos. \* Cum autem vénerit ille, docébit vos omnem veritátem. Allelúia.

Y. Non enim loquétur a semetípso : sed quacúmque áudiet, loquétur : et quæ ventúra sunt, annuntiábit vobis.

Cum autem.

Glória Patri.

Cum autem.

#### LECTIO IX.

ERGO invisibíliter vidétur. Nec, si non sit in nobis, potest esse in nobis ejus sciéntia : sic enim a nobis vidétur in nobis, et nostra consciéntia. Nam fáciem vidémus altérius, nostram vidére non póssumus : consciéntiam vero nostram vidémus. Sed consciéntiæ nunquam est nisi in nobis : Spíritus autem Sanctus potest esse étiam sine no-

bis. Datur quippe ut sit et in nobis : sed vidéri, et sciri, quemádmódum vidéndus, et sciéndus est, non potest a nobis, si non sit in nobis. Post promissionem Spíritus Sancti, ne quisquam putáret, quod ita eum Dóminus datúrus fúerit velut pro seípso, ut non et ipse cum eis esset futúrus, adjécit atque ait : Non relínquam vos órpha-

nos, véniam ad vos. Quamvis ergo nos Fílius Dei suo Patri adoptáverit filios, eúdem Patrem nos volúerit habére per grátiam, qui ejus Pater est per natúram : tamen étiam ipse circa nos patérnum afféctum quodámodo demónstrat, cum dicit : Non relínquam vos órphanos.

Te Deum laudámus, 18.







# IN FESTO PENTECOSTES.

## AD VESPERAS.

*Antiphona* Cum complerentur, ut *infra in Laudibus*, 478.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi.

*Psalmus* Laudáte Dóminum, omnes gentes, 139.

### CAPITULUM.

[Act. c. 2.]

Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli páriter in eódem loco : et factus est repente de cælo sonus, tanquam advenientis spiritus veheméntis, et replevit totam domum, ubi erant sedéntes.

### HYMNUS.

Veni, Créator Spíritus,  
Mentes tuórum visita,  
Imple supérna grátia,  
Quæ tu creásti, pectora;

Qui diceris Paráclitus,  
Altissimi donum Dei,  
Fons vivus, ignis, Cháritas,  
Et spiritális únctio;

Tu septifórmis múnere,  
Dígitus Patérnæ dexteræ,  
Tu rite promissum Patris,  
Sermóne ditans gúttura;

Accénde lumen sénsibus :  
Infúnde amórem córdibus :  
Infirma nostri córporis  
Virtúte firmans pérpeti.

Hostem repéllas lóngius,  
Pacémque dones prótinus :  
Ductóre sic te prævio,  
Vitémus omne nóxium.

Per te sciámus da Patrem,  
Noscámus atque Fílium;  
Teque utriúsque Spíritum  
Credámus omni témpore.

Deo Patri sit glória,  
Et Fílio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito  
In sæculórum sæcula.

Amen.

*Sic terminantur Hymni  
usque ad Vesperas Sabbati  
sequentis.*

✠. Repléti sunt omnes  
Spíritu Sancto. Allelúia.

℞. Et cœpérunt loqui. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Non vos relinquam órphanos. Allelúia. Vado et vénio ad vos. Allelúia. Et gaudébit cor vestrum. Allelúia.

ORATIO.

**D**EUS, qui hodiérna die corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuisti, da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Dóminum nostrum, in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti, Deus.

## DOMINICA

PENTECOSTES.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Allelúia. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum: \* Venite, adórémus. Allelúia.

*Psalmus* Venite, exultémus, 2.

HYMNUS.

**J**AM Christus astra ascéndérat,

Revérsum unde vénerat,  
Patris fruéndum múnere  
Sanctum datúrus Spíritum.

Solémnis urgébat dies,  
Quo mystico septémplici  
Orbis volútus sépties  
Signat beáta témpora.

Cum lucis hora tértia  
Repénite mundus íntonat,  
Apóstolis orántibus  
Deum venire núnaiat.

De Patris ergo lúmine  
Decórus ignis almus est,

Qui fida Christi péctora  
Calóre Verbi cómpleat.

Impléta gaudent viscera,  
Afflata Sancto Spíritu,  
Vocésque divérsas sonant,  
Fantur Dei magnália.

Notique cunctis géntibus,  
Græcis, Latinis, Bárbaris,  
Simúlque demirántibus,  
Linguis loquúntur ómnium.

Judæa tunc incrédula,  
Vesána torvo spíritu,  
Madére musto sóbrios  
Christi fidéles increpat.

Sed éditis miráculis  
Occúrrit, et docet Petrus  
Falsum profári pérfidus,  
Joéle teste cómprobans.

Deo Patri sit glória,  
Et Fílio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito  
In sæculórum sæcula.

Amen.

AD NOCTURNUM.

*Antiphona.*

Factus est repénite de cœlo  
sonus adveniéntis spíritus veheméntis. Allelúia, allelúia.

PSALMUS 47.

**M**AGNUS Dóminus, et laudábilis nimis: \* in civitaté Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne universæ terræ mons Sion, \* látera Aquilónis, civitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, \* cum suscipiet eam:

Quoniam ecce reges terræ congregáti sunt: \* convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : \* tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis , \* in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitaté Dómini virtutum, in civitaté Dei nostri : \* Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscévimus, Deus, misericórdiam tuam, \* in médio templi tui.

Secúndum nómen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : \* justitia plena est dextera tua.

Lætétur mons Sion, et exúltent filiæ Judæ, \* própter iudicia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectimini eam : \* narráte in túribus ejus.

Pónite corda vestra in virtute ejus : \* et distribuíte domos ejus; ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et insæculum sæculi : \* ipse reget nos in sæcula.

### *Antiphona.*

Factus est repénite de cœlo sonus adveniéntis spíritus veheméntis. Alleluía, alleluía.

### *Antiphona.*

Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis : a témplo sancto tuo, quod est in Jerúsalem. Alleluía, alleluía.

### PSALMUS 67.

**EXURGAT** Deus, et dissipéntur inimíci ejus : \* et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus.

Sicut déficit fumus, deficiant : \* sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei.

Et justí epuléntur, et exúltent in conspéctu Dei : \* et delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dicite nómini ejus : \* iter fácite ei qui ascéndit super occásus : Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspéctu ejus, \* turbabúntur a fácie ejus, patris orphanórum et júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo : \* Deus, qui inhabitáre facit unius moris in domo :

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, \* simíliter eos, qui exásperant, qui hábitant in sepúlcris.

Deus cum egrederéris in conspéctu pópuli tui, \* cum pertransíres in desérto :

Terra mota est, étenim cœli distillavérunt a fácie Dei Sinai, \* a fácie Dei Israel.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditáti tuæ : \* et infirmáta est, tu vero perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea : \* parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus, \* virtúte multa.

Rex virtutum dilecti dilecti : \* et speciēi domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ colūmbæ deargentatæ, \* et posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit cœlestis reges super eam, nive dealbábuntur in Selmon : \* mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis, \* ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo : \* etenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem millibus múltiplex, millia lætántium : \* Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum, cœpisti captivitátem : \* accepisti dona in hominibus :

Etenim non credéntes, \* inhabitáre Dóminum Deum.

Benedictus Dóminus die quotidie : \* prósperum iter faciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi : \* et Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum : \* vérticem capilli perambulántium in delictis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convértam, \* convértam in profúndum maris :

Ut intingátur pes tuus in ságuine : \* lingua canum tuórum ex inimicis, ab ipso.

Viderunt ingrēssus tuos, Deus, \* ingrēssus Dei mei : Regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt principes conjúcti psalléntibus, \* in médio juvenculárum tympanistriárum.

In ecclésiis benedicite Deo Dómino, \* de fóntibus Israel.

Ibi Bénjamin adolescentulus, \* in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum : \* príncipes Zábulon, príncipes Néphtali.

Manda Deus virtúti tuæ : \* confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum : \* ut excludant eos, qui probáti sunt argénto.

Dissipa gentes, quæ bella volunt : vénient legáti ex Ægypto : \* Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo : \* psállite Dómino.

Psállite Deo, qui ascéndit super cœlum cœli, \* ad Oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis, date glóriam Deo super Israel, \* magnificéntia ejus, et virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit



virtutem, et fortitudinem  
plebi suæ: \* benedictus Deus.

*Antiphona.*

Confirma hoc, Deus, quod  
operatus es in nobis: a tem-  
plo sancto tuo, quod est in  
Jerúsalem. Allelúia, allelúia.

*Antiphona.*

Emitte Spiritum tuum, et  
creabuntur: et renovabis fá-  
ciem terræ. Allelúia, allelúia.

PSALMUS 103.

**B**ENEDIC ánima mea Dómi-  
no: \* Dómine Deus meus  
magnificátus es vehementer.

Confessióem, et decórem  
induísti: \* amíctus lúmine  
sicut vestiménto:

Exténdens cœlum sicut  
pellem: \* qui tegis aquis su-  
perióra ejus.

Qui ponis nubem ascén-  
sum tuum: \* qui ámbulas  
super pennas ventórum.

Qui facis ángelos tuos  
spíritus: \* et ministros tuos  
ignem uréntem.

Qui fundásti terram super  
stabilitátem suam: \* non  
inclinábitur in sæculum sæ-  
culi.

Abyssus, sicut vestimén-  
tum, amíctus ejus: \* super  
montes stabunt aquæ.

Ab increpatione tua fú-  
gient: \* a voce tonitrui tui  
formidábunt.

Ascéndunt montes, et des-  
céndunt campi: \* in locum,  
quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem

non transgrediéntur: \* ne-  
que converténtur operire  
terram.

Qui emíttis fontes in  
convállibus: \* inter mé-  
dium móntium pertransí-  
bunt aquæ.

Potábunt omnes béstiae  
agri: \* expectábunt ónagri  
in siti sua.

Super ea vólucres cœli  
habitábunt: \* de médio pe-  
trárum dabunt voces.

Rigans montes de supe-  
rióribus suis: \* de fructu  
óperum tuórum satiábitur  
terra.

Prodúcens fœnum jumén-  
tis, \* et herbam servitúti  
hóminum:

Ut edúcas panem de terra:  
\* et vinum lætíficet cor hó-  
minis:

Ut exhílalet fáciem in  
óleo: \* et panis cor hóminis  
confirmet.

Saturabúntur ligna campi,  
et cedri Líbani, quas plan-  
távit: \* illic pásseres nidifi-  
cábunt.

Heródii domus dux est  
eórum: \* montes excélsi  
cervis: petra refúgium heri-  
náciis.

Fecit lunam in témpora: \*  
sol cognóvit occásu suum.

Posuísti ténebras et facta  
est nox: \* in ipsa pertransí-  
bunt omnes béstiae silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes,  
ut rápíant, \* et quærant a  
Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregati sunt : \* et in cubilibus suis collocabuntur.

Exibit homo ad opus suum : \* et ad operationem suam usque ad vespereum.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! \* omnia in sapientia fecisti : impleta est terra possessione tua.

Hoc mare magnum, et spatiosum manibus : \* illic reptilia, quorum non est numerus.

Animalia pusilla cum magnis : \* illic naves pertransibunt.

Draco iste, quem formasti ad illudendum ei : \* omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore.

Dante te illis, colligent : \* aperiēte te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

Avertente autem te faciem, turbabuntur : \* auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.

Emittes spiritum tuum, et creabuntur : \* et renovabis faciem terræ.

Sit gloria Domini in sæculum : \* lætabitur Dominus in operibus suis :

Qui respicit terram, et facit eam tremere : \* qui tangit montes, et fumigant.

Cantabo Domino in vita mea : \* psallam Deo meo quādiu sum.

Jucundum sit ei eloquium

meum : \* ego vero delectabor in Domino.

Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint : \* benedic, anima mea, Domino.

### *Antiphona.*

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur : et renovabis faciem terræ. Alleluia, alleluia.

℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Alleluia.

℟. Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Alleluia.

Pater noster.

*Absolutio* Exaudi, Domine.

℣. Jube, Domne.

*Benedictio* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

### LECTIO I.

[Cap. 14.]

**I**N illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Hom. 30 in Evang.]

**L**IBET, fratres charissimi, Evangelicæ verba lectionis sub brevitate transcurrere, ut post diutius liceat in con-

templatione tantæ solemnitatis immorari. Hódie namque Spíritus Sanctus repentino sónitu super discipulos venit, mentésque carnálium in sui amórem permutávit, et foris apparéntibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammántia : quia dum Deum in ignis visione suscepérunt, per amórem suáriter arsérunt. Ipse namque Spíritus Sanctus amor est : unde et Joánnes dicit : Deus cháritas est. Qui ergo mente íntegra Deum desiderat , profecto jam habet, quem amat. Neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum, quem diligit, non habéret.

R. Cum complérentur dies Pentecóstes, erant omnes páriter in eódem loco. Allelúia. Et súbito factus est sonus de cœlo. Allelúia. \* Tanquam spíritus yeheméntis. Et replévit totam domum. Allelúia, allelúia.

Y. Dum ergo essent in unum discipuli congregati propter metum Judæórum, sonus repente de cœlo venit super eos.

Tanquam spíritus.

*Benedictio* Divinum auxilium.

#### LECTIO II.

Sed ecce, si unusquisque vestrum requirátur, an diligat Deum, tota fidúcia, et secúra mente respóndet, Diligo. In ipso autem lectionis

exórdio audistis quid Véritas dicit : Si quis diligit me, sermónem meum servábit. Probátio ergo dilectionis, exhibitio est óperis. Hinc in Epístola sua idem Joánnes dicit : Qui dicit, Diligo Deum, et mandáta ejus non custódit, mendax est. Vere étenim Deum diligimus, et mandáta ejus custodimus, si nos a nostris voluptátibus coarctámus. Nam qui adhuc per illicita desidéria díffluit, profecto Deum non amat : quia ei in sua voluntáte contradicít.

R. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto : et cœpérunt loqui, prout Spíritus Sanctus dabat éloqui illis : \* Et convénit multitúdo dicéntium. Allelúia.

Y. Loquebántur váriis linguis Apóstoli magnália Dei.

Et convénit.

Glória Patri.

Et convenit.

*Benedictio* Ad societátem.

#### LECTIO III.

Et Pater meus diligit eum et ad eum veniémus, et mansionem apud eum faciémus. Pensáte, fratres charíssimí, quanta sit ista dignitas habére in cordis hospítio adventum Dei. Certe, si domum nostram quisquam dives, aut præpotens amicus intráret, omni festinántia domus tota mundarétur, ne quid fortásse esset quod óculos amici in

trántis offénderet. Tergat ergo sordes pravi óperis, qui Deo præparat domum mentis. Sed vidéte quid Véritas dicat : Veniémus, et mansiónem apud eum faciémus. In quorúmdam étenim corda venit, et mansiónem non facit : quia per compunctiónem quidem Dei respéctum percipiunt, sed tentatiónis témpore hoc ipsum, quo compunctifúerant, obliviscúntur : sicque ad perpetránda peccáta rédeunt, ac si hæc minime planxissent.

Te Deum laudámus, 18.

AD LAUDES,

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Cum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter in eódem loco. Alleluía.

*Psalmus* Dóminus regnávít, cum reliquis, 19.

*Antiphona.*

Spíritus Dómini replévit orbem terrárum. Alleluía.

*Antiphona.*

Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui. Alleluía, alleluía.

*Antiphona.*

Fontes, et ómnia quæ móvén tur in aquis, hymnum dicite Deo. Alleluía.

*Antiphona.*

Loquebántur váriis linguis Apóstoli magnália Dei. Alleluía, alleluía, alleluía.

# CAPITULUM.

[Act. c. 2.]

CUM compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes discipuli páriter in eódem loco : et factus est repén te de cœlo sonus, tanquam adveniéntis spíritus veheméntis, et replévit totam domum, ubi erant sedéntes.

## HYMNUS.

BEATA nobis gáudia  
Anni redúxit órbita,  
Cum Spíritus Paráclitus  
Illápsus est Apóstolis.

Ignis vibránte lúmine,  
Linguæ figúram détulit,  
Verbis ut essent próflui,  
Et charitáte férvídi.

Linguis loquúntur óm-  
nium :

Turbæ pavent Gentilium :  
Musto madére députant,  
Quos Spíritus repléverat.

Patrátá sunt hæc mystice,  
Paschæ perácto témpore,  
Sacro diérum círculo :  
Quo lege fit remissio.

Te nunc, Deus piíssime,  
Vultu precámur cernuo,  
Illápsa nobis cœlitus  
Largire dona Spíritus.

Dudum sacrátá pectora  
Tua replésti grátia :  
Dimitte nostra crimina,  
Et da quiéta témpora.

Deo Patri sit glória,  
Et Filio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sæculórum sæcula.

Amen.



✠. Repléti sunt omnes Spíritu sancto. Allelúia.

R. Et cœpérunt loqui. Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Accipite Spíritum Sanctum, quorum remiséritis peccata, remittúntur eis. Allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui hodiérna die corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Dóminum nostrum, in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

AD PRIMAM.

R. *Breve.* Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis. \* Allelúia, allelúia. Christe, Fili.

✠. Qui sedes ad dexteram Patris.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Christe, Fili.

✠. Exúrge, Christe, ádjuva os. Allelúia.

R. Et libera nos propter nomen tuum. Allelúia.

AD TERTIAM.

*Hymnus* Veni, Creátor Spíritus, ut supra, in *Vesperis*, 471, qui dicitur ad *Tertiam per totam Octavam*, loco *Hymni* Nunc sancte.

*Antiphona* Spíritus Dómini.

*Capitulum* Cum compleréntur, ut supra, 478.

R. *breve.* Spíritus Dómini replévit orbem terrárum. \*

Allelúia, allelúia. Spíritus Dómini.

✠. Et hoc, quod contémnet ómnia, sciéntiam habet vocis.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Spíritus.

✠. Spíritus Paráclitus. Allelúia.

R. Dócebit vos ómnia. Allelúia.

AD SEXTAM.

*Antiphona* Repléti sunt omnes.

CAPITULUM.

[ Act. c. 2. ]

FACTA autem hac voce, convénit multitúdo, et mente confúsa est, quóniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquéntes.

R. *breve.* Spíritus Paráclitus. \* Allelúia, allelúia. Spíritus.

✠. Docébit vos ómnia.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Spíritus.

✠. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto. Allelúia.

R. Et cœpérunt loqui. Allelúia.

AD NONAM.

*Antiphona* Loquebántur.

CAPITULUM.

[ Act. c. 2. ]

JUDÆI quoque, et Prosélyti, Cretes, et Arabes : audívimus eos loquéntes nostris linguis magnália Dei.

R. *breve.* Repléti sunt omnes Spíritu Sancto. \* Allelúia, allelúia. Repléti.

✠. Et cœpérunt loqui.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Repléti.

✠. Loquebántur váriis linguis Apóstoli. Allelúia.

R. Magnália Dei. Allelúia.

### AD VESPERAS.

*Antiphona* Cum compleréntur, ut supra in *Laudibus*, 478.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de *Dominica*, 134, qui dicuntur quotidie per *Octavam*.

*Capitulum* Cum compleréntur.

*Hymnus* Veni, Creátor, 471.

✠. Loquebántur váriis linguis Apóstoli. Allelúia.

R. Magnália Dei. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Hódie compléti sunt dies Pentecóstes. Allelúia. Hódie Spíritus Sanctus in igne discipulis appáruit, et tríbuit eis charismatum dona: misit eos in univérsum mundum prædicáre, et testificári: qui crediderit, et baptizátus fúerit, salvus erit. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui hodiérna, ut supra, 479.

*Infra Octavam Pentecostes fit Officium sicut in die, exceptis versiculis ad Nocturnum, Lectionibus, Responsoriis, Antiphonis ad Benedictus, et ad Magnificat, et Orationibus.*

*Si infra Octavam occurrat*

*Festum novem Lectionum, transfertur post Octavam. De Simplici autem in hoc triduo nulla fit commemoratio.*

~~~~~

### FERIA SECUNDA.

✠. Spíritus Dómini replevit orbem terrárum. Allelúia.

R. Et hoc, quod cóninet ómnia, sciéntiam habet vocis. Allelúia.

*Pater noster.*

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

*Benedictio* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangélii secundum Joánnem.

#### LECTIO 1.

[Cap. 3.]

**I**N illo témpore, Dixit Jesus Nicodémo: Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam æternam. Et reliqua.

*Homília* sancti Augustini Epíscopi.

[Tract. 12 in Joan.]

**Q**UANTUM in médico est, sanare venit ægrótum. Ipse se intérimit, qui præcépta médi observáre non vult. Venit Salvátor in mundum. Quare Salvátor dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut júdicet mundum? Salvári non vis ab ipso, ex te judicáberis. Et quid dicam, judicáberis?

Vide quid ait : Qui credit in eum, non judicatur. Qui autem non credit : quid dicturum sperabas, nisi, judicatur? Quod addit : Jam, inquit, judicatus est : nondum apparuit judicium, et jam factum est judicium.

R. Jam non dicam vos servos, sed amicos meos; quia omnia cognovistis, quæ operatus sum in medio vestri. Alleluia. \* Accipite Spiritum Sanctum in vobis Paracletum: ille est, quem Pater mittet vobis. Alleluia.

✠. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

Accipite Spiritum.

*Benedictio* Divinum auxilium.

#### LECTIO II.

NOVIT enim Dominus, qui sunt ejus : novit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam. Novit in area sua triticum, novit et paleam : novit segetem, novit et zizania. Jam judicatus est, qui non credit. Quare judicatus? Quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium : quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem : erant enim mala opera eorum. Fratres mei, quorum opera bona invenit Dominus? Nullorum. Omnia opera mala invenit. Quomodo ergo quidam fe-

cérunt veritatem, et venerunt ad lucem? Et hoc enim sequitur : Qui autem facit veritatem, venit ad lucem.

R. Spiritus Sanctus procedens a throno, Apostolorum pectora invisibiliter penetravit novo sanctificationis signo : \* Ut in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum. Alleluia.

✠. Advénit ignis divinus, non comburens, sed illuminans, et tribuit eis charismatum dona.

Ut in ore.

Glória Patri.

Ut in ore.

*Benedictio* Ad societatem.

#### LECTIO III.

SED dilexerunt, inquit, tenebras magis, quam lucem. Ibi posuit vim. Multi enim dilexerunt peccata sua, multi confessi sunt peccata sua : quia qui confitetur peccata sua, et accusat peccata sua, jam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua : si et tu accusas, conjungeris Deo. Quasi duæ res sunt, homo, et peccator, quod audis homo, Deus fecit : quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut Deus salvet quod fecit. Opórtet ut oderis in te opus tuum, et ames in te opus Dei. Cum autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum,

confessio est operum malorum.

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Alleluia.

ORATIO.

DEUS, qui Apóstolis tuis sanctum dedisti Spiritum : concede plebi tuæ piæ petitionis effectum; ut, quibus dedisti fidem, largiaris et pacem. Per Dominum, in unitate ejusdem Spiritus.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Si quis diligit me, sermonem meum servabit : et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Alleluia.

*Oratio ut supra.*

~~~~~

FERIA TERTIA.

✠. Spiritus Paráclitus. Alleluia.

℞. Docébit vos omnia. Alleluia.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

*Benedictio* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO I.

[Cap. 10.]

IN illo tempore, Dixit Jesus Pharisæis : Amen, amen dico vobis : qui non intrat per os-

tium in ovile óvium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est óvium. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[ Tract. 45. in Joannem. ]

Dominus de grege suo, et de ostio, quo intratur ad ovile, similitudinem proposuit in hodierna lectione. Dicant ergo Pagani : Bene vivimus. Si per ostium non intrant, quid prodest eis unde gloriántur? Ad hoc enim debet unicuique prodésse bene vivere, ut detur illi semper vivere : nam cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere? Quia nec bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera et certa semper vivendi, nisi agnóscat vitam, quod est Christus, et per januam intret in ovile.

℞. Apparuerunt Apóstolis dispertitæ linguæ, tanquam ignis. Alleluia : \* Seditque supra singulos eorum Spiritus Sanctus. Alleluia, alleluia.

✠. Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat éloqui illis.

Seditque supra.

*Benedictio* Divinum auxilium.

LECTIO II.

Querunt ergo plerumque



tales homines etiam persuadere hominibus ut bene vivant, et Christiani non sint. Per aliam partem volunt ascendere, rapere, et occidere, non ut bonus pastor, conservare atque salvare. Fuerunt ergo quidam philosophi de virtutibus et vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, definiētes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: nos sequimini, sectam nostram tenete: si vultis beate vivere. Sed non intrabant per ostium: perdere volebant, mactare et occidere.

R. Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei,  
\* Prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Alleluia.

✠. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cepērunt loqui.

Prout Spiritus.

Glória Patri.

Prout Spiritus.

*Benedictio* Ad societatem.

#### LECTIO III.

Quid de istis dicam? Ecce ipsi Pharisei legēbant, et in eo quod legēbant, Christum sonābant, venturum sperābant, et præsētem non agnoscēbant. Jactābant se etiam ipsi inter Vidētes, hoc est, inter sapientes, et negābant Christum, et non intrābant per ostium. Ergo

et ipsi, si quos forte seducerent, mactādos et occidēdos, non liberādos seducerent. Et hos dimittāmus: videāmus illos, si forte ipsi intrant per ostium, qui ipsius Christi nōmine gloriāntur. Innumerābiles enim sunt, qui se Vidētes non solum jactant, sed a Christo illuminātos vidēri volunt: sunt autem hærēti.

Te Deum laudāmus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ego sum ostium, dicit Dōminus: per me si quis introierit, salvābitur, et pascua inveniet. Alleluia.

#### ORATIO.

AD S I T nobis, quæsumus, Dōmine, virtus Spiritus Sancti: quæ et corda nostra clemēter expūget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dōminum, in unitate ejusdem Spiritus.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quōmodo mundus dat, ego do vobis. Alleluia.

~~~~~  
FERIA QUARTA.

QUATUOR TEMPORUM.

✠. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Alleluia.

R. Et cepērunt loqui. Alleluia.

Pater noster.

*Absolutio* A vīculis.

*Benedictio* Evangēlica lēctio.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

## LECTIO I.

[Cap. 6.]

**I**N illo tempore, Dixit Jesus turbis Judæorum: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Trac. 26. in Joan.]

**N**OLI cogitare te invitum trahi: trahitur animus et amore. Nec timere debemus, ne ab hominibus, qui verba perpéndunt, et a rebus máxime divinis intelligendis longe remóti sunt, in hoc Scripturarum sanctarum Evangelico verbo fórsitan reprehendámur, et dicátur nobis: quómo-  
modo voluntáte credo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntáte: étiam voluptáte tráheris. Quid est, trahi voluptáte? Delectáre in Dómino: et dabit tibi petitiónes cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro si Poëtæ dicere licuit: Trahit sua quemque voluptas: non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio: quanto fórtius nos dicere debémus, trahi hóminem ad Christum, qui delectátur veritate, delectátur beatitudíne, delectátur justitia, delectátur sempitérna vita, quod totum Christus est? An vero

habent córporis sensus voluptates suas, et ánimus desératur a voluptatibus suis? Si ánimus non habet voluptates suas, unde dicitur: Filii autem hóminum sub tégmíne alarum tuarum sperábunt. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, et torrénte voluptatistuæ potábis eos. Quóniam apud te est fons vitæ: et in lúmine tuo vidébimus lumen?

**R**. Disciplinam et sapiéntiam dócuit eos Dóminus. Alleluia. Firmávit in illis grátiam Spíritus sui, \* Et intellectu implévit corda eórum. Alleluia.

**V**. Repentino namque sónitu Spíritus Sanctus super eos venit.

Et intellectu.

*Benedictio Divinum auxilium.*

## LECTIO II.

**D**A amántem, et sentit quod dico: da desiderántem, da esuriéntem, da in ista solitúdine peregrinántem, atque sitiéntem, et fontem æternæ pátriæ suspirántem: da talem, et scit quid dicam. Si autem frígido loquor, nescit quid loquor. Tales erant isti, qui invicem murmurábant. Pater, inquit, quem traxerit, venit ad me. Quid est autem, Pater quem traxerit, cum ipse Christus trahat? Quare vóluit dicere, Pater quem traxerit? Si trahéndi sumus,

ab illo trahámur , cui dicit quædam , quæ diligit : Post odórem unguentórum tuórum currémus. Sed quid intélligi vóluit , advertámus frátres , et quantum póssumus capiámus. Trahit Pater ad Filium eos , qui prop- terea credunt in Filium , quia eum cógitant Patrem habére Deum. Deus enim Pater æquálem sibi génuít Filium : et qui cógitat , atque in fide sua sentit et rúminat , æquálem esse Patri eum , in quem credidit , ipsum trahit Pater ad Filium.

℟. Ite in univérsum orbem , et prædicáte Evangélium. Allelúia. \* Qui crediderit , et baptizátus fuérit , salvus erit. Allelúia , allelúia , allelúia.

℣. In nómine meo dæmónia ejicient , linguis loquéntur novis , serpéntes tollent.

Qui crediderit.

Glória Patri.

Qui crediderunt.

*Benedictio Ad societátem.*

#### LECTIO III.

**A**RIUS credidit creatúram , non eum traxit Pater : quia non considerat Patrem , qui Filium non credit æquálem. Quid dicis , o Ari ? Quid dicis hærélice ? quid lóqueris ? Quid est Christus ? Non , inquit , Deus verus , sed quem fecit Deus verus. Non te traxit Pater : non enim intellexisti Patrem , ejus Filium negas. Aliud cógitas , non est ipse

Filius : nec a Patre tráheris , necad Filium tráheris. Aliud est enim Filius , áliud quod tu dicis. Photínus dicit : Homo solum est Christus , non est et Deus. Qui sic credit , non Pater eum traxit. Quem traxit Pater ? Illum qui dicit : Tu es Christus Filius Dei vivi. Ramum víridem osténdis ovi , et trahis illam. Nuces púero demonstrántur , et tráhitur : et quod currit , tráhitur , amándo tráhitur , sine læsióne córporis tráhitur , cordis vínculo tráhitur. Si ergo ista , quæ inter delicias et voluptátes terréneas revelántur amántibus , trahunt , quóniam verum est , Trahit sua quemque volúptas : non trahit revelátus Christus a Patre ? Quid enim fórtius desíderat ánima , quam veritátem ?

Te Deum laudamus , 18.

*Ad Benedictus , Antiphona.*

Ego sum panis vivus , \* dicit Dóminus , qui de cœlo descéndi. Allelúia , allelúia.

#### ORATIO.

**M**ENTES nostras , quæsumus , Dómine , Paráclitus qui a te procédit illúminet : et inducat in omnem , sicut tuus promísit Filius , veritátem. Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti , Deus.

*Ad Magnificat , Antiphona.*

Ego sum panis vivus , \* qui de cœlo descéndi : si quis

manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum : et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Allelúia.

~~~~~

### FERIA QUINTA.

✠. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum. Allelúia.

℞. Et hoc quod cóninet ómnia, sciéntiam habet vocis. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

*Benedictio* Evangélica léc-tio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

#### LECTIO I.

[Cap. 9.]

**I**N illo témpore, convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem, et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

[Lib. 6 in c. 9. Lucæ.]

**Q**UALIS debeat esse qui evangelizat regnum Dei, præcèptis Evangélicis designáture : ut sine virga, sine pera, sine calceaménto, sine pane, sine pecúnia, hoc est, subsidii sæculáris adminícula non requírens, fideque tutus, putet sibi quo minus ea requírat, magis posse suppétere. Quæ possunt, qui volunt, ad eum deriváre tractátum,

ut spiritálem tantúmmodo locus iste formáre videátur afféctum : qui velut indumentum quoddam videátur córporis exuisse, non solum potestáte rejécta, contemp-tisque divítiis, sed étiam carnis ipsíus illécebris abdicá-tis. Quibus primo ómnium datur pacis atque constántiæ generále mandátum, ut pacem ferant, constántiam servant, hospitális necessitúdinis jura custódiant : aliénium a prædicatóre regni cœlestis ástruens cursitare per domos, et inviolábilis hospítii jura mutáre.

℞. Advénit ignis divínus, non combúrens, sed illúminans; non consúmens, sed lucens : et invénit corda discipulórum receptácula munda : \* Et tríbuit eis charismatum dona. Allelúia, allelúia.

✠. Invénit eos concórdes charitáte, et collustrávit eos inúndans grátia Deitátis.

Et tríbuit.

*Benedictio* Divínium auxilium.

#### LECTIO II.

**S**ED ut hospítii grátia deferénda censétur : ita étiam, si non recipiántur, excutiéndum púlverem, et egrediéndum de civitáte mandátur. Quo non mediócris boni remunerátio docétur hospítii : ut non solum pacem tribuá-mus hospítibus, verum étiam,



si qua eos terrénæ obúmbrent delicta levitátis, recéptis Apostólicæ prædicationis vestigiis auferántur. Nec otiose secúndum Matthæum, domus, quam ingrediántur Apóstoli, eligénda decérnitur : ut mutándi hospítii, necessitudinisque violándæ causa non súppetat. Non tamen éadem cáutio receptóri mandátur hospítii : ne, dum hospes elígitur, hospitalitas ipsa minuátur.

¶. Spíritus Sanctus replévit totam domum, ubi erant Apóstoli : et apparuérunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eórum : \* Et repléti sunt omnes Spíritu Sancto : et cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus Sanctus dabat éloqui illis. Alleluía, alleluía, alleluía.

✠. Dum ergo essent in unum discipuli congregáti propter metum Judæórum, sonus repénite de cœlo venit super eos.

Et repléti sunt.

Glória Patri.

Et repléti sunt.

*Benedictio Ad societátem.*

#### LECTIO III.

Sed hæc, ut secúndum litteram de hospítii religióne venerábilis est forma præcepti : ita étiam de mystério senténtia cœléstis arridet. Etenim cum domus elígitur, dignus hospes inquiritur. Vi-

deámus igitur, ne forte Ecclésia præferénda designétur, et Christus. Quæ enim dignior domus Apostólicæ prædicationis ingrèssu, quam sancta Ecclésia ? Aut quis præferéndus magis ómnibus vidétur esse quam Christus, qui pedes suis laváre consuevit hospítibus : et quoscúmque sua recéperit domo, pollútis non patiátur habitáre vestigiis : sed maculósos licet vitæ prióris, in réliquum tamen dignétur mundáre procéssus ? Hic est igitur solus, quem nemo debet desérere, nemo mutáre. Cui bene dicitur : Dómine, ad quem íbimus ? verba vitæ æternæ habes, et nos crédimus.

Te Deum laudámus. 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Convocátis Jesus \* duodecim discipulis suis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut linguóres curárent : et misit illos prædicáre regnum Dei, et sanáre infirmos. Alleluía.

#### ORATIO.

DEUS, qui hodiérna die corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuisti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudere. Per Dóminum, in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti, Deus.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Spíritus \* qui a Patre pro-

cédit. Allelúia. Ille me clarificábit. Allelúia, allelúia.

~~~~~

## FERIA SEXTA

QUATUOR TEMPORUM.

✠. Spiritus Paráclitus. Allelúia.

℞. Docébit vos ómnia. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

*Benedictio* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangélíi secundum Lucam.

### LECTIO I.

[Cap. 5.]

**I**n illo témpore, Factum est in una diérum, et Jesus sedébat docens. Et erant Pharisæi sedéntes, et legis doctóres, qui vénerant ex omni castélló Galilææ, et Judææ, et Jerúsalem: et virtus Dómini erat ad sanándum eos. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

[Lib. 5. in cap. 5. Lucæ.]

**N**on otíosa hujus paralytici, nec augústa medicína est, quando Dóminus et orásse præmittitur: non útique, propter suffrágium, sed propter exéplum. Imitándi enim spécimen dedit, non precándi ámbitum requisívit. Et conveniéntibus ex omni Galilæa, et Judæa, et Jerúsalem legis doctóribus inter ceterórum remédia debílium, para-

lytici istíus medicína describitur. Primum ómnium, quod ante diximus, unusquisque æger peténdæ precatóres salutis debet adhibére, per quos nostræ vitæ compágo resoluta, actuúmque nostrórum clauda vestigia, verbi cælestis remédio reforméntur.

℞. Non vos me elegístis, sed ego elégi vos, et pósui vos; \* Ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat. Allelúia, allelúia.

✠. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

Ut eátis.

*Benedictio* Divínium auxilium.

### LECTIO II.

**S**int igitur áliqui monitores mentis, qui ánimus hóminis, quamvis exterioris córporis debilitáte torpéntem, ad superiora érigant. Quorum rursus adminiculis et attóllere et humiliáre se fácilis ante Jesum locétur, Dóminico vidéri dignus aspectu. Humilitátem enim respicit Dóminus: quia respexit humilitátem ancillæ suæ. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittúntur tibi peccáta tua. Magnus Dóminus, qui aliórum mérito ignóscit aliis: et dum álios probat, aliis reláxat erráta. Cur apud te, homo, colléga non váleat, cum apud Deum servus et interveniéndi méritum, et jus hábeat impetrándi?

R. Spíritus Dómini replévit orbem terrarum: \* Et hoc, quod contémnet ómnia, sciéntiam habet vocis. Allelúia, allelúia.

✠. Omnium est enim árifex, omnem habens virtutem, ómnia prospiciens.

Et hoc.

Glória Patri.

Et hoc.

*Benedictio* Ad societátem.

### LECTIO III.

DISCE qui júdicas, ignóscere: disce qui æger es, imetráre. Si grávium peccárum diffidis véniam, ádhibe Ecclésiám, quæ pro te precetur, cujus contemplatióne, quod tibi Dóminus negáre posset, ignóscat. Et quamvis históriæ fidem non debeámus omittere, ut vere paralytici stius corpus credámus esse anátum: cognósce tamen nteriórís hóminis sanitátem, cui peccáta donántur. Cum udæiásserunt peccáta a solo Deo posse concédi, Deum itique eum confiténtur: suóque iudicio perfidiam suam odunt, qui opus ástruunt, ut persónam negent.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Dixit Jesus: \* Ut sciátis autem, quia Fílius hóminis habet potestátem in terra dimitténdi peccáta, ait paralytico: Tibi dico, surge: tol-

le lectum tuum, et vade in domum tuam. Allelúia.

### ORATIO.

DA, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus: ut Sancto Spíritu congregáta, hostili nullátenus incursióne turbetur. Per Dóminum nostrum, in unitáte ejúsdem Spíritus. *Ad Magnificat, Antiphona.*

Paráclitus autem \* Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in nómine meo, ille vos docebit ómnia et súgget vobis ómnia, quæcúmque dixeró vobis. Allelúia.

### SABBATO

#### QUATUOR TEMPORUM.

✠. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto. Allelúia.

R. Et cœpérunt loqui. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* A vinculis.

*Benedictio* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

### LECTIO I.

[Cap. 4.]

IN illo témpore, Surgens Jesus de synagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

[Lib. 3 in c. 4 Lucæ.]

VIDE cleméntiam Dómini Salvatóris: nec indignatióne commótus, nec scélere of-

fensus, nec injuria violatus, Judæam deserit: quin etiam immemor injuriæ, memor clementiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando, infidæ plebis corda demulcet. Et bene sanctus Lucas virum ab spiritu nequitiae liberatum ante præmisit, et subdit sceminae sanitatem. Utrumque enim sexum Dominus curaturus advenerat: sed prior sanari debuit, qui prior creatus est; nec prætermitti illa, quæ mobilitate magis animi, quam pravitate peccaverat.

R. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis: \* Et convénit multitúdo dicentium. Alleluia.

✠. Loquebantur variis linguis Apóstoli magnalia Dei. Et convénit.

*Benedictio* Divinum auxilium.

#### LECTIO II.

SABBATO medicinae Domini operæ cœpta significat, ut inde nova creatura cœperit, ubi vetus creatura ante desivit: nec sub lege esse Dei Filium, sed supra legem in ipso principio designaret: nec solvi legem, sed impleri. Neque enim per legem, sed verbo factus est mundus, sicut legimus: Verbo Domini cœli firmati sunt. Non solvitur ergo lex, sed

implétur: ut fiat renovatio hominis jam labentis. Unde et Apóstolus ait: Expoliantes vos veterem hominem, induite novum, qui secundum Deum creatus est.

R. Jam non dicam vos servos, sed amicos meos: quia omnia cognovistis, quæ operatus sum in medio vestri. Alleluia. \* Accipite Spiritum Sanctum in vobis Paráclitum: ille est, quem Pater mittet vobis. Alleluia.

✠. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

Accipite Spiritum.

Glória Patri.

Accipite Spiritum.

*Benedictio* Ad societatem.

#### LECTIO III.

ET bene sabbato cœpit, ut ipsum se ostenderet Creatorem, qui opera operibus intexeret, et prosequeretur opus, quod ipse jam cœperat: ut si domum faber renovare dispónat, non a fundamentis, sed a culminibus incipit solvere vetustatem. Itaque ibi prius manum admovet, ubi ante desierat: deinde a minoribus incipit, ut ad majora perveniat. Liberare a dæmone, et homines, sed in verbo Dei, possunt: resurrectionem mortuis imperare, divinae solius est potestatis. Fortassis etiam in typo mulieris illius socrus Simónis et Andréæ, variis criminum



fébribus caro nostra languébat, et diversárum cupiditátum immódicis æstuábat illécebris. Nec minórem febrem amóris esse díxerim, quam calóris. Itaque illa ánimum, hæc corpus inflámmat. Febris enim nostra avarítia est, febris nostra libído est, febris nostra luxúria est, febris nostra ambítio est, febris nostra iracúndia est.

Te Deum laudámus, 18.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Cháritas Dei \* diffúsa est in córdibus nostris, per in-

habitántem Spíritum ejus in nobis. Allelúia.

ORATIO.

**M**ENTIBUS nostris, quæsumus, Dómine, Spíritum Sanctum benígnus infúnde: cujus et sapiéntia cónditi sumus, et providéntia gubernámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus.

*Post Nonam, celebrata Missa, terminatur tempus Paschale.*





# PROPRIUM SANCTORUM.

## PARS VERNA.

DIE VIII FEBRUARII.

IN FESTO

S. JOANNIS DE MATHA,  
confessoris.

(DI PLEX.)

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, lxxxviij, præter sequentia.*

*In Hymno Iste Confessor mutatur tertius Versus.*

ORATIO.

DEUS, qui per sanctum Joannem, Ordinem sanctissimæ Trinitatis, ad redimendum de potestate Saracenorum captivos, cœlitus instituere dignatus es, præsta, quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, a captivitate corporis et animæ, te adjuvante, liberemur. Per Dominum.

*Deinde fit commemoratio Feriæ.*

*In primo Nocturno, Lectiones Beatus vir, de Com-  
Vern.*

*muni Confessoris non Pontificis, cij.*

IN SEGUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

JOANNES de Matha, Ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum institutor, Falcône in Provincia natus est, parentibus pietate, et nobilitate conspicuis. Studiôrum causa Aquas Séxtias, mox Parisios profectus, confectoque Theologiæ curriculo, Magistérii láuream adeptus, doctrinæ et virtutum splendore enituit. Quibus motus Parisiënsis Antistes, ad sacrum Presbyteratus ordinem præ humilitate reluctantem promovit, eo consilio, ut in ea civitate commorans, sapiëntia et moribus studiosæ juventutis prælucëret. Cum autem in sacello ejusdem Episcopi, ipso cum aliis adstante, primum Deo sacrum offerret,

coelesti favore méruit recreári. Nam Angelus cándida et fulgénti veste indútus, cui in pectore crux rúbei et cœrúlei colóris assúta erat, bráchiis cancellátis, et super duos captivos ad látera pòsitos, Christiánum unum, áltérum Maurum, exténsis apparuit. Qua visióne in éxtasim raptus, intelléxit prótinus vir Dei, se ad rediméndos ab infidélibus captivos destinári.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : \* Et dedit illi claritátem ætérnam.

✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

#### LECTIO V.

Quo vero matúrius in re tanti moménti procéderet, in solitúdinem secéssit, ibíque divíno nutu factum est, ut Felicem Valésium in ipsa erémō jam multis annis degéntem repérerit, cum quo ínta societáte, se per triénium in oratióne et contemplatióne, omniúmque virtútum stúdio exércuit. Cón-tigit autem, ut dum secum de rebus divinis prope fontem colloqueréntur, cervus ad eos accésserit, crucem inter córnua gerens, rúbei et cœrúlei colóris. Cumque Felix ob rei novitátem miraré-

tur, narrávit ei Joánnes visiónem in prima missa hábitam : et exínde fervéntius oratióni incumbéntes, ter in somnis admóniti, Romam proficisci decrevérunt, ut a summo Pontífice novi Ordinis pro rediméndis captivis institutióne impetrárent. Eléctus fúerat eo témpore Innocéntius tértius, qui illis benigne accéptis, dum secum de re propósita delibérat, in festo sanctæ Agnétis secúndo, Lateráni intra Missárum solémnia, ad sacræ Hóstiæ elevatióne, Angelus ei cándida veste, cruce bicolóri, spécie rediméntis captivos apparuit. Quo viso Pontífex institútum approbávit, et novum Ordinem sanctissimæ Trinitátis Redemptiōnis Captivórum vocári jussit, ejusque Professóribus albas vestes cum cruce rúbei et cœrúlei colóris præbuit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum : \* Et ad portas paradísi coronávit eum.

✠. Induit eum Dóminus lóricam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

#### LECTIO VI.

Sic stabilito Ordine, sancti Fundatóres in Gálliam rediérunt, primóque cœnóbio Cervi Frigidi in Diocési Meldénsi constrúcto, ad ejus régimen Felix remánsit, et Joánnes Romam cum áliquot



sóciis reversus est : ubi Innocéntius domum, Ecclesiám, et hospitále sancti Thomæ de Sormis, in monte Cœlio, eis donávit, cum multis redditibus et possessionibus. Datis quoque litteris ad Miramolínium regem Maróchii, opus redemptionis felici auspicio inchoátum fuit. Tum ad Hispanias, sub jugo Saracenórum magna ex parte opprèssas, Joánnes profectus est, Régumque, Principum, atque aliórum fidélium ánimos ad captivórum et páuperum commiserationem commóvit. Monastéria ædificávit, hospitalia eréxit, magnóque lucro animárum plures captivos redémmit. Romam tandem reversus, sanctisque opéribus ncumbens, assiduis laboribus attritus, et morbo conlectus, ardentissimo Dei et próximi amore exæstuans, ad extrémum devénit. Quare fratribus convocátis, eisquē ad opus redemptionis cœlitus præmonstrátum efficaciter cohortátis, obdormívit in Dómino sextodécimo kalénlas januárii, anno salutis millésimo ducentésimo decinotértio, ejúsque corpus in ipsa Ecclesiá sancti Thomæ le Formis condigno honóre humulátum fuit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in requiem meam : \* Quia te

vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

V. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cœlestia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

*In tertio nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium Sint lumbi vestri præcincti, ut in communi Confessoris non Pontificis, xcviij.*

*Nona lectio de Homilia Feriæ occurrentis, et de ea fit commemoratio in Laudibus et Vesperis.*

DIE IX FEBRUARII.

SANCTÆ APOLLONLÆ,

virginis et martyris.

*Antiphona.*

Veni, sponsa Christi, accipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

V. Spécie tua, et pulchritúdine tua.

R. Inténde, prospere procéde, et regna.

ORATIO.

DEUS, qui inter cétera potentiae tuæ miracula, étiam in sexu fragili victóriam martyrii contulisti : concéde propítius : ut, qui beátæ Apollóniæ virginis et mártiris tuæ natalítia cólimus, per

ejus ad te exémpia gradiámur. Per Dóminum.

### AD LAUDES.

#### *Antiphona.*

Simile est regnum cœlórurum hómini negotiátóri quœrénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Ÿ. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Ŗ. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.



#### DIE X FEBRUARII.

in festo

SANCTÆ SCHOLASTICÆ,

virginis.

( D U P L E X . )

*Omnia de Communi Virginum, cvij, præter sequentia.*

#### ORATIO.

**D**EUS, qui ánimam beátæ virginis tuæ Scholásticæ, ad ostendéndam innocentiae viam, in colúmbæ spécie cœlum penetráre fecisti : da nobis, ejus méritis et précibus, ita innocéter vivere, ut ad ætérna mereámur gáudia pervenire. Per Dóminum nostrum.

*Et fit commemoratio Feriæ.*

*In primo nocturno, Lectiones De virginibus præceptum, ut in Communi, cxij.*

#### IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex libro secúndo Dialogórum sancti Gregórii Papæ.

#### LECTIO IV.

[ Cap. 33. ]

**S**CHOLASTICA venerábilis patris Benedícti soror, omnipoténti Dómino ab ipso infántiæ témpore dedicáta, ad eum semel per annum venire consuéverat : ad quam vir Dei non longe extra jánuam in possessione monastérii descendébat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discíplis venerábilis ejus descendit frater, qui totum diem in Dei laudibus sacrisque collóquiis ducentes, incumbéntibus jam noctis ténebris, simul acceperunt cibum. Cumque adhuc ad mensam sedérent, et inter sacra collóquia tárdior se hora protráheret, eadem sanctimoniális fœmina, soror ejus, eum rogávit, dicens : Quæso te, ut ista nocte me non déseras, ut usque mane de cœlestis vitæ gáudiis loquámur. Cui ille respóndit : Quid est quod lóqueris, soror ? manére extra cellam nullátenus possum. Tanta vero erat cœli serénitas, ut nulla in aère nubes appareret. Sanctimoniális autem fœmina, cum verba fratris negántis audivisset, insértas digitis manus super mensam pósuit, et caput in mánibus omnipoténtem Dóminum ro-

gatura declinavit. Cumque levaret de mensa caput, tanta coruscationis, et tonitruum virtus, tantaque inundatio pluviae erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo considerant, pedem movere poterint.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : \* Et deducet te mirabiliter dextera tua.

Ps. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

Et deducet.

#### LECTIO V.

SANCTIMONIALIS quippe femina caput in manibus declinans, lacrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem aeris ad pluviam traxit. Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est : sed tanta fuit convenientia orationis, et inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret : quatenus unum idemque esset momentum, et levare caput, et pluviam deponere. Tunc vir Dei inter coruscantes, et tonitruos, atque ingentis pluviae inundationem, videns se ad monasterium non posse remeare, coepit conqueri contristatus, dicens : Parcat tibi omnipotens Deus, soror, quid est, quod fecisti? Cui illa respondit :

Ecce rogavi te, et audire me noluisti; rogavi Deum meum, et audivit me : modo ergo, si potes, egréde-re, et me dimissa, ad monasterium recede : ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere sponte noluit in loco, mansit invictus. Sicque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitae colloquia, sese vicaria relatione satiarent.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

Ps. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam.

Propterea.

#### LECTIO VI.

CUMQUE die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit. Cum, ecce, post triduum in cella consistens, elevatis in aera oculis, vidit ejusdem sororis suae animam de corpore egressam, in columbae specie coeli secreta penetrare. Qui, tantae ejus gloriae congaudens, omnipotenti Deo in hymnis et laudibus gratias reddidit, ejusque obitum fratribus denunciavit. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad monasterium deferrent, atque in sepulcro, quod sibi ipsi pa-

ráverat, pónerent. Quo facto, cóntigit, ut, quorum mens una semper in Deo fúerat, eórum quoque córpora nec sepultúra separáret.

R. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus \* Afferéntur tibi in lætítia et exultatióne.

Ÿ. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Afferéntur.

Glória Patri.

Afferéntur.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium* Simile erit regnum cœlórú decem Virgínibus, *de Comuni Virgínibus, cxx.*

*Nona Lectio de Homilia Feriæ, et de ea fit commemoratio in Laudibus et Vesperis.*

~~~~~

DIE XIV FEBRUARII.  
SANCTI VALENTINI,  
presbyteri et martyris.

*Antiphona.*

Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit, fundátus enim erat supra firmam petram.

Ÿ. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

R. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

ORATIO.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui beáti Valentini mártiris tui nata-

lítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne liberémur. Per Dóminum.

*In Laudibus, Antiphona.*

Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Ÿ. Justus ut palma florébit.

R. Sicut cedrus Libani multiplicábitur.

~~~~~

DIE XV FEBRUARII.  
SS. FAUSTINÆ ET JOVITÆ,  
martyrum.

*Antiphona.*

Istórum est enim regnum cœlórú, qui contempsérunt vitam mundi, et pervénérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sanguine Agni.

Ÿ. Lætámini in Dómino et exultáte, justí.

R. Et gloriámini, omnes recti corde.

ORATIO.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum mártýrum tuórum Faustini et Jovitæ solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur extrémis. Per Dóminum.

*In Laudibus, Antiphona.*

Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolite tímere: multis passéribus melióres estis vos.

Ÿ. Exultábunt sancti in glória.



R. Lætabúntur in cubilibus suis.

DIE XVIII FEBRUARII.

SANCTI SIMONIS,

episcopi et martyris.

*Antiphona.*

Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non timuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

Ÿ. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

R. Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

ORATIO.

INFIRMITATEM nostram respice, omnipotens Deus : et, quia pondus propriæ actionis gravat, beáti Simeónis mártiris tui atque Pontificis intercessio gloriósa nos protéget. Per Dóminum.

*In Laudibus, Antiphona.*

Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam æternam custódit eam.

Ÿ. Justus ut palma florebit.

R. Sicut cedrus Libani multiplicábitur.

DIE XXII FEBRUARII.

in cathedra

S. PETRI ANTIOCHIÆ.

(DUPLEX MAJUS.)

AD VESPERAS.

*Antiphona* Ecce sacérdos, cum reliquis de *Laudibus*, 503.

*Psalmus* Dixit Dóminus,

cum reliquis de *Dominica*, 134, et loco *ultimi*, *Psalmus* Laudáte Dóminum, omnes gentes, 139.

CAPITULUM.

[Ecc. c. 44.]

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

HYMNUS.

QUODCUMQUE in orbe néxibus revínxeris,

Erit revíctum, Petre, in arce síderum :

Et quod resólvit hic potéstas trádicta,

Erit solútum cœli in alto vértice :

In fine mundi judicábis sæculum.

Patri perénne sit per ævum glória,

Tibique laudes concinámus inclytas,

Ætérne Nate, sit supérne Spíritus,

Honor tibi decúsque, sancta júgiter,

Laudétur omne Trínitas per sæculum.

Amen.

Ÿ. Tu es Petrus.

R. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiám meam.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Tu es pastor óvium, princeps Apostolórum, tibi trádictæ sunt claves regni cœlórum.

## ORATIO.

**D**EUS, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cœlestis, ligándi atque solvéndi pontificium tradidisti: concéde, ut intercessiónis ejus auxilio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur. Qui vivis et regnas.

*Deinde fit commemoratio sancti Pauli, ante alias quascumque commemorationes, etiam Festi Duplicis, aut Dominicæ. Quod etiam servatur in commemoratione sancti Petri, quæ fit in Festis sancti Pauli.*

*Antiphona.*

Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis, et Doctor géntium, intercède pro nobis ad Deum qui te elégit.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole.

℞. Prædicátor veritátis in unívérso mundo.

## ORATIO.

**D**EUS, qui multitudinem géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuisti: da nobis, quæsumus; ut, cujus commemoratióem cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus.

*Deinde de Feria occurrente.*

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Tu es pastor óvium, princeps Apostolorum: \* Tibi tradidit Deus claves regni cœlorum.

*Psalmus Veníte, exultemus, 2.*

*Hymnus Quocúmque, ut supra in Vesperis.*

## IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona Beátus vir, cum aliis Antiphonis, Psalmis et versiculis de Comuni Confessoris Pontificis, lxv.*

Incipit Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

## LECTIO I.

[Cap. 1.]

**P**ETRUS Apóstolus Jesu Christi, eléctis ádvenis dispersiónis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bithyniæ secúndum præsciéntiam Dei Patris, in sanctificatióne Spiritus, in obediéntiam, et aspersiónem ságuinis Jesu Christi: Grátia vobis, et pax multiplicétur. Benedictus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mórtuis, in hæreditátem incorruptibilem, et incontaminátam, et immarcescibilem, conservátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei custodimini per fidem in salutem, parátam revelári in témpore novíssimo.

℞. Simon Petre, ántequam de navi vocárem te, novi te, et super plebem meam principem te constitui, \* Et cla-

ves regni cœlorum tradidi tibi.

✠. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis.

Et claves.

LECTIO II.

**I**N quo exultábitis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus, ut probátio vestræ fidei multo pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, et glóriam, et honórem in revelatióne Jesu Christi : quem cum non vidéritis, diligitis : in quem nunc quoque non vidéntes créditis : credéntes autem exultábitis lætitia inenarrabili, et glorificáta : reportántes fidem fidei vestræ, salutem animárum.

℞. Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas. Dómine, tu nosti, quia amo te, \* Et ánimam meam pono pro te.

✠. Si oportúerit me mori tecum, non te negábo.

Et ánimam.

LECTIO III.

**D**E qua salute exquisiérunt atque scrutáti sunt Prophétæ, qui de futúra in vobis grátia prophetavérunt:scrutántes in quod, vel quale tempus significáret in eis Spíritus Christi : prænúntians eas, quæ in Christo

sunt passiões, et posterióres glórias : quibus revelátum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrábant ea, quæ nunc nuntiáta sunt vobis per eos, qui evangelizavérunt vobis, Spíritu Sancto misso de cœlo, in quem desíderant Angeli prospicere.

℞. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiám meam, et portæ inferi non prævalébunt adversus eam : \* Et tibi dabo claves regni cœlorum.

✠. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis.

Et tibi dabo.

Glória Patri.

Et tibi dabo.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

LECTIO IV.

[Sermone 15, de Sanctis.]

**I**NSTITUTIO solemnitatís hodiernæ a senióribus nostris Cáthedræ nomen accépit, ideo quod primus Apostolórum Petrus hódie Episcopátus Cáthedram suscepisse referátur. Recte ergo Ecclésiæ natálem sedis illius colunt, quam Apóstolus pro Ecclésiárum salute suscepit, dicente Dómino: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiám meam.

R. Tu es pastor óvium, princeps Apostolorum : tibi tradidit Deus omnia regna mundi : \* Et ideo tibi traditæ sunt claves regni cœlorum.

Ÿ. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis.

Et ideo.

#### LECTIO V.

PETRUM itaque fundamentum Ecclesiæ Dóminus nominávit : et ideo digne fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificii altitúdo consúrgit. Unde conveniénter Psalmus, qui lectus est, dicit : Exáltent eum in Ecclesia plebis, et in cáthedra seniórum laudent eum. Benedictus Deus, qui beátum Petrum Apóstolum in Ecclesia exaltári præcepit : quia dignum est, ut fundamentum hoc in Ecclesia honorétur, per quod ad cœlum conscénditur.

R. Ego pro te rogávi, Petre, ut non deficiat fides tua : \* Et tu aliquándo convérsus confirma frátres tuos.

Ÿ. Caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.

Et tu aliquándo.

#### LECTIO VI.

QUOD natális ergo Cáthedræ hódie colitur, sacerdotále honorátur officium. Sibi hoc

Ecclesiæ invicem præstant, quia tanto necesse plus habet Ecclesia dignitátis, quanto sacerdotále officium plus honoris. Cum solemnitátem hanc Ecclesiis mérito religiosa observátio introduxerit : miror, cur apud quosdam infidéles hódie tam perniciosus error increverit, ut super túmulos defunctorum cibos et vina cónferant, quasi egressæ de corpóribus animæ, carnáles cibos requirant.

R. Petre amas me ? tu scis, Dómine, quia amo te. \* Pasce oves meas.

Ÿ. Simon Joánnis diligis me plus his ? tu scis, Dómine, quia amo te.

Pasce oves.

Glória Patri.

Pasce oves.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

#### LECTIO VII.

[ Cap. 16. ]

IN illo témpore, Venit Jesus in partes Cesaræ Philippi : et interrogábat discipulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Filium hóminis ? Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

[ Serm. 3. in Ann. assumpt. sue. ]

APOSTOLOS Dóminus quid de se hómines opinéntur, intérogat : et tándiu sermo



respondentium communis est, quādiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At ubi quid habeat sensus discipulorum exigitur, primus est in Dómini confessione, qui primus est in Apostólica dignitate. Qui cum dixisset: Tu es Christus Filius Dei vivi: respondit ei Jesus: Beatus es, Simon Bar-Jóna, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Id est, ideo beatus es, quia Pater te docuit: nec terrēna opinio te fefellit, sed inspiratio cœlestis instruxit: et non caro et sanguis, sed ille me tibi, cujus sum unigenitus Filius indicavit.

R. Quem dicunt homines esse filium hominis? dixit Jesus discipulis suis. Respondens Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. \* Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

✠. Beatus es, Simon Bar-Jóna, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.

Et ego.

#### LECTIO VIII.

Et ego, inquit, dico tibi: hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus: id est, cum ego sim inviolabilis petra,

ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum præter quod nemo potest aliud pōnere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut, quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalēbunt adversus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum: et Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget.

R. Elégit Dóminus sacerdotem sibi, ad sacrificandum ei \* Hóstiam laudis.

✠. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altíssimo vota tua.

Hóstiam laudis.

Glória Patri.

Hóstiam laudis.

*Nona Lectio erit de Homilia Feriæ occurrentis, cum commemoratione de ea.*

#### AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Ecce sacerdos magnus, qui in diēbus suis placuit Deo, et inventus est justus.

*Psalmus Dóminus regnavit, cum reliquis, 19.*

*Antiphona.*

Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.

*Antiphona.*

Ideo jurejurando fecit illum  
Dóminus crēscere in plebem  
suam.

*Antiphona.*

Sacerdotes Dei, benedicite  
Dóminum : servi Dómini,  
hymnum dicite Deo.

*Antiphona.*

Serve bone et fidēlis, intra  
in gāudium Dómini tui.

## CAPITULUM.

[Ecli. , c. 44.]

Ecce sacerdos magnus, qui  
in diēbus suis plācuit Deo,  
et invēntus est justus : et in  
tēpore iracūdiāe factus est  
reconciliatio.

## HYMNUS.

BEATE Pastor Petre, clemens  
accipe  
Voces precāntum, criminū-  
que vīcula  
Verbo resolve, cui potestas  
trādita,  
Aperire terris cœlum, apē-  
tum clāudere.  
Sit Trinitāti sempiterna gló-  
ria,  
Honor, potestas, atque jubi-  
lātio,  
In unitate, quæ gubernat om-  
nia,  
Per universa æternitatis sæ-  
cula.

Amen.

✠. Exáltent eum in ecclē-  
sia plebis.

R. Et in cáthedra senió-  
rum laudent eum.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Quodcūque ligáveris su-

per terram, erit ligátum et  
in cœlis : et quodcūque sol-  
veris super terram, erit so-  
lútum et in cœlis, dicit Dó-  
minus Simóni Petro.

## ORATIO.

DEUS, qui beáto Petro Após-  
tolo tuo, collátis clávibus reg-  
ni cœlestis, ligándi atque sol-  
vendi pontificium tradidisti,  
concède ut, intercessiónis  
ejus auxilio, a peccatórum  
nostrórum nexibus liberē-  
mur. Qui vivis et regnas.

*Deinde fit commemoratio  
S. Pauli, ut supra, 485.*

*Et Ferie occurrentis.*

## AD TERTIAM.

*Antiphona* Non est invēn-  
tus.

*Capitulum* Ecce sacerdos  
magnus, *ut supra.*

R. *breve.* Amávit eum Dó-  
minus, \* Et ornávit eum.  
Amávit.

✠. Stola glóriæ induit  
eum.

R. Et ornávit.

Glória Patri. Amávit.

✠. Elégit eum Dóminus  
sacerdotem sibi.

R. Ad sacrificándum ei  
hóstiam laudis.

## AD SEXTAM.

*Antiphona* Ideo jureju-  
rándo.

## CAPITULUM.

[Ecli. c. 44.]

Non est invēntus similis illi,  
qui conserváret legem Ex-  
celsi : ideo jurejurando fecit

illum Dóminus créscere in plebem suam.

R. *breve.* Elégit eum Dóminus, \* Sacerdótem sibi. Elégit eum.

V. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

R. Sacerdótem sibi.

Glória Patri. Elégit eum.

V. Tu es sacérdos in ætérnum.

R. Secúndum órđinem Melchisedech.

### AD NONAM.

*Antiphona* Serve bone.

#### CAPITULUM.

[Eccli. c. 45.]

FUNGI sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsius, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

R. *breve.* Tu es sacérdos, \* In ætérnum. Tu es.

V. Secúndum órđinem Melchisedech.

R. In ætérnum.

Glória Patri. Tu es.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

R. Et osténdit illi regnum Dei.

### AD VESPERAS.

*Antiphona* Ecce sacérdos magnus, cum reliquis de Laudibus, 489.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi, *Psalmus* Meménto, Dómine David, 144.

*Capitulum et Hymnus,*

*ut supra in primis Vesperis, 484.*

V. Elégit te Dóminus sacerdotem sibi.

R. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Dum esset summus Póntifex, terréna non méruit, sed ad coeléstia regna gloriósus migrávit.

*Oratio* Deus, qui beáto Petro, *ut supra, 489.*

*Deinde fit commemoratio S. Pauli, ut supra in primis Vesperis, 485.*

*Postea de Feria occurrente.*

~~~~~

### DIE XIII FEBRUARII

vel XXIV anno bissextilli

IN VIGILIA

S. MATHIÆ APOSTOLI.

*In Quadragesima nihil fit de Vigilia, nisi in Missa.*

~~~~~

### DIE XXIV FEBRUARII.

vel XXV anno bissextilli.

IN FESTO

S. MATHIÆ APOSTOLI.

(DUPLEX SECUNDÆ CLASSIS.)

*Omnia de Communi Apostolorum, ij, præter sequentia.*

ORATIO.

DEUS, qui beátum Mathiam Apostolorum tuórum collégio sociásti, tribue, quæsumus, ut ejus interventióne, tuæ circa nos pietátis semper viscera sentiámus. Per Dóminum.

*Deinde fit commemoratio Feriæ.*

IN PRIMO NOCTURNO.

De Actibus Apostolorum.

LECTIO I.

[Cap. 1.]

**I**N diébus illis exúrgens Petrus in médio fratrum dixit : ( erat autem turba hóminum simul , fere centum viginti . ) Viri fratres , opórtet implé-ri Scriptúram , quam prædixit Spíritus Sanctus per os David de Juda , qui fuit dux eórum , qui comprehendérunt Jesum : qui connumératus erat in nobis , et sortitus est sortem ministérii hujus . Et hic quidem possédit agrum de mercede iniquitátis , et suspensus crépuit médius : et diffúsa sunt ómnia viscera ejus .

℞. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum , dicit Dóminus : \* Estóte ergo prudentes sicut serpéntes , et simplices sicut columbæ .

℣. Dum lucem habétis , créдите in lucem , ut filii lucis sitis .

Estóte .

LECTIO II.

**E**T notum factum est ómnibus habitántibus Jerúsalem , ita ut appellarétur ager ille , lingua eórum : Hacéldama , hoc est , ager sángu-  
nis . Scriptum est enim in libro Psalmórum : Fiat com-  
morátio eórum desérta , et non sit qui inhábitet in ea : et episcopátum ejus accípiat al-  
ter . Opórtet ergo ex his vi-

ris , qui nobíscum sunt con-  
gregáti in omni témpore ,  
quo intrávit et exívit inter  
nos Dóminus Jesus , inci-  
piens a baptismo Jóannis ,  
usque in diem , qua assump-  
tus est a nobis , testem resur-  
rectiónis ejus nobíscum fieri  
unum ex istis .

℞. Tóllite jugum meum su-  
per vos , dicit Dóminus , et  
discite a me , quia mitis sum ,  
et húmilis corde : \* Jugum  
enim meum suáve est , et  
onus meum leve .

℣. Et inveniétis réquiem  
animábus vestris .

Jugum .

LECTIO III.

**E**T statuérunt duos , Joseph ,  
qui vocabátur Bársabas , qui  
cognominátus est Justus , et  
Mathíam . Et orántes dixé-  
runt : Tu , Dómine , qui corda  
nosti ómnium , osténde ,  
quem elégeris ex his duóbus  
unum accípere locum minis-  
térii hujus , et Apostolátus ,  
de quo prævaricátus est Ju-  
das , ut abiret in locum suum .  
Et dedérunt sortes eis , et cé-  
cidit sors super Mathíam , et  
annumerátus est cum únde-  
cim Apóstolis .

℞. Dum stetéritis ante re-  
ges et præsides , nolíte co-  
gitáre quómodo , aut quíd  
loquámini : \* Dábitur enim  
vobis in illa hora , quid lo-  
quámini .

℣. Non enim vos estis qui  
loquámini : sed Spíritus Pa-



tris vestri, qui loquitur in vobis.

Dábitur enim.

Glória Patri.

Dábitur enim.

*In secundo Nocturno, Lectiones de Expositione sancti Augustini Episcopi, Fundamenta ejus in montibus sanctis, ut in communi Apostolorum, xvj.*

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

LECTIO VII.

[Cap. 11.]

In illo tempore, Respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Serm. 10. de Verbis Domini.]

VENITE ad me omnes, qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias? Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis. Quid ergo dicit, Venite ad me omnes, qui laboratis, nisi ut non laboretis? Denique promissio ejus in promptu est, quoniam laborantes vocavit. Quærent forte, qua mercede vocati sunt.

Et ego vos, inquit, reficiam. Tolle jugum meum super vos, et discite a me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia, et invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, et mortuos suscitare; sed, Quoniam mitis sum, et humilis corde.

R. Isti sunt qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: \* Calicem Domini biberunt, et amici Dei facti sunt.

Y. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.

Calicem.

LECTIO VIII.

MAGNUS esse vis, a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult, et disponit superimpungere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construatur, in superna consurgit: qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo et fabrica ante celsitudinem humiliatur, et fastigium post humiliatorem erigitur.

R. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam: \* Quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna.

✠. Sancti per fidem vicērunt regna, operāti sunt iustitiam.

Quorum doctrīna.

Glória Patri.

Quorum doctrīna.

*Nona Lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, et de ea fit commemoratio.*

*Ad Laudes, et alias Horas, omnia de Communi Apostolorum, xij.*

## FESTA MARTII.

DIE IV MARTII.

IN FESTO

SANCTI CASIMIRI,

confessoris.

( SEMIDUPLEX. )

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, lxxxiv, præter sequentia.*

ORATIO.

DEUS, qui inter regales delicias, et mundi illécebras, sanctum Casimírum virtute constantiæ roborásti, quæsumus ut ejus intercessióne fideles tui terréna despiciant, et ad cœlestia semper aspirent. Per Dóminum.

*Deinde fit commemoratio Feriæ.*

*Postea sancti Lucii Papæ et martyris.*

*Antiphona.*

Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non timuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

✠. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

R. Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

ORATIO.

DEUS, qui nos beáti Lucii mátyris tui atque Pontificis ánnua solemnitate lætificas, concéde propítius ut, cujus natalitia cólimus, de ejúdem étiam protectione gaudeámus. Per Dóminum.

*In primo Nocturno, Lectiones de libro Sapientiæ Justus si morte, de Communi Confessoris non Pontificis, xcj.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

CASIMIRUS, patre Casimiro, matre Elisabéthá Austriaca, Polóniæ régibus ortus, a pueritia sub óptimis magistris, pietate, et bonis ártibus instrúctus, juveniles artus áspero domábat cilicio, et assiduis extenuábat jejúniis. Régii sprete lecti mollitie, dura cubábat humo, et clam intempésta nocte præ fóribus templórum pronus in terra divínam exorábat cleméntiam. In Christi contemplánda passióne assiduus, Missárum solémniis ádeo erécta in Deum mente solébat adesse, ut extra se ravi viderétur.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimícis, et a seductóri-

bus tutávit illum : \* Et dedit illi claritátem ætérnam.

Ÿ. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit.

LECTIO V.

CATHOLICAM promovére fidem summópere stúduit, et Ruthenórum schisma abolére: quaprópter Casimírum patrem indúxit, ut legem ferret, ne schismátici nova templa constrúerent, nec vétera collabéntia restaurárent. Erga páuperes et calamitáribus opprèssos benéficus et miséricors, Patris et Defensoris egenórum nomen obtinuit. Virginitátem, quam ab incunábulis servávit illæsam, sub extrémó vitæ término fórtiter assérui, dum gravi pressus infirmitáte, mori pótius quam castitátis jactúram ex medicórum consílio subire, constánter decrevit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum : \* Et ad portas paradisi coronávit eum.

Ÿ. Induit eum Dóminus lorica[m] fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

LECTIO VI.

CONSUMMATUS in brevi, virtútibus et méritis plenus, prænuntiáto mortis die, inter sacerdótum et religiosórum choros spíritum Deo

réddidit, anno ætátis vigésimo quinto. Corpus Vilnam delátum multis claret miráculis. Etenim, præterquam quod puélla defúcta vitam, cæci visum, claudi gressum, et várii infirmi sanitátem ad ejus sepúlcrum recuperárun; Lithuánis exíguo número ad potentíssimi hostis insperátam irruptionem trepidántibus in áere appárens, insignem tribuit victóriam. Quibus permótus Leo décimus, eúmdem Sanctórum catálogo adscripsit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

Ÿ. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri, de Communi Confessoris non Pontificis, xcvij.*

*Nona Lectio de Homilia Ferie occurrentis, et de ea fit commemoratio in Laudibus.*

*Postea de sancto Lucio.*

*Antiphona.*

Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

✠. Justus ut palma florébit.

℞. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

*Oratio* Deus, qui nos, *ut supra*, 493.

~~~~~

DIE VII MARTII.

IN FESTO

S. THOMÆ DE AQUINO,  
confessoris et ecclesiæ  
doctoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, lxxxviiij, præter sequentia.*

*Ad Magnificat in utrisque Vesperis, Antiphona.*

O Doctor óptime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beáte Thoma, divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

ORATIO.

DEUS, qui Ecclesiám tuam beáti Thomæ Confessoris tui mira eruditíone claríficas, et sancta operatíone fœcundas: da nobis, quæsumus, et quæ dócuit, intelléctu conspícere; et quæ egit, imitatíone complére. Per Dóminum.

*Deinde fit commemoratio Feriæ.*

*Postea SS. martyrum Perpetuæ et Felicitatis.*

*In Vesperis et Laudibus, Antiphona.*

Istárum est enim regnum

cœlórum, quæ contempserunt vitam mundi, et pervernerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

✠. Glória et honóre coronásti eas, Dómine.

℞. Et constituísti eas super ópera mánuum tuárum.

ORATIO.

DA nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, sanctárum mártýrum tuárum Perpetuæ et Felicitátis palmas incessábili devotíone venerári: ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humilibus saltem frequentémus obséquiiis. Per Dóminum.

*In primo Nocturno, Lectiones Sapiéntiam ómnium antiquórum, ut in Communi Doctorum, lxxx.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

THOMAS, Landúlpho Cómite Aquináte, et Theodóra Neapolitána, nobilibus paréntibus natus, quintum annum agens, mónachis sancti Benedicti Cassinátibus custodiéndus tráditur. Inde Neapolim studiórum causa missus, jam adoléscent Fratrú Prædicatórum Ordinem suscepit. Sed matre ac fratribus id indigne feréntibus, Lutétiam Parisiórum mittitur. Quem fratres in itinere per vim raptum, in arcem castri sancti Joánnis perducunt: ubi varie exagitatus, ut sanc-



tum propósitum mutáret, mulierem étiam, quæ ad labefactándam ejus constántiam introdúcta fúerat, titione fugávit. Mox beátus júvenis flexis génibus ante signum Crucis orans, ibique somno corréptus, per quiétem sentire visus est, sibi ab Angelis constringi lumbos: quo ex témpore omni póstea libídinis sensu cárui: soróribus, quæ, ut eum a pio consilio removérent, in castrum vénerant, persuásit, ut contéptis curis sæculáribus, ad exercitátionem cœlestis vitæ se conférrent.

¶. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam.

¶. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

## LECTIO V.

Emíssus e castro per fenestram, Neápolim redúcitur: unde Romam, póstea Parísium a fratre Joánnē Theutónico, Ordinis Prædicatórum Generáli Magistro ductus, Albérto magno doctóre, Philosophiæ ac Theológiæ óperam dedit: viginti quinque annos natus, magister est appellátus, publicéque Philosophos ac Theólogos summa cum laude est interpretátus. Numquam se lec-

tióni aut scriptióni dedit, nisi post oratióem. In difficultátibus locórum sacrae Scriptúræ, ad oratióem jejúnium adhibébat. Quin étiam sodáli suo fratri Regináldo dicere solébat, quidquid sciret, non tam stúdio aut labóre suo peperisse, quam divinítus tráditum accepisse. Neápoli cum ad imáginem Crucifixi veheméntius oráret, hanc vocem audívit: Benescripsisti de me, Thoma, quam ergo mercédem accipies? Cui ille: Non áliam, Dómine, nisi teípsum.

¶. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum.

¶. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

## LECTIO VI.

NULLUM fuit scriptórum genus, in quibus non esset diligentíssime versátus. Collatiões Patrum assidue per-volutábat: nec tamen a prædicatióne divíni verbi desistebat. Quod cum fáceret per Octávam Paschæ in Basilica sancti Petri, mulierem, quæ ejus fimbriam tetígerat, a fluxu ságuinis liberávit. Scripta ejus et multitúdine, et varietáte, et felicitáte explicándi res difficiles ádeo excéllunt, ut ob eam causam étiam nomen Doctóris An-

géllici jure sit adéptus. Ab Urbáno quarto Romam vocátus, addúci non pótuit, ut honóres accíperet. Archiepiscopátum Neapolitánum étiam deferénte Cleménte quarto Pontífice recusávit. Missus a Gregório décimo ad Concílium Lugdunése, in monastério Fossæ novæ in morbum incidit, ubi ægrótus Cántica canticórum explanávit. Ibídem óbiit quinquagénarius, anno salutis millesimo ducentésimo septuagésimo quarto, Nonis Mártii. Miráculis et vivus et mórtuus flóruit. A Joánnē vigésimo secúndo in Sanctórum númerum relátus est anno millésimo trecentésimo vigésimo tértio : cujus corpus póstea Urbáno quinto summo Pontífice Tolósam translátum est.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

✠. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.

Quia te.

Glória Patri.

Quia te.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Vos estis sal terræ, ut in Comuni Doctorum, lxxxv.*

*Nona Lectio de Homilia Feriæ occurrentis.*

*In Laudibus fit commemoratio Feriæ, et Sanctorum, ut supra, 495.*

*In secundis Vesperis a Capitulo de sequenti, commemoratio præcedentis et Feriæ.*

DIE VIII MARTII.

IN FESTO

SANCTI JOANNIS DE DEO, confessoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Comuni Confessoris non Pontificis, lxxxvii. præter sequentia.*

ORATIO.

DEUS, qui beátum Joánnem, tuo amóre succénsus, inter flammās innóxiū incédere fecisti: et per eum Ecclesiā tuā novā prole fœcundāsti: præsta, ipsius suffragántibus méritis, ut igne charitátis tuæ vítia nostra curéntur, et remédia nobis æténa provéniant. Per Dóminum.

*Deinde fit commemoratio sancti Thomæ.*

*Antiphona O Doctor óptime.*

✠. Justum dedúxit.

*Oratio Deus, qui Ecclesiā, ut supra, 494.*

*Postea Feriæ occurrentis.*

*In primo Nocturno Lectio Beátus vir, de Comuni Confessoris non Pontificis secundo loco, cij.*

## IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

**JOANNES** de Deo ex Cathólicis piisque paréntibus in óppido Montis majóris, junióris regni Lusitániæ natus, quam sublímiter in sortem Dómini fúerit eléctus, insué-tus splendor super ejus domo refúlgens, sonitúsque æris campáni sua sponte emissus, ab ipso ejus nativitátis témpore non obscuré præ-nuntiárant. A laxióri vivéndi ratióne, divína operánte virtúte, revocatús, magnæ sanctitátis exhibére spécimen cœpit, et ob audítam prædicationem verbi Dei, sic ad melióra se excitátum sensit, ut jam ab ipso sanctióriis vitæ rudiménto consummátum áliquíd, perfectúmque visus sit attigisse. Bonis ómnibus in páuperes cárceribus inclú-sos erógatis, admirábilis pœ-niténtiæ, suique ipsius contéptus cuncto pópulo spectáculum factus, a plerisque ceu demens gráviter afflic-tus, in cárcerem améntibus desti-nátum conjicitur. At Joánnes cœlesti charitate magis incén-sus, gémino, atque amplo va-letudinário ex piórum eleemósynis in civitáte Grana-ténsi extrúcto, jactóque novi Ordinis fundaménto, Ecclé-siam nova prole fœcundávit fratrum Hospitalitátis, infir-mis præcláro animárum cor-porúmque proféctu inser-

vénitium, et longe latéque per orbem diffusórum.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam.

**V.** Justum dedúxit Dómi-nus per vias rectas, et ostén-dit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

## LECTIO V.

**PAUPERIBUS** ægróis, quos propriis quandóque húme-ris domum deferébat, nulla re ad ánimæ corporisque salútem proficua déerat. Ef-fúsa quoque extra nosocó-mium charitáte, indigéntibus muliéribus víduis, et præci-pue virgínibus periclitántibus clam aliménta subministrá-bat, curámque indeféssam adhibébat, ut carnis concu-piscéntiam a próximis hujús-modi vítio inquinátis exter-mináret. Cum autem máxi-mum in régio Granaténsi valetudinário excitátum fuís-set incéndium, Joánnes impá-vidus prosiliit in ignem, huc illuc discúrrens, quousque tum infirmos húmeris expor-tátos, tum léctulos e fenéstris proyéctos ab igne vindicá-vit, ac per dimídiam horam inter flammam jam in immén-sum successéntes versátus, exínde divínitus incólumis, univérsis civibus admiránti-bus exívit, in schola charitá-tis édocens, segniórem in eum

fuisse ignem, qui foris ússerat, quam qui intus accénderrat.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum : \* Et ad portas paradísi coronávit eum.

V. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

#### LECTIO VI.

**M**ULTIPLICI asperitátum genere, demissíssima obediéntia, extréma paupertáte, orándi stúdio, rerum divinárum contemplatióne, ac in beátam Virgínem pietáte mirífice excélluit, et lacrymárum dono enítuit. Dénique gravi morbo corréptus, ómnibus Ecclesiæ Sacraméntis rite sanctéque reféctus, víribus licet destitútus, própriis indútus véstibus e léctulo surgens, ac provolútus in génua, manu, et corde Christum Dóminum e cruce pendéntem perstringens, octávo Idus Mártii, anno millésimo quingentésimo quinquagésimo óbiit in ósculo Dómini: quem étiam mórtuus ténuít, nec dimisit, et in eádem corpóris constitutióne sex circíter horas, quóusque inde dimótus fuisset tota civitáte inspectánte, mirabíliter permánsit, odórem mire fragrántem diffúndens. Quem ante et post óbitum plúrimis miráculis clarum, Alexánder octávus Póntifex Máximus

in Sanctórum númerum rétulit.

R. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

V. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

#### LECTIO VII.

[Cap. 22.]

**I**N illo témpore, Accessérunt ad Jesum Pharisei, et interrogávit eum unus ex eis Legis doctor, tentans eum : Magister, quod est mandátum magnum in lege ? Et reliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

[Homília 72, in Matthæum.]

**S**ADDUCÆIS confúsis, Pharisæi rursus aggrediúntur, cumque quiéscere oportéret, decertáre voluérunt, et Legis perítiam profiténtem præmittunt, non discere, sed tentáre cupiéntes, ac ita interrogant : Quodnam primum mandátum in Lege sit. Nam cum primum illud sit, Diliges Dóminum Deum tuum ; putántes causas sibi allatúrum ad mandátum hoc



corrígendum, aliquid addéndo, quóniam Deum se faciébatur, hoc modo intérogant: Quid igitur Christus? ut osténdat idcirco ad hæc eos devenisse, quia nulla in eis esset charitas, sed invidiæ livóre tabescerent: Diliges, inquit, Dóminum Deum tuum: hoc primum et magnum mandátum est. Secundum autem simile huic: Diliges próximum tuum sicut teípsum.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: \* Ipse intercédatur pro peccátis ómnium populórum.

V. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstínens se ab omni ópere malo, et permanens in innocentia sua.

Ipse intercédatur.

## LECTIO VIII.

QUAMOBREM simile est huic? quóniam hoc illud indúcit, et ab illo rursus munitur. Quicúmque enim male agit, ódio habet lucem, et non venit ad lucem. Et rursus: Dixit insípiens in corde suo, Non est Deus. Deinde séquitur: Corrupti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis. Et iterum: Radix ómnium malórum avaritia est: quam quidam appeténtes, erravérunt a fide. Et, Qui diligit me, mandáta mea servábit: quorum caput, et ra-

dix est, Diliges Dóminum Deum tuum, et próximum tuum sicut teípsum.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardéntes in manibus vestris: \* Et vos similes homínibus expéctantibus dóminum suum, quando revertátur a nuptiis.

V. Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.

Et vos similes.

Glória Patri.

Et vos similes.

*Nona Lectio dicitur de Homilia Ferie occurrentis, et de ea fit commemoratio in Laudibus.*

*Vesperæ a Capitulo de sequenti, commemoratio præcedentis, et Ferie.*

~~~~~

## DIE IX MARTII.

in festo

SANCTÆ FRANCISCÆ,  
viduæ romanæ.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi nec Virginum nec Martyrum, cxxvj, præter sequentia.*

## ORATIO.

DEUS, qui beátam Franciscam famulam tuam, inter cetera gratiæ tuæ dona, familiári Angeli consuetudine decorásti, concède, quæsumus; ut intercessiónis ejus auxilio, Angelórum consórtium cónsequi mereámur. Per Dóminum.

*Deinde fit comunemoratio  
sancti Joannis de Deo.*

*Antiphona.*

Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℞. Et osténdit illi regnum Dei.

*Oratio* Deus, qui beátum ut supra, 497.

*Postea Feriæ occurrentis, si celebretur in Quadragesima.*

*In primo Nocturno, in Quadragesima, Lectiones* Mulierem fortem, ut in Comuni non Virginum, cxxxij.

*Alias de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**F**RANCISCA, nóbilis matróna romána, ab ineúnte ætáte illústria dedit virtútum exempla: étenim pueriles ludos et illécebras mundi réspuens, solitúdine et oratióne magnóperere delectabátur. Undecim annos nata, virginitátem suam Deo consecráre, et monastérium ingredi propósuit: paréntum tamen voluntáti humiliter obtémperans, Laurentio de Pontíanis júveni æque díviti ac nóbili nupsit. In matrimónio arctióri vitæ propósitum: quantum licuit, semper retinuit: a spectáculis, convíviis, aliisque hujús-

modi oblectaméntis abhórrens, lánea ac vulgári veste utens, et quidquid a domésticis curis supérerat témporis, oratióni, aut proximórum utilitáti tribuens: in id vero máxima sollicitúdine incúmbens, ut matrónas románas a pompis sæculi et ornátus vanitáte revocáret. Quaprópter domum Oblatárum, sub régula sancti Benedicti, Congregatiónis Montis Olivéti, adhuc viro alligáta, in Urbe instituit. Viri exilium, bonórum jactúram, ac universæ domus mœrórem non modo constantissime tolerávit; sed grátias agens cum beáto Job, illud frequenter usurpábat: Dóminus dedit, Dóminus ábstulit, sit nomen Dómini benedictum.

℞. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justitiam: \* Et dedúcet te mirabiliter dextera tua.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Et dedúcet te.

LECTIO V.

**V**IRO defúcto, ad prædictam Oblatárum domum cónvolans, nudis pédibus, fune ad collum alligáto, humi prostráta, multis cum lácrymis earum número adscribi suppliciter postulávit: voti compos facta, licet esset ómnium mater, non álio tamen quam ancillæ vilissimæque fœminæ,

et immunditiæ vâsculi título gloriabâtur. Quam vilem sui existimatiônem et verbo declarâvit, et exêmplo : sæpe enim e suburbâna vinea revértens, et lignórum fascem próprio cápiti impósitum deferens, vel eisdem onústum agens per Urbem asellum, paupéribus subveniébat, in quos étiam largas eleemôsynas erogâbat : ægrotantésque in xenodóchiis visitans, non corporáli tantum cibo, sed salutáribus mónitis recreâbat : corpus suum vigiliis, jejúniis, cilicio, férreo cingulo, crebrisque flagéllis in servitútem redigere júgiter satagébat. Cibum illi semel in die herbæ et legúmina, aqua potum præbuit. Hos tamen córporis cruciátus aliquándo Confessárii mandáto, a cujus ore nutúque pendébat, módice temperávit.

R. Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem : \* Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiæ.

Y. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam.

Proptérea unxit.

#### LECTIO VI.

DIVINA mystéria, præsertim vero Christi Dómini passiônem, tanto mentis ardóre, tantáque lacrymárum vi contemplabâtur, ut præ dolóris

Vern.

magnitúdine pene cónfici viderétur. Sæpe étiam cum oráret, máxime sumpto sanctissinæ Eucharistiæ Sacraménto, spíritu in Deum eleváta, ac cœléstium contemplatióne rapta, immóbilis permanébat. Quaprópter humáni géneris hostis váriis eam contuméliis ac verbéribus a propósito dimovére conabâtur : quem tamen illa impertérrita semper elúsit; Angeli præsertim præsidio, cujus familiári consuetúdine gloriósum de eo triúmphum reportávit. Grátia curatiónum, et prophetiæ dono enítuit, quo et futúra prædixit, et córdium secréta penetrávit. Non semel aquæ vel per rivum decurréntes, vel e cœlo labéntes, intáctam prorsus, dum Deo vacáret, reliquérunt. Mó dica panisfragménta, quæ vix tribus soróribus reficiéndis fuissent satis, sic ejus précibus Dóminus multiplicávit, ut quíndecim inde exsaturátis, tantum superfúerit, ut canístrum impléverit : et aliquándo earúmdem sorórum, extra Urbem mense januário ligna parántium, sitim recéntis uvæ racémis ex vite in árbore pendéntibus mirabiliter obténtis, abúnde expléverit. Dénique méritis et miráculis clara, migrávit ad Dóminum, anno ætátis suæ quinquagésimo sexto : quam Paulus quintus Pónti-

sex Máximus in Sanctárum  
númerum rétulit.

R. Fallax grátia, et vana  
est pulchritúdo : \* Múlier ti-  
mens Deum , ipsa laudábi-  
tur.

Ÿ. Date ei de fructu má-  
nuum suárum , et laudent  
eam in portis ópera ejus.

Múlier timens.

Glória Patri.

Múlier timens.

*In tertio Nocturno , Ho-  
milía in Evangelium Simile  
est regnum coelórum thesau-  
ro , de Communi nec Virgi-  
num nec Martyrum , cxxxiv.*

*Nona Lectio dicitur de  
Homilia Feriæ occurrentis ,  
et de ea fit commemoratio  
in Laudibus.*

*In secundis Vesperis fit  
commemoratio SS. Quadra-  
ginta Martyrum , ut infra ,  
et Feriæ.*

~~~~~

DIE X MARTII.

in festo

SS. QUADRAGINTA MARTYRUM.

(SEMIDUPLEX.)

*Antiphona.*

Istórum est enim regnum  
coelórum, qui contempsérunt  
vitam mundi, et pervenérunt  
ad præmia regni, et lavé-  
runt stolas suas in ságuine  
Agni.

Ÿ. Lætámini in Dómino  
et exultáte, justi.

R. Et gloriámini, omnes  
recti corde.

ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omni-  
potens Deus, ut, qui glorió-  
sos Mártyres fortes in sua con-  
fessióne cognóvimus, pios  
apud te in nostra interces-  
sióne sentiámus. Per Dómi-  
num nostrum.

*Deinde fit commemoratio  
Feriæ.*

*In primo Nocturno in  
Quadragesima , Lectiones  
Fratres , debitóres sumus ,  
de Communi plurimorum  
Martyrum , liv; alias de Scrip-  
tura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**L**ICINIO Imperatóre, et Agri-  
coláo Præside, ad Sebásten  
Arméniaë urbem, quadraginta  
militum fides in Jesum Chris-  
tum, et fortitúdo in cruciá-  
tibus perferéndis enituit. Qui  
sæpius in horribilem cár-  
cerem detrúsi, vinculisque  
constrícti, cum ora ipsórum  
lapidibus contúsa fuissent,  
hiemis témpore frigidissimo  
nudi sub áperto áere supra  
stagnum rigens pernoctáre  
jussi sunt, ut frigore conge-  
láti necaréntur. Una autem  
erat ómnium orátio : Quadra-  
ginta in stádium ingressi su-  
mus, quadraginta item, Dó-  
mine, coróna donémur, ne  
una quidem huic númeró de-  
sit. Est in honóre hic núme-  
rus, quem tu quadraginta  
diérum jejúnio decorásti, per  
quem divina lex ingressa est



in orbem terrarum. Elías quadraginta dierum jejúnio Deum quærens, ejus visionem consecutus est. Et hæc quidem illorum erat oratio.

R. Sancti tui, Dómine, mirabile consecuti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : \* Terra appáruit árida : et in mari Rubro via sine impediménto.

Y. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torrentes inundavérunt.

Terra appáruit.

## LECTIO V.

CETERIS autem custódibus somno déditis, solus vigilábat jánitor, qui et illos orántes, et luce circumfúsos, et quosdam e cœlo descendéntes Angelos tanquam a Rege missos, qui corónas triginta novem militibus distribuérent, intuens, ita secum loquebátur : Quadraginta hi sunt, quadragésimi coróna ubi est? Quæ dum cogitáret, unus ex illo número, cui ánimus ad frigus feréndum defécerat, in próximum tepéfáctum bálneum desiliens, Sanctos illos summo dolóre affécit. Verum Deus illorum preces írritas esse non est passus : nam rei événtum admirátus jánitor, mox custódibus e somno excitátis, deductisque sibi véstibus, ac se Christiánum esse clara voce proféssus, Martyribus se ad-

júnxit. Cum vero Præsidis satéllites janitórem quoque Christiánum esse cognovissent, bacillis comminúta ómnium eórum crura fregérunt.

R. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : \* Ut hærédes fierent in domo Dómini.

Y. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplicia.

Ut hærédes.

## LECTIO VI.

IN eo supplicio mórtui sunt omnes, præter Melithónem, natu mínimum. Quem cum præsens mater ejus, fractis crúribus adhuc vivéntem vidisset, sic colhortáta est : Fili, paulisper sústine, ecce Christus ad jánuam stat ádjuvans te. Cum vero reliquórum córpora plaustris impóni cérneret, ut in rogam inferréntur, ac filium suum relínqui, quod speráret impia turba púerum, si vixisset, ad idolórum cultum revocári posse, ipso in húmeros subláto, sancta mater vehícula Mártyrum corpóribus onústa strénue prosequébatur : in cujus ampléxu Melithon spíritum Deo réddidit, ejúsque corpus in eúndem illum ceterórum Mártyrum rogam pia mater injécit; ut, qui fide et virtúte conjunctissimi fúerant, fúneris étiam

societate copulati, una in cœlum pervenirent. Combustis illis, eorum reliquiae projectae in profluentem, cum mirabiliter in unum confluxissent locum, salvæ et integræ repertæ, honorifico sepulcro conditæ sunt.

R. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos : et in tempore erit respectus illorum : \* Quoniam donum et pax est electus Dei.

✠. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem : et fideles in dilectione acquiescent illi.

Quoniam donum.

Glória Patri.

Quoniam donum.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Descendens Jesus de monte, de Communi plurimorum Martyrum, lxvj.*

*Nona Lectio dicitur de Homilia Feriæ occurrentis, et de ea fit commemoratio in Laudibus.*

~~~~~

DIE XII MARTII.

in festo

S. GREGORII, PAPÆ,  
confessoris, et ecclesiæ doctoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis, lxiv, præter sequentia.*

*Ad Magnificat in utrisque Vesperis.*

*Antiphona.*

O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Gregori, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

ORATIO.

DEUS, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contulisti, concede propitius ut, qui peccatorum nostrorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur. Per Dominum nostrum.

*Et fit commemoratio Feriæ.*

*In primo Nocturno, Lektionen Sapiëntiam omnium antiquorum, de Communi Doctorum, lxxxiv.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

GREGORIUS Magnus, Romanus, Gordiani Senatoris filius, adolescens philosophiæ operam dedit, et prætorio officio functus, patre mortuo, sex monasteria in Sicilia ædificavit, Romæ septimum sancti Andréæ nomine in suis ædibus, prope Basilicam sanctorum Joannis et Pauli ad clivum Scauri : ubi Hilariône ac Maximiano magistris, monachi vitam professus, postea Abbas fuit. Mox Diaconus Cardinalis creatus, Constantinopolim a Pelagio Pontifice ad Tiberium Constantinum Imperatorem legatus mittitur : apud quem memo-

rabile etiam illud effecit, quod Eutychium Patriarcham, qui scripserat contra veram tractabilem corporum resurrectionem, ita convicit, ut ejus librum Imperator in ignem injiceret. Quare Eutychius paulo post cum in morbum incidisset, instante morte, pellem manus suae tenebat multis praesentibus, dicens: Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus.

℞. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocēbit ei.

Manus enim.

## LECTIO V.

ROMAM rediens, Pelagio pestilentia sublato, summo omnium consensu Pontifex eligitur: quem honorem ne acciperet, quādiu pōtuit, recusavit. Nam aliēno vestitu in spelunca delituit: ubi deprehensus indicio igneae columnae, ad sanctum Petrum consecratur. In Pontificatu multisuccessoribus doctrinae ac sanctitatis exempla reliquit. Peregrinos quotidie ad mensam adhibebat: in quibus et Angelum, et Dominum Angelorum peregrini facie accepit. Pauperes et urbanos et externos, quorum numerum descriptum habebat, benigne sustentabat. Catholicam fidem

multis locis labefactatam restituit. Nam Donatistas in Africa, Arianos in Hispania repressit: Agnoitas Alexandria ejecit. Pallium Syagrio Augustodunensi Episcopo dare noluit, nisi Neophytos haereticos expelleret ex Gallia. Gothos haeresim Arianam relinquere coegit. Missis in Britanniam doctis et sanctis viris Augustino, et aliis monachis, insulam ad Jesu Christi fidem convertit, vere a Beda presbytero, Angliae vocatus Apostolus. Joannis Patriarchae Constantinopolitani audaciam fregit, qui sibi universalis Ecclesiae Episcopi nomen arrogabat. Mauritium Imperatorem, eos, qui milites fuissent, monachos fieri prohibentem, a sententia deterruit.

℞. Pōsui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

## LECTIO VI.

ECCLESIAM ornavit sanctissimis institutis et legibus. Apud sanctum Petrum coacta Synodo, multa constituit: in iis, Ut in Missa Kyrie eleison novies repeteretur: Ut extra id tempus, quod continetur Septuagesima et Pascha, Alleluia diceretur: Ut adderetur

tur in Cánone, Diésque nostros in tua pace dispónas. Litanías, Statiónes, et Ecclesiásticum officium auxit. Quá tuor Concíliis, Nicæno, Constantinopolitáno, Ephesíno, Chalcedonénsi, tanquam quá tuor Evangéliis honórem habéri vóluit. Episcopis Sicíliæ, qui ex antiqua Ecclesiárum consuetúdine Romam singulis triénniis conveniébant, quinto quoque anno semel venire indúlsit. Multos libros confécit: quos cum dictáret, testátus est Petrus Diáconus, se Spíritum Sanctum colúmbæ spécie in ejus cápite sæpe vidisse. Admirabilia sunt quæ dixit, fecit, scripsit, decrevit, præsertim infirma semper et ægra valetúdine. Qui dénique multis éditis miraculis, Pontificátus anno decimotértio, mense sexto, die décimo, quarto idus mártii: qui dies festus a Græcis étiam propter insígnem hujus Pontíficis sapiéntiam ac sanctitátém præcipuo honóre celebrátur, ad coeléstem beatitúdinem evocatús est. Cujus corpus sepúltum est in Basilica sancti Petri, prope Secretárium.

℞. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum.

℣. Iste est qui contémpsit

vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.

Ipse intercédát.

Glória Patri.

Ipse intercédát.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 5.]

IN illo témpore, Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

[Ex Homilia 17. in Lucæ c. 10.]

CONSIDERANDUM nobis est, ut qui una eadémque exhortatiónis voce non sufficit simul cunctos admonére, stúdeat singulos, in quantum valet, instrúere, privátis locutió nibus ædificáre. Debémus namque pensáre continuo quod sanctis Apóstolis dicitur, et per Apóstolos nobis: Vos estis sal terræ. Si ergo sal sumus, condirementes fidélium debémus. Vos igitur qui pastores estis, pensáte, quia Dei animália páscitis: de quibus profecto animálibus Deo per Psalmístam dicitur: Animália tua habitábunt in ea. Et sæpe vidémus, quod petra salis brutis animálibus antepónitur, ut ex eádem salis petra lámbere debeant, et meliorári. Quasi ergo inter bruta animália petra salis, debet



esse sacerdos in pópulis. Currare namque sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, unumquemque quáliter admoneat : ut, quisquis sacerdoti júngitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapóre condiátur.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum : \* Et ad portas paradisi coronávit eum.

Ÿ. Induit eum Dóminus lorícám fidei, et ornávit eum. Et ad portas.

## LECTIO VIII.

SAL etenim terræ non sumus, si corda audientium non condimus : quod profecto condiméntum ille veráciter próximo impéndit, qui prædicationis verbum non súbtrahit. Sed tunc vere áliis recta prædicámus, si dicta rebus et exémpis osténdimus. Nullum puto, fratres charíssimi, ab áliis majus præjudícium, quam a sacerdotibus túlerat Deus : quando eos, quos ad aliórum correctionem pósuit, dare de se exémpa pravitátis cernit : quando ipsi peccámus, qui compéscere peccáta debuímus ; nulla animárum lucra quærimus, ad nostra quotidie stúdia vacámus, terréna concupíscimus, humánam glóriam inténta mente captámus. Et quia eo ipso quo céteris prælati sumus, ad agénda

quælibet majórem licéntiam habémus, susceptæ benedictionis ministérium vértimus ad ambiónis arguméntum : Dei causam relínquimus, ad terréna negótia vacámus : locum sanctitátis accipimus, et terrénis áctibus implicámur.

℞. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, \* Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus.

Ÿ. Jucunditátem et exultatiónem thesaurizávit super eum.

Et implévit.

Glória Patri.

Et implévit.

*Lectio nona legitur de Homilia Feriæ occurrentis, et de ea fit commemoratio in Laudibus.*

*Si dies crastina, vel alia dies ex sequentibus, fuerit Feria sexta post Dominicam Passionis, tunc recitandum erit Officiúm Septem Dolorum beatæ Mariæ Virginis prout habetur in fine Officiorum Sanctorum hujus mensis.*

*Notandum quod si Festa sequentia occurrerint in majori Hebdomada, vel infra Octavam Paschæ, transferenda erunt post Octavam, juxta Rubricam de Translatione Festorum ; et tunc servanda est Rubrica posita in Comuni Sanctorum, lxvij.*

~~~~~  
 DIE XVII MARTII.  
 IN FESTO S. PATRITII,  
 episcopi et confessoris.

(SEMIDUPLEX.)

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis, lxviii, præter sequentia.*

ORATIO.

DEUS, qui ad prædicandam gentibus gloriam tuam beatum Patritium Confessorem atque Pontificem mittere dignatus es : ejus meritis, et intercessione concede ; ut, quæ nobis agenda præcipis, te miserante, adimplere possimus. Per Dominum.

*Et fit commemoratio Ferie, si celebretur in Quadragesima.*

*In primo Nocturno, in Quadragesima, Lectiones Fidelis sermo, de Communi Confessoris Pontificis, lxxj. Alias de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

PATRICIUS, Hiberniæ dictus Apostolus, Calphurnio patre, matre Conchessa sancti Martini Turonensis Episcopi, ut perhibent, consanguinea, majori in Britannia natus, puer in Barbarorum sæpius incidit captivitatem. Eo in statu pascendis gregibus præpositus, jam tum futuræ sanctitatis specimen præbuit : fidei, divinique timoris et amoris spiritu re-

plétus, antelucano tempore per nives, gelu, ac pluvias, ad preces Deo fundendas, impiger consurgebat : solitus centies interdiu, centiesque noctu Deum orare. A servitute tertio exemptus, et inter Clericos relatus, in divinis lectionibus longo se tempore exercuit. Galliis, Italia, insulisque Tyrrheni maris labore summo peragratis, divino tandem monitu ad Hibernorum salutem advocatur, et facta a beato Coelestino Papa Evangelii nuntiandi potestate, consecratusque Episcopus, in Hiberniam perrexit.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : \* Manus enim mea auxiliabitur ei.

¶. Nihil proficiet inimicus in eo et filius iniquitatis non nocēbit ei.

Manus enim.

LECTIO V.

Eo in munere mirum quot vir Apostolicus mala, quot ærumnas et labores ; quot pertulerit adversarios. Verum Dei afflante benignitate, terra illa, idolorum antea cultrix, eum mox prædicante Patritio fructum dedit, ut Sanctorum Insula deinde fuerit appellata. Frequentissimi ab eo populi sacro sunt regenerati lavacro : Episcopi, Clericique plurimi ordinati : virgines, ac viduæ ad continentiae leges institutæ. Ar-

machanam Sedem, Romani Pontificis auctoritate, totius insulae principem Metropolim constituit, Sanctorumque reliquiis ab Urbe relatis decoravit. Supernis visionibus, prophetiae dono, ingentibusque signis, et prodigiis a Deo exornatus adeo refulsit, ut longe lateque celebrior Patritii se fama diffuderit.

R. Posui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei.

V. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

#### LECTIO VI.

PRÆTER quotidianam Ecclesiarum sollicitudinem, invictum ab oratione spiritum numquam relaxabat. Aiunt enim, integrum quotidie Psalterium una cum Canticis, et Hymnis, ducentisque orationibus consuevisse recitare: tercunties per dies singulos flexis genibus Deum adorare, ac in quolibet Hora diei Canonica centies se Crucis signo munire. Noctem tria in spatia distribuens, primum in centum Psalmis percurrendis, et his centies genuflectendo, alterum in reliquis quinquaginta Psalmis, algidis aquis immersus, ac corde, oculis, manibusque ad coelum erectus, absolvendis insumebat:

tertium vero super nudum lapidem stratus, tenui dabat quieti. Humilitatis eximius cultor, Apostolico more a manuum suarum labore non abstinuit. Assiduus tandem curis pro Ecclesia consumptus, verbo et opere clarus, in extrema senectute divinis mysteriis refectus, obdormivit in Domino, sepultusque est apud Dunum in Ultonia, a Christiana salute saeculo quinto.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

V. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna.

Ipse intercedat.

Glória Patri.

Ipse intercedat.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Homo peregre, de Communi Confessoris Pontificis, lxxvij.*

*Nona Lectio legitur de Homilia Feriae occurrentis, et de ea fit commemoratio in Laudibus.*

DIE XIX MARTII.

IN FESTO S. JOSEPH,

sponsi B. Mariæ virginis, confessoris.

(DUPLEX SECONDE CLASSIS.)

AD VESPERAS.

*Antiphona.*

Jacob autem genuit Joseph

virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

*Psalmus* Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi *Psalmus* Laudate Dominum, omnes gentes, 139.

*Antiphona.*

Missus est Angelus Gábríel a Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis María.

*Antiphona.*

Cum esset desponsata Mater Jesu María Joseph, antequam convenirent, inventa est in útero habens de Spiritu Sancto.

*Antiphona.*

Joseph vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

*Antiphona.*

Angelus Domini apparuit Joseph, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.

CAPITULUM.

[Prov. c. 27 et 28.]

**V**ir fidelis multum laudabitur. Et qui custos est Domini sui, glorificabitur.

HYMNUS.

**T**e, Joseph, celebrent agmina Cœlitum,

Te cuncti résonent Christia-  
dum Chori,

Qui clarus méritis, junctus  
es inclytæ

Casto fœdere Virgini.

Almo cum túmidam gér-  
mine cónjugem;

Admirans, dúbio tángeris  
ánxius,

Afflátu súperi Fláminis An-  
gelus

Concéptum púerum do-  
cet.

Tu natum Dóminum strin-  
gis, ad éxteras

Ægypti prófugum tu séque-  
ris plagas,

Amissum Sólymis quæris, et  
invenis,

Miscens gáudia flétibus.

Post mortem réliquos mors  
pia cónsecrat,

Palmámque eméritos glória  
súscipit:

Tu vivens, Súperis par, frúe-  
ris Deo,

Mira sorte beátior.

Nobis, summa Trias, parce  
precántibus,

Da Joseph méritis sidera  
scándere:

Ut tandem liceat, nos tibi  
pérpetim

Gratum prómere cánti-  
cum.

Amen.

✠. Constituit eum Dómi-  
num domus suæ.

℟. Et principem omnis  
possessiónis suæ.

*Ad Magnificat, Antiphona.*  
Exúrgens Joseph a somno,



fecit sicut præcepit ei Angelus Dómini, et accepit conjugem suam.

## ORATIO.

SANCTISSIMÆ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus, Dómine, méritis adjuvémur: ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Qui vivis.

*Si celebretur in Quadragesima fit commemoratio Ferie.*

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Christum Dei Filium, qui putári dignátus est filius Joseph. \* Venite, adorémus.

*Psalmus* Veníte, exultémus, 2.

## HYMNUS.

COELITUM, Joseph, decus, atque nostræ  
Certa spes vitæ, columénque mundi,  
Quas tibi læti cānimus benígnus

Súscipe laudes.

Te Sator rerum státuit pudicæ

Virginis sponsum, voluitque Verbi

Te patrem dici, dedit et mínistrum

Esse salutis.

Tu Redemptórem stábulo jacéntem,

Quem chorus Vatum cécinit futurum,

Aspicias gaudens, humilisque natum

Numen adóras.

Rex Deus regum, Dominátor orbis,  
Cujus ad nutum tremit inférorum

Turba, cui pronus famulátur æther,

Se tibi subdit.

Laus sit excélsæ Triadi pérennis,

Quæ tibi præbens súperos honóres,

Det tuis nobis méritis beátæ Gáudia vitæ.

Amen.

## IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Ascéndit Joseph a Gálilæa de civitatē Náza-reth in Judæam, in civitatē David, quæ vocátur Bétlehem, ut profiterétur cum María.

*Psalmus* Beátus vir cum reliquis de Comuni Confessoris non Pontificis, xc.

*Antiphona.*

Venérunt Pastóres festinántes: et invenérunt Mariam, et Joseph, et Infántem pósitum in præsépio.

*Psalmus* Quare fremué-runt.

*Antiphona.*

Ecce Angelus Dómini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.

*Psalmus* Dómine, quid. *Ÿ.* Constituit eum Dóminum domus suæ.

*R.* Et principem omnis possessiónis suæ.

## De libro Génesis.

## LECTIO I.

[ Cap. 39. ]

**J**OSEPH igitur ductus est in Ægyptum, emittitque eum Putiphar, eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens: habitavitque in domo Domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram Domino suo, et ministrabat ei, a quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, et universa, quæ ei tradita fuerant: benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph.

**R.** Fuit Dominus cum Joseph, et dedit ei gratiam in conspectu principis carceris: \* Qui tradidit in manu illius universos vinctos.

**V.** Quidquid fiebat, sub ipso erat: Dominus enim erat cum illo, et omnia opera ejus dirigebat.

Qui tradidit.

## LECTIO II.

[ Cap. 41. ]

**P**LACUIT Pharaoni consilium Joseph, et cunctis ministris ejus: locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Jo-

seph: Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid sapientiorum et consimilem tui invenire poterō? Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te præcedam.

**R.** Esuriēte terra Ægypti clamavit populus ad regem alimenta petens. Quibus ille respondit: \* Ite ad Joseph, et quidquid vobis dixerit, facite.

**V.** Crescebat quotidie fames in omni terra: aperuitque Joseph universa horrea, et vendebat Ægyptiis.

Ite ad Joseph.

## LECTIO III.

[ Cap. 41. ]

**D**IXITQUE rursus Pharaon ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus: vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. Dixitque Rex ad Joseph: Ego sum Pharaon: absque tuo imperio non movēbit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.

R. Fecit me Dóminus quasi patrem regis, et Dóminum univérsæ domus ejus : nolite pavére : \* Pro salutē enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.

Ÿ. Venite ad me, et ego dabo vobis ómnia bona Ægypti, et comedētis medúllam terræ.

Pro salutē.

Glória Patri.

Pro salutē.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Consúrgens Joseph, accépit púerum, et matrem ejus nocte, et secéssit in Ægyptum : et erat ibi usque ad óbitum Heródis.

*Psalmus* Cum invocárem, xcij.

*Antiphona.*

Defúcto Heróde, Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel : defúnti sunt enim, qui quærébant ánimam púeri.

*Psalmus* Verba mea.

*Antiphona.*

Accépit Joseph púerum, et matrem ejus, et venit in terram Israel.

*Psalmus* Dómine Dóminus noster.

Ÿ. Magna est glória ejus in salutári tuo.

R. Glóriam, et magnum decórem impónes super eum.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

LECTIO IV.

[Hom. 2 super Missus.]

Quis, et qualis homo fúerit beátus Joseph, cónjice ex appellatióne, qua, licet dispensatória, mérui honorári ádeo, ut pater Dei et dictus et créditus sit : cónjice et ex próprio vocábulo, quod augmentum non dubitas interpretári. Simul et meménto magni illius quondam Patriárchæ vénditi in Ægypto, et scito ipsius istum non solum vocábulum fuisse sortitum, sed et castimóniam adéptum, innocéntiam assecútum et grátiam.

R. Ascéndit Joseph a Galilæa de civitatē Názareth in Judæam, in civitatē David, quæ vocátur Bétlehem : \* Eo quod esset de domo, et familia David.

Ÿ. Ut profiteretur cum María desponsáta sibi uxóre. Eo quod.

LECTIO V.

Siquidem ille Joseph, fráterna ex invídia vénditus, et ductus in Ægyptum, Christi venditióem præfigurávit : iste Joseph, Herodiánam invídiam fúgiens, Christum in Ægyptum portávit. Ille dómīno suo fidem servans, dómīnæ nóluit commiscéri : iste dómīnam suam, Dómini sui matrem, vírginem agnóscens, et ipse cóntinens, fi-

déliter custodivit. Illi data est intelligentia in mystériis somniórum : isti datum est cónscium fieri atque participem coeléstium sacramentórum.

℞. Surge, et áccipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum : \* Et esto ibi, usque dum dicam tibi.

℣. Ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicentem : Ex Ægypto vocávi filium meum.

Et esto ibi.

#### LECTIO VI.

**I**LLE fruménta servávit non sibi, sed omni pópulo : iste panem vivum e coelo servándum accépit tam sibi, quam toti mundo. Non est dúbium, quin bonus et fidélis homo fúerit iste Joseph, cui mater desponsáta est Salvatóris. Fidélis, inquam, servus et prudens, quem constituit Dóminus suæ matris solátium, suæ carnis nutritium, solum dénique in terris magni consílii coadjutórem fidissimum.

℞. Cum indúcerent puerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo : \* Accépit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum.

℣. Et erat pater ejus, et mater mirántes super his, quæ dicebántur de illo.

Accépit eum.

Glória Patri.

Accépit eum.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

##### *Antiphona.*

Audiens Joseph quod Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, timuit illo ire.

*Psalmus* Dómine, quis habitábit, xcvi.

##### *Antiphona.*

Admónitus in somnis Joseph, secéssit in partes Galilææ et véniens habitávit in civitate, quæ vocátur Náza-reth, ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas : Quóniam Nazaræus vocábitur.

*Psalmus* Dómine, in virtúte tua.

##### *Antiphona.*

Erat pater Jesu, et mater mirántes super his, quæ dicebántur de illo, et benedixit illis Simeon.

*Psalmus* Dómini est terra  
℣. Justus germinábit sicut lilium.

℞. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Léctio sancti Evangélíi secúndum Matthæum.

#### LECTIO VII.

[Cap. 1.]

**C**UM esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenirent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Et réliqua.

Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

[Lib. 1, Comm in e. 1 Matt.]

**Q**UARE non de simplici



virgine, sed de desponsata concipitur? Primum, ut per generationem Joseph origo Mariæ monstraretur: secundo, ne lapidaretur a Judæis ut adultera: tertio, ut in Egyptum fugiens haberet solatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur a desponsata conceptus sit: Ut partus, inquietus, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.

R. Dicit mater Jesu ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? \* Ecce pater tuus, et ego dolentes quærebamus te.

Y. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

Ecce pater.

## LECTIO VIII.

ANTEQUAM convenirent, inventa est in útero habens de Spiritu Sancto. Non ab alio inventa est, nisi a Joseph, qui pene licentia maritali futuræ uxoris omnia novérat. Quod autem dicitur, Antequam convenirent, non sequitur ut póstea convenirent: sed Scriptúra quod factum non sit osténdit.

R. Descéndit Jesus cum eis, et venit Názaeth: \* Et erat subditus illis.

Y. Proficiébat sapiéntia,

et ætate, et grátia apud Deum, et hómines.

Et erat.

Glória Patri.

Et erat.

*Nona Lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, si celebretur in Quadragesima. Alias.*

## LECTIO IX.

JOSEPH autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occulte dimittere eam. Si quis fornicariæ conjúngitur, unum corpus efficitur: et in lege præceptum est, non solum reos, sed et cóncios criminum obnoxios esse peccati: quomodo Joseph, cum crimen celaret uxoris, justus scribitur? Sed hoc testimónium Mariæ est, quod Joseph sciens illius castitatem, et admirans quod evénerat, celat silentio, cujus mystérium nesciebat.

Te Deum laudámus, 18.

## AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Ibant paréntes Jesu per omnes annos in Jerúsalem, in die solémni Paschæ.

*Psalmus Dóminus regnavit, cum reliquis, 19.*

*Antiphona.*

Cum redirent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognóverunt paréntes ejus.

*Antiphona.*

Non inveniéntes Jesum,

regréssi sunt in Jerúsalem ,  
requiréntes eum : et post trí-  
duum invenérunt illum in  
templo sedéntem in médio  
Doctórum , audiéntem , et  
interrogántem eos.

*Antiphona.*

Dixit mater ejus ad illum :  
Fili , quid fecisti nobis sic ?  
Ecce pater tuus , et ego do-  
léntes , quærebámus te.

*Antiphona.*

Descéndit Jesus cum eis ,  
et venit Náza-reth , et erat  
súbditus illis.

**CAPITULUM.**

[Prov., c. 27 et 28.]

**V**IR fidélis multum laudá-  
bitur. Et qui custos est Dó-  
mini sui , glorificábitur.

**HYMNUS.**

**I**STE , quem læti cólimus fi-  
dèles ,  
Cujus excélsos cánimus triúm-  
phos ,  
Hac die Joseph méruit pe-  
rénnis

Gáudia vitæ.

O nimis felix , nimis o beá-  
tus ,  
Cujus extrémam vígiles ad  
horam  
Christus et Virgo simul asti-  
térunt

Ore seréno.

Hinc stygiis victor , láqueo  
solútus  
Carnis , ad sedes plácido so-  
póre  
Migrat ætérrnas , rutilisque  
cingit  
Témpora sertis.

Ergo regnántem flagité-  
mus omnes ,

Adsit ut nobis , veniámque  
nostris

Obtinens culpis , tríbuat su-  
pérnæ

Múnera pacis.

Sint tibi plausus , tibi sint  
honóres ,

Trine , qui regnas , Deus , et  
corónas

Aúreas servo tríbuis fidéli  
Omne per ævum.

Amen.

℣. Os justí meditábitur  
sapiéntiam.

℞. Et lingua ejus loquétur  
judícium.

*Ad Benedictus , Antiphona.*

Ipse Jesus erat incipiens ,  
quasi annórum triginta , ut  
putabátur , filius Joseph.

**ORATIO.**

**S**ANCTISSIMÆ Genitricis tuæ  
Sponsi , quæsumus , Dómine ,  
méritis adjuvémur : ut , quod  
possibílitas nostra non óbti-  
net , ejus nobis intercessióne  
donétur. Qui vivis.

*Deinde fit commemoratio  
Feriæ , si celebretur in Qua-  
dragesima.*

**AD TERTIAM.**

*Antiphona* Cum redirent.  
*Capitulum* Vir fidélis , ut  
*supra.*

*Notandum quod si hoc  
Festum celebretur tempore  
Paschali , tunc ad Horas res-  
ponsoría brevía cum Allelúia ,  
Sumenda erunt ut inferius ,*

*secundo loco posita. Alias ,  
ut sequuntur.*

R. *breve.* Constituit eum,  
\* Dóminum domus suæ.  
Constituit.

✠. Et principem omnis  
possessiõnis suæ.

R. Dóminum.

Glória Patri. Constituit.

✠. Magna est glória ejus  
in salutári tuo.

R. Glóriam, et magnum  
decórem impónes super eum.

*Tempore Paschali , ad  
Tertiam.*

R. *breve.* Constituit eum  
dóminum domus suæ. \* Al-  
lelúia, allelúia. Constituit.

✠. Et principem omnis  
possessiõnis suæ.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Constituit.

✠. Magna est glória ejus  
in salutári tuo. Allelúia.

R. Glóriam et magnum de-  
córem impónes super eum.  
Allelúia.

#### AD SEXTAM.

*Antiphona* Non inveniën-  
tes.

#### CAPITULUM.

[Ecc. c. 45]

**D**ILECTUS Deo, et homini-  
bus, cujus memória in be-  
nedictiõne est. In fide, et  
lenitáte ipsius sanctum fecit  
illum, et elégit eum ex omni  
carne.

R. *breve.* Magna est glória  
ejus, \* In salutári tuo. Magna  
est.

✠. Glóriam et magnum  
decórem impónes super eum.

R. In salutári tuo.

Glória Patri. Magna est.

✠. Justus germinábit sicut  
lilium.

R. Et florébit in ætérnum  
ante Dóminum.

*Tempore Paschali , ad  
Sextam.*

R. *breve.* Magna est glória  
ejus in salutári tuo. \* Alle-  
lúia, allelúia. Magna est.

✠. Glóriam et magnum  
decórem impónes super eum.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Magna est.

✠. Justus germinábit sicut  
lilium. Allelúia.

R. Et florébit in ætérnum  
ante Dóminum. Allelúia.

#### AD NONAM.

*Antiphona* Descéndit Je-  
sus.

#### CAPITULUM.

[Sap. c. 10.]

**P**ROFUGUM justum dedúxit  
Sapiéntia per vias rectas, et  
osténdit illi regnum Dei,  
et dedit illi sciéntiam Sanc-  
tórum : honestávit illum in  
labóribus, et complévit la-  
bóres illius.

R. *breve* Justus germiná-  
bit \* Sicut lilium. Justus.

✠. Et florébit in ætérnum  
ante Dóminum.

R. Sicut lilium.

Glória Patri. Justus ger-  
minábit.

✠. Plantátus in domo Dó-  
mini.

R. In átriis domus Dei nostri.

*Tempore Paschali, ad Nonam.*

R. *breve.* Justus germinabit sicut lilium. \* Allelúia, allelúia. Justus.

✠. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Justus.

✠. Plantátus in domo Dómini. Allelúia.

R. In átriis domus Dei nostri. Allelúia.

IN SECUNDIS VESPERIS.

*Antiphona* Ibant paréntes, *ut in Laudibus*, 531.

*Psalmi Capitulum, et Hymnus, ut in primis Vesperis*, 509.

✠. Glória et divítiæ in domo ejus.

R. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Ecce fidélis servus, et prudens, quem constituit Dóminus super familiam suam.

*Oratio Sanctissimæ Genitricis, ut supra*, 532.

*Deinde fit commemoratio Feriæ, si celebretur in Quadragesima.*

~~~~~

DIE XXI MARTII.

in festo

S. BENEDICTI ABBATIS.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Confes-*

*sis non Pontificis, lxxxviii, præter sequentia.*

ORATIO.

INTERCESSIO NOS, quæsumus, Dómine, beáti Benedicti Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

*Et fit commemoratio Feriæ si celebretur in Quadragesima.*

IN PRIMO NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

LECTIO I.

[Cap. 44.]

LAUDEMUS viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua præditi, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. in perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

R. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam : \* Intra in gáudium Dómini tui.

✠. Dómine, quinque talénta tradidisti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.

Intra in gáudium.



## LECTIO II.

**H**OMINES divites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: et sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis.

℣. Justus germinabit sicut lilium: \* Et florebit in aeternum ante Dominum.

℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

Et florebit.

## LECTIO III.

**S**ED illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, haereditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum: et filii eorum propter illos usque in aeternum manent: semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet ecclesia.

℣. Iste cognovit justitiam,

et vidit mirabilia magna, et exoravit Altissimum: \* Et inventus est in numero sanctorum.

℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna.

Et inventus.

Glória Patri.

Et inventus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

**B**ENEDICTUS, Nurtæ nobili genere ortus, Romæ liberalibus disciplinis eruditus, ut totum se Jesu Christo daret, ad eum locum, qui sublatus dicitur, in altissimam speluncam penetravit: in qua sic per triennium delituit, ut unus id sciret Romanus monachus, quo ad vitae necessitatem ministro utebatur. Dum igitur ei quodam die ardentes ad libidinem faces a diabolo subjicerentur, se in vepribus tamdiu volutavit, dum lacerato corpore, voluptatis sensus dolore opprimeretur. Sed jam erumpente ex illis latebris fama ejus sanctitatis, quidam monachi se illi instituendos tradiderunt: quorum vivendi licentia cum ejus objurgationes ferre non posset, venenum in potione ei dare constituunt. Verum poculum ei praebentibus, Crucis signo vas confrégit, ac relicto monasterio, in solitudinem se recepit.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum : \* Et dedit illi claritátem ætérnam.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

LECTIO V.

**S**ED cum multi ad eum quotidie discipuli convenirent, duódecim monastéria ædificávit, éaque sanctíssimis légibus communívit. Póstea Cassinum migrávit, ubi simulácrum Apóllinis, qui adhuc ibi colebátur, commínuit, aram evértit, et lucos succéndit : ibíque sancti Martíni sacéllum, et sancti Joánnis ædiculam extrúxit : oppidános autem et incolas Christiánis præcéptis imbuit. Quare augebátur in dies magis divína grátia. Benedíctus, ut étiam prophético spíritu ventúra prædiceret. Quod ubi accépit Tótila, Gothórum rex, exploratúrus an re ita esset, spathárium suum régio ornátu et comitátu præmittit, qui se regem simuláret. Quem ut ille vidit, depóne, inquit, fili, depóne quod geris : nam tuum non est. Tótilæ vero prædixit advéntum ejus in Urbem, maris transmissiónem, et post novem annos mortem.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam gló-

riæ induit eum : \* Et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

LECTIO VI.

**Q**UI áliquot ménsibus, ántequam e vita migráret, præmónuit discipulos, quo die esset moritúrus : ac sepúlcrum, in quo suum corpus condi vellet, sex diebus ántequam eo inferrétur, aperíri jussit : sextóque die deférri vóluit in Ecclesiám : ubi sumpta Eucharístia, sublátis in cœlum óculis orans, inter manus discipulórum efflávit ánimam : quam duo mónachi eúntem in cœlum vidérunt pállio ornátam pretiosíssimo, circum eam fulgéntibus lampádibus, et claríssima et gravíssima spécie virum stantem supra caput ipsíus dicéntem audierunt : Hæc est via, qua diléctus Dómini Benedíctus in cœlum ascéndit.

℞. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Ecce nos reliquimus omnia, ut in Communi Abbatum, cvj.*

*Nona Lectio de Homilia Feriæ occurrentis, si celebretur in Quadragesima.*

DIE XXV MARTII.

in festo

ANNUNTIATIONIS

B. MARIE VIRGINIS.

(DUPLEX SECUNDÆ CLASSIS.)

*Si hoc Festum venerit in Dominica privilegiata, transferendum erit in Feriam secundum immediate sequentem, quocumque Festo etiam æqualis, non tamen altioris ritus in eam incidente. Si vero occurrerit in Hebdomada majori, vel Paschali, tunc Annuntiationis Officium pari cum privilegio in Feriam secundam post Dominicam in Albis erit transferendum. Ita sacra Rituum Congregatio die 20 julii 1748.*

AD VESPERAS.

*Antiphona.*

*Missus est Gábriel Angelus, cum reliquis de Laudibus, 524.*

*Psalmus Dixit Dóminus, cum reliquis ut in Officio parvo B. Mariæ, clxxiv.*

CAPITULUM.

[Isaie c. 7.]

**ECCE** virgo concipiet, et pariet filium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Buty-

rum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et eligere bonum.

*Hymnus Ave, maris stella, clxxvj.*

✠. Ave, María, grátia plena.

℞. Dóminus tecum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Spiritus Sanctus in te descéndet, Maria, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

ORATIO.

**D**EUS, qui de beátæ Mariæ virginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis ut, qui vere eam genitricem Dei crédimus, ejus apud te intercessionibus adjuvémur. Per eúndem Dóminum.

*In Quadragesima fit commemoratio Feriæ.*

*Ad Completorium, et Horas diei (etiam si fuerit intra tempus Paschale) in fine Hymnorum dicitur: Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Virgine.*

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.—Ave, María grátia plena: \* Dóminus tecum.*

*Psalmus Vénite, exultemus, 2.*

*Hymnus Quem terra.*

*Antiphonæ, Psalmi, et versiculi Nocturnorum, ut in Officio parvo B. Mariæ, clxxix, excepta nona Anti-*

*phona, prout infra suo loco notatur, 540.*

IN PRIMO NOCTURNO.

✠. Spécie tua, et pulchritudine tua.

℞. Inténde, prospere procéde, et regna.

De Isaia Prophéta.

LECTIO I.

[Cap. 7.]

ET adjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsu supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo domus David, Numquid parum vobis est moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo: Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet, et páriet filium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Bútyrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et eligere bonum.

℞. Missus est Gábriel Angelus ad Mariám virginem desponsátam Joseph, nuntiáns ei verbum: et expavéscebat Virgo de lúmine. Ne timeas Mariá: invenisti grátiam apud Dóminum: \* Ecce concípies, et páries, et vocábitur Altíssimi Fílius.

℞. Dabit ei Dóminus Deus sedem David, patris ejus, et regnabit in domo Jacob in ætérnum.

Ecce concípies.

LECTIO II.

[Cap. 11.]

ET egrediétur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascéndet. Et requiescet super eum Spíritus Dómini: spíritus sapientiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitudinis, spíritus sciéntiæ et pietátis, et replébit eum spíritus timóris Dómini: non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum auditum áurium árguet: sed judicábit in justítia páuperes, et árguet in æquitáte promansuétis terræ: et percútiét terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interficiét ímpium. Et erit justítia cingulum lumbórum ejus: et fides cinctórium renum ejus.

℞. Ave, Mariá, grátia plena: Dóminus tecum: \* Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei.

✠. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei.

Spíritus Sanctus.

LECTIO III.

[Cap. 53.]

LÆTABITUR desérta et ínvia, et exultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exultábit lætabúnda et laudans: glória



Libani data est ei : decor Carmeli, et Saron, ipsi videbunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et génu debília roboráte. Dícite pusillánimis : Confortámini, et nolíte timére : ecce Deus véster ultiónem addúcet retributiónis : Deus ipse véniet, et salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórum : quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torrén-tes in solitúdine. Et quæ erat árida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquárum.

R. Súscipe verbum, virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum transmissum est, concípies et páries Deum páriter et hóminem : \* Ut benedicta dicáris inter omnes mulieres.

Ÿ. Páries quidem filium : et virginitátis non patiéris detriméntum : efficiéris grávida, et eris mater semper intácta.

Ut benedicta.

Glória Patri.

Ut benedicta.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ÿ. Adjuvábít eam Deus vultu suo.

R. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO IV.

[Serm. 2. de Nat. Dom.]

DEUS omnipotens et clemens, cujus natúra bónitas, cujus volúntas poténtia, cujus opus misericórdia est : statim ut nos diabólica malignitas venéno suæ mortificávit invidiæ, prædestináta renovándis mortálibus suæ piétatis remédia, inter ipsa mûndi primórdia præsignávit ; denúntians serpénti, futúrum semen mulieris, quod nóxii cápitis elatióne sua virtúte contéreret, Christum scilicet in carne ventúrum : Deum homínemque signans, qui natus ex Virgine, violatórem humanæ propáginis incorrupta nativité damnáret.

R. Ecce virgo concípíet, et páriet filium, dicit Dóminus : \* Et vocábitur nomen ejus Admirábilis, Deus, Fortis.

Ÿ. Super sólum David : et super regnum ejus sedébit in ætérnum.

Et vocábitur.

LECTIO V.

NAM quia glorificabátur diabolus, hóminem sua fraude decéptum, divinis carúisse munéribus, et immortalitátis dote nudátum : duram mortis subiisse senténtiam : seque in malis suis quoddam de prævaricatoris consórtio invenisse solátium ; Deum quoque, justæ severitátis exi-

génératione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam; opus fuit, dilectissimi, secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus (cujus voluntas non potest sua benignitate privari) primam pietatis suae dispositionem sacramento occultiore compleret: et homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret.

R. Egrediatur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: \* Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.

Y. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis.

Et erit.

#### LECTIO VI.

ADVENIENTIBUS ergo temporibus, dilectissimi, quæ redemptioni hominum fuerant præstituta, ingreditur hæc infirma Jesus Christus Dominus noster, de cœlesti sede descendens, et a Paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus: novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris: incomprehensibilis, voluit comprehendere: ante tempora manens, esse coepit ex tempore: universitatis Dominus,

servilem formam, obumbrata majestatis suæ dignitate, suscepit: impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis; et immortalis, mortis legibus subjacere.

R. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: \* Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

Y. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Quia quem.

Glória Patri.

Quia quem.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

*Loco Antiphonæ* Post partum, dicitur *Antiphona* Angelus Domini nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu Sancto.

Y. Elégit eam Deus, et præelégit eam.

R. In tabernáculo suo habitare facit eam.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

#### LECTIO VII.

[Cap. 1.]

In illo tempore, Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

*Homilia sancti Ambrósii  
Episcopi.*

[Lib. 2. in Lucam.]

**L**ATENT quidem divina mysteria, nec facile, juxta propheticum dictum, quisquam hominum potest scire consilium Dei. Sed tamen ex ceteris factis atque præceptis Domini Salvatoris, possumus intelligere, et hoc propensioris fuisse consilii, quod eo potissimum electa est, ut Dominum pareret, quæ erat desponsata viro. Cur autem non antequam desponsaretur, impléta est? Fortasse ne diceretur, quod conceperat ex adultério.

R. Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo: \* Et de meis viscèribus genui Deum et hominem.

Ÿ. Beátam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem rexpexit Deus. Et de meis.

*Benedictio.*—Cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum.

#### LECTIO VIII.

**E**T ingressus ad eam Angelus. Disce virginem moribus, disce virginem verecundia, disce oráculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari.

*Vern.*

Sola in penetrálibus, nemo quam virorum viderit, solus Angelus repérent: sola sine cómite, sola sine teste, ne quo degénere depravarétur affáctu, ab Angelo salutáture.

R. Gaude, Maria virgo, cuncta hæreses sola interemisti, quæ Gabriélis Archángeli dictis credidisti: \* Dum virgo Deum et hominem genuisti, et post partum virgo invioláta permansisti.

Ÿ. Beáta es, quæ credidisti: quia perfécta sunt ea quæ dicta sunt tibi a Domino.

Dum virgo.

Glória Patri.

Dum virgo.

*Si fuerit in Quadragesima, Lectio nona dicitur de Homilia Feriæ occurrentis. Alias.*

#### LECTIO IX.

**T**ANTINAMQUE mandati mysterium non hominis fuit, sed Angeli ore promendum. Hódie primum auditur: Spíritus Sanctus supervéniet in te. Et auditur, et créditur. Dénique, Ecce, inquit, ancilla Domini: contingat mihi secundum verbum tuum. Vide humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur: nec repentino exaltáta promissio est.

Te Deum laudamus, 18.

#### AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Missus est Gábel Angelus

ad Mariam virginem desponsatam Joseph.

*Psalmus* Dóminus regnavit, cum reliquis 19.

*Antiphona.*

Ave, María, grátia plena : Dóminus tecum : benedicta tu in mulieribus.

*Antiphona.*

Ne timeas, María : invenisti grátiam apud Dóminum : et páries filium.

*Antiphona.*

Dabit ei Dóminus sedem David patris ejus, et regnabit in ætérnum.

*Antiphona.*

Ecce ancilla Dómini : fiat mihi secúndum verbum tuum.

#### CAPITULUM.

[Isaïæ c. 7.]

ECCE virgo concipiet, et páriet filium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Bútyrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et eligere bonum.

*Hymnus* O gloriósa Virginum, clxxxvij.

✠. Ave, María, grátia plena.

R. Dóminus tecum.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Quómodo fiet istud, Angele Dei, quóniam virum non cognóscó? Audi, María virgo, Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

#### ORATIO.

DEUS, qui de beátæ Mariæ

virginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis ut, qui vere eam genitricem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúndem Dóminum.

*In Quadragesima fit commemoratio Feriæ.*

*Ad Primam, in responsorio brevi, etiam si fuerit intra tempus Paschale, dicitur :*

✠. Qui natus es de Maria virgine.

#### AD TERTIAM.

*Antiphona* Ave, María.

*Capitulum* Ecce virgo concipiet, ut supra.

*Notandum quod si hoc Festum celebretur tempore Paschali, tunc ad Horas Responsoria brevia cum Allelúia sumenda erunt ex Officio beatae Mariæ in Sabato, clxxij. Alias, ut sequuntur.*

R. breve. Spécie tua, \* Et pulchritúde tua. Spécie.

✠. Inténde, prospere procéde, et regna.

R. Et pulchritúde.

Glória Patri. Spécie.

✠. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

R. Deus in médio ejus, non commovébitur.

#### AD SEXTAM.

*Antiphona* Ne timeas, María.



## CAPITULUM.

[Luc. c. 1.]

DABIT illi Dóminus Deus  
sedem David patris ejus : et  
regnabit in domo Jacob in  
aeternum, et regni ejus non  
erit finis.

R. *breve.* Adjuvabit eam,  
Deus vultu suo. Adjuvabit.

Y. Deus, in medio ejus,  
non commovébitur.

R. Deus.

Glória Patri. Adjuvabit.

Y. Elégit eam Deus, et  
praelégit eam.

R. In tabernáculo suo ha-  
bitare facit eam.

## AD NONAM.

*Antiphona* Ecce ancilla  
Dómini.

## CAPITULUM.

[Isaie c. 11.]

EGREDIETUR virga de radice  
 Jesse, et flos de radice ejus  
ascendet. Et requiescet super  
eum spiritus Dómini.

R. *breve.* Elégit eam Deus,  
Et praelégit eam. Elégit.

Y. In tabernáculo suo ha-  
bitare facit eam.

R. Et praelégit.

Glória Patri. Elégit.

Y. Diffusa est grátia in lá-  
tis tuis.

R. Propterea benedixit te  
Deus in aeternum.

*In secundis Vesperis om-  
nia ut supra in primis, 537.*

*Id Magnificat, Antiphona.*

Gábríel Angelus locútus  
est Mariæ, dicens : Ave, grá-

tia plena : Dóminus tecum :  
Benedicta tu in mulieribus.

*Oratio* Deus, qui de beátæ,  
ut supra, 542

*In Quadragesima fit com-  
memoratio Feriæ.*

## FERIA SEXTA

POST DOMINICAM PASSIONIS.  
festum

## SEPTEM DOLORUM

B. MARIE VIRGINIS.

(DUPLEX MAJUS.)

*Si hæc Feria sexta impe-  
dita fuerit Festo altioris ri-  
tus, tunc prædictum Festum  
Septem Dolorum transferen-  
dum erit ad Sabbatum im-  
mediate sequens, non obs-  
tante quod dicta die occur-  
rat aliquod Officium alterius  
Sancti, dummodo non sit al-  
tioris ritus : tunc enim de  
Septem Doloribus eo anno  
nihil erit faciendum.*

*Notandum, quod si ob  
aliquam causam Vesperæ  
primæ hujus Festi omit-  
tendæ sint, tunc sequens  
Hymnus Stabat Mater do-  
lorosa, ponatur ad Matu-  
tinum, et post Versum Ut  
sibi compláceam, subjunga-  
tur Hymnus Sancta Mater,  
istud agas, usque in finem.  
Alias, ut sequitur.*

## AD VESPERAS.

*Antiphona* Vadam ad mon-  
tem, cum reliquis de Laudi-  
bus, 550.

*Psalmus* Crédidi, cum re-

*liquis, ut in Vesperis Ferie  
quintæ in Cæna Domini, 294.*

## CAPITULUM.

[Isaiæ, c. 53.]

QUIS credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiënti.

## HYMNUS.

STABAT Mater dolorosa  
Juxta Crucem lacrymosa,  
Dum pendebat Filius,  
Cujus animam gementem,  
Contristatam, et dolentem,  
Pertransivit gladius.

Oh quam tristis et afflicta  
Fuit illa benedicta  
Mater Unigeniti!

Quæ mœrēbat, et dolēbat,  
Pia Mater dum vidēbat  
Nati pœnas inclyti.

Quis est homo qui non flet  
ret

Matrem Christi si vidēret  
In tanto supplicio?

Quis non posset contristari,  
Christi Matrem contemplari  
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suæ gentis  
Vidit Jesum in tormentis,  
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum,  
Moriendo desolatum,  
Dum emisit spiritum.

Eia Mater, fons amoris,  
Me sentire vim doloris  
Fac, ut tecum lugeam.

Fac ut ardeat cor meum  
In amando Christum Deum,  
Ut sibi compláceam.

Amen.

Ÿ. Ora pro nobis, Virgo  
dolorosissima.

℞. Ut digni efficiámur pro-  
missionibus Christi.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Tuam ipsius animam (ait  
ad Mariam Simeon) pertran-  
sibit gladius.

## ORATIO.

DEUS, in cujus passione,  
secundum Simeonis prophe-  
tiam, dulcissimam animam  
gloriosæ virginis et matris  
Mariæ doloris gladius per-  
transivit, concede propitius  
ut, qui Transfixionem ejus  
et passionem venerando re-  
columus, gloriosis meritis et  
precibus omnium Sancto-  
rum Cruci fideliter adstan-  
tium intercedentibus, passio-  
nis tuæ effectum felicem con-  
sequámur. Qui vivis.

*Pro commemoratione Fe-  
rie.*

*Antiphona.*

Desiderio desideravi hoc  
Pascha manducare vobiscum  
antequam patiar.

Ÿ. Eripe me, Domine, ab  
homine malo.

℞. A viro iniquo eripe me.

## ORATIO.

ESTO, quæsumus, Domine,  
propitius plebi tuæ, ut, quæ  
tibi non placent respuentes,  
tuorum potius repleantur  
delectationibus mandatorum.  
Per Dominum.

*Ad Completorium, et per  
Horas in fine Hymnorum*

*dicatur* : Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Virgine.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Dolóres  
gloriósæ recoléntes Virgínis,  
Dóminum pro nobis passum,  
\* Veníte, adorémus.

*Psalmus* Veníte, exulté-  
mus, 2.

## HYMNUS.

SANCTA Mater, istud agas,  
Crucifixi fige plagas  
Cordi meo válide.

Tui Nati vulneráti,  
Tam dignáti pro me pati,  
Pœnas mecum dívide.

Fac me tecum pie flere,  
Crucifixo condolére,  
Donec ego víxero.

Juxta crucem tecum stare,  
Et me tibi sociáre  
In planctu desídero.  
Amen.

## IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Astiterunt reges terræ,  
et principes convenérunt in  
unum advérsus Dóminum,  
et advérsus Christum ejus.

*Psalmus* Quare fremué-  
unt gentes, ut in *Psalte-*  
*rio*, 4.

*Antiphona.*

Voce mea ad Dóminum  
lamávi, et exaudivit me de  
monte sancto suo.

*Psalmus* Dómine, quid  
multiplicáti sunt, 5.

*Antiphona.*

Factum est cor meum tan-  
quam cera liquéscens in mé-  
lio ventris mei.

*Psalmus* Usquequo, Dó-  
mine, oblivísceris, 9.

✠. Pósuit me desolátam.

℞. Tota die mœróre con-  
féctam.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dó-  
mine.

✠. Jube, Domne.

*Benedictio* Benedictióne  
perpétua.

De Isaia Prophéta.

## LECTIO I.

[Cap. 59.]

QUIS credidit auditui nos-  
tro? et bráchium Dómini cui  
revelátum est? Et ascéndet  
sicut virgúltum coram eo, et  
sicut radix de terra sitiénti:  
non est spécies ei, neque  
decor: et vídimus eum, et  
non erat aspéctus, et desi-  
derávimus eum. Despéctum,  
et novíssimum virórum, vi-  
rum dolórum, et sciéntem  
infirmítatem: et quasi abs-  
cónditus vultus ejus et des-  
péctus, unde nec reputávi-  
mus eum. Vere languóres  
nostros ipse tulit, et doló-  
res nostros ipse portávit: et  
nos putávimus eum quasi  
leprósum, et percússum a  
Deo et humiliátum. Ipse au-  
tem vulnerátus est propter  
iniquitátes nostras, attrítus  
est propter scélera nostra:  
disciplína pacis nostræ super  
eum, et livóre ejus sanáti  
sumus.

℞. Diléctus meus cándidus,  
et rubicúndus, et totus desi-

derábilis : \* Omnis enim figura ejus amorem spirat, et ad redamandum provocat, caput inclinatum, manus expansæ, pectus apertum.

℣. Piis, o Virgo, spectas eum oculis, contemplan in eo non tam vulnere livorem, quam mundi salutem.

Omnis enim.

*Benedictio Unigenitus Dei Filius.*

#### LECTIO II.

OMNES nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit : et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum : sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de iudicio sublatus est : generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium : propter scelus populi mei percussit eum. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua : eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

℣. Manus ejus tornatiles, clavorum cuspidibus terebratæ, \* Humanae salutis pretio quasi hyacinthis refertæ.

℣. Cornua in manibus ejus : ibi abscondita est fortitudo ejus : sunt enim manus ejus.

Humanae salutis.

*Benedictio Spiritus Sancti gratia.*

#### LECTIO III.

ET Dominus voluit continere eum in infirmitate : si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur : in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo disperitiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est : et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℣. Diligebat Jesus Joannem, quoniam specialis prerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum : \* Quia virgo electus ab ipso, virgo in ævum permansit.

℣. In Cruce denique moriturus, huic matrem Virginem virgini commendavit.

Quia virgo.

Glória Patri.

Quia virgo.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus?

*Psalmus Beatus qui intelligit, 69.*



*Antiphona.*

Deus, vitam meam annuntiavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

*Psalmus* Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo, 80.

*Antiphona.*

Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae : et lingua eorum gladius acutus.

*Psalmus* Miserere mei, Deus, miserere mei : \* quoniam in te confidit, 81.

†. Facies mea intumuit a fletu.

†. Et palpebrae meae caligaverunt.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

†. Jube, Domne.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

Sermo sancti Bernardi Abbatís.

## LECTIO IV.

[ Ex Serm. de 12, Stellis. ]

**M**ARTYRIUM Virginis tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa Domínicae passionis historia commendatur. Positus est hic ( ait sanctus senex de puero Jesu ) in signum cui contradicetur : et tuam ipsius animam ( ad Mariam autem dicebat ) pertransibit gladius. Vere tuam, o beata Mater, animam pertransivit : alióquin non nisi eam pertransiens, carnem Filii tui penetráret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus

ille Jesus, ipsius plane non attigit animam crudélis lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli.

†. Tenebrae factae sunt, cum crucifixissent Jesum Judæi, et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna : Deus meus, ut quid dereliquisti me? \* Et inclinato capite emisit spiritum.

†. Quis tibi nunc sensus, dum cernis talia, Virgo?

Et inclinato.

*Benedictio* Christus perpetuae.

## LECTIO V.

**T**UAM ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam Mátyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeae sensum passionis excésserit compassionis affectus. An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille, revéra pertransiens animam, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, Mulier, ecce filius tuus? O commutationem ! Joánnes tibi pro Jesu tráditur, servus pro Dómino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quómodo non tuam affectuosissimam animam pertransíret hæc auditio, quando et nostra, licet

sáxea , licet férrea péctora ,  
sola recordátio scindit ?

R. Pássio Dómini , \* Ipsam  
ejus matrem , cárnali orbitáte  
gráviter percússam , vehe-  
mentissime contristávit.

R. Ferrum lanceæ militá-  
ris , latus quidem Salvatóris ,  
ánimam vero transívit vírgi-  
nis matris.

Ipsam ejus.

*Benedictio* Ignem sui amó-  
ris.

#### LECTIO VI.

Non mirémini , fratres , quod  
Maria martyr in ánima fuisse  
dicátur. Mirétur qui non me-  
mínerit se audivisse Paulum  
inter máxima géntium cri-  
mina memorántem , quod  
sine affectióne fuissent. Longe  
id fuit a Mariæ viscéribus , lon-  
ge sit a sérvulis ejus. Sed forte  
quis dicat : Numquid non  
eum præscíerat moritúrum ?  
Et indubitánter. Numquid  
non sperábat continuo resur-  
rectúrum ? Et fidéliter. Super  
hæc dóluit crucifixum ? Et  
veheménter alióquin quis-  
nam tu frater , aut unde tibi  
hæc sapiéntia , ut miréris plus  
Mariam compatiéntem , quam  
Mariæ Fílium patiéntem ? Ille  
étiam mori córpore pótuit :  
Ista cómmori corde non pó-  
tuit ? Fecit illud cháritas , qua  
majórem nemo hábuit : fecit  
et hoc cháritas , cui post il-  
lam símilis áltera non fuit.

R. Quis mihi det te fra-  
trem meum sugéntem úbera

matris meæ , et inhæréndolá-  
teri tuo , ut sanguis tuus sán-  
guinem meum tangat , et ter-  
gat : \* Ut fons aquæ tuæ de  
scaturigine recti cordis , per  
venas boni óperis , in finem  
ætérnæ felicitátis exíliat ?

Ÿ. Fílii tui de longe vé-  
nient , et filiæ tuæ de látere  
surgent.

Ut fons aquæ.

Glória Patri.

Ut fons aquæ.

IN TERTIO NOCTURNO.

#### *Antiphona.*

Intendérunt arcum , rem  
amáram , ut sagittent in oc-  
cúltis immaculátum.

*Psalmus* Exáudi , Deus ,  
oratióem meam cum dé-  
precor , 84.

#### *Antiphona.*

Factus sum sicut homo sine  
adjutório , inter mórtuos li-  
ber.

*Psalmus* Dómine , Deus sa-  
lútis meæ , 109.

#### *Antiphona.*

Replévit me amaritúdine ,  
inebriávit me absynthio.

*Psalmus* Deus , laudem  
meam ne tacúeris , 129.

Ÿ. Deus , vitam meam an-  
nuntiávi tibi.

R. Posuisti lácrymas meas  
in conspéctu tuo.

Pater noster.

*Absolutio* A vinculis.

Ÿ. Jube , Domne.

*Benedictio* Evangélica léc-  
tio.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem

## LECTIO VII.

[Cap. 19.]

**I**n illo tempore, Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cléophæ, et Maria Magdalène. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 119 in Joann.]

**H**æc nimirum est illa hora, de qua Jesus, aquam conversurus in vinum, dixerat matri: Quid mihi et tibi est mulier? nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina factururus, non divinitatis, sed infirmitatis matrem velut incognitam repellēbat. Nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano: moralis igitur insinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, et exemplo suo suos ministros instruxit præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis.

℣. Dóleo super te, fili mi Jesu, decórus nimis, et amabilis super amorem mulie-

rum: \* Sicut enim mater unicum diligit filium, ita ego te diligēbam.

℣. Defécit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

Sicut enim.

*Benedictio.*—Cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum.

## LECTIO VIII.

**E**x hac sana doctrina didicerat Paulus Apóstolus, quod docēbat, quando dicēbat: Si quis autem suis, et máxime domesticis non próvidet, fidem negávit, et est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum, quam parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque salubérrimi præcepti ipse Magister sanctorum de seipso constituēbat exemplum quando non ut famulæ Deus, quam creáverat et regēbat, sed ut matri homo, de qua creátus fuerat, et quam relinquēbat, álterum pro se quodammodo filium providēbat.

℣. Eia, mater, fons amoris, fac nos sentire vim doloris, ut tecum lugeámus, \* Et Dominicæ passionis fructum sentiámus.

℣. Et sicut filius tuus Jesus pro nobis mórtuus est, et resurrexit: ita et nos comórtui cum eódem resurgamus.

Et Dominicæ.

Glória Patri.

Et Dominicæ.

*Benedictio Per Evāgēlica dicta.*

*Lectio nona dicitur de Homilia Feriæ occurrentis.*

Te Deum laudamus, 18.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.

*Psalmus Dóminus regnāvit, cum reliquis de Dominica, 19.*

*Antiphona.*

Dilēctus meus cādidus, et rubicūndus : comæ cāpitis ejus sicut pūrpura Regis vincta canālibus.

*Antiphona.*

Quo ābiit dilēctus tuus, o pulchērrima mulierum? Quo dilēctus tuus declināvit?

*Antiphona.*

Fasciculus myrrhæ dilēctus meus mihi, inter ūbera mea commorābitur.

*Antiphona.*

Fulcite me flōribus, stipate me malis, quia amōre lāngueo.

CAPITULUM.

[ Isaie c. 53 ]

QUIS credidit auditui nostro? et brāchium Dómini cui revelātum est? Et ascēdet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiēti.

HYMNUS.

VIRGO virginum præclāra, Mihi jam non sis amāra, Fac me tecum plāngere.

Fac ut portem Christi mortem,

Passiōnis fac consórtem, Et plagas recólere.

Fac me plagis vulnerári, Fac me Cruce inebriári, Et cruóre Filii.

Flammis ne urar succēsus,

Per te, Virgo, sim defēsus In die judicii.

Christe, cum sit hinc exire, Da per Matrem me venire Ad palmam victóriæ.

Quando corpus moriétur, Fac ut animæ donétur Paradisi glória.

Amen.

✠. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiāmur promissionibus Christi.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Cum vidisset Jesus matrem stantem juxta crucem, et discipulum, quem diligēbat, dicit matri suæ : Múlier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua.

ORATIO.

DEUS, in cujus passiōe secūndum Simeónis prophetiam, dulcissimam animam gloriósæ virginis et matris Mariæ doloris gladius pertransiuit, concéde propitius ut qui transfixiōnem ejus et passiōnem venerādo recólimus, gloriósis méritis et précibus ómnium Sanctórum Cruci fidéliter adstántium in-



tercedéntibus, passiónis tuæ effectum felicem consequámur. Qui vivis.

*Et fít commemoratio Feriæ.*

Appropinquábat autem dies festus Judæórum, et quærébant principes sacerdotum quómodo Jesum interficerent, sed timébant plebem.

✠. Eripe me de inimícis meis, Deus meus.

R). Et ab insurgéntibus in me libera me.

## ORATIO.

CORDIBUS nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benignus infúnde, ut peccáta nostra castigatióne voluntária cohibéntes, temporaliter pótius macerémur quam suppliciis deputémur ætérnis. Per Dóminum.

## AD PRIMAM.

*In responsorio brevi dicitur* ✠. Qui passus est pro hómine.

## AD TERTIAM.

*Antiphona* Diléctus meus.

*Capitulum* Quis credidit, ut supra.

R). *breve.* Pósuit me \* Desolátam. Pósuit.

✠. Tota die mœróre conféctam.

R). Desolátam.

Glória Patri. Pósuit.

✠. Fácies mea intúmuit a fletu.

R). Et pálpebræ meæ caligavérunt.

## AD SEXTAM.

*Antiphona* Quo ábiit.

## CAPITULUM.

[Isaiæ c. 53.]

IPSE vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attritus est propter scélera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

R). *breve.* Fácies mea, \* Intúmuit a fletu. Fácies mea.

✠. Et pálpebræ meæ caligavérunt.

R). Intúmuit.

Glória Patri. Fácies mea.

✠. Deus, vitam meam annuntiávi tibi

R). Posuisti lácrymas meas in conspéctu tuo.

## AD NONAM.

*Antiphona* Fulcite me flóribus.

## CAPITULUM.

[Isaiæ c. 53.]

GENERATIONEM ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum.

R). *breve.* Deus, vitam meam, \* Annuntiávi tibi. Deus, vitam.

✠. Posuisti lácrymas meas in conspéctu tuo.

R). Annuntiávi.

Glória Patri. Deus, vitam.

✠. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.

R). Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

*In secundis Vesperis omnia ut in primis, 543.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Cum vidisset Jesus matrem stantem juxta crucem, et discipulum, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

*Et fit commemoratio Ferie.*

*Antiphona.*

Principes sacerdotum consilium fecerunt ut Jesum occiderent: dicebant autem: non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

✠. Eripe me, Domine, ab homine malo.

✠. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ glóriam quærimus, liberati a malis omnibus secúra tibi menté serviámus. Per Dóminum nostrum.

FESTA APRILIS.

DIE II APRILIS.

IN FESTO

S. FRANCISCI DE PAULA,

CONFESSORIS.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Con-*

*fessoris non Pontificis, lxxxiv, præter sequentia.*

ORATIO.

DEUS, humilium celsitúdo, qui beátum Franciscum Confessórem Sanctórum tuórum glória sublimásti, tribue, quæsumus, ut ejus méritis et imitatione, promissa humilibus præmia feliciter consequámur. Per Dóminum nostrum.

*Deinde fit commemoratio Ferie, si celebretur in Quadragesima.*

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, si celebretur post Pascha: si vero in Quadragesima, Beátus vir qui inventus, de Communi Confessoris non Pontificis, cij.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

FRANCISCUS Paulæ, quod est Calábriæ oppidum, loco humili natus est: quem parentes, cum diu prole caruissent, voto facto, beáti Francisci precibus suscepérunt. Is adolescens divino ardore succensus, in erémum secéssit, ubi annis sex, victu ásperam, sed meditationibus cœlestibus suáven vitam duxit. Sed cum virtutum ejus fama longius manáret, multique ad eum pietátis stúdio concurrerent, fraternæ charitátis causa e solitúdine egressus, Ecclesiám prope Paulam ædi-

ficavit, ibique prima sui Ordinis fundamenta jecit.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam.

Y. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

#### LECTIO V.

ERAT in eo mirifica loquendi gratia: perpetuam virginitatem servavit, humilitatem sic coluit, ut se omnium minimum diceret, suosque alumnos Minimos appellari voluerit. Rudi amictu, nudis pedibus incedens, humi cubabat. Cibi abstinencia fuit admirabili: semel in die post solis occasum reficiebatur, et ad panem, et aquæ potum, vix aliquid ejusmodi obsonii adhibebat, quo vesci in Quadragesima licet: quam consuetudinem ut Fratres sui toto anni tempore retinerent, quarto eos voto adstrinxit.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum.

Y. Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum.

Et ad portas.

#### LECTIO VI.

MULTIS miraculis servi sui sanctitatem Deus testari vo-

luit: quorum illud in primis celebre, quod a nautis reiectus, Siciliae fretum strato super fluctibus pallio cum socio transmisit. Multa etiam futura prophetico spiritu prædixit. A Ludovico undecimo, Francorum rege expetitus, magnoque in honore est habitus. Denique annum primum et nonagesimum agens, Turonis migravit ad Dominum, anno salutis millesimo quingentesimo septimo: cujus corpus dies undecim insepultum, ita incorruptum permansit, ut suavem etiam odorem efflaret. Eum Leo Papa decimus in Sanctorum numerum retulit.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrederi in requiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

Y. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna.

Quia te vidi.


Glória Patri.

Quia te vidi.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium, Nolite timere, pusillus grex, ut in Communi Confessoris non Pontificis, civ.*

*Si celebretur in Quadragesima, Lectio nona erit de Homilia Feriæ occurrentis,*

*et de ea fit commemoratio  
in Laudibus.*



DIE II APRILIS.

IN FESTO

**SANCTI ISIDORI,**  
episcopi et confessoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Con-  
fessoris Pontificis, lxviij, præ-  
ter sequentia.*

*Ad Magnificat in utrisque  
Vesperis, Antiphona.*

O Doctor optime, Ecclesiæ  
sanctæ lumen, beâte Isidore,  
divinæ legis amator, depre-  
care pro nobis Filium Dei.

ORATIO.

DEUS, qui populo tuo æter-  
næ salutis beatum Isidorum  
ministrum tribuisti, præsta,  
quæsumus, ut, quem doctó-  
rem vitæ habuimus in ter-  
ris, intercessorem habere  
mereamur in cœlis. Per Dó-  
minum.

*Et fit commemoratio Fe-  
riæ, si celebretur in Quadra-  
gesima.*

*In primo Nocturno, Lec-  
tiones Sapiéntiam ómnium  
antiquórum, de Communi  
Doctorum, lxxxiv.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

ISIDORUS, natione Hispanus,  
Doctor egregius, ex nova  
Carthágine Severiano patre  
provinciæ duce natus, a  
sanctis Episcopis Leandro

Hispalénsi, et Fulgéntio Car-  
thaginiénsi fratribus suis pie  
et liberaliter educatus, Lati-  
nis, Græcis et Hebráicis lit-  
teris, divinisque, et humá-  
nis légibus instructus, omni  
scientiarum, atque Christia-  
narum virtutum genere præ-  
stantissimus evásit. Adhuc  
adoléscens, hæresim Ariá-  
nam, quæ gentem Gothórum  
Hispaniæ latissime dominán-  
tem jam pridem inváserat,  
tanta constántia palam op-  
pugnávit, ut parum abfúerit,  
quin ab Hæreticis necarétur.  
Leandro vita functo, ad His-  
palénsem Cáthedram invitus  
quidem, sed urgente in pri-  
mis Recarédo rege, magnó-  
que étiam Cleri, populique  
consénsu assúmitur, ejúsque  
electionem sanctus Gregórius  
Magnus, nedum auctoritate  
Apostólica confirmásse, sed  
et eléctum transmissio de mo-  
re pállio decorásse, quin  
étiam suum, et Apostólicæ  
sedis in univérsa Hispania  
Vicárium constituísse per-  
hibétur.

R̃. Inveni David servum  
meum, óleo sancto meo unxi  
eum : \* Manus enim mea  
auxiliábitur ei.

Ÿ. Nihil proficiet inimicus  
in eo, et filius iniquitátis non  
nocébit ei.

Manus enim.

LECTIO V.

IN Episcopátu quantum fúe-  
rit constans, húmilis, pá-



tiens, miséricors, in Christiāna et Ecclesiastica disciplīna instaurānda sollicitus, eaque verbo, et scriptis stabi-  
liēda indefessus, atque omni demum virtutum orna-  
mento insignitus, nullius lin-  
gua enarrāre sufficeret. Mo-  
nastici quoque instituti per  
Hispaniam promotor et am-  
plicator eximius, plura cons-  
truxit monasteria: collēgia  
idem aedificavit, ubi studiis  
sacris, et lectionibus vacans,  
plurimos discipulos, qui ad  
eum confluēbant, erudit, et  
quos inter sancti Ildefonsus  
Toletanus et Braulio Cæsar-  
Augustanus, Episcopi, emi-  
cuerunt. Coacto Hispali Con-  
cilio, Acephalorum hæresim  
Hispaniæ jam minitāntem,  
acri, et eloquēti disputa-  
tione fregit, atque contrivit.  
Tantam apud omnes sancti-  
tatis, et doctrinæ famam  
adēptus est, ut elāpso vix ab  
ejus obitu sextodécimo anno,  
universa Toletana Synodo  
duorum supra quinquaginta  
Episcoporum plaudēte, ip-  
soque etiā sancto Ildefonso  
suffragante, Doctor egrē-  
gius, Catholicæ Ecclesiæ no-  
vissimum decus, in sæculō-  
rum fine doctissimus, et cum  
reverētia nomināndus ap-  
pellari meruerit: eūque  
sanctus Braulio non modo  
Gregorio Magno comparā-  
verit, sed et erudiendæ His-  
paniæ loco Jacobi Apóstoli

cœlitus datum esse censuerit.

R. Pōsui adiutorium super  
potentem, et exaltavi elēc-  
tum de plebe mea: \* Manus  
enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum  
meum, oleo sancto meo  
unxi eum.

Manus enim.

#### LECTIO VI.

SCRIPSIT Isidorus libros Ety-  
mologiārum, et de Eccle-  
siasticis officiis, aliōsque  
quamplūrimos Christiānæ et  
Ecclesiasticæ disciplinæ adeo  
utiles, ut sanctus Leo Papa  
quartus ad Episcopos Bri-  
tanniæ scribere non dubitā-  
verit, sicut Hieronymi, et  
Augustini, ita Isidori Dicta  
retinēda esse, ubi contige-  
rit inusitatum negotium, quod  
per Cānones minime definiri  
possit. Plures etiā ex ejūs-  
dem scriptis sententiæ inter  
Canónicas Ecclesiæ leges re-  
latæ conspiciuntur. Præfuit  
Concilio Toletano quarto,  
ōmnium Hispaniæ celebrissi-  
mo, denique cum ab Hispā-  
nia Ariānam hæresim elimi-  
nasset, morte sua, et regni  
vastatione a Saracenorum ar-  
mis publice prænuntiata,  
postquam quadraginta circi-  
ter annos suam rexisset Ec-  
clesiam, Hispali migravit in  
cœlum anno sexcentésimo  
trigésimo sexto. Ejus corpus  
inter Leándrum fratrem, et  
Florentinam sorórem, ut  
ipse mandáverat, primo cón-

ditum, Ferdinándus primus, Castellæ et Legiónis rex ab Enéto Saracéno Hispali dominante magno pretio redemptum Legiónem transtulit, et in ejus honorem Templum ædificatum est: ubi miraculis clarus, magna populi devotione colitur.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

R. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna.

Ipse intercedat.

Glória Patri.

Ipse intercedat.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 5.]

**I**n illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

Homilia S. Isidori Episcopi.

[Lib. 2, Offic. ad S. Fulg. c. 5.]

**Q**ui in erudiendis, atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis ha-

beat. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subiectos arguere poterit, cum illi statim possit correctus ingerere, Ante doce te quæ recta sunt? Primitus quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum admonere studet, ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi præbeat, cunctosque ad bonum opus, et doctrina, et opere provocet. Cui etiam scientia Scripturarum necessaria est: quia si Episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest, sic vivens. Porro si et doctrina, et sermone fuerit eruditus, potest ceteros quoque instruere, et docere suos, et adversarios percussere, qui nisi refutati fuerint, atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum.

✠. Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum.

Et ad portas.

LECTIO VIII.

**H**ujus sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus gravitatis, et honestatis, plenus suavitatis, et gratiæ, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiae, de dis-

ciplína justitiæ : unumquém-que ádmónens diversa exhortatióne, juxta professiõem, morúmque qualitátem, scilicet, ut prænoscat quid, cui, quando, vel quómodo próferat. Cujus præ ceteris speciále officium est, Scriptúras légere, percúrrere Cánones, exémpia Sanetórum imitári, vigiliis, jejúniis, oratióibus incúmbere, cum frátribus pacem habére, nec quemquam de membris suis discerpere, nullum damnáre, nisi comprobátum, nullum excommunicáre, nisi discússum. Quique ita humilitáte páriter, et auctoritáte præesse debet, ut neque per nimiam humilitátem suam subditórum vítia convalésce- cere fáciat, neque per immoderántiam severitátis potestátem exerceat, sed tanto cáutius erga commissos sibi, quanto dúrius a Christo indagári formídat.

R. In médio Ecclesiæ apéruit os ejus : \* Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus.

Y. Jucunditátem et exultatió- nem thesaurizávit super eum.

Et implévit.

Glória Patri.

Et implévit.

*In Quadragesima Lectio nona de Homilia Feriæ, et commemoratio in Laudibus. Alias.*

## LECTIO IX.

TENEbit quoque illam supereminéntem donis ómnibus charitátem, sine qua omnis virtus nihil est. Custos enim castitátis cháritas, locus autem hujus custódis humilitas. Habébit étiam inter hæc ómnia castitátis eminéntiam, ita ut mens Christo dédita, ab omni inquinaménto carnis sit munda, et libera. Inter hæc oportébit cum sollicita dispensatióne curam páuperum gérere, esuriéntes páscere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redímere, víduas ac pupillos tuéri, pervigilem in cunctis exhibére curam, providéntiam habére distributióne discréta. In quo étiam hospitalitas ita erit præcípua, ut omnes cum benignitáte, et charitáte suscipiat. Si enim omnes fidéles illud Evangélium audire desiderant, Hospes fui, et suscepistis me, quanto magis Episcopus, cujus diversórium cunctórum debet esse receptáculum?

Te Deum laudámus, 18.

*Vesperæ a Capitulo de sequenti, commemoratio præcedentis, et Feriæ.*

~~~~~

DIE V APRILIS.

in festo

S. VINCENTII FERRERII.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Confes-*



*oris non Pontificis, lxxxviij, præter sequentia.*

ORATIO.

**D**EUS, qui Ecclesiam tuam beati Vincéntii Confessóris tui méritis et prædicatione illustrare dignátus es, concede nobis famulis tuis ut et ipsius instruímur exémpis, et ab ómnibus ejus patrocinio liberémur advérsis. Per Dóminum.

*Deinde fit commemoratio sancti Isidori.*

*Antiphona O Doctor óptime.*

✠. Justum dedúxit.

*Oratio Deus, qui pópulo, ut supra, 554.*

*Postea Feriæ, si venerit in Quadragesima.*

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, si celebretur post Pascha: si vero in Quadragesima, Beátus vir, de Comuni Confessoris non Pontificis, cij.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**V**INCENTIUS honésta stirpe Valentíæ in Hispánia natus, ab ineúnte ætáte cor gessit senile. Qui dum caliginósi hujus sæculi lábilem cursum pro ingénii sui módulo consideráret, Religiónis hábitum in Ordine Prædicatórum décimo octávo ætátis suæ anno suscepit: et emissá solémni professione, sacris litteris sédulo incúmbens,

Theológiae láuream summa cum laude consecútus est. Mox obténta a superioribus licéntia, verbum Dei prædicáre, Judæórum perfidiam arguere, Saracenórum errores confutare tanta virtute et efficácia cœpit, ut ingentem ipsórum infidélium multitudinem ad Christi fidem perdúxerit, et multa Christianórum millia a peccátis ad poenitentiam, a vitiis ad virtutem revocárit. Eléctus enim a Deo, ut mónita salutis in omnes gentes, tribus et linguas diffúnderet, et extrémis tremendique judicii diem appropinquare osténderet, ómnium auditórum ánimos terróre concússos, atque a terrénis affectibus avúlsos, ad Dei amórem excitábat.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam.

✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

LECTIO V.

**I**N hoc autem Apostólico múnere hic vitæ ejus tenor perpétuus fuit. Quotídie Missam summo mane cum cantu celebrávit, quotídie ad pópulum conciónem hábuit, inviolábile semper jejúnium, nisi urgens adéssset necéssitas, servávit: sancta et recta



consilia nulli denegavit : carnes numquam comedit, nec vestem lineam induit : populorum júrgia sedavit, dissidentia regna pace composuit : et cum vestis inconsuetilis Ecclesiæ diro schismate scinderetur, ut uniretur, et unita servaretur, plurimum laboravit. Virtutibus omnibus claruit, suosque detractores et persecutores, in simplicitate et humilitate ambulans, cum mansuetudine recepit, et amplexus est.

¶. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum : \* Et ad portas paradisi coronavit eum.

¶. Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum.

Et ad portas.

#### LECTIO VI.

PER ipsum divina virtus, in confirmationem vitæ et prædicationis ejus, multa signa et miracula fecit. Nam frequentissime super ægros manus imposuit, et sanitatem adepti sunt : spiritus immundos e corporibus expulit : surdis auditum, mutis loquelam, cæcis visum restituit, leprosos mundavit, mortuos suscitavit. Sénio tandem et morbo confectus infatigabilis Evangelii præco, plurimis Europæ provinciis cum ingenti animarum fructu peragratis, Venetiæ in Britannia minóri prædicationis et

vitæ cursum feliciter consummavit, anno salutis millésimo quadringentésimo décimo nono, quem Callistus tertius Sanctorum número adscripsit.

¶. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in requiem meam : \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

¶. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coeléstia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri præcincti, de Communi Confessoris non Pontificis, xcviij.*

*In Quadragesima legitur nona Lectio de Homilia Feriæ, et de ea fit commemoratio in Laudibus.*

DIE XI APRILIS.

IN FESTO

S. LEONIS PAPÆ,  
confessoris et ecclesiæ doctoris.

( DUPLEX. )

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis, lxviij, præter sequentia.*

*In utrisque Vesperis ad Magnificat, Antiphona.*

O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate

Leo, divīnæ legis amātor, deprecāre pro nobis Filium Dei.

## ORATIO.

**E**XAUDI, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beāti Leónis Confessóris tui atque Pontificis solemnitate deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

*In Quadragesima fit commemoratio Feriæ.*

## IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epistola prima beāti Petri Apóstoli.

## LECTIO I.

[Cap. 1.]

**P**ETRUS Apostólus Jesu Christi, eléctis ádvenis dispersionis Ponti, Galátiae, Cappadóciae, Asiae, et Bithyniae, secúndum præsciéntiam Dei Patris, in sanctificationem Spíritus, in obediéntiam, et aspersionem ságuinis Jesu Christi: Grátia vobis, et pax multiplicétur. Benedictus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mórtuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminátam, et immarcessibilem: conservátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei

custodimini per fidem in salutem, parátam revelári in témpore novissimo.

**R.** Euge, serve bone, et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constituam: \* Intra in gáudium Dómini tui.

**Ÿ.** Dómine, quinque talénta tradidisti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.

Intra in gáudium.

## LECTIO I.

**I**N quo exultábitis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatióibus: ut probátio vestræ fidei multo pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, et glóriam, et honórem in revelatióne Jesu Christi: quem cum nōn vidéritis, diligitis: in quem nunc quoque non vidéntes créditois: credéntes autem exultábitis lætítia inenarrábili, et glorificáta: reportántes finem fidei vestræ, salutem animárum. De qua salute exquisiérunt, atque scrutáti sunt Prophætæ, qui de futúra in vobis grátia prophetavérunt, scrutántes in quod, vel quale tempus significáret in eis Spíritus Christi: prænúntians eas, quæ in Christo sunt, passiones, et posteriôres glórias: quibus revelátum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrábant ea, quæ nunc nuntiáta sunt vobis per eos, qui evangelizavérunt

vobis, Spíritu Sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere.

R. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo: \* Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.

V. Benedictionem omnium gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput ejus.

Ideo jurejurando.

#### LECTIO III.

**P**ROPTER quod succincti lumbos mentis vestrae, sobrii, perfecte sperate in eam, quae offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi: quasi filii obedientiae, non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis: sed secundum eum, qui vocavit vos Sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum. Et si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati: praecogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem

novissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra, et spes esset in Deo.

R. Juravit Dominus, et non poenitebit eum: \* tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

V. Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis.

Tu es sacerdos.

Glória Patri.

Tu es sacerdos.

IN SECUNDO NOCTURNO.

#### LECTIO IV.

**L**EO primus, Etruscus, eo tempore praefuit Ecclesiae, cum rex Hunnorum Attila, cognomento Flagellum Dei, in Italiam invadens, Aquileiam triennii obsidione captam diripuit et incendit: unde cum Romam ardenti furore raperetur, jamque copias, ubi Mincius in Padum influit, trajicere pararet, occurrit ei Leo, malorum Italiae impendentium misericordia permotus: cujus divina eloquentia persuasum est Attilae, ut regrederetur. Qui interrogatus a suis, quid esset, quod praeter consuetudinem tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret, respondit, se adstantem quemdam alium, illo loquente, sacerdotali habitu veritum esse, sibi stricto gladio minitantem mortem, nisi Leoni obtemperaret.



**Quare in Pannóniam revérsus est.**

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei.

**Y.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei.

Manus enim.

LECTIO V.

**L**EO autem Romæ singulári ómnium lætítia excéptus, paulo post invadénti Urbem Genserico, eádem eloquéntiæ vi, et sanctitátis opinióne persuásit, ut ab incéndio, ignomíniis, ac cædibus abstinéret. Sed cum Ecclésiám a multis hærésibus oppugnári, maximéque a Nestoriánis et Eutichiánis exagitári vidéret, ad eam purgándam, et in fide Cathólica confirmándam, Concílium Chalcedonénse indixit. Ubi sexcéntis triginta coáctis Episcopis, Eútyches, et Dióscorus, et iterum Nestórius condemnáti sunt: ejusdémque Concílii decréta sua auctoritáte confirmávit.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei.

**Y.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

LECTIO VI.

**H**is actis, sanctus Póntifex

se ad reficiéndas, et ædificándas Ecclésiás convértit. Cujus suásu Demétria, pia fœmina, sancti Stépiani Ecclésiám constrúxit in suo fundo via Latína, tértio ab Urbe milliário: ipse via Appia sub nómine sancti Cornélii álteram cóndidit, multas prætérea et sacras ædes, et sacra eárum vasa restituit. In tribus Basilicis, Petri, Pauli et Constantiniána, cámaras extrúxit, ædificávit monastérium vicinum Basilicæ sancti Petri: sepúlcris Apostolórum custódes adhibuit, quos cubiculários appellávit. Státuit, ut in actióne mystéræ dicerétur Sanctum sacrificium, immaculátam hóstiám. Sanxit, nemónacha benedictum cápitis velámen recipe-ret, nisi quadraginta annórum virginitátem probásset. His et álüs præcláre gestis, cum multa sancte et luculénter scripsisset, tértio Idus Aprilis obdórmivit in Dómino. Sedit in Pontificátu annos viginti, menses decem, dies viginti octo.

**R.** Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum.

**Y.** Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Ipse intercédát.



Glória Patri.

Ipse intercédât.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 10.]

**I**N illo tempore, Venit Jesus in partes Cæsariæ Philippi: et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et reliqua.

Homilia sancti Leonis Papæ.

[Serm. 2 in annivers. assumptionis suæ.]

**C**UM, sicut Evangelica lectione reseratum est, interrogasset Dominus discipulos, quem ipsum (multis diversa opinantibus) crederent, respondissetque beatus Petrus, dicens: tu es Christus Filius Dei vivi; Dominus ait: Beatus est Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalébunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum: et quodcunque ligáveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiæ

gubernacula non reliquit.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum.

Y. Induit eum Dominus loriceam fidei, et ornavit eum.

Et ad portas.

LECTIO VIII.

**I**N universa namque Ecclesia, Tu es Christus Filius Dei vivi, quotidie Petrus dicit: et omnis lingua, quæ confitetur Dominum, magisterio hujus vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, et captivorum ejus vincula dissolvit. Hæc erutos mundo inserit cœlo, et portæ inferi adversus eam prævalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque hæretica umquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia. His itaque modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas: ut in personam humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium pastorum sollicitudo, cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit.

R. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, \* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectu.

Y. Jucunditatem et exulta-

tionem thesaurizavit super eum.

Et implévit.

Glória Patri.

Et implévit.

*Si venerit in Quadragesima, nona Lectio dicitur de Homilia Feriæ, et de ea fit commemoratio in Laudibus. Alias.*

#### LECTIO IX.

**CUM** ergo cohortationes nostras auribus vestræ sanctitatis adhibemus, ipsum vobis, cuius vice fungimur, loqui credite: quia et illius vos affectu monemus, et non aliud vobis, quam quod docuit, prædicamus: obsecrantes, ut succincti lumbos mentis vestræ, castam et sóbriam vitam in Dei timóre ducatis. Coróna mea, sicut Apóstolus ait: et gáudium vos estis, si fides vestra, quæ ab initio Evangélii in unívérso mundo prædicata est, in dilectione et sanctitate permanserit. Nam licet omnem Ecclesiám, quæ in toto est orbe terrarum, cunctis opórteat florere virtutibus, vos tamen præcipue inter céteros pópulos decet méritis pietátis excellere, quos in ipsa Apostólicæ petræ arce fundátos, et Dóminus noster Jesus Christus cum ómnibus redémit, et beátus Apóstolus Petrus præ ómnibus erudivit.

Te Deum laudámus, 18.

DIE XIII APRILIS.

in festo

**SANCTI HERMENEGILDI,**

martyris.

(SEMIDUPLEX.)

*Si fuerit in Quadragesima, omnia sumuntur de Communiunius Martyris extra tempus Paschale, xxvj, præter ea quæ hic habentur propria.*

*Si vero post Pascha, omnia sumuntur ex Communi Martyrum tempore Paschali, xlj, præter ea, quæ sequuntur.*

*Si in primis Vesperis huius Festi ob aliquam causam sequens Hymnus Regáli sólio, dicendus non sit, tunc ponatur ad Matutinum: et Hymnus Matutini, Nullis te génitor, substituendus est in Laudibus. Alias.*

*In utrisque Vesperis, et Laudibus.*

#### HYMNUS.

**REGALI** sólio fortis Ibériæ  
Hermenegilde jubar, glória  
martyrum,

Christi quos amor almis  
Cœli cœtibus inserit.

Ut perstas pátiens pollicitem Deo

Servans obséquium! quo potius tibi

Nil propónis, et arces

Cautus nóxia, quæ placet.

Ut motus cóhibes, pábula  
qui parant

*Surgéntis vitii, non dúbios  
agens*

*Per vestigia gressus,  
Quo veri via dirigit !*

*Sit rerum Dómino jugis  
honor patri,*

*Et Natum célebrent ora pre-  
cántium,*

*Divinúmque suprémis  
Flamen láudibus éfferant.  
Amen.*

## ORATIO.

**D**EUS, qui beátum Hermenegildum mártirem tuum  
cœlésti regno terrénium post-  
pónere docuísti, da, quæsu-  
mus, nobis ejus exémplo ca-  
dúca despícere, atque ætér-  
na sectári. Per Dóminum  
nostrum.

*In Quadragesima fit com-  
memoratio Feriæ.*

## AD MATUTINUM.

*Nisi dicendus sit præce-  
dens Hymnus Regáli sólio,  
dicitur Hymnus sequens.*

**N**ULLIS te génitor blandítiis  
trahit,

*Non vitæ cáperis divitis ótio,  
Gemmarúmve nitóre,  
Regnandive cupidine.*

*Diris non ácies te gládii  
minis,*

*Nec terret périmens carníficis  
faror :*

*Nam mansúra cadúcis  
Præfers gáudia Cœlitum.*

*Nunc nos e Súperum pró-  
tege sédibus*

*Clemens, atque preces, dum  
cánimus tua*

*Vern.*

*Quæsítam nece palmam,  
Pronis áuribus éxcipe.*

*Sit rerum Dómino jugis  
honor Patri,*

*Et Natum célebrent ora pre-  
cántium,*

*Divinúmque suprémis.  
Flamen láudibus éfferant.*

*Amen.*

*In Primo Nocturno, si  
celebretur in Quadragesima  
Lectiones Fratres, debitóres,  
de Communi plurimorum  
Martyrum, liv.*

*Si vero post Pascha, Lec-  
tiones de Scriptura occur-  
rente.*

## IN SECUNDO NOCTURNO.

*Ex libro Dialogórum sanc-  
ti Gregórii Papæ.*

## LECTIO IV.

[Lib. 3, cap. 51.]

**H**ERMENEGILDUS rex, Leo-  
vigildi regis Visigothórum  
filius, ab Ariána hæresi ad  
fidem Cathólicam viro reve-  
rendíssimo Leándro Hispa-  
lénsi Episcopo, dudum mihi  
in amicitíis familiáriter junc-  
to, prædicánte, convérsus  
est. Quem pater AriánuS, ut  
ad eámdem hæresim redíret  
et præmiis suadére, et mi-  
nis terrére conátus est. Cum-  
que ille constantissime res-  
pondéret, nunquam se ve-  
ram fidem posse relínquere,  
quam semel agnovísset : irá-  
tus pater eum privávit regno  
rebúsque expoliávit ómni-  
bus. Cumque nec sic virtú-  
tem mentis illíus emollíre

valuisset, in arcta illum custodia concludens, collum manusque illius ferro ligavit. Cœpit itaque Hermenegildus rex juvenis terræ regnum despiciere, et forti desiderio cœlesti quærens, in ciliciis vinculatus jacens, omnipotenti Deo, ad confortandum se, preces effundere, tantoque sublimius gloriâ transiuntis mundi despiciere, quanto et religatus agnovérat nihil fuisse, quod potuerit auferri.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam.

V. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum.

Et dedit illi.

*Tempore Paschali.*

R. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Domine, \* Et æternitas temporum Alleluia, alleluia.

V. Lætitia sempiterna erit super capita eorum: gaudium et exultationem obtinebunt.

Et æternitas.

LECTIO V.

**S**UPERVENIENTE autem Paschali festivitatis die, in tempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Ariânus Episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris

gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus, Ariâno Episcopo venienti exprobravit, ut debuit, ejusque a se perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etsi exterius jacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reverso Episcopo: Ariânus pater infrémuit, statimque suos apparitores misit, qui constantissimum Confessorem Dei illic, ubi jacebat, occiderent: quod et factum est. Nam mox, ut ingressi sunt, securim cerebro ejus infigentes, vitam corporis abstulerunt: hocque in eo valuerunt perimere, quod ipsum quoque, qui peremptus est, in se constiterat despexisse. Sed pro ostendenda vera ejus glória, superna quoque non defuere miracula: nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus ejusdem regis et martyris audiri: atque ideo veraciter regis, quia et martyris.

R. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Domine, \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

V. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Et voluntate.

*Tempore Paschali.*

R. In servis suis. Alleluia.



\* Consolábitur Deus. Allelúia.

Ÿ. Judicábit Dóminus populum suum, et in servis suis. Consolábitur.

## LECTIO VI.

QUIDAM étiam ferunt, quod illic noctúrno témpore accénsæ lámpades apparébant. Unde et factum est, quátenu corpus illius, ut vidélicet mártiris, jure a cunctis fidélibus venerári debuisset. Pater vero pérfidus et parricida, commótus pœniténtia, hoc fecisse se dóluit, nec tamen usque ad obtinéendam salútem pœnituit: nam quia vera esset Cathólica fides, agnóvit; sed gentis suæ timóre pertérritus, ad hanc pervenire non méruit. Qui, abórta agritúdine, ad extrémam perductus est, et Leándro Episcopo, quem prius veheménter afflíxerat, Reccarédum regem filium suum, quem in sua hæresi relinquerat, commendáre curávit, ut in ipso quoque tália fáceret, quália et in fratre suis exhortatiónibus fecisset: quâ commendatióné expléta, déiunctus est. Post cujus mortem Reccarédus rex, non patrem pérfidum, sed fratrem mártirem sequens, abriánæ hæréseos pravitate invérsus est, totámque Vigothórum gentem ita ad fidem perduxit, ut illum in suo regno militáre permitteret, qui regni Dei

hostis existere per hæreticam pravitatem non timéret. Nec mirum; quod veræ fidei prædicátor factus est, qui frater est mártiris: cujus hunc quoque mérita ádjuvant, ut ad omnipoténtis Dei grémium tam multos redúcat.

R. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: \* Et coronam pulchritúdinis pósuit super caput ejus.

Ÿ. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

Et coronam.

Glória Patri.

Et coronam.

*Tempore Paschali.*

R. Filiæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártires cum coronis, quibus coronávit eos Dóminus, \* In die solemnitátis et lætitiæ. Allelúia.

Ÿ. Quoniam confortávit seras portárum tuárum, benedixit filios tuos in te.

In die.

Glória Patri.

In die.

*In tertio Nocturno, tam in Quadragesima quam post Pascha, legitur Homilia in Evangelium Si quis venit ad me, de Communi unius Martyris, xxxv. Et si celebretur in Quadragesima, nona Lectio de Homilia Feriæ occurrentis, et de ea fit commemoratio in Laudibus.*

*Quando ad Matutinum*

*dictus fuerit Hymnus Regáli sólio, tunc ad Laudes dicitur Hymnus Nullis te génitor, ut supra, 565.*

*In secundis Vesperis fit commemoratio sequentis.*

*Communesanctorum Martyrum tempore Paschali habetur cum aliis Communibus, infra, xlj.*

### DIE XIV APRILIS.

IN FESTO

sanctorum martyrum  
TIBURTHII, VALERIANI ET MAXIMI.

ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui sanctorum martyrum tuorum Tiburtii, Valeriani, et Maximi solémnia cólimus, eorum étiam virtutes imitémur. Per.

LECTIO II.

**V**ALERIANUS Románus, nobili génere ortus, Alexandro Severo Imperátore, hortátu beátæ Cæciliæ virginis, quam sibi pari nobilitáte uxórem despónderat, una cum Tibúrtio fratre a sancto Urbáno Papa baptizátur. Quos ubi præfèctus Urbis Almáchiús Christiános esse cognóvit, et património paupéribus distribúto, Christianórum córpora sepelire, accersitos gráviter reprehéndit: atque ubi Christum Deum constánter confiténtes, deos autem dæmoniórum inánia simulácula prædicántes videt, ignis cædi jubet.

LECTIO III.

**S**ED cum verbéribus cogi non possent, ut Jovis simulácrum veneréntur, imo fortes in fidei veritáte permanérent, ad quartum ab Urbe lápidem secúri feriúntur. Quorum virtútem admirátus Máximus Præfècti cubiculárius, qui eos ad supplicium perdúxerat, Christiánum se esse proféssus est, cum multis prætérea Præfècti ministris: qui paulo post plumbátis contúsi, omnes ex diaboli ministris, Christi Dómini mártýres evasérunt.

Te Deum laudámus, 18.

DIE XIV APRILIS.

IN FESTO S. ANICETI,  
papæ et martyris.

ORATIO.

**D**EUS, qui nos beáti Aniceti mártýris tui atque Pontificis ánnua solemnitáte lætíficas, concéde propítius ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectione gaudeámus. Per Dóminum.

LECTIO III.

**A**NICETUS Syrus, Imperátore Marco Aurélio, Antonino, præfuit Ecclésiæ. Decrévit, ne clérici comam nutrent. Quinquies mense Decémbri ordinávit Presbyteros decem et septem, Diáconos quátuor, Episcopos per diversa loca novem. Vixit in Pontificátu annos octo, menses octo, dies viginti quátuor. Propter

Christi fidem martyrio coronatus, sepultus est via Appia in cœmetério, quod postea Callisti appellatum est, decimoquinto kalendas máias.

Te Deum laudamus, 18.

DIE XXI APRILIS.

in festo

**SANCTI ANSELMI,**

episcopi, confessoris et ecclesiæ doctoris.

( DUPLEX. )

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis, lxviii, præter sequentia.*

*In utrisque Vesperis ad Magnificat, Antiphona.*

O Doctor optime, Ecclesiæ sancte lumen, beate Anselme, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei. Alleluia.

ORATIO.

DEUS, qui populo tuo æternæ salutis beatum Anselmum ministrum tribuisti, præsta, quæsumus, ut, quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dñm.

*In primo Nocturno, Lectiones Sapientiam omnium antiquorum, ut in Communi Doctorum, lxxxiv.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

ANSELMUS Augustæ Prætorie in finibus Italiæ, Gundulpho, et Ermembërga, nobilibus et Catholicis parénti-

bus natus, a teneris annis assiduo litterarum studio, atque perfectioris vitæ desiderio, non obscurum futuræ sanctitatis, et doctrinæ specimen dedit. Et licet juvenili ardore aliquando ad sæculi illécebras traheretur, brevi tamen in pristinam viam revocatus, patria, et bonis omnibus derelictis, ad monastérium Beccense, Ordinis sancti Benedicti se contulit: ubi emissa regulari professione sub Herluino Abbate observantissimo, et Lanfranco viro doctissimo, tanto animi fervore, et jugi studio in litteris, et virtutibus assequendis profecit, ut mirum in modum tamquam sanctitatis et doctrinæ exemplar ab omnibus haberetur.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia.

Y. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei.

Manus enim.

LECTIO V.

ABSTINENTIE, et continentie tantæ fuit, ut assiduitate jejunii omnis pene ciborum sensus in eo videretur extinctus. Diurno enim tempore in exercitiis monasticis docendo, et respondendo variis de religione quæsitis, emenso, quod reliquum erat noctis, somno subtrahébat,



ut divinis meditationibus, quas perenni lacrymarum imbre fovébat, mentem recreáret. Eléctus in Priórem monastérii, invidos fratres ita charitáte, humilitáte, et prudentia lenívit, ut, quos æmulos accéperat, sibi, et Deo amicos, máximo cum reguláris observántiæ emoluménto rédderet. Mórtuo Abbáte, et in ejus locum (libet invítus) sufféctus, tanta doctrinæ et sanctitátis fama ubique refúlsit, ut non modo Régibus, et Episcopis veneratióni esset, sed sancto Gregório séptimo étiam accéptus, qui tunc magnis persecutióibus agítatus, litteras amoris plenas ad eum dedit, quibus se, et Ecclesiám Cathólicam ejus oratióibus commendábat.

R. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. Alleluia.

Y. Inveni David sérvum meum, óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

#### LECTIO VI.

**DEFUNCTO** Lanfráncó Archiepiscopo Cantuariénsi, ejus olim præceptóre, Anselmus úrgente Willélmo Angliæ rege, et instántibus clero ac pópulo, ipso tamen repugnante, ad ejúsdem Ecclesiæ régimen vocátus, statim (ut corruptos pópuli mo-

res reformáret) verbo et exémplo prius, dein scriptis, et Concíliis celebrátis, pristinam pietátem, et Ecclesiásticam disciplinam redúxit. Sed cum mox idem Willélmus rex vi, et minis Ecclesiæ jura usurpáre tentásset, ipse sacerdotáli constántia réstitit, honorúmque direptiónem, et exílium passus, Romam ad Urbánum secúndum se cóntulit: a quo honorífice excéptus, et summis láudibus ornátus est, cum in Barénsi Concílio Spíritum Sanctum étiam a Filio procedéntem contra Græcórum errórem innúmeris Scripturárum et sanctórum Patrum testimoniis propugnásset. E vivis Willélmo sublato, ab Henrico rege ejus fratre in Angliam revocátus, obdormívit in Dómino, famam non solum miraculórum, et sanctitátis (præcipue ob insignem devotiónem erga Dómini nostri Passiónem, et beátam Virginem ejus Matrem) assecútus, sed étiam doctrinæ, quam ad defensiónem Christiánæ religiónis, animárum profectum, et ómnium Theologórum, qui sacras litteras scholástica méthodo tradidérunt, normam cœlitus hausisse ex ejus libris ómnibus appáret.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse inter-



cédât pro peccatis ómnium populórum. Allelúia.

Ÿ. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.

Ipse intercédât.

Glória Patri.

Ipse intercédât.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangélíi secundum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 5.]

In illo témpore, Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et reliqua.

Homília sancti Hilárii Episcopi.

[Comment. in Matth. can. 4.]

Vos estis sal terræ: quod si sal infatuátum fúerit, ad nihilum valet id quod saliétur. Sal, ut árbitor, terræ nullum est. Quómodo ergo Apóstolos sal terræ nuncupávit? Sed proprietas est quærénda dictórum, quam et Apóstolorum officium, et ipsius salis natúra monstrábit. Sal est in se uno cóntinens aquæ et ignis eleméntum, et hoc ex duóbus est unum.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronávit eum. Allelúia.

Ÿ. Induit eum Dóminus

loricam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

LECTIO VIII.

Hic igitur in omnem usum humáni géneris effectus, incorruptiónem corpóribus, quibus fúerit aspérsus, impértit, et ad omnem sensum conditi sapóris aptissimus est. Apóstoli autem sunt rerum coeléstium prædicatóres, et æternitátis velut satóres, immortalitatem ómnibus corpóribus, quibus eórum sermo aspérsus fúerit, conferéntes. Mérito igitur sal terræ nuncupáti sunt, per doctrínæ virtútem saliéndi modo æternitáti córpora reservántes.

R. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, \* Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus. Allelúia.

Ÿ. Jucunditatem et exultationem thesaurizávit super eum.

Et implévit.

Glória Patri.

Et implévit.

LECTIO IX.

Sed natúra salis semper eadem est, nec immutári unquam potest. Verum quia conversióni homo súbjacet, et solus beátus, qui usque ad finem in ómnibus Dei opéribus permánserit: et ideo eos sal terræ nuncupátos monet in tráditæ sibi potestátis virtúte persistere, ne infatuáti nihil sáliant, et ipsi, sensu

accepti saporis amisso ; vivificare corrupta non possint, et projecti de Ecclesiæ promptuariis, cum his, quos salierint, pedibus incedentium proterantur.

Te Deum laudamus, 18.

*In secundis Vesperis fit commemoratio sequentis.*

~~~~~

DIE XXII APRILIS.

in festo

SS. SOTERIS ET CAII,  
pontificum et martyrum.

( SEMIDUPLEX. )

*Antiphona.*

Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et æternitas téporum. Allelúia.

✠. Sancti et justi, in Dómino gaudete. Allelúia.

℟. Vos elégit Deus in hæreditatem sibi. Allelúia.

ORATIO.

BEATORUM mártýrum, pariterque Pontificum Sotéris et Cáii, nos, quæsumus, Dómine, festa tueántur: et eórum coméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

SOTER, Fundis in Campánia natus, sancivit, ne sacraé vírgines vasa sacra et pallas attingerent, neve thuris ministério in Ecclesiá uteréntur.

m státuit, ut Christi cor-

pus in Cœna Dómini sumeretur ab ómnibus, iis excéptis, qui propter grave peccátum id fácere proliberéntur. Sed in Pontificátu annos tres, menses úndecim, dies decem et octo: martyrio coronátur sub Marco Aurélio Imperatóre, et in cœmetério, quod póstea Callisti dictum est, sepelitur, more majórum, mense decémbri creatis Presbyteris decem et octo, Diáconis novem, Episcopis per diversa loca úndecim.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et æternitas téporum. Allelúia, allelúia.

✠. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exultatióem obtinebunt.

Et æternitas.

LECTIO V.

CAIUS Dálmata, ex genere Diocletiáni Imperatóris, constituit, ut his Ordinum et honórum grádibus in Ecclesiá ad Episcopátum ascenderetur, Ostiárii, Lectóris, Exorcístæ, Acólyti, Subdiáconi, Diáconi, Presbyteri. Hic Diocletiáni crudelitatem in Christiános fúgiens, aliquámdiu in spelúnca delituit: verum octo post annis una cum Gabino fratre martyrii coronam consecútus est, cum sedisset annos duodecim, menses quátuor, dies quinque, creatis mense de-

cémbri Presbyteris viginti-quinque, Diáconis octo, Episcopis quinque. Sepúltus est in cœmetério Callisti, décimo kaléndas máii. Ejus memóriam Urbánus octávus in Urbe renovávit, dirutam Ecclesiám restítuit; Titulo, Statioe, et ipsius reliquiis decorávit.

℞. In servis suis. Allelúia.

\* Consolábitur Deus. Allelúia.

Ÿ. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis.

Consolábitur.

Sermo Sancti Ambrósii Episcopi.

#### LECTIO VI.

[Serm. 22.]

DIGNUM et cóngruum est, fratres, ut post lætitiám Paschæ, quam in Ecclesiá celebrávimus, gáudia nostra cum sanctis Martyribus conferámus: et iis annuntiémus Dominicæ resurrectionis glóriam, qui consórtes sunt Dominicæ passióis. Qui enim sócii sunt contumeliæ, debent et participes esse lætitiæ. Ita enim dicit beátus Apóstolus: Sicut sócii passiónum estis, et resurrectionis éritis: si tolerábitis, inquit, et conregnábitis. Qui ergo toleravérunt mala propter Christum, debent et glóriam habére cum Christo.

℞. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártýres cum corónis, quibus coronávit eos

Dóminus, \* In die solemnitatís et lætitiæ. Allelúia.

Ÿ. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit filios tuos in te.

In die.

Glória Patri.

In die.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Ego sum vitis, vos pálmities, de communi Martyrum, tempore Paschali, l.*

*In secundis Vesperis fit a Capitulo de sequenti, commemoratio præcedentis.*

\* DIE XXIII APRILIS.

in festo

S. GEORGII, MARTYRIS.

(SEMIDUPLEX.)

*Omnia de Communi Martyris, tempore Paschali, xlj, præter Orationem.*

ORATIO.

DEUS, qui nos beáti Geórgii mártýris tui méritis et intercessióne lætíficas, concéde propítius ut, qui tua per eum beneficia póscimus, dono tuæ grátie consequámur. Per Dóminum.

*Deinde fit commemoratio Sanctorum Soteris et Caii.*

*Antiphona.*

Sancti et justi, in Dómino gaudéte. Allelúia. Vos elégit Deus in hæreditátem sibi. Allelúia.

Ÿ. Pretiósa in conspéctu Dómini. Allelúia.

R. Mors sanctorum ejus.  
Alleluia.

*Oratio* Beatorum martyrum, ut supra, 572.

*In primo Nocturno, Lektionen de Scriptura occurrente.*

*In secundo nocturno, Lektionen de Epistola Sancti Cypriani Episcopi et martyris. Quibus ego vos, de Communi Martyrum tempore Paschali, xlvij.*

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Ego sum vitis vera, de Communi Martyrum tempore Paschali, xlv.*

*Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis.*

~~~~~

DIE XXIV APRILIS.

in festo

S. FIDELIS A SIMARINGA,  
martyris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Martyris tempore Paschali, xli, praeter sequentia.*

ORATIO.

DEUS, qui beatum Fidelem, Seraphico spiritus ardore succensum, in verae fidei propagatione martyrii palma et gloriosis miraculis decorare dignatus es, ejus, quaesumus, meritis et intercessionem, ita nos per gratiam tuam in fide et charitate confirma; ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum.

*Deinde fit commemoratio sancti Georgii.*

*Antiphona.*

Sancti et just, in Domino gaudete. Alleluia. Vos elegit Deus in hereditatem sibi. Alleluia.

†. Pretiosa in conspectu Domini. Alleluia.

R. Mors sanctorum ejus. Alleluia.

*Oratio* Deus, qui nos beati, ut supra, 573.

*In primo Nocturno, Lektionen de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

FIDELIS in oppido Sueviae Sigmaringa ex honesta Reyorum familia natus, ab ineunte aetate singularibus naturae, et gratiae donis ornatus praefulsit. Egregiam quippe sortitus indolem, morumque optima imbutus disciplina, dum Friburgi Philosophiae, et juris utriusque lauream emeruit, in schola etiam Christi ad perfectionis apicem sedulo virtutum exercitio contendere coepit. Nobilium exinde Virorum, varias Europae provincias lustrantium comes adscitus, eos ad christianam pietatem sectandam tam verbis quam operibus excitare non destitit. Quinimo in eodem itinere crebris austeritatibus desideria carnis mortificare, ac ita seipsum regere studuit, ut in tanta rerum



vicissitudine nullo unquam visus fúerit iræ motu perturbári. Juris præterea, et justitiæ strénuus propugnátor, post réditum in Germániam célebre sibi nomen acquisivit in Advocáti múnere: in quo tamen, cum Fori pericula esset expértus, tutiorem æternæ salutis viam ingredi deliberávit, et supérna vocatióne illustrátus, paulo post Ordini Seráphico inter Fratres Minóres Capucinos adscribi pétiit.

R. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et æternitas témporum. Allelúia, allelúia.

Y. Lætitia sempiterna erit super cápita eórum: gáudium et exultatióem obtinebunt.

Et æternitas.

#### LECTIO V.

PIE petitiónis compos réditus, mundi, suique contemptor insignis in ipso statim tyrocínio, magisque cum solémnis professiōis vota in gáudio spíritus Dómino nuncupáset, in regulári observántia ómnibus admiratióni fuit, ac exémplo. Oratióni máxime, et sacris litteris vacans, in verbi quoque ministerio singulári grátia excéllens, nedum Cathólicos ad meliorem frugem, verum étiam Heterodóxos ad veritátis cognitióem attráxit. Plúribus in locis cœnóbii

præfèctus constitútus, prudentia, justitia, mansuetudine, discretiōe et humilitátis laude, munus sibi demandátum exércuit. Arc-tíssimæ paupertátis zelátor egrégus, quidquid vel minus necessárium viderétur, e cœnóbio pénitus eliminávit. Inter austéra jejúnia, vigílias, et flagélla salutári seípsum prósequens ódio, in álios amórem, quasi mater in filios, osténdit. Cum pestífera febris Austriacas militáres cópias dire affligeret, ipse in extrémis infirmórum indigéntiis ad assidua charitátis officia toto spíritu incúbuit. In componéndis étiam animorum dissidiis, aliisque próximi necessitatibus sublevándis, consilio, et ópere ádeo præcláre se gessit, ut pater pátriæ meruerit appellári.

R. In servis suis. Allelúia.\* Consolábitur Deus. Allelúia.

Y. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis.

Consolábitur.

#### LECTIO VI.

DEIPARÆ Virginitis, et Rosárii cultor exímus, illius præcipue, aliorúmque Sanctórum patrocíniis a Deo postulávit, ut in Cathólicæ fidei obséquium, vitam sibi et sánguinem fúndere liceret. Cumque ardens hoc desidérium in quotidiana Sacri

devóta celebratióne magis accenderétur, mira Dei providéntia factum est, ut fortis Christi athléta Præses eligerétur illárum Missiónum, quas Congregatio de Propagánda Fide pro Rhætia tunc témporis institúerat. Quod árduum munus prompto hilarique ánimo suscépiens, tanto fervóre executus est, ut plúribus hæréticis ad Orthodoxam fidem convérsis, spes non módica effúlserit totius illius gentis Ecclesiæ et Christo reconciliándæ. Prophetiæ dono præditus, futúras Rhætiæ calamitátes, suique necem ab hæréticis inferéndam sæpius prædixit. Postquam vero insidiárum probe cónciliarius, impendénti agóni se præparásset, die vigesimaquárta aprilis anno millésimo sexcentésimo vigesimo secúndo ad Ecclesiám loci, Sevisium nuncupáti, se cóntulit : ubi ab hæréticis, qui pridie conversiónem simulántes, eum dolóse ad prædicándum invitáverant, concióné tumultuárie interrúpta, per vérbera et vúlnera eidem crudéliter inflicta, gloriósam mortem magno et álacri corde perpéssus, primitias Mártýrum memorátæ Congregatiónis próprio ságuine consecrávit : plúribus signis et miráculis exinde clarus, præsertim Cúriæ, et Veldkírchii, ubi

summa pópuli veneratióne illius reliquiæ asservántur.

R. Filiæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártýres cum coronis, quibus coronávit eos Dóminus, \* In die solemnitátis et lætitiæ. Allelúia.

V. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedixit filios tuos in te.

In die.

Glória Patri.

In die.

*In tertio Nocturno, Homilia sancti Augustini Episcopi in Evangelium Ego sum vitis vera, de Communi Mártýrum tempore Paschali, xlv.*

*Vesperæ de sequenti, commemoratio præcedentis.*

~~~~~

DIE XXV APRILIS.

IN FESTO S. MARCI,  
evangelistæ.

( DUPLEX SECUNDÆ CLASSIS. )

*Omnia de Communi Apostolorum tempore Paschali, xxij, præter ea quæ hic assignantur.*

ORATIO.

DEUS, qui beátum Marcum Evangelistam tuum Evangelicæ prædicatiónis grátia sublimásti, tribue, quæsumus, ejus nos semper et eruditióné proficere, et oratióne deféndi. Per Dóminum nostrum.

*Deinde fit commemoratio sancti Fidelis a Sigmaringa.*

*Antiphona.*

Sancti et justī, in Dómino  
gaudete. Allelúia. Vos elégit  
Deus in hæreditátem sibi. Al-  
lelúia.

Ÿ. Pretiósā in conspéctu  
Dómini. Allelúia.

℞. Mors sanctórum ejus.  
Allelúia.

*Oratio* Deus, qui beátum  
Fidélem, *ut supra*, 574.

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit liber Ezechiélis  
Prophétæ.

## LECTIO I.

[Cap. 1.]

ET factum est in trigésimo  
anno, in quarto, in quinta  
mensis, cum essem in médio  
captivórum juxta flúvium  
Chobar, apérti sunt coeli, et  
vidi visiones Dei. In quinta  
mensis, ipse est annus quin-  
tus transmigratiónis regis  
Ióachim, factum est verbum  
Dómini ad Ezechiélem filium  
Buzi, sacerdotem in terra  
Chaldæórum, secus flumen  
Chobar: et facta est super  
eum ibi manus Dómini. Et  
vidi, et ecce ventus túrbis  
veniébat ab Aquilóne: et nu-  
bes magna, et ignis invól-  
vens, et spléndor in circúitu  
ejus: et de médio ejus quasi  
spécies eléctri, id est, de  
nédio ignis.

℞. Beátus vir qui méruit  
Dóminum. Allelúia. \* In man-  
dátis ejus cupit nimis. Al-  
lelúia, allelúia, allelúia.

Ÿ. Glória et divitiæ in

domo ejus, et justitia ejus  
manet in sæculum sæculi.

In mandátis.

## LECTIO II.

ET in médio ejus similitúdo  
quátuor animálum: et hic  
aspéctus eórum, similitúdo  
hóminis in eis. Quátuor fá-  
cies uni, et quátuor pennæ  
uni. Pedes eórum pedes recti,  
et planta pedis eórum quasi  
planta pedis vituli, et scin-  
tillæ quasi aspéctus æris can-  
déntis. Et manus hóminis sub  
pennis eórum in quátuor  
pártibus: et fácies, et pen-  
nas per quátuor partes habé-  
bant. Junctæque erant pennæ  
eórum altérius ad álterum.  
Non revertébantur cum in-  
céderent: sed unumquódque  
ante fáciem suam gradie-  
bátur.

℞. Tristitia vestra. Alle-  
lúia. \* Convertétur in gáu-  
dium. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Mundus autem gau-  
débit, vos vero contristabi-  
mini, sed tristitia vestra.

Convertétur.

## LECTIO III.

SIMILITUDO autem vultus  
eórum: fácies hóminis, et  
fácies leónis a dextris ipsó-  
rum quátuor: fácies autem  
bovis a sinístris ipsórum  
quátuor, et fácies áquilæ de-  
super ipsórum quátuor. Fá-  
cies eórum, et pennæ eórum  
exténtæ désuper; duæ pen-  
næ singulórum jungebántur,  
et duæ tegébant cörpera

eórum; et unumquodque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertébántur cum ambulárent.

℞. Pretiósá in conspéctu Dómini. Allelúia. \* Mors sanctórum ejus. Allelúia.

℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum, unum ex his non conterétur.

Mors sanctórum.

Glória Patri.

Mors sanctórum.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Ecclesiásticis.

LECTIO IV.

MARCUS discipulus et intérpres Petri, juxta quod Petrum referéntem audierat, rogátus Romæ a frátribus, breve scripsit Evangélium. Quod cum Petrus audisset, et probávit, et Ecclésiæ legéndum sua auctoritaté dedit. Assúmpto itaque Evangélio quod ipse confecerat, perréxit in Ægyptum, et primus Alexándriæ Christum annúntians, constituit Ecclésiám tanta doctrína et vitæ continéntia, ut omnes sectatóres Christi ad exemplum sui cógeret.

℞. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et ætérnitas téporum. Allelúia, allelúia.

℣. Lætítia sempitérna erit

super cápita eórum: gáudium et exultatióem obtinébunt.

Et ætérnitas.

LECTIO V.

DENIQUE Philo, disertissimus Judæórum, videns Alexándriæ primam Ecclésiám adhuc judaizántem, quasi in laudem gentis suæ librum super eórum conversatióne scripsit. Et quómodo Lucas narrat Jerosólymæ credéntes ómnia habuisse commúnia: sic et ille, quod Alexándriæ sub Marco fieri doctóre cernébat, memóriæ trádedit. Mórtuus est autem octávo Nerónis anno, et sepúltus Alexándriæ, succedénte sibi Aniáno.

℞. Virtúte magna reddebant Apóstoli \* Testimónium resurrectionis Jesu Christi Dómini nostri. Allelúia, allelúia.

℣. Repléti quidem Spíritu Sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei.

Testimónium.

De Expositiõe sancti Gregórii Papæ super Ezechiélem Prophétam.

LECTIO VI.

[ Homilia 3, liber 1. ]

SANCTA quátuor animália, quæ prophetiæ spíritu futura prævidéntur, súbtile narratiõe describúntur, cum dicitur: Quátuor fácies uni, et quátuor pennæ uni. Quid per fáciem, nisi notítia; et



quid per pennas, nisi volatus exprimitur? Per faciē quippe unusquisque cognoscitur; per pennas vero in altum avium corpora sublevantur. Facies itaque ad fidem pertinet, penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipotēti Deo cognoscimur, sicut ipse de suis ovibus dicit: Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae. Qui rursus ait: Ego scio quos elegerim. Per contemplationem vero, qua super nosmetipsos tollimur, quasi in aera levamur.

R. Isti sunt agni novelli, qui annuntiaverunt. Alleluia. Modo venerunt ad fontes, \* Repleti sunt claritate. Alleluia, alleluia.

Y. In conspectu Agni amicti sunt stolis albis, et palmæ in manibus eorum.

Repleti sunt.

Glória Patri.

Repleti sunt.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII.

[Cap. 10.]

In illo tempore, Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Homilia 17. in Evangelia.]

**D**OMINUS et Salvator noster, fratres charissimi, aliquādo nos sermonibus, aliquādo vero operibus admonet. Ipsa etenim facta ejus, præcepta sunt: quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. Ecce enim binos in prædicationem discipulos mittit: quia duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, et proximi: et minus, quam inter duos charitas haberi non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur: sed dilectio in alterum tendit, ut charitas esse possit.

R. Ego sum vitis vera, et vos palmites: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Alleluia, alleluia.

Y. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.

Qui manet.

LECTIO VIII.

**E**CCE enim binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit: quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia, qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. Bene autem dicitur, quia misit eos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Prædicatores enim suos Dó-

minus séquitur : quia prædicatio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitaculum Dóminus venit, quando verba exhortationis præcúrrunt : atque per hoc véritas in mente suscipitur.

R. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus. Allelúia. Splendórem Deo dedérunt. Allelúia : \* Et sicut lac coagúlati sunt. Allelúia, allelúia.

✠. Cándidióres nive, nitióres lacte, rubicundióres ébore antiquo, sapphiro pulchrióres.

Et sicut.

Glória Patri.

Et sicut.

#### LECTIO IX.

**H**INC namque eisdem prædicatiónibus Isaías dicit : Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas Dei nostri. Hinc filiis Psalmista ait : Iter fácite ei qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit ; quia unde in passióne occubuit ; inde majórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum videlicet ascéndit ; quia mortem, quam pertulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo, qui ascéndit super occásum, iter fácimus, cum nos ejus glóriam vestris méntibus prædicámus : ut eas et ipse post véniens, per amoris sui præsentiam illústret.

Te Deum laudámus, 18.

Hodie qui non intersunt

*processioni Litaniarum, dicant illa, privatim post Matutinum cum suis Precibus, et Orationibus, sine Psalmis Pœnitentialibus, etiam si hoc Festum transferatur in aliam diem.*

*Si Litanie majores occurrant in die Paschatis, transferantur in Feriam tertiam sequentem.*

*In secundis Vesperis fit commemoratio Festi sequentis.*

~~~~~

#### DIE XXVI APRILIS.

in festo

SS. CLETI ET MARCELLINI,  
pontificum et martyrum.

( SEMIDUPLEX. )

#### Antiphona.

Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et æternitas témporum. Allelúia.

✠. Sancti et justi, in Dómino gaudéte. Allelúia.

R. Vos elégit Deus, in hæreditátem sibi. Allelúia.

#### ORATIO.

**B**EATORUM mártýrum, paritérque Pontificum Cleti et Marcellini, nos, Dómine, foveat pretiósa conféssio : et pia júgiter intercessio tueátur. Per Dóminum.

*Si hoc Festum celebretur Feria secunda Rogationum, Lectiones primi Nocturni sumuntur ex Comuni plurimorum Martyrum extratempus Paschale, ut infra, l],*

et nona Lectio legitur de Homilia Feriæ.

*Similiter si aliquod ex sequentibus Festis occurrat dicta Feria secunda, aut in Vigilia Ascensionis, in primo Nocturno leguntur Lectiones quæ habentur in Communi illius Sancti extra tempus Paschale, nisi propriæ Assignentur, vel ponendum sit initium alicujus Epistolæ præcedentis Dominicæ, quod omissum est ob aliud Festum in ea celebratum, in quo propriæ Lectiones assignatæ sunt.*

## IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

CLETUS Románus, patre Emiliáno, de regione quinta, e vico Patrício, Imperatóribus Vespasiáno et Tito Ecclesiám gubernávit. Is ex præcepto Principis Apostolorum in Urbe vigintiquinque Presbyteros ordinávit. Primus, in litteris verbis illis usus est: Salútem et Apostólicam benedictiónem. Qui, Ecclesiá óptime constitúta, cum ei præfuisset annos duódecim, menses septem, dies duos, Domitiáno Imperátore, secunda post Nerónem persecutióne, martyrio coronátus est, et in Vaticáno juxta corpus beáti Petri sepúltus.

R. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et

æternitas témporum. Allelúia, allelúia.

V. Lætitia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exultatióem obtinébunt.

Et æternitas.

## LECTIO V.

MARCELLINUS Románus in immáni illa Diocletiáni Imperatóris persecutióne terrore pertérritus, deórum simulácris thus adhibuit: cujus peccáti mox illum tantóperere pœnituit, ut Sinuésam ad Concílium plurimórum Episcopórum vénerit cilicio indútus, ubi lácrymis profúsis scelus suum palam conféssus est. Quem tamen damnáre ausus est nemo, sed omnes una voce clamárun: Tuo te ore, non nostro iudicio júdica: nam prima Sedes a némine judicátur. Petrum quoque propter eámdem ánimí infirmitátem deliquisse, et a Deo similibus lácrymis véniam impetrásse.

R. In servis suis. Allelúia.  
\* Consolábitur Deus. Allelúia.

V. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur.

## LECTIO VI.

MARCELLINUS Romam re-vérsus, Imperátorem adit, gráviter eum accúsans, quod se ad tantam impietátem impulsisset. Quamóbrem ille Marcellinum una cum tribus aliis Christiánis, Cláudio,

Cyrino et Antonino, cápite plecti jubet. Quorum proyecta cörpera cum triginta sex dies jussu Imperatoris sepultura caruissent, beatus Marcéllus a sancto Petro in somnis admónitus, Presbyteris et Diáconis, hymnis, ac luminibus adhibitis, honorífice sepelienda curávit in cœmetério Priscillæ, via Salária. Rexit Ecclesiám annos septem, menses undecim, dies viginti tres: quo tempore fecit Ordinationes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros quatuor, Episcopos per diversa loca quinque.

R. Filiæ Jerúsalem, venite et videte Mátyres cum coronis, quibus coronávit eos Dóminus, \* In die solemnitatis et lætitiæ. Alleluia.

✠. Quóniam confortávit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te.

In die.

Glória Patri.

In die.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Ego sum vitis, vos pálmities, de Communi Martyrum tempore Paschali, I.*

DIE XXVIII APRILIS.

IN FESTO S. VITALIS,  
martyris.

ORATIO.

PRÆSTA, quæsumus, omni-

potens Deus, ut, qui beati Vitális mátyris tui natalitia cólimus. intercessióne ejus in tui nóminis amore roborémur. Per Dóminum.

LECTIO III.

VITALIS miles, sanctorum Gervásii et Protásii pater, una cum Paulino júdice Ravennam ingrèssus, cum vidisset Ursicinum medicum ob Christiánæ fidei confessionem ductum ad supplicium, páculum in tormentis titubare, exclamávit: Ursicine medice, qui álios curare sólitus es, cave ne te mortis æternæ jáculo conficias. Qua voce confirmátus Ursicinus, martyrium fórtiter subívit. Quare Paulinus incénsus, Vitálem comprehendí jubet, et equuleo tortum, atque in profundam fóveam demersum, lapidibus óbrui. Quo facto quidam Apóllinis sacerdos, qui Paulinum in Vitálem incitárat, opprèssus a dæmone, clamare cœpit: Tu me nimium, Vitális Christi martyr, incéndis: et illo æstu jactátus, se præcipitávit in flumen.

Te Deum laudámus, 18.

DIE XXIX APRILIS.

IN FESTO S. PETRI,  
martyris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Mar-*



*tyrum tempore Paschali, xlj, præter sequentia.*

## ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beāti Petri mártiris tui fidem cógrua devotíone sectémur, qui pro ejúsdem fidei dilatatióne, martyrii palmam méruit obtinére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

## IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

**P**ETRUS, Verónæ paréntibus Manichæórum hæresi inféc-tis natus, ab ipsa pene infántia contra hæreses pugnávit. Puer annórum septem, cum scholas frequentáret, aliquándo a pátruo hæretico interrogátus, quid tandem in iis didicisset; Christiánæ fidei Symbolum se didicisse respóndit, neque ullis unquam patris, patruive blandítiis, aut minis, a fidei constántia dimoveri pótuit. Adoléscens Bonóniam studiórum causa venit: ubi a Spíritu Sancto ad sublimiórís vitæ formam vocátus, Ordinis Prædicatórum institútum suscepit.

R). Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et ætérnitas téporum. Alleluia, alleluia.

Y). Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium

et exultatiónem obtinébunt. Et ætérnitas.

## LECTIO V.

**M**AGNO virtútum splendóre in religióne elúxit: corpus et ánimum ab omni impuritáte ita custodivit, ut nullius mortíferi peccáti labe se inquinátum umquam senserit. Carnem jejúniis et vigíliis macerábat: mentem divinis contemplatióibus exercébat. In salúte animárum procuránda assidue versabátur: peculiáris grátiae dono hæreticos ácritè confutábat. Tantam in concionádo vim hábuit, ut innumerábilis hóminum multitúdo ad eum audiéndum conflúeret, multique ad pœniténtiam converteréntur.

R). In servis suis. Alleluia.  
\* Consolábitur Deus. Alleluia.

Y). Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis.

Consolábitur.

## LECTIO VII.

**T**ANTO fidei ardóre incénsus erat, ut pro ea mortem subíre optáret, eamque a Deo grátiam enixe precarétur. Itaque hæretici necem, quam his paulo ante concionádo prædixerat, illi intulérunt. Nam cum sanctæ Inquisitiónis munus géreret, illum Como Mediolánum redeúntem, impius sicárius semel atque itérum in cápite gládio

vulneravit: jamque penem mortuus, Symbolum fidei, quam infans virili fortitudine confessus fuerat, in ipso supremo spiritu pronuntiavit; iterumque latera mucrone transverberatus, ad martyrii palmam migravit in cœlum, anno salutis millésimo ducentésimo quinquagésimo secundo: quem multis illustrem miraculis Innocéntius Quartus anno sequenti sanctorum Martyrum número adscripsit.

R. Filiae Jerúsalem, venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus, \* In die sollemnitate et lætitiæ. Alleluia.

V. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te.

In die.

Glória Patri.

In die.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Ego sum vitis vera, ut in Communi Martyrum tempore Paschali, xlv.*

*In secundis Vesperis a Capitulo fit de Sancta Catharina, cum commemoratione Sancti Petri.*

~~~~~

DIE XXX APRILIS.

in festo

S. CATHARINÆ SENENSIS,  
virginis.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Virgi-*

*num, cvij, præter sequentia.*

ORATIO.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui beatæ Catharinæ virginis tuæ natalitia colimus, et annua sollemnitate lætemur, et tantæ virtutis proficiamus exemplo. Per Dominum.

*Deinde fit commemoratio Sancti Petri.*

*Antiphona.*

Sancti et just, in Domino gaudete. Alleluia. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi. Alleluia.

V. Pretiosa in conspectu Domini. Alleluia.

R. Mors sanctorum ejus. Alleluia.

*Oratio. Præsta, quæsumus, ut supra, 582.*

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

CATHARINA, virgo Senensis piis orta parentibus, beati Domini habitum, quem Sorores de Pœnitentia gestant, impetravit. Summa ejus fuit abstinencia, et admirabilis vitæ austeritas. Inventa est aliquando a die Cinerum usque ad Ascensionem Domini jejunium perduxisse, sola Eucharistiæ communionē contenta. Luctabatur quam frequentissime cum dæmonibus, multisque illorum molestiis vexabatur:

æstuabat febribus, nec aliorum morborum cruciatu carebat. Magnum et sanctum erat Catharinæ nomen, et undique ad eam ægróti, et malignis vexati spiritibus, deducebantur. Languoribus et febribus in Christi nómine imperabat, et dæmones cogebat ab obséssis abire corporibus.

℞. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. Allelúia.

℣. Spécie tua, et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Et deducet.

## LECTIO V.

Cum Pisis immoraretur, die Dominico refecta cibo cœlesti, et in éxtasim rapta, vidit Dóminum crucifixum magno cum lumine advenientem, et ex ejus vûlnerum cicatricibus quinque rados ad quinque loca sui corporis descendentes: ideoque mystérium advértens, Dóminum precata, ne cicatrices apparerent, continuo rados colorem sanguineum mutaverunt in splendídu, et in formam puræ lucis pervenerunt ad manus, pedes, et cor ejus: ac tantus erat dolor, quem sensibíliter patiebatur, ut nisi Deus minúisset, brevi se créderet moritúram. Hanc itaque grátiam amantis-

simus Dóminus nova grátia cumulávit, ut sentiret dolorem illápsa vi vûlnerum, et cruénta signa non apparerent. Quod ita contigisse cum Dei fámula confessário suo Raymúndo retulisset, ut óculis étiam repræsenteretur, rados in imaginibus beátæ Catharinæ ad dicta quinque loca pertingentes, pia fidélium cura pictis colóribus expréssit.

℞. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Allelúia.

℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam.

Propterea unxit.

## LECTIO VI.

DOCTRINA ejus infúsa, non acquisita fuit: sacrárum literárum professoribus difficillimas de Divinitate quæstiones proponéntibus respóndit. Nemo ad eam accéssit, qui non mélior abierit: multa extinxit ódia, et mortáles sedávit inimicitias. Pro pace Florentinórum, qui cum Ecclesiá dissidébant, et interdicto Ecclesiástico suppositi erant, Aveniônem ad Gregórium undécimum Pontíficem Máximum profecta est: cui étiam votum ejus de peténda Urbe, soli Deo notum, sese divinitus cognovisse monstrávit: deliberávitque Póntifex, ea étiam suadénte, ad Sedem suam Románam

personaliter accédere, quod et fecit. Eídem Gregório, et Urbáno sexto ejus successóri, acceptíssima fuit, ádeo, ut legatíonibus eórum fungerétur. Dénique post innumera virtútum insignia, dono prophetiæ, et plúribus clara miráculis, anno ætátis suæ tertio circiter et trigésimo, migrávit ad Sponsum. Quam Pius secúndus Póntifex Máximus sanctárum Vírginum número adscripsit.

R. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus  
\* Afferéntur tibi in lætítia et exultatíone. Alleluia.

†. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Afferéntur tibi.

Glória Patri.

Afferéntur tibi.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium* Simile erit regnum cœlorum decem virgínibus, *ut in Comuni Virginum, cxx.*

*Vesperæ de sequenti commemoratio præcedentis.*

*Si Festa sequentia occurrerint infra Octavam Ascensionis, ac etiam in Feriam sextam post Octavam prædictam, tunc in fine omnium Hymnorum dummodo Hymni sint ejusdem metri ut Versus sequens, et non habuerint ultimum Versum proprium dicatur :*

Jesu, tibi sit glória,

Qui victor in cœlum redis,  
Cum Patre, et almo Spiritu,  
In sempiterna sæcula.

Amen.

*Et ad primam in responsorio brevi dicitur †. Qui scandis super sidera.*

## FESTA MAII.

DIE I MAII.

in festo

SS. PHILIPPI ET JACOBI,  
apostolorum.

(DUPLEX SECUNDÆ CLASSIS.)

## AD VESPERAS.

*Antiphona* Dómine, ostende nobis, *cum reliquis de Laudibus, 569.*

*Psalmus* Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi, Psalmus* Laudáte Dóminum, omnes gentes, 139.

## CAPITULUM.

[Sap. c. 5.]

STABUNT justí in magna constantia advérsus eos qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum.

## HYMNUS.

TRISTES erant Apóstoli  
De Christi acérbo fúnere,  
Quem morte crudelíssima  
Servi necárant impii.

Sermóne verax Angelus  
Mulieribus prædixerat:  
Mox ore Christus gáudium  
Gregi feret fidélium.

Ad anxios Apóstolos  
Currunt statim dum núntiæ,  
Illæ micántis óbvia  
Christi tenent vestigia.



Galilææ ad alta móntium  
Se cónferunt Apóstoli,  
Jesúque, voti cómpotes,  
Almo beántur lúmine.

Ut sis perénne méntibus  
Paschále, Jesu, gáudium :  
A morte dira criminum  
Vitæ renátos libera.

Deo Patri sit glória,  
Et Fílio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito  
In sempitérna sæcula.

Amen.

Ÿ. Sancti et justi, in Dó-  
mino gaudéte. Allelúia.

Ŗ. Vos elégit Deus in hæ-  
reditátem sibi. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Non turbétur cor vestrum,  
neque formidet : créditis in  
Deum, et in me créдите : in  
domo Patris mei mansiónes  
multæ sunt. Allelúia, alle-  
lúia.

#### ORATIO.

DEUS, qui nos ánnua Após-  
tolórum tuórum Philíppi et  
Jacóbi solemnitáte lætíficas,  
præsta, quæsumus, ut, quo-  
rum gaudémus méritis, ins-  
truámur exémpis. Per Dó-  
minum.

*Et fit Commemoratio  
Sanctæ Catharinæ.*

*Antiphona.*

Veni, sponsa Christi, ác-  
cipe corónam, quam tibi Dó-  
minus præparávit in ætér-  
num. Allelúia.

Ÿ. Diffúsa est grátia in  
lábiiis tuis. Allelúia.

Ŗ. Proptérea benedíxit te

Deus in ætérnum. Allelúia.

*Oratio* Da, quæsumus, ut  
*supra*, 584.

*Ad Matutinum omnia de  
Communi Apostolorum tem-  
pore Paschali, ut infra, xxj,  
exceptis his quæ hic sunt  
propria.*

*In primo Nocturno, si  
tunc temporis non legitur de  
Epistola B. Jacobi, ponitur  
initium ejus Epistolæ ut in  
Dominica quarta post Pas-  
cha, 392.*

*Si autem ea tunc legitur  
ponatur de ea, quod illo die  
contigerit.*

#### IN SECUNDO NOCTURNO.

##### LECTIO IV.

PHILIPPUS Bethsáidæ natus,  
unus ex duódecim Apósto-  
lis, qui primum a Christo  
Dómino vocáti sunt : a quo  
cum accepisset Nathánael,  
venisse Messíam in lege pro-  
missum, ad Dóminum de-  
ductus est. Quam vero Chris-  
tus eum familiáriter adhibé-  
ret, illud fáciie declárat, quod  
Gentiles Salvatórem vidére  
cupiéntes, ad Philíppum ac-  
cessérunt : et Dóminus, cum  
in solitúdine hóminum mul-  
titúdinem páscere vellet, sic  
Philíppum affátus est : Unde  
emémus panes ut mandúcent  
hi ? Is, accépto Spíritu Sanc-  
to, cum ei Scynthia ad præ-  
dicándum Evangélium obti-  
gisset, omnem fere illam gen-  
tem ad Christiánam fidem

convértit. Postrémo cum Hierápolim Phrygiæ venisset, pro Christi nómine cruci affixus, lapidibúsq; óbrutus est, kaléndis maii. Ejus corpus ibidem a Christiánis sepúltum, póstea Romam delátum, in Basilica duódecim Apostolórum una cum corpore beáti Jacóbi Apóstoli cónditum est.

R. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et ætérnitas téporum. Allelúia, allelúia.

V. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exultatióem obtinébunt.

Et ætérnitas.

#### LECTIO V.

JACOBUS, frater Dómini, cognóméto Justus, ab inéunte ætáte vinum et siceram non bibit, carne abstínuít, numquam tonsus est, nec unguénto, nec bálneo usus. Huic uni licébat ingredi in Sancta sanctórum. Idem líneis véstibus utebátur: cui étiam assidúitas orándi ita callum génibus obdúxerat, ut durítie, caméli pellem imitarétur. Eum post Christi ascensióem Apóstoli Jerosolymórum Episcopum creavérunt: ad quem étiam Princeps Apostolórum misit, qui nuntiáret se e cárcere ab Angelo edúctum fuisse. Cum autem in Concílio Jerosólymis controversia esset orta de lege

et circumcisióne: Jacóbus Petri senténtiam secútus, ad fratres hábuit conciónem, in qua vocatióem Géntium probávit: fratribúsq; abséntibus scribéndum esse dixit, ne Géntibus jugum Mosáicæ legis impónerent. De quo et lóquitur Apóstolus ad Gálatas: alium autem Apostolórum vidi néminem, nisi Jacóbum, fratrem Dómini.

R. Virtúte magna reddébant Apóstoli \* Testimónium resurrectiós Jesu Christi Dómini nostri. Allelúia, allelúia.

V. Repléti quidem Spíritu Sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei.

Testimónium.

#### LECTIO VI.

TANTA autem erat Jacóbi vitæ sáncitas, ut fimbriam vestiménti ejus certátim hómines cúperent attingere. Nam is nonaginta sex annos natus, cum triginta annis illi Ecclesiæ sanctissime præfuisset, Christum Dei Filium constantissime prædicans, lapidibus primum appetitur, mox in altissimum templi locum addúctus, inde præcipitátus est. Qui confráctis crúribus, jacens semivívus, manus tendébat ad cælum, Deúmque pro illórum salute deprecabátur his verbis: Ignósce eis, Dómine, quia nesciunt quid faciunt. Qua in

oratione, graviter ejus capite fullonis fuste percusso, animam Deo reddidit, septimo Nerónis anno, et juxta templum, ubi præcipitatus fuerat, sepultus est. Unam scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est.

R. Isti sunt agni novelli, qui annuntiaverunt: Allelúia. Modo venerunt ad fontes, \* Repleti sunt claritate. Allelúia, allelúia.

V. In conspectu Agni immixti sunt stolis albis, et palmæ in manibus eorum.

Repleti sunt.

Glória Patri.

Repleti sunt.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO VII.

[Cap. 14]

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tractatus 67 in Joannem.]

ERIGENDA est nobis, fratres, ad Deum major intentio, ut verba sancti Evangelii, quæ modo in nostris auribus sonuerunt, etiam mente apere utcumque possimus. Ut enim Dominus Jesus: Non turbetur cor vestrum.

Vern.

Creditis in Deum, et in me credite. Ne mortem tanquam homines timerent, et ideo turbarentur, consolatur, eos, etiam se Deum esse contestans. Creditis inquit, in Deum, et in me credite. Consequens est enim, ut si in Deum creditis, et in me credere debeatis: quod non est consequens, si Christus non esset Deus.

R. Ego sum vitis vera, et vos palmites: \* Qui manet in me, et ego in eo; hic fert fructum multum. Allelúia, allelúia.

V. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.

Qui manet in me.

LECTIO VIII.

CREDITIS in Deum, et in eum credite, cui natura est, non rapina, esse æqualem Deo: semetipsum enim exinanivit, non tamen formam Dei amittens, sed formam servi accipiens. Mortem metuitis huic formæ servi: non turbetur cor vestrum; suscitabit illam forma Dei. Sed quid est quod sequitur, In domo Patris mei mansiones multæ sunt: nisi quia sibi metuébant? Unde audire debuerunt: Non turbetur cor vestrum. Quis enim eorum non metuéret, cum Petro dictum esset, fidentióri atque promptióri: Non cantabit gallus, donec ter me neges?

R. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus. Allelúia. Splendorem Deo dedérunt. Allelúia. \* Et sicut lac coagulati sunt. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.

Et sicut.

Glória Patri.

Et sicut.

#### LECTIO IX.

TANQUAM ergo essent ab illo perituri, mérito turbabantur: sed cum audiunt, In domo Patris mei mansiones multæ sunt: si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum: a perturbatione recreantur, certi ac fidéntes, étiam post pericula tentationum, se apud Deum cum Christo esse mansuros: quia etsi álius est álio fortior, álius álio sapiéntior, álius álio jústior, álius álio sánctior: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Nullus eorum alienábitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est mérito.

Te Deum laudámus, 18.

#### AD LAUDES

ET PER HORAS.

#### Antiphona.

Dómine, osténde nobis Patrem, et súfficit nobis. Allelúia.

*Psalmus* Dóminus regnávít, cum reliquis, 19.

#### Antiphona.

Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum. Allelúia.

#### Antiphona.

Tanto témpore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum. Allelúia.

#### Antiphona.

Si cognovissétis me, et Patrem meum útique cognovissétis, et ámodo cognoscétis eum, et vidistis eum. Allelúia, allelúia, allelúia.

#### Antiphona.

Si diligitis me, mandata mea serváte. Allelúia, allelúia, allelúia.

#### CAPITULUM.

[Sap. c. 5.]

STABUNT justí in magna constántia advérsus eos qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum.

#### HYMNUS.

PASCHALE mundo gáudium  
Sol núníat formósior,  
Cum luce fulgéntem nova  
Jesum vident Apóstoli.

In carne Christi vulnere  
Micáre tanquam sidera  
Mirántur, et quidquid vident,  
Testes fidéles prædicant.

Rex, Christe clementissime,  
Tu corda nostra pósito;  
Ut lingua grates débitas  
Tuo repéndat nómini.

Ut sis perénne méntibus  
Paschále, Jesu, gáudium,  
A morte dira criminum



Vitæ renátos libera.

Deo Patri sit glória,  
Et Filio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito  
In sempitérna sæcula.

Amen.

Ÿ. Pretiósá in conspéctu  
Dómini. Allelúia.

℞. Mors sanctórum ejus.  
Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ego sum via, véritas, et  
vita: nemo venit ad Pa-  
trem, nisi per me. Allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui nos ánnua Apos-  
tolórum tuórum Philippi et  
Jacóbi solemnitate lætíficas,  
præsta, quæsumus, ut, quo-  
rum gaudemus méritis, ins-  
truámur exémpis. Per Dó-  
minum.

AD TERTIAM.

*Antiphona* Philippe.

*Capitulum* Stabunt justi,  
*ut supra.*

℞. *breve.* Sancti et justi, in  
Dómino gaudéte. \* Allelúia,  
allelúia. Sancti.

Ÿ. Vos elégit Deus in hæ-  
reditátem sibi.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Sancti.

Ÿ. Lux perpétua lucébit  
sanctis tuis, Dómine. Alle-  
lúia.

℞. Et æternitas témporum.  
Allelúia.

AD SEXTAM.

*Antiphona* Tanto tém-  
pore.

CAPITULUM.

[Sap. c. 5.]

ECCE quómodo computáti  
sunt inter filios Dei, et inter  
sanctos sors illórum est.

℞. *breve.* Lux perpétua lu-  
cébit sanctis tuis, Dómine.  
Allelúia, allelúia. Lux per-  
pétua.

Ÿ. Et æternitas témporum.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Lux perpé-  
tua.

Ÿ. Lætítia sempitérna su-  
per cápita eórum. Allelúia.

℞. Gáudium et exultatió-  
nem obtinébunt. Allelúia.

AD NONAM.

*Antiphona* Si diligitis me.

CAPITULUM.

[Rom. c. 18.]

SCIMUS quóniam diligénti-  
bus Deum ómnia cooperán-  
tur in bonum, iis qui se-  
cúndum propósitum vocáti  
sunt sancti.

℞. *breve.* Lætítia sempi-  
térna super cápita eórum. \*  
Allelúia, allelúia. Lætítia.

Ÿ. Gáudium et exultatió-  
nem obtinébunt.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Lætítia.

Ÿ. Pretiósá in conspéctu  
Dómini. Allelúia.

℞. Mors sanctórum ejus.  
Allelúia.

AD VESPERAS.

*Antiphona* Dómine, os-  
ténde nobis, cum reliquis  
de Laudibus, 590.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis, ut in *Comuni Apostolorum*, xiv.

*Capitulum* Stabunt justi, ut *supra*, 586.

*Hymnus* Tristes erant, ut *supra*, 586.

✠. Pretiósá in conspéctu Dómini. Allelúia.

R. Mors sanctórum ejus. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque petiéritis, fiet vobis. Allelúia, allelúia, allelúia.

*Oratio* Deus, qui nos, ut *supra*, 591.

*Deinde fit commemoratio sancti Athanasii, ut infra.*

~~~~~

DIE II MAII.

IN FESTO

SANCTI ATHANASII,

episcopi et confessoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Comuni Confessoris Pontificis*, lxviij, *præter sequentia*.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Athanási, divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei. Allelúia.

✠. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. Allelúia.

R. Stolum glóriæ induit eum. Allelúia.

ORATIO.

EXAUDI, quæsumus, Dó-

mine, preces nostras, quas in beáti Athanasii Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccá-  
tis. Per Dóminum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

ATHANASIUS Alexandrinus, Cathólicæ religiónis propugnátor acérrimus, ab Alexándro episcopo Alexandrino Diáconus factus est : in cujus locum succéssit, quem étiam ántea secútus fúerat ad Nicænum Concílium, ubi cum Arii impietátem repressisset, tantum ódium Arianórum suscepit, ut ex eo témpore ei insídias molíri nunquam desítterint. Nam coácto ad Tyrum concílio magna ex parte Arianórum Episcopórum, subornárunť muliérculam, quæ accusáret Athanásium, quod hospítio accéptus sibi stuprum per vim intulisset. Introdúctus igitur est Athanásius, et una cum eo Timótheus Presbyter : qui simulans se esse Athanásium, Egóne, inquit, mulier, apud te sum diversátus ? ego te violávi ? Cui illa petulánter : Tu mihi vim attulisti : idque jurejurándo affirmans, Jú-

dicum fidem obtestabatur, ut tantum flagitium vindicarent. Qua cognita fraude, rejecta est mulieris impudentia.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia.

Ÿ. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei.

Manus enim.

#### LECTIO V.

**ARSENIO** quoque Episcopum ab Athanasio interfectum Ariani pervulgarunt : quem dum occulte detinent, manum mortui deferunt in iudicium, ab Athanasio ad usum magicæ artis Arsénio amputatam criminantes. At Arsénus noctu aufugiens, cum se in conspectu totius concilii statuisset, Athanasii inimicorum impudentissimum scelus aperuit. Quod illi nihilominus magicis artibus Athanasii tribuentes, vitæ ejus insidiari non desistebant. Quamobrem in exilium actus, in Gallia apud Treviros exulavit. Gravibus deinceps ac diuturnis sub Constantio Imperatore, Arianorum fautore, tempestatibus jactatus, et incredibiles calamitates perpessus, magnam orbis terræ partem peragravit : ac sæpe e sua Ecclesia ejectus, sæpe etiam in eamdem et Julii Romani Pontificis auctoritate, et Cons-

tantis Imperatoris, Constantii fratris, patrocínio, decretis quoque Concilii Sardicensis, ac Jerosolymitani, restitutus est ; Arianis intérea illi semper infestis : quorum pertinacem iram, et summum vitæ discrimen fugiens, in sicca cisterna quinque annis se abdidit, ejus rei tantum consilio quodam Athanasii amico, qui eum clam sustentabat.

R. Pósuí adjutórium super poténtem, et exaltávi electum de plebe mea : \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia.

Ÿ. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

#### LECTIO VI.

**CONSTANTIO** mortuo, cum Juliánus apóstata, qui ei in Império succéssit, exules Episcopos ad suas Ecclesias redire permisisset, Athanasius Alexandriam reversus, summo honóre excéptus est. Sed non multo post, iisdem Arianis impellentibus, a Juliáno exagitatus, rursus discedere cógitur. Cumque ab ejus satellitibus ad necem conquireretur, qua fugiebat navícula conversá in contrariam fluminis partem, iis, qui se insequébantur, ex industria occúrrit : et quærentibus, quantum inde abéssset Athanasius, respóndit eum non longe abesse : itaque il-

los contrárium tenéntes cursum, effúgit, atque Alexandriam rédiens, ibídem usque ad Juliáni óbitum occúltus permánsit. Qui paulo post Alexandriæ ália exórta tempestáte, quátuor menses in patérno sepúlcro delítuit. Ac dénique ex tot tantisque periculis divinitus eréptus, Alexandriæ mórtuus est in suo léctulo, sub Valénte : cuius vita et mors magnis nobilitáta est miráculis. Multa pie, et ad illustrándam Cathólicam fidem præcláre scripsit, sexque et quadraginta annos in summa témporum varietáte Alexandrinam Ecclesiám sanctissime gubernávit.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum. Allelúia.

✠. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Ipse intercédát.

Glória Patri.

Ipse intercédát.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 10.]

IN illo témpore, Dixit Jesus discipulis suis : Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homilia sancti Athanásii Epíscopi.

[In Apolog de fuga sua.]

IN lege præcéptum erat ut constitueréntur civitátes refugiórum, ut qui quomodúmque ad necem quæreréntur, servári possent. In consummatione porro sæculórum cum advenisset illud ipsum Verbum Patris, quod Móysi ántea locútum fúerat, rursus hoc præcéptum dedit : Cum vos, inquires, persecúti fúerint in civitáte ista, fúgite in áliam. Paulóque post súbjicit : Cum vidéritis illam abominationem desolationis, quæ dicta est per Daniélem Prophétam, consistentem in loco sancto (qui legit, intélligat) tunc qui in in Judæa sunt, fúgiant ad montes : et qui in tecto est, ne descéndat tóllere áliquid de domo sua : et qui in agro est, non revertátur tóllere tunicam suam.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronávit eum. Allelúia.

✠. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

LECTIO VIII.

HÆC cum scirent sancti ejusmodi tenuérunt suæ conversatiónis institútum. Quæ enim nunc præcépit Dómi-



nus, eadem quoque ante suum in carne adventum locutus est in sanctis, et hoc institutum homines ad perfectionem ducit. Nam quod Deus jussit, id omnino faciendum est. Ideoque et ipsum Verbum propter nos homo factum, non indignum putavit, cum quaereretur, quemadmodum et nos abscondere se, et cum persecutionem pateretur, fugere, et insidias declinare: cum autem a se definitum tempus ipse adduxisset, in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, ultro seipsum tradidit insidiantibus.

¶. In medio Ecclesiae aperuit os ejus, \* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus. Alleluia.

✱. Jucunditatem et exultationem thesaurizavit super eum.

Et implevit.

Glória Patri.

Et implevit.

#### LECTIO IX.

AT vero sancti homines cum hanc quoque formam a Salvatore didicissent (ab ipso enim et antea et semper omnes docebantur) adversus persecutores ut legitime certarent, fugiebant, et ab illis quaesiti se abscondebant. Cum enim praestituti sibi a divina providentia temporis finem ignorarent nolabant insidiantibus se temere tradere:

sed contra, cum scirent quod scriptum est in manibus Dei esse hominum sortes, et Dominum mortificare, et vivificare; potius in finem usque perseverabant, circumeuntes, ut ait Apostolus, in melotis et pellis caprinis, egentes, angustiati, in solitudinibus errantes, et in speluncis et cavernis terrae latentes, quoad vel definitum mortis tempus veniret, vel qui tempus ipsum definerat Deus, cum eis loqueretur, et insidiantes cohiberetur, aut certe persecutoribus eos traderet, utcumque illi placuisset.

Te Deum laudamus, 18.

*Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis.*

~~~~~  
DIE III MAIL.

in festo

### INVENTIONIS

SANCTAE CRUCIS.

(DUPLEX SECUNDÆ CLASSIS.)

AD VESPERAS.

*Antiphona* O magnum pietatis opus! *cum reliquis de Laudibus*, 606.

*Psalmus* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica*, 134, *et loco ultimi*, *Psalmus* Laudate Dominum, omnes gentes, 139.

CAPITULUM.

[Philip. c. 2.]

FRATRES, hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei

esset, non rapinam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo.

## HYMNUS.

**V**EXILLA Regis pródeunt:  
Fulget Crucis mystérium,  
Qua vita mortem pértulit,  
Et morte vitam prótulit.

Quæ vulneráta lánceæ  
Mucrónē diro, criminum  
Ut nos laváret sórdibus,  
Manávit unda et sáanguine.

Impléta sunt quæ cóncinit  
David fidéli cármine,  
Dicéndo natióibus:  
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra, et fúlgida,  
Ornáta Regis púrpura,  
Elécta digno stípíte  
Tam sancta membra tángere.

Beáta, cujus bráchiis  
Prétium pepéndit sæculi,  
Statéra facta córporis,  
Tulitque prædam tártari.

O Crux, ave, spes única,  
Paschále quæ fers gáudium,  
Piis adáuge grátiam,  
Reisque dele crimina.

Te, fons salútis, Trínitas,  
Colláudet omnis spíritus:  
Quibus Crucis victóriam  
Largiris, adde præmium.

Amen.

✠. Hoc signum Crucis erit  
in cœlo. Allelúia.

℞. Cum Dóminus ad judi-  
cándum vénerit. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

O Crux, splendídiór cunc-  
tis astris, mundo célebris,  
hominibus multum amábilis,  
sánctior univérsis: quæ sola  
fuisti digna portáre taléntum  
mundi: dulce lignum, dulces  
clavos, dúlcia ferens póndera:  
salva præsentem catérvam in  
tuis hódie láudibus congregá-  
tam. Allelúia, allelúia.

## ORATIO.

**D**EUS, qui in præclára salu-  
tiferæ Crucis Inventióne, pas-  
siónis tuæ mirácula susci-  
tásti, concéde ut vitális ligni  
prétio, æternæ vitæ suffrágia  
consequámur. Qui vivis et  
regnas.

*Deinde fit commemoratio  
S. Athanasii.*

*Antiphona* O Doctor óp-  
time, 592.

✠. Justum dedúxit Dómi-  
nus per vias rectas. Allelúia.

℞. Et osténdit illi regnum  
Dei. Allelúia.

*Oratio* Exáudi, quæsumus,  
Dómine, ut *supra*, 592.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Christum  
Regem crucifixum, Venite,  
adorémus. Allelúia.

*Psalmus* Venite, exulté-  
mus, 2.

## HYMNUS.

**P**ANGE, lingua, gloriósi  
Láuream certáminis,  
Et super Crucis trophæo  
Dic triúmphum nóbilem:

Quáliter Redémptor orbis  
Immolátus vicerit.

De paréntis protoplásti  
Fraude, Factor cóndolens,  
Quando pomi noxiális  
In necem morsu ruit:  
Ipse lignum tunc notávit,  
Damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salutis  
Ordo depopóscerat,  
Multifórmis prodtóris  
Ars ut artem fálleret,  
Et medélam ferret inde  
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri  
Plenitúdo témporis,  
Missus est ab arce Patris  
Natus, orbis Cónditor;  
Atque ventre virgináli  
Carne amíctus pródiit.

Vagit infans inter arcta  
Cónditus præsepia:  
Membra pannis involúta  
Virgo Mater álligat:  
Et Dei manus, pedésque  
Stricta cingit fáschia.

Sempitérna sit beátæ  
Trinitáti glória,  
Æqua Patri, Filióque:  
Par decus Paráclito:  
Unius triníque nomen  
Laudet univérsitas.

Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Invéntæ Crucis festa recó-  
limus, cujus præcónium uni-  
vérsum per orbem micánti  
lúmine fulget. Allelúia.

PSALMUS I.

BEATUS vir, qui non ábiit in  
consílio impiórum, et in via

peccatórum non stetit, \* et  
in cáthedra pestiléntiæ non  
sedit.

Sed in lege Dómini volún-  
tas ejus, \* et in lege ejus me-  
ditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum,  
quod plantátum est secus de-  
cúrsus aquárum, \* quod fruc-  
tum suum dabit in témpore  
suo.

Et fólium ejus non défluet:  
\* et ómnia quæcúmque fáciat,  
prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic:  
sed tanquam pulvis, quem  
prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii  
in iudicio: \* neque peccató-  
res in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus  
viam justórum: \* et iter im-  
piórum períbit.

PSALMUS 2.

QUARE fremuérunt gentes,  
\* et pópuli meditáti sunt iná-  
nia?

Astitérunt reges terræ, et  
príncipes convenérunt in  
unum, \* advérsus Dóminum,  
et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus vincula eó-  
rum: \* et projiciámus a no-  
bis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irri-  
débit eos: \* et Dóminus sub-  
sannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in  
ira sua, \* et in furóre suo  
conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum  
Rex ab eo super Sion mon-

tem sanctum ejus, \* prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me : \* Filius meus es tu, ego hódie genui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, \* et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga férrea, \* et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite : \* erudimini, qui judicátis terram.

Servite Dómino in timóre : \* et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplinam, nequándo irascátur Dóminus, \* et pereátis de via justa.

Cum exáserit in brevi ira ejus, \* beáti omnes qui confidunt in eo.

### PSALMUS 3.

**D**OMINE, quid multiplicati sunt qui tribulant me? \* multi insúrgunt advérsus me.

Multi dicunt animæ meæ : \* Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscepitor meus es, \* glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : \* et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : \* et exurréxi, quia Dóminus suscepit me.

Non timébo millia pópuli circumdántis me : \* exúrge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversátes mihi sine causa : \* dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : \* et super pópulum tuum benedictio tua.

### Antiphona.

Inventæ Crucis festa recólimus, cujus præcónium univérsus per orbem micánti lúmine fulget. Allelúia.

℣. Hoc signum Crucis erit in cælo. Allelúia.

℟. Cum Dóminus ad judicándum vénerit. Allelúia.

Pater noster.

Absolutio Exáudi, Dómine.

℣. Jube, Domne.

Benedictio Benedictione perpétua.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

### LECTIO I.

[Cap. 3.]

**Q**UICUMQUE ex opéribus legis sunt, sub maledicto sunt, Scriptum est enim : Maledictus omnis, qui non permánserit in ómnibus, quæ scripta sunt in Libro legis, ut fáciat ea. Quóniam autem in lege nemo justificáitur apud Deum, manifestum est : quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide, sed, qui fécerit ea, vivet in illis. Christus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum : quia scriptum est : Maledictus omnis, qui pendet in ligno : ut in géntibus benedic-



tio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiámus per fidem.

R. Gloríósum diem sacra venerátur Ecclésia, dum triumphále reserátur lignum : \* In quo Redemptor noster mortis vincula rumpens, cállidum áspidem superávit. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ÿ. In ligno pendens nostræ salutis sémitam Verbum Patris invénit.

In quo Redemptor.

*Benedictio* Unigénitus Dei Filius.

De Epístola ad Philippenses.

#### LECTIO II.

[Cap. 2.]

Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitrátus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanívit formam servi accípiens, in similitudinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetipsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nómine Jesu omne genu flectátur, coeléstium, terréstrium, et infernórum, et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

R. *Cruz* fidélis inter om-

nes arbor una nóbilis, nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine : \* Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustínuit. Allelúia.

Ÿ. Super ómnia ligna cedrórum tu sola excélsior.

Dulce lignum.

*Benedictio* Spiritus Sancti grátia.

De Epístola ad Colossenses.

#### LECTIO III.

[Cap. 2.]

**I**N Christo inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter : et estis in illo repléti, qui est caput omnis principátus, et potestátis : in quo et circumcisi estis circumcisióne non manufácta, in expoliatióne córporis carnis, sed in circumcisióne Christi : consepúlti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operatiónis Dei, qui suscitávit illum a mórtuis. Et vos cum mórtui essétis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificávit cum illo, donans vobis ómnia delicta : delens quod advérsus nos erat chirógraphum decreti, quod erat contrárium nobis, et ipsum tulit de médio, affigens illud cruci : et expólians principátus, et potestátes, tradúxit confidénter, palam triúmphans illos in semetipso.

R. Hæc est arbor digníssima, in paradísi médio situáta, \* In qua salutis auctor

própria morte mortem ómnium superávit. Allelúia, allelúia.

✠. Crux præcellénti decóre fúlgida, quam Heléna Constantini mater concupiscénti ánimo requisivit.

In qua salútis.

Glória Patri.

In qua salútis.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Felix ille triúmphus fit salus ægris, vitæ lignum, mortis remédium. Allelúia.

PSALMUS 4.

**CUM** invocárem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : \* in tribulatione dilatásti mihi.

Miserére mei, \* et exáudi orationem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? \* ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendácium?

Et scitote quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : \* Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascimini, et nolite peccáre : \* quæ dicitis in córdibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificáte sacrificium justitiæ, et speráte in Dómino : \* Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : \* dedisti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini,

et ólei sui \* multiplicáti sunt.

In pace in idipsum \* dormiam, et requiescam :

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe \* constituisti me.

PSALMUS 5.

**V**ERBA mea áuribus percipe, Dómine, \* intéllege clamórem meum.

Inténde voci orationis meæ, \* Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : \* Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane adstábo tibi, et vidébo : \* quóniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus : \* neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitatem ; \* perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Vírum sanguínum et dolósum abominábitur Dóminus : \* ego autem in multitudine misericórdiæ tuæ.

Introibo in domum tuam : \* adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justitia tua : \* propter inimicos meos dirige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum veritas : \* cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis do-

lóse agébant, \* júdica illos, Deus.

Décidant a cogitationibus suis, secúndum multitudinem impietátum eórum expélle eos, \* quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, \* in ætérnum exultábunt; et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, \* quóniam tu benedícis justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ \* coronásti nos.

PSALMUS 8.

**DOMINE**, Dóminus noster, \* quam admirábile est nomen tuum in univérsta terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua \* super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, \* ut destrúas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: \* lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? \* aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum: \* et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pedibus ejus, \* oves et boves univérsas: insuper et pécora campi.

Vólucres cœli, et pisces maris, \* qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, \* quam admirábile est nomen tuum in univérsta terra!

*Antiphona.*

Felix ille triúmphus fit salus ægris, vitæ lignum, mortis remédium. Allelúia.

✠. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi. Allelúia.

R). Quia per Crucem tuam redemísti mundum. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius piétas.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

LECTIO IV.

**P**ost insignem victóriam, quam Constantinus Imperátor, divínitus accépto signo Dominicæ Crucis, ex Maxéntio reportávit, Hélena Constantíni mater in somnis admoníta, conquiréndæ Crucis stúdio Jerosólymam venit: ubi marmóream Véneris státuam in Crucis loco a géntibus collocátam ad tolléndam Christi Dómini passiónis memóriam, post centum circiter octogínta annos everténdam curávit. Quod item fecit ad Præsépe Salvatóris, et in loco Resurrectiόνis, inde Adónidis, hinc Jovis subláto simulácro.

R. Nos autem gloriári oportet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, et resurrectio nostra : \* Per quem salváti et liberáti sumus. Alleluia.

✠. Tuam crucem adorámus, Dómine, et recólimus tuam gloriósam passiónem.

Per quem.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

#### LECTIO V.

ITAQUE loco Crucis purgáto, alte defóssæ tres cruces érutæ sunt, repertúsque seórsum ab illis crucis Domínicæ titulus : qui cum ex tribus cui affixus fuisset, non appareret, eam dubitátionem sústulit miraculum. Nam Macárius Jerosolymórum Episcopus, factis Deo précibus, singulas cruces cuidam foeminæ gravi morbo laboránti admóvit : cui cum reliquæ nihil profuissent, adhibita tértia crux statim eam sanávit.

R. Dum sacrum pignus cœlitus reveláitur, Christi fides roborátur : \* Adsunt prodigia divína in virga Móysi primitus figuráta. Alleluia, alleluia.

✠. Ad Crucis contáctum resúrgunt mórtui, et Dei magnália reserántur.

Adsunt prodigia.

*Benedictio* Ignem sui amoris.

#### LECTIO VI.

HELENA, salutári Cruce inventa, magnificentíssimam

ibi extrúxit Ecclesiám, in qua partem Crucis reliquit thecis argénteis inclúsam, partem Constantino filio détulit : quæ Romæ repósita fuit in Ecclesiá sanctæ Crucis in Jerúsalem, ædificáta in ædibus Sessoríanis. Clavos étiam áttulit filio, quibus sanctíssimum Jesu Christi corpus fixum fuérat. Quo ex témpore Constantinus legem sancívit, ne crux ad supplicium cuiquam adhiberétur : ita res, quæ ántea homínibus probro ac ludibrio fuérat, veneratióni et glóriæ esse cœpit.

R. Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dóminus ad judicándum vénerit : \* Tunc manifestá erunt abscondita cordis nostri. Alleluia, alleluia.

✠. Cum séderit Filius hominis in sede majestátis suæ, et cœperit judicáre sæculum per ignem.

Tunc manifestá.

Glória Patri.

Tunc manifestá.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Adorámus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemísti mundum. Alleluia.

PSALMUS 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : \* cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedicite nómini ejus : \* annun-



tiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, \* in ómnibus pópulis mirabilia ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : \* terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes díi gén-tium dæmónia : \* Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus : \* sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ gén-tium, afférte Dómino glóriam et honórem : \* afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introite in átria ejus : \* adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commovéatur a fácie ejus univérsa terra : \* dicite in géntibus quia Dóminus regnávít.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : \* judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra, commovéatur mare et plenitúdo ejus : \* gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : \* quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in

æquitáte, \* et pópulos in veritáte sua.

PSALMUS 96.

Dóminus regnávít, exúltet terra : \* læténtur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circúitu ejus : \* justítia et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, \* et inflammábit in circúitu inimicos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ, \* vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : \* a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus, \* et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptilia, \* et qui gloriántur in simuláceris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : \* audivit, et lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ, \* propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram, \* nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui diligitis Dóminum, odite malum : \* custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, \* et rectis corde lætítia.

Lætámini, justí, in Dómino

\* et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

## PSALMUS 97.

**C**ANTATE Dómino cánticum novum, \* quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, \* et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : \* in conspéctu géntium revelávit justitiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, \* et veritátis suæ dómui Israel.

Viderunt omnes términi terræ \* salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : \* cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : \* in tubis ductilibus et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini : \* moveátur mare et plenitúdo ejus ; orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu : simul montes exultábunt a conspéctu Dómini : \* quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justitia, \* et pópulos in æquitáte.

*Antiphona.*

Adorámus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum. Allelúia.

✠. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. Allelúia.

R. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio A vinctulis.*

*Benedictio Evangélica lectio.*

Lectio sancti Evangélii secundum Joánnem.

## LECTIO VII.

[Cap. 3.]

**I**N illo témpore, Erat homo ex Pharisæis, Nicodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Tract. 11 in Joann.]

**N**ICODEMUS ex his erat, qui crediderant in nómine Jesu, videntes signa et prodigia, quæ faciebat. Supérius enim hoc dixit : Cum autem esset Jerosólymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nómine ejus. Quare crediderunt in nómine ejus? Séquitur, et dicit : Videntes signa ejus, quæ faciēbat. Et de Nicodémo quid dicit? Erat princeps Judæórum, nómine Nicodémus. Hic venit ad eum nocte, et ait illi : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. Et iste ergo crediderat in nómine ejus. Et ipse unde crediderat? Séquitur : Nemo enim potest hæc signa

fácere quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo.

R. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit: \* Quæ sola digna fuit portáre prétium hujus sæculi. Allelúia.

†. Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dóminus ad judicándum vénerit.

Quæ sola.

*Benedictio Divinum auxili-  
lium.*

#### LECTIO VIII.

Si ergo Nicodémus de illis multis erat, qui crediderant in nómine ejus, jam in isto Nicodémo attendámus, quare Jesus non se credebát eis. Respóndit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit dénuo, non potest vidére regnum Dei. Ipsi ergo se credit Jesus, qui nati fúerint dénuo. Ecce illi crediderant in eum, et Jesus non se credebát eis. Tales sunt omnes catechúmeni: ipsi jam credunt in nómine Christi, sed Jesus non se credit eis. Inténdat, et intélligat cháritas vestra. Si dixerimus catechúmeno: Credis in Christum? Respóndet, Credo, et signat se cruce Christi: portat in fronte, et non erubéscit de cruce Dómini sui. Ecce credit in nómine ejus. Interrogémus eum: Mandúcas carnem Filii hóminis, et bibis ságuinem Filii hóminis?

Nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit ei.

R. Sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Filium hóminis: \* Ut omnis, qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérrnam. Allelúia.

†. Non misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum.

Ut omnis.

Glória Patri.

Ut omnis.

*Pro sanctis Alexandro, Eventio, et Theodulo martyribus, ac Juvenale Episcopo et Confessore.*

#### LECTIO IX.

ALEXANDER Románus, Adriáno Imperatóre regens Ecclésiám, magnam partem Románæ nobilitátis ad Christum convértit. Is constituit, ut tantúmmodo panis et vinum in mystério offerretur: vinum autem aqua miscéri jussit, propter ságuinem et aquam, quæ ex Jesu Christi látere profluxérunt: et in Cánone Missæ áddidit: Qui pridie quam paterétur. Idem decrevit, ut aqua benedicta sale admixto, perpétuo in Ecclésia asservaretur, et in cubiculis adhiberétur ad fugándos dæmones. Sedit annos decem, menses quinque, et dies viginti, vitæ sanctitáte et salutáribus institútis

illústris. Martyrio coronátus est una cum Evéntio et Theodúlo Presbyteris, sepultúsque est via Nomentána, tertio ab Urbe lápide, eódem in loco ubi secúri percússus fúerat; creátis dívérso tēpore mense Decémbri Presbyteris sex, Diáconis duóbus, et Episcopis per dívérsa loca quinque. Eórum córpora póstea in Urbem transláta, in Ecclesiá sanctæ Sabínæ cóndita sunt. In eúndem diem incidit beáta mors sancti Juvenális Narniénsis Episcopi, qui cum plúrimos in ea urbe sanctitáte et doctrína Christo peperisset, clarus miráculis in pace quiévit, ibique honorífice sepúltus est.

Te Deum laudámus, 18.

*Si hoc Festum inciderit in Feriam secundam vel quartam Rogationum, omittitur Lectio de sanctis martyribus Alexandro et Sociis, et legitur de Homilia Rogationum, et de ea fit commemoratio in Laudibus, ac sanctorum martyrum Alexandri, etc., quod et in similibus observetur.*

#### AD LAUDES

ET PER HORAS.

#### *Antiphona.*

O magnum pietátis opus, mors mórtua tunc est, in ligno quando mórtua vita fuit. Allelúia.

*Psalmus Dóminus regnávít, cum reliquis, 19.*

#### *Antiphona.*

Salva nos, Christe Salvátor, per virtútem Crucis, qui salvásti Petrum in mari, miserére nobis. Allelúia.

#### *Antiphona.*

Ecce Crucem Dómini, fúgite partes advérsæ, vicit leo de tribu Juda, radix David. Allelúia.

#### *Antiphona.*

Nos autem gloriári oportet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi. Allelúia.

#### *Antiphona.*

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster. Allelúia.

#### CAPITULUM.

[Philíp., c. 2.]

**F**RATRES, Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitrátus est esse se æquálem Deo : sed semetípsum exinánívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo.

#### HYMNUS.

**L**USTRA sex qui jam perégít, Tempus implens córporis, Sponte libera Redémptor Passióni déditus, Agnus in Crucis levátur Immolándus stipite.

Felle potus ecce languet, Spina, clavi, lancea Mite corpus perforárunt, Unda manat et cruor : Terra, pontus, astra, mundus



quo lavántur flúmine !

Crux fidélis, inter omnes  
arbor una nóbilis :

Iva talem nulla profert  
unde, flore, gérmine :  
ulce ferrum, dulce lignum,  
ulce pondus sústinent.

Flecte ramos, arbor alta,  
ensa laxa víscera,

rigor lentéscat ille,  
sem dedit natívitás,  
supérni membra Regis  
inde miti stípíte.

Sola digna tu fuísti  
erre mundi Víctimam ;  
que portum præparáre  
ca mundo náufrago,  
iam sacer cruor perúnxit,  
Iesus Agni córpore.

Sempitérna sit beátæ  
initáti glória,  
qua Patri, Filióque ;  
et decus Paráclito :  
núnus triníque nomen  
audet univérsitas.

Amen.

✠. Adorámus te, Christe,  
benedicimus tibi. Allelúia.

R. Quia per Crucem tuam  
demísti mundum. Allelúia.

V. *Benedictus, Antiphona.*

Super ómnia ligna cedró-  
m tu sola excélsior, in qua  
sa mundi pepéndit, in qua  
ristus triumphávit, et mors  
ortem superávit in ætér-  
num. Allelúia.

#### ORATIO.

DEUS, qui in præclára salúti-  
ræ Crucis Inventióne pas-  
sionis tuæ mirácula suscitásti,

concéde ut vitális ligni prætio  
æternæ vitæ suffrágia conse-  
quámur. Qui vivis et regnas.

*Et fit commemoratio sanc-  
torum Alexandri, Eventii, et  
Theoduli, martyrum, ac Ju-  
venalis Episcopi et Confesso-  
ris hoc loco tantum.*

#### Antiphona.

Filiæ Jerúsalem, veníte et  
vidéte Mártýres cum corón-  
is, quibus coronávit eos  
Dóminus in die solemnitátis  
et lætitiæ. Allelúia, allelúia.

✠. Pretiósá in conspéctu  
Dómini. Allelúia.

R. Mors sanctórum ejus.  
Allelúia.

#### ORATIO.

PRÆSTA, quæsumus, omnípo-  
tens Deus, ut, qui sanctórum  
tuórum Alexándri, Evéntii,  
Theodúli, atque Juvenális,  
natalitia cólimus, a cunctis  
malis imminéntibus eórum  
intercessiónibus liberémur.  
Per Dóminum.

#### AD TERTIAM.

*Antiphona* Salva nos.

*Capitulum* Fratres, hoc  
enim, *supra*, 606.

R. *breve.* Hoc signum Cru-  
cis erit in cœlo. \* Allelúia,  
allelúia. Hoc signum.

✠. Cum Dóminus ad ju-  
dicándum vénerit.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Hoc signum.

✠. Adorámus te, Christe,  
et benedicimus tibi. Allelúia.

R. Quia per Crucem tuam redemisti mundum. Allelúia.

## AD SEXTAM.

*Antiphona* Ecce Crucem Dómini.

## CAPITULUM.

[ Galat. c. 6. ]

**M**IHÍ autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

R. *breve*. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi. \* Allelúia, allelúia. Adorámus te.

✠. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Adorámus.

✠. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. Allelúia.

R. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine. Allelúia.

## AD NONAM.

*Antiphona* Per signum Crucis.

## CAPITULUM.

[ Philip. c. 2. ]

**H**UMILIÁVIT semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen.

R. *breve*. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. \* Allelúia, allelúia. Omnis.

✠. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Omnis.

✠. Hoc signum Crucis erit in cœlo. Allelúia.

R. Cum Dóminus ad iudicándum vénerit. Allelúia.

## AD VESPERAS.

*Antiphona* O magnum, cum reliquis de *Laudibus*, 606.

*Psalmi, Capitulum, Hymnus et Versiculus ut in primis Vesperis*, 595.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Crucem sanctam súbit, qui inférnum confrégit, accinctus est poténtia, surréxit die tértia. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui in præclára, *ut supra*, 607.

*Et fit commemoratio sanctæ Monicæ.*

## DIE IV MAII.

in festo

S. MONICÆ, VIDUÆ.

( DUPLEX. )

*Omnia de Communi Sanctorum, nec Virginum, nec Martyrum, cxxvij, præter ea quæ hic habentur.*

*Antiphona.*

Símile est regnum cœlorum hómini negotiátóri, quærenti bonas margáritas: inventa una pretiósá, dedit ómnia sua, et comparávit eam. Allelúia.

✠. Spécie tua, et pulchritúdine tua. Allelúia.

R. Inténde, prospere procéde, et regna. Allelúia.

## ORATIO.

**D**EUS, mœrentium consolator, et in te sperantium salus, qui beatae Mónica piarum lachrymarum in conversione filii sui Augustini misericorditer suscepisti, da nobis utriusque interventu peccata nostra deplorare, et gratiae tuae indulgentiam invenire. Per Dominum nostrum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

## IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

**M**ONICA, sancti Augustini dupliciter mater, quia eum et mundo, et caelo peperit, marito mortuo, quem senectute confectum Jesu Christo conciliavit, castam et operibus misericordiae exercitavit viduitatem agebat: in assidue vero ad Deum orationibus pro filio, qui in Manichaeorum sectam inciderat, lacrymas effundebat: quem etiam Mediolanum secuta est: ubi ipsum frequenter hortabatur, ut ad Episcopum Ambrosium se conferret. Quod cum ille fecisset, ejus et publicis concionibus, et privatis colloquiis Catholicae fidei veritatem edoctus, ab eodem baptizatus est.

*R.* Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluia.

*V.* Specie tua, et pulchri-

tudine tua intende, prospere procede, et regna.

Et deducet.

## LECTIO V.

**M**ox in Africam redeuntes, cum ad Ostia Tiberina constitissent, incidit in febrem. Quo in morbo cum eam quodam die anima defecisset, ut se colligit, Ubi, inquit, eram? Et astantes intuens, Ponite hic matrem vestram: tantum vos rogo, ut ad altare Domini meminertis mei. Nono autem die beata mulier animam Deo reddidit. Ejus corpus ibi in Ecclesia sanctae Aureae sepultum est: quod postea Martino quinto summo Pontifice Romam translatum, in Ecclesia sancti Augustini honorifice conditum est.

*R.* Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae. Alleluia.

*V.* Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam.

Propterea unxit.

## LECTIO VI.

[Lib 9 Confes., c. 12.]

**S**UBDIT vero Augustinus, de matris morte disserens: Neque enim decere arbitrabamur funus illud questibus lacrymosis, gemitibusque celebrare, quia illa nec misere, nec omnino moriebatur: hoc et documentis mo-

rum ejus, et fide non ficta, rationibusque certis tenebamus. Atque inde paulatim reducēbam in pristinum sensum ancillam tuam, conversationēque ejus piam in te et sanctam, in nos blandam atque morigeram, qua subito destitutus sum, et libuit flere de illa et pro illa: et si quis peccatum invenerit, flevisse me matrem meam exigua parte horæ, matrem oculis meis mortuam, quæ me multos annos fléverat, ut oculis suis viverem, non irrideat: sed potius, si est grandi charitate, pro peccatis meis fleat ipse ad te patrem omnium fratrum Christi tui.

R. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: \* Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. Alleluia.

Y. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Múlier timens.

Glória Patri.

Múlier timens.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundum Lucam.

LECTIO VII.

[Cap. 7.]

IN illo témpore, Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim: et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

[Serm. 44, de Verbis Domini.]

DE júvene illo resuscitato gavisa est mater vidua: de hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet mater Ecclesia. Ille quidem mortuus erat corpore: illi autem mente. Illius mors visibilis visibiliter plangebatur; illorum mors invisibilis nec querebatur, nec videbatur. Quæsiuit ille, qui nóverat mortuos. Ille solus nóverat mortuos, qui póterat fácere vivos. Nisi enim ad mortuos suscitandos venisset, Apóstolus non diceret: Surge qui dormis, et exúrge a mortuis, et illuminábit te Christus.

R. Ossuum apérui sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus: considerávit sémitas domus suæ, \* Et panem otiosa non comédit. Alleluia.

Y. Gustávit et vidit quia bona est negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus.

Et panem.

LECTIO VIII.

TRES autem mortuos invenimus a Dómino resuscitados visibiliter, millia invisibiliter. Quot autem mortuos visibiliter suscitáverit, quis novit? Non enim omnia, quæ fecit, scripta sunt. Joánnes hoc dixit: Multa alia fecit Jesus, quæ si scripta essent, árbitor, totum mundum non



posse libros cāpere. Multi ergo sunt alii sine dūbio suscitāti, sed non tres frustra commemorāti. Dóminus enim noster Jesus Christus ea, quæ faciēbat corporáliter, étiam spiritaliter volēbat intelligi. Neque enim tantum mirácula propter mirácula faciēbat; sed utilia quæ faciēbat, mira essent vidéntibus, vera essent intelligentibus.

R. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contēpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi, \* Quem vidi, quem amávi, in quem credidi, quem diléxi. Alleluia.

Y. Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea Regi.

Quem vidi.

Glória Patri.

Quem vidi.


#### LECTIO IX.

QUEMADMODUM qui videt litteras in códice óptime scripto, et non novit légere, laudat quidem antiquárii manum, admirans ápicum pulchritúdinem: sed quid sibi velint, quid indicent illi ápices, nescit, et est óculis laudátor, mente non cónitor. Alius autem et laudat artificium, et capit intelléctum: ille útique qui non solum vidére, quod commúne est ómnibus, potest, sed étiam légere: quod, qui non didicit, non potest. Ita qui viderunt Christi mirácula, et non in-

tellexérunt quid sibi vellent, et quid intelligentibus quodammodo innúerent, miráti sunt tantum quia facta sunt: alii vero et facta miráti, et intellécta assecúti. Tales nos in schola Christi esse debemus.

Te Deum laudamus, 18.

*In secundis Vesperis fit a Capitulo de sequenti, commemoratio præcedentis.*



#### DIE V MAIL.

in festo

SANCTI PII QUINTI,

papæ et confessoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis, lxviij, præter sequentia.*

*In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius Versus.*

#### ORATIO.

DEUS, qui ad conteréndos Ecclesiæ tuæ hostes, et ad divinum cultum reparándum, beátum Pium Pontificem máximum eligere dignátus es, fac nos ipsius deféndi præsídiis, et ita tuis inhærére obséquiiis, ut, ómnium hóstium superátis insidiis, perpétua pace lætémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

*Deinde fit commemoratio Sanctæ Monicæ.*

*Antiphona.*

Manum suam apéruiť inopi, et palmas suas extén-

dit ad páuperem, et panem otíosa non comédit. Allelúia.

✠. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Allelúia.

℞. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Allelúia.

*Oratio* Deus, mœréntium consolátor, *ut supra*, 609.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

#### IN SECUNDO NOCTURNO.

##### LECTIO IV.

**P**ius in óppido Insúbriæ, quod Boschum vocant, natus, sed e Bonónia oriúndus ex nóbili Ghisleriórum familia, cum quatuórdecim esset annórum, Ordinem Prædicatórum ingressus est. Erat in eo admirábilis patiéntia, profúnda humilitas, summa vitæ austéritas, continuum oratiónis stúdiu, et reguláris observántiæ, ac divíni honóris ardentíssimus zelus. Philosophiæ vero, ac Theológiæ incúmbens, ádeo in iis excélluit, ut illas docéndi munus magna cum laude per multos annos exercúerit. Sacras conciónes plúribus in locis cum ingénti auditórum fructu hábuit. Inquisitóris officiu inviolábili ánimi fortitúdine diu sustínuit: multásque civitátes, non sine vitæ discrimine, ab hæresi tunc grássante immúnes servávit.

℞. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi

eum : \* Manus enim mea auxiliábitur ei. Allelúia.

✠. Nihil proficiet inimícus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei.

Manus enim.

##### LECTIO V.

**A** PAULO quarto, cui ob exímias virtútes charíssimus erat, ad Nepesinum et Sutrinum Episcopátum promótus, et post biénnum inter Románæ Ecclesiæ Presbyteros Cardináles adscriptus fuit. Tum ad Ecclesiám Montis Regális in Subalpínis a Pio quarto translátus, cum plures in eam abúsus irrepsísse cognovísset, totam Diocésim lustrávit, rebúsque compósitis Romam revérsus, gravíssimis expediéndis negotiis applicátus, quod iustum erat, Apostólica libertáte et constántia decernébat. Mórtuo autem Pio, præter ómnium expectatió-nem eléctus Póntifex, nihil in vitæ ratióne, excépto exterióri hábitu, immutávit. Fuit in eo religiónis propágandæ perpétuum stúdiu, in Ecclesiástica disciplína restituénda indefessus labor, in extirpándis erróribus assidua vigilántia, in sublevándis egéntium necessitatibus indeficiens beneficéntia, in Sedis Apostólicæ júribus vindicándis robur invictu.

℞. Pósuí adjutóriu super poténtem, et exaltávi eléc-

tum de plebe mea : \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia.

✠. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

## LECTIO VI.

**SELIMUM** Turcárum tyránum multis elátum victóriis, ingénti comparáta classe, ad Echinadas insulas non tam armis, quam fuis ad Deum précibus devicit. Quam victóriam ea ipsa hora, qua obténta fuit, Deo revelánte, cognóvit, suisque familiáribus indicávit. Dum vero novam in ipsos Turcas expeditiónem molirétur, in gravem morbum incidit, et acerbísimis dolóribus patientíssime tolerátis, ad extréma devéniens, cum Sacraménta de more suscepisset, ánimam Deo placidíssime réddidit, anno millésimo quingéntésimo septuagésimo secúndo, ætátis suæ sexagésimo octávo, cum sedisset annos sex, menses tres, dies viginti quátuor. Corpus ejus in Basilica sanctæ Mariæ ad Præsepe summa fidélium veneratióne cólitur, multis a Deo ejus intercessióne patrátis miráculis. Quibus rite probátis, a Cleménte undécimo Pontífice Máximo Sanctórum número adscriptus est.

✠. Iste est qui ante Deum magnas virtútes opératus est,

*Vern.*

et ómnis terra doctrína ejus repléta est : \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum. Alleluia.

✠. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Ipse intercédát.

Glória Patri.

Ipse intercédát.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Homo peregre proficiscens, ut in Communi Confessoris Pontificis, lxxvij.*

*Vesperæ de sequenti, cum commemoratione præcedentis.*



## DIE VI MAII.

## IN FESTO S. JOANNIS

ANTE PORTAM LATINAM.

(DUPLEX MAJUS.)

*Omnia de Communi Apostolorum tempore Paschali, xxij, præter ea quæ hic sunt propria.*

*Ad Magnificat in utrisque Vesperis.*

*Antiphona.*

In fervéntis olei dólum missus beátus Joánnes Apóstolus, divína se protegénte grátia illæsus exivit. Alleluia.

## ORATIO.

**D**EUS, qui cóspicis quia nos úndique mala nostra perturbant, præsta, quæsumus, ut beáti Joánnis Apóstoli tui et Evangelistæ intercessio

gloriósa nos protégat. Per Dóminum.

*Pro commemoratione sancti Pii.*

*Antiphona.*

Dum esset summus Póntifex, terréna non méruit, sed ad coelésta regna gloriósus migrávit. Allelúia.

✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. Allelúia.

℞. Et osténdit illi regnum Dei. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui, *ut supra*, 611.

*In primo Nocturno legitur initium Epistolæ primæ beati Joannis, ut in Dominica infra Octavam Ascensionis, 439, nisi eo tempore legatur de libro Apocalypsis, vel de ejus Epistola: tunc enim ponuntur Lectiones eo die occurrentes.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, contra Jovinianum.

LECTIO IV.

[Lib. 1.]

JOANNES Apóstolus, unus ex discipulis Dómini, qui minimus natu tráditur fuisse inter Apóstolos, et quem fides Christi virginem repérrerat, virgo permánsit: et ideo plus amáitur a Dómino, et recúmbit super pectus Jesu: et quod Petrus, qui uxórem habúerat, interrogáre non audet, illum rogat ut intérriget: et post resur-

rectiónem, nuntiánte Maria Magdaléne, quod Dóminus resurrexisset, utérque cucúrrit ad sepúlchrum, sed ille prævenit: cumque essent in navi, et piscaréntur in lacu Genésareth, Jesus stabat in littore, nec sciébant Apóstoli quem vidérent: solus virgo virginem agnóscit, et dicit Petro: Dóminus est.

℞. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et ætérnitas témporum. Allelúia, allelúia.

✠. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exultatióem obtinéunt.

Et ætérnitas.

LECTIO V.

FUIT autem Joánnes et Apóstolus, et Evangelista, et Prophéta. Apóstolus, quia scripsit ad Ecclesias ut magister: Evangelista, quia librum Evangelii cóndidit, quod, excépto Matthæo, alii ex duódecim Apóstoli non fecérunt: Prophéta, vidit enim in Pathmos insula, in qua fúerat a Domitiáno Príncipe ob Dómini martyrium relegátus, Apocalypsim, infinita futurórum mystéria continéntem. Refert autem Tertullíanus, quod Romæ missus in fervéntis ólei dólum, púrior et vegetior exíverit, quam intra-verit.

℞. Virtúte magna red-



débant Apóstoli \* Testimónium resurrectionis Jesu Christi Dómini nostri. Allelúia, allelúia.

†. Repléti quidem Spiritu Sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei.

Testimónium.

LECTIO VI.

Sed et ipsum ejus Evangélium multum distat a céteris. Matthæus quasi de hómine incipit scribere, Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham: Lucas a sacerdótio Zachariæ: Marcus a prophetia Maláchiæ, et Isaïæ. Primus habet faciém hóminis, propter genealogiam: secúndus faciém vituli, propter sacerdótium: tertius faciém leónis, propter vocem clamántis in deserto, Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ejus. Joánnes vero noster quasi áquila ad supérna volat, et ad ipsum Patrem pervénit, dicens: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

℣. Isti sunt agni novelli, qui annuntiavérunt. Allelúia. Modo venérunt ad fontes, \* Repléti sunt claritate. Allelúia, allelúia.

†. In conspéctu Agni amicti sunt stolis albis, et palmæ in mánibus eórum.

Repléti sunt.

Glória Patri.

Repléti sunt.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 20.]

IN illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum filiis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

[Lib. 3, Comm. in Matt., c. 20.]

UNDE opinióem regni habet mater filiórum Zebedæi, ut cum Dóminus dixerit: Filius hóminis tradétur principibus sacerdótum et Scribis, et condemnábunt eum morte, et tradent géntibus ad illudéndum, et flagellándum, et crucifigéndum, et ignomíniam passiónis timéntibus discipulis nuntiáret, illa glóriam póstulet triumphántis? Hac, ut reor, ex causa, quia post ómnia dixerat Dóminus: Et tértia die resúrget: putávit eum múlter post resurrectionem illico regnatúrum; et hoc, quod in secúndo advéntu promittitur, in primo esse compléndum: et aviditate foemínea præsentia cupit, immemor futurórum.

℣. Ego sum vitis vera, et vos pálmities: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Allelúia, allelúia.

✠. Sicut diléxit me Pater,  
et ego diléxi vos.

Qui manet.

LECTIO VIII.

**M**ATER póstulat, et Dóminus discipulis lóquitur : intélligens preces ejus ex filiórum descénderé voluntáte. Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum ? Cálicem in Scriptúris divínis passiónem intellígimus, juxta illud : Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Et in Psalmo : Quid retribuam Dómino pro ómnibus, quæ retribuit mihi ? Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo. Statimque infert quis iste sit calix : Pretiósá in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

R. Cándidi facti sunt Nazárei ejus. Allelúia. Splendórem Deo dedérunt. Allelúia. \* Et sicut lac coaguláti sunt. Allelúia, allelúia.

✠. Cándidióres nive, niti-dióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres.

Et sicut.

Glória Patri.

Et sicut.

LECTIO IX.

**Q**UÆRITUR, quómodo cálicem martyrii filii Zebedæi, Jacóbus videlicet, et Joánes, biberint : cum Scriptúra narret, Jacóbum tantum Apóstolum ab Heróde

cápite truncátum, Joánes autem própria morte vitam finierit. Sed si legámus Ecclesiásticas histórias, in quibus fertur, quod et ipse propter mártýrium sit missus in fervéntis ólei dólum, et inde ad suscipiéndam coronam Christi athléta processerit : statimque relegátus in Pathmos insulam sit : vidé-bimus mártýrio ánimus non defuisse, et bibisse Joánnem cálicem confessiónis, quem et tres púeri in camino ignis bibérunt, licet persecutor non fúderit ságuinem.

Te Deum laudámus, 18.

*In secundis Vesperis fit  
Commemoratio sancti Stanislai.*

~~~~~

DIE VII MAII.

**IN FESTO S. STANISLAI,**  
episcopi et martyris.

( DUPLEX. )

*Antiphona.*

Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et æternitas téporum. Allelúia.

✠. Sancti et justi, in Dómino gaudéte. Allelúia.

R. Vos elégit Deus in hæreditátem sibi. Allelúia.

ORATIO.

**D**EUS, pro cujus honóre gloriósus Póntifex Stanislaus gládiis impiórum occubuit, præsta, quæsumus, ut omnes qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ sa-

lutárem consequántur efféc-  
tum. Per Dóminum nostrum.

*In primo Nocturno, Lec-  
tiones de Scriptura occur-  
rente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**S**TANISLAUS Polónus, apud Cracóviam nóbili génere natus, et piis paréntibus, qui ántea per annos triginta stériles, illum a Deo précibus impetrárunť, ab ineúnte ætáte futúre sanctitátis spécimen dedit. Adoléscent bonis ártibus óperam navávit, multúmque in sacra Cánorum et Theologiæ doctríná profécit: paréntibus mórtuis, amplum patrimoníum paupéribus distribuit, vitæ monásticæ desiderio. Sed Dei providéntia Cánonicus Cracoviénsis, et concionátor factus a Lamperto Episcopo, in ejus póstea locum, quamvis invítus, sufficitur. Quo in múnere, ómnium pastorálium virtútum laude, et præcipue misericórdia in páuperes ení-  
tuit.

R). Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et æternitas téporum. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exultatióem obtinébunt.

Et æternitas.

LECTIO V.

**E**RAT tum Polóniæ rex Bolesláus, quem gráviter of-

féndit, quod illius notam libidinem públice arguébat. Quare in solémni regni conventu Stanisláum per calúm-  
niam in judícium coram se vocári curat, tamquam pagum occupáret, quem Ecclésiæ suæ nómine coémerat. Quod cum neque tábulis probáre posset, et testes veritátem dicere timérent, spondet Episcopus, se Petrum pagi venditórem, qui trién-  
nio ante obíerat, intra dies tres in judícium adductúrum. Condióne cum risu accépta, vir Dei toto trídúo jejúniis et orationi incúmbit: ipso sponsiónis die, post oblátum Missæ sacrificium, Petrum e sepúlcro súrgere jubet: qui statim redivívus, Episcopum ad régium tribúnal eúntem séquitur, ibique rege et céteris stupóre attónitis, de agro a se vëndito, et pretio rite sibi ab Episcopo persolúto, testimónium dicit, atque iterum in Dómino obdormívit.

R). In servis suis. Allelúia.

\*Consolábitur Deus. Allelúia.

Ÿ. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis.

Consolábitur.

LECTIO VI.

**A**T Bolesláum, frustra sæpe admónitum, Stanisláus tandem a fidélium communióne rémovet. Ille iracúndia furens, mílites in Ecclésiám immíttit, ut sanctum Episco-

pum confódiunt : qui ter con-  
nāti, occulta vi, tértio divi-  
nitus sunt depúlsi. Postrémo  
impius rex Sacerdótem Dei,  
hóstiam immaculátam ad al-  
táre offeréntem, sua manu  
obtrúncat : corpus membrá-  
tim concisum, et per agros  
proiéctum, áquilæ a feris mi-  
rabíliter deféndunt. Mox Ca-  
nónici Cracoviénses sparsa  
membra, noctúrni de cœlo  
splendóris indicio cólligunt,  
et suis locis apte dispónunt:  
quæ súbito ita inter se co-  
puláta sunt, ut nulla vúlne-  
rum vestigia extárent. Multis  
prætérea miráculis servi sui  
sanctitátem Deus declarávit  
post ejus mortem : quibus  
permótus Innocéntius quar-  
tus summus Póntifex, illum  
in Sanctórum númerum ré-  
tulit.

R. Filia Jerúsalem, veníte  
et vidéte Mártires cum co-  
rónis, quibus coronávit eos  
Dóminus, \* In die solemni-  
tátis et lætitiæ. Allelúia.

†. Quóniam confortávit  
seras portárum tuárum, be-  
nedixit filios tuos in te.

In die.

Glória Patri.

In die.

*In tertio Nocturno, Ho-  
milía in Evangelium Ego  
sum vitis vera, ut in Com-  
muni Martyrum tempore  
Paschali, xlv.*

*Vesperæ de sequenti, com-  
memoratio præcedentis.*

## DIE VIII MAII.

IN APPARITIONE

S. MICHAELIS ARCHANGELI.

( DUPLEX MAJUS. )

## AD VESPERAS.

*Antiphona Stetit Angelus,  
cum reliquis de Laudibus ,  
607.*

*Psalmus Dixit Dóminus,  
cum reliquis de Dominica ,  
134; et loco ultimi , Psalmus  
Laudáte Dóminum, om-  
nes gentes , 139.*

## CAPITULUM.

[ Apoc. c. 1. ]

**S**IGNIFICAVIT Deus quæ  
opórtet fieri cito, loquens  
per Angelum suum servo  
suo Joánni, qui testimónium  
perhibuit verbo Dei, et tes-  
timónium Jesu Christi, quæ-  
cúmque vidit.

## HYMNUS.

**T**E splendor, et virtus Pa-  
tris,

Te vita, Jesu, córdium,  
Ab ore qui pendent tuo,  
Laudámus inter Angelos.

Tibi mille densa millium  
Ducum coróna militat :  
Sed explicat Victor Crucem  
Michael salutis signifer.

Dracónis hic dirum caput  
In ima pellit tártara,  
Ducémque cum rebéllibus  
Cœlesti ab arce fulminat.

Contra ducem supérbiæ  
Sequámur hunc nos Princi-  
pem,

Ut detur ex Agni throno  
Nobis coróna glóriæ.



Deo Patri sit glória,  
Et Filio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

†. Stetit Angelus juxta aram  
templi. Allelúia.

℟. Habens thuribulum áu-  
reum in manu sua. Allelúia.  
*Ad Magnificat, Antiphona.*

Dum sacrum mystérium  
cérneret Joánnes, Archán-  
gelus Míchaél tuba cécinit:  
Ignósce, Dómine Deus noster,  
qui áperis librum, et solvis  
signácula ejus. Allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui miro órdine An-  
gelórum ministéria, homi-  
núnque dispénsas, concéde  
propítius, ut, a quibus tibi  
ministrántibus in cœlo sem-  
per assistitur, ab his in terra  
vita nostra muniátur. Per  
Dóminum.

*Et fit commemoratio sancti  
Stanislai.*

*Antiphona.*

Sancti et justí, in Dómino  
gaudéte. Allelúia. Vos elégit  
Deus in hæreditátem sibi.  
Allelúia.

†. Pretiósá in conspéctu  
Dómini. Allelúia.

℟. Mors sanctórum ejus.  
Allelúia.

*Oratio* Deus, pro cujus  
honóre, ut *supra*, 616.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Regem  
Archangelórum Dóminum,\*  
Venite, adorémus. Allelúia.

*Psalmus* Venite, exulté-  
mus, 2.

*Hymnus* Te splendor, ut  
*supra.*

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Concússum est mare, et  
contrémuit terra, ubi Ar-  
chángelus Míchaél descen-  
débat de cœlo. Allelúia.

PSALMUS 8.

DOMINE Dóminus noster,  
\* quam admirábile est nomen  
tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est mag-  
nificéntia tua, \* super cœlos.

Ex ore infántium et lactén-  
tium perfecisti laudem prop-  
ter inimicos tuos, \* ut dés-  
truas inimicum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos  
tuos, ópera digitórum tuó-  
rum: \* lunam et stellas, quæ  
tu fundásti.

Quid est homo, quod me-  
mor es ejus? \* aut filius hó-  
minis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo mi-  
nus ab Angelis, glória et ho-  
nóre coronásti eum: \* et  
constituísti eum super ópera  
mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pé-  
dibus ejus, \* oves et boves  
univérsas: insuper et pécora  
campi.

Vólucres cœli, et pisces  
maris, \* qui perámbulant sé-  
mitas maris.

Dómine Dóminus noster,\*  
quam admirábile est nomen  
tuum in univérsa terra!

## PSALMUS 10.

**I**N Dómino confido : quómo dicitis ánimæ meæ : \* Trásmigra in montem sicut passer ?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum , paravérunt sagittas suas in pháretra , \* ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecisti , destruxérunt : \* justus autem quid fecit ?

Dóminus in templo sancto suo : \* Dóminus in cœlo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : \* pálpebræ ejus interrogant filios hóminum.

Dóminus intérogat justum et impium : \* qui autem diligit iniquitatem , odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : \* ignis , et sulphur , et spíritus procellárum , pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus , et justitias diléxit : \* æquitatem vidit vultus ejus.

## PSALMUS 14.

**D**OMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo ? \* aut quis requiescet in monte sancto tuo ?

Qui ingreditur sine mácula , \* et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritatem in corde suo , \* qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum , \* et oppróbrium non accépit adversus próximos suos.

Ad nihilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus : \* timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo , et non decipit , \* qui pecúniam suam non dedit ad usúram , et múnera super innocentem non accépit :

Qui facit hæc , \* non móvêbitur in ætérnum.

*Antiphona.*

Concússum est mare , et contrémuit terra , ubi Archángelus Michael descendébat de cœlo. Allelúia.

Ÿ. Stetit Angelus juxta aram templi. Allelúia.

℞. Habens thuribulum áureum in manu sua. Allelúia.

## Ex Daniéle Prophéta.

## LECTIO I.

[ Cap. 7. ]

**A**SPICIEBAM donec throni pósito sunt , et antiquus diérum sedit : vestiméntum ejus cándidum quasi nix , et capilli cápitis ejus quasi lana munda : thronus ejus flammæ ignis : rotæ ejus ignis accén-sus. Flúvius ígneus , rapídusque egrediebátur a fácie ejus. Millia millium ministrábant ei , et decies millies centéna millia assistébant ei : júdicium sedit , et libri apérti sunt. Aspiciébam propter vocem sermónum grándium , quos cornu illud loquebátur : et vidi quóniam interfécta esset béstia , et periisset corpus

ejus, et tráditum esset ad comburéndum igni.

R. Factum est siléntium in celo, dum committeret bellum draco cum Michaéle Archángelo : \* Audita est vox millia millium dicéntium : Salus, honor, et virtus omnipoténti Deo. Allelúia.

Y. Millia millium ministrábant ei, et decies centéna millia assistébant ei.

Audíta.

#### LECTIO II.

[Cap. 10.]

**D**IE autem vigésima et quarta mensis primi eram juxta flúvium magnum, qui est Tigris, et levávi óculos meos, et vidi : et ecce vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti auro obrizo : et corpus ejus quasi chrysólithus, et fácies ejus velut spécies fúlguris, et óculi ejus ut lampas ardens : et bráchia ejus, et quæ deórsum sunt usque ad pedes, quasi spécies æris candéntis : et vox sermónum ejus ut vox multitudínis. Vidi autem ego Dániel solus visionem : porro viri, qui erant mecum, non vidérunt : sed terror nimius irrui super eos, et fugérunt in abscónditum. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc : et non remánsit in me fortitúdo, sed et spécies mea immutáta est in me, et emárcui, nec hábui quidquam virium.

R. Stetit Angelus juxta

aram templi, habens thuribulum áureum in manu sua, et data sunt ei incénsa multa : \* Et ascéndit fumus arómatum de manu Angeli in conspéctu Dómini. Allelúia.

Y. In conspéctu Angelórum psallam tibi : adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo, Dómine. Et ascéndit.

#### LECTIO III.

**E**T audivi vocem sermónum ejus : et áudiens jacébam consternátus super fáciem meam, et vultus meus hærébat terræ. Et ecce manus tégit me, et eréxit me super génua mea, et super articulos mánuum meárum. Et dixit ad me : Dániel, vir desideriórum, intéllige verba quæ ego loquor ad te, et sta in gradu tuo : nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermónem istum, steti tremens. Et ait ad me : Noli metúere, Dániel : quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligéndum ut te afflígeres in conspéctu Dei tui, exaudita sunt verba tua : et ego veni propter sermónes tuos. Princeps autem regni Persárum réstitit mihi viginti et uno diébus : et ecce Michael, unus de princípibus primis, venit in adjutórium meum, et ego remánsi ibi juxta regem Persárum. Veni autem ut docérem te quæ ventúra sunt pópulo tuo in

novíssimis diébus, quóniam adhuc visio in dies.

¶. In conspéctu Angelórum psallam tibi, et adorábo ad templum sanctum tuum, \* Et confitébor nómini tuo, Dómine. Allelúia.

✠. Super misericórdia tua, et veritate tua : quóniam magnificásti super nos nomen sanctum tuum.

Et confitébor.

Glória Patri.

Et confitébor.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Michael Archángele, veni in adiutoriúm pópulo Dei. Allelúia.

PSALMUS 18.

COELI enarrant glóriam Dei, \* et ópera mánuum ejus annúnciat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, \* et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, \* quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, \* et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum, \* et ipse tanquam sponsus procedens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, \* a summo cœlo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : \* nec est qui se abscondat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta,

convértens ánimas : \* testimoniúm Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ, lætificántes corda ; \* præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : \* judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lápidem pretiósum multum, \* et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea : \* in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me, \* et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domínati, tunc immaculátus ero ; \* et emundábor a delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei ; \* et meditatio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, \* et redémptor meus.

PSALMUS 23.

DÓMINI est terra et plenitúdo ejus, \* orbis terrárum et univérsti qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, \* et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? \* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mun-



do corde, \* qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accipiet benedictiónem a Dómino, \* et miséricórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quærentium eum, \* quærentium faciém Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : \* et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : \* et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

PSALMUS 33.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore : \* semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : \* áudiant mansuétí, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : \* et exaltémus nomen ejus in idipsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudivit me : \* et ex ómnibus tribulatió nibus meis eripuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : \* et faciés vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudivit eum : \*

et de ómnibus tribulatió nibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : \* et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : \* beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : \* quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : \* inquirentes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, filii, audíte me : \* timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : \* diligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : \* et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : \* inquire pacem, et perséquare eam.

Oculi Dómini super justos : \* et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini superfaciéntes mala : \* ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justí, et Dóminus exaudivit eos : \* et ex ómnibus tribulatió nibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : \* et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatió nes justórum : \* et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : \* unum ex his non conterétur.

Mors peccátorum péssima : \* et qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : \* et non delínquent omnes qui sperant in eo.

*Antiphona.*

Michael Archángele, veni in adiutórium pópulo Dei. Allelúia.

✠. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. Allelúia.

℟. De manu Angeli. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius piétas.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

LECTIO IV.

**BEATUM** Michaélem Archángelum sæpius hominibus apparuisse, et sacrórum librórum auctoritáte, et véteri sanctórum traditióne comprobátur. Quamóbrem multis in locis facti memória celebrátur. Eum ut olim synagóga Judæórum, sic nunc custódem et patrónum Dei venerátur Ecclésia. Gelásio autem primo Pontífice Máximo, in Apúlia in vértice Gargáni montis, ad cujus radices incolunt Sipontini, Archángeli Michaélis fuit illústris apparitio.

℟. Hic est Michael Archán-

gelus, princeps militiæ Angelórum : \* Cujus honor præstat beneficia populórum, et orátio perdúcit ad regna cælórum. Allelúia.

✠. Archángelus Michael, præpósitus paradisi, quem honoríficant Angelórum cives.

Cujus honor.

LECTIO V.

**FACTUM** est enim, ut ex gregibus armentórum Gargáni cujúsdam taurus longe discéderet : quem diu conquisitum, in áditu spelúncæ hæréntem invenérunt. Cum vero quidam ex illis, ut taurum confígeret, sagittam emisisset, retórta sagitta in ipsum récidit sagittárium. Quæ res cum præses, ac deinceps céteros tanto timóre affecisset, ut ad eam spelúncam própius accédere nemo audéret; Sipontini Episcopum cónsulunt : qui, indicto trium diérum jejúnio et oratióne, rem a Deo respóndit quæri oportére.

℟. Venit Michael Archángelus cum multitudíne Angelórum, cui trádidit Deus ánimas sanctórum, \* Ut perdúcat eas in paradísium exultatiónis. Allelúia.

✠. Emítte, Dómine, Spíritum Sanctum tuum de cælis, spíritum sapiéntiæ et intellectus.

Ut perdúcat.

LECTIO VI.

**POST** trídium Michael Ar-

chángelus Episcopum monet, in sua tutelá esse eum locum, eoque indicio demonstrásse, velle ibi cultum Deo in sui et Angelórum memóriam adhibéri. Quare Episcopus una cum civibus ad eam spelúncam ire pergit. Quam cum in templi cuiusdam similitúdinem conformátam vidissent, locum illum divinis officiis celebráre cœperunt : qui multis póstea miráculis illustrátus est. Nec ita multo post Bonifácus Papa Romæ in summo Circo sancti Michaélis Ecclesiám dedicávit tértio kaléndas octóbris : quo die étiam ómnium Angelórum memóriam Ecclesiá célebrat. Hodiérnus autem dies Archángeli Michaélis apparitióne consecrátus est.

¶. In témpore illo consúrget Michael, qui stat pro filiis vestris : \* Et véniet témpus, quale non fuit, ex quo gentes esse cœperunt, usque ad illud. Allelúia.

¶. In témpore illo salvábitur pópulus tuus omnis, qui invéntus fúerit scriptus in libro vitæ.

Et véniet.

Glória Patri.

Et véniet.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Angelus Archángelus Michael, Dei núnus pro ani-

mábus justis. Allelúia, allelúia.

PSALMUS 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : \* cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedicite nómini ejus : \* annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, \* in ómnibus pópulis mirabilia ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis, \* terribilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii gentium dæmónia : \* Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus, \* sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ gentium, afférte Dómino glóriam et honórem : \* afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : \* adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commovéatur a fácie ejus univérsta terra : \* dicite in gentibus quia Dóminus regnávít.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébatur : \* judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra : commovéatur mare et plenitúdo ejus : \* gaudé-

bunt campi et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit : \* quoniam venit iudicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, \* et populos in veritate sua.

PSALMUS 96.

**D**OMINUS regnavit, exultet terra : \* lætentur insulæ multæ.

Nubes, et caligo in circuitu ejus : \* justitia, et iudicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, \* et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : \* vidit et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini : \* a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus : \* et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia : \* et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli ejus : \* audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, \* propter judicia tua, Domine :

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : \* nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum : \* custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, \* et rectis corde lætitia.

Lætamini, justi, in Domino : \* et confitemini memorie sanctificationis ejus.

PSALMUS 102.

**B**ENEDIC, anima mea, Domino : \* et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic, anima mea, Domino : \* et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : \* qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam : \* qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum : \* renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dominus : \* et iudicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi, \* filiis Israel voluntates suas.

Miserator, et misericors Dominus : \* longanimis, et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur : \* neque in æternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis : \* neque



secúndum iniquitátes nostras retribuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem cœli a terra: \* corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidente: \* longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se: \* quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus: \* homo sicut fœnum; dies ejus tanquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransibit in illo, et non subsistet: \* et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, \* et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in filios filiórum, \* his qui servant testaméntum ejus?

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam: \* et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus: \* poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermonum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus: \* ministri ejus,

quí fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus: \* in omni loco dominationis ejus, benedic, ánima mea, Dómino.

*Antiphona.*

Angelus Archángelus Míchaël, Dei núntius pro animábus justis. Alleluía, alleluía.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. Alleluía.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Alleluía.

Léctio sancti Evangélíi secúndum Matthæum.

LECTIO VII.

[ Cap. 18. ]

IN illo témpore, accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

[ Comment. in Matth. can. 18. ]

NON nisi revérsos in natúrám puerórum introíre regnum cœlórum Dóminus docet: id est, per simplicitátem puerilem vítia córporum nostrórum animæque revocánda. Púeros autem, credéntes omnes per audiéntiæ fidem nuncupávit. Hi enim patrem sequúntur, matrem amant, próximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt: non insoléscunt, non

odérunt, non mentiúntur, dictis credunt, et quod áudiunt, verum habent. Reveréndum igitur est ad simplicitátem infántium : quia in ea collocáti, spéciem humilitátis Domínicæ circumferemus.

R. In conspéctu géntium nolite timére : vos enim in córdibus vestris adoráte et timéte Dóminum : \* Angelus enim ejus vobiscum est. Allelúia.

Ÿ. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum áureum in manu sua.

Angelus.

*Benedictio* Quorum festum cólimus.

#### LECTIO VIII.

**V**el huic mundo ab scándalis. Humilitas passiónis scándalum mundo est. In hoc enim máxime ignorántia detinétur humana, quod sub deformitáte crucis, æternæ glóriæ Dóminum nóluit accipere. Et quid mundo tam periculósum, quam non recepisse Christum ? Ideo vero necesse esse ait venire scándala : quia ad sacraméntum reddendæ nobis æternitátis, omnis in eo passiónis humilitas esset explénda.

R. Michael Archángelus venit in adjutórium pópulo Dei, \* Stetit in auxilium pro animábus justis. Allelúia.

Ÿ. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuri-

bulum áureum in manu sua.

Stetit.

Glória Patri.

Stetit.

#### LECTIO IX.

**V**IDETE ne contemnátis unum de pusillis istis, qui credunt in me. Aptissimum vínculum mútui amóris impósuit, ad eos præcipue, qui vere in Dómino credidissent. Pusillórum enim Angeli quotidie Deum vident : quia Filius hóminis venit salvare quæ pérdita sunt. Ergo et Filius hóminis salvat, et Deum Angeli vident, et Angeli pusillórum præsumt fidélium oratióibus. Præesse Angelos absolúta auctoritas est. Salvatórum igitur per Christum oratióes Angeli quotidie Deo ófferunt. Ergo periculóse ille contémnitur, cujus desidéria, ac postulatióes ad ætérnum et invisibilem Deum ambióioso Angelórum famulátu ac ministério pervehúntur.

Te Deum laudámus, 18.

#### AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum áureum in manu sua. Allelúia.

*Psalmus* Dóminus regnavit, cum reliquis, 19.

*Antiphona.*

Dum præliarétur Michael

Archángelus cum dracóne ,  
audita est vox dicéntium :  
Salus Deo nostro. Allelúia.

*Antiphona.*

Archángele Míchael, cons-  
titui te principem super om-  
nes ánimas suscipiéndas. Al-  
lelúia.

*Antiphona.*

Angeli Dómini, Dóminum  
benedicite in ætérnum. Al-  
lelúia.

*Antiphona.*

Angeli, Archángeli, Thro-  
ni, et Dominationes, Princi-  
pátus, et Potestátes, Virtútes  
cœlórum, laudáte Dóminum  
de cœlis. Allelúia.

CAPITULUM.

[Apoc. c. 1.]

SIGNIFICAVIT Deus quæ  
opórtet fieri cito, loquens  
per Angelum suum servo  
suo Joánni, qui testimónium  
pèrhíbuit verbo Dei, et tes-  
timónium Jesu Christi, quæ-  
cúmque vidit.

HYMNUS.

CHRISTE, sanctórum decus  
Angelórum,  
Gentis humánæ Sator, et  
Redémptor,  
Cœlitum nobis tríbuas beátas  
Scándere sedes.

Angelus pacis Míchael in  
ædes  
Cœlitus nostras véniat; se-  
rénæ  
Auctor ut pacis lacrymósa  
in orcum  
Bella reléget.

Angelus fortis Gábriel, ut  
hostes

Pellat antiquos, et amíca  
cœlo,

Quæ triumphátor státuit per  
orbem,

Templa revísat.

Angelus nostræ médicus  
salútis

Adsit e cœlo Ráphael, ut  
omnes

Sanet ægrótos, dubiósque  
vitæ

Dírigat actus.

Virgo dux pacis, Geni-  
tríxque lucis,

Et sacer nobis Chorus An-  
gelórum

Semper assistat, simul et  
micántis

Régia cœli.

Præstet hoc nobis Déitas  
beáta

Patris, ac Nati, paritérque  
Sancti

Spíritus, cujus résonat per  
omnem

Glória mundum.

Amen.

✠. Stetit Angelus juxta  
aram templi. Allelúia.

℞. Habens thuribulum áu-  
reum in manu sua. Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Factum est siléntium in  
cœlo, dum draco commít-  
teret bellum : et Míchael  
pugnávit cum eo, et fecit  
victóriam. Allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui miro órđine  
Angelórum ministéria, ho-

minúmque dispénsas, concéde propítius ut, a quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniautr. Per Dóminum.

## AD TERTIAM.

*Antiphona* Dum præliarétur.

*Capitulum* Significávit, ut *supra*, 629.

R. *breve*. Stetit Angelus juxta aram templi. \* Allelúia, allelúia. Stetit.

✠. Habens thuribulum aureum in manu sua.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Stetit.

✠. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. Allelúia.

R. De manu Angeli. Allelúia.

## AD SEXTAM.

*Antiphona* Archángele Michael.

## CAPITULUM.

[Apoc. c. 5.]

AUDIVI vocem Angelórum multórum in circúitu throni, et animálium, et seniórú : et erat númerus eórum millia millium, voce magna dicéntium : Salus Deo nostro.

R. *breve*. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. \* Allelúia, allelúia. Ascéndit.

✠. De manu Angeli.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Ascéndit.

✠. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. Allelúia.

R. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Allelúia.

## AD NONAM.

*Antiphona* Angeli, Archángeli.

## CAPITULUM.

[Apoc. c. 12.]

FACTUM est prælium magnum in cœlo : Michael, et Angeli ejus præliabántur cum dracóne, et draco pugnábat, et angeli ejus : et non prævaluérunt, neque locus inuentus est eórum ámplius in cœlo.

R. *breve*. In conspéctu Angelórum, psallam tibi, Deus meus. \* Allelúia, allelúia. In conspéctu.

✠. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. In conspéctu.

✠. Adoráte Deum. Allelúia.

R. Omnes Angeli ejus. Allelúia.

## IN SECUNDIS VESPERIS.

*Antiphona* Stetit Angelus, cum reliquis de Laudibus, 607.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi, *Psalmus* Confitébor tibi, Dómine, in



toto corde meo, \* quóniam  
audisti, 147.

*Capitulum* Significávit  
Deus.

*Hymnus* Te splendor, ut  
supra in primis Vesperis,  
618.

†. In conspéctu Angeló-  
rum psallam tibi, Deus meus.  
Allelúia.

℞. Adorábo ad templum  
sanctum tuum, et confitébor  
nómini tuo. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Princeps gloriosissime, Mi-  
chael Archángele, esto me-  
mor nostri : hic et ubique  
semper precáre pro nobis  
Filiúm Dei. Allelúia, allelúia.

*Oratio* Deus, qui miro  
ordine, ut supra, 629.

*Deinde fit commemoratio  
sequentis, ut infra.*

~~~~~

DIE IX MAIL.

IN FESTO

S. GREGORII NAZIANZENI,  
episcopi et confessoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Comuni Confes-  
soris Pontificis, lxxv, præ-  
ter sequentia.*

*Ad Magnificat in utrisque  
Vesperis.*

*Antiphona.*

O Doctor óptime, Ecclé-  
siæ sanctæ lumen, beáte Gre-  
góri, divínæ legis amátor,  
deprecáre pro nobis Filiúm  
Dei. Allelúia.

†. Amávit eum Dóminus,  
et ornávit eum. Allelúia.

℞. Stulam glóriæ induit  
eum. Allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui pópulo tuo ætér-  
næ salútis beátum Gregórium  
ministrum tribuísti, præsta,  
quæsumus, ut, quem doctó-  
rem vitæ habúmus in terris,  
intercessórem habére me-  
reámur in cœlis. Per Dómi-  
num.

*In primo Nocturno, Lectio-  
nes de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

GREGORIUS, nóbilis Cáppa-  
dox, ex singulári divinárum  
litterárum sciéntia Theólogi  
cognómen consecútus, Na-  
ziánzi in Cappadócia natus,  
Athénis in omni discipliná-  
rum génere una cum sancto  
Basilio eruditus, ad stúdia  
sacrárum litterárum se con-  
vertit, in quibus se in cœnó-  
bio per áliquot annos exer-  
cuérunt, illárum senténtiam  
non ex próprio ingénio, sed  
ex majórum ratióne et auc-  
toritáte interpretántes. Qui  
cum doctrína et vitæ sanc-  
titate florérent, vocáti ad  
munus prædicándæ Evangé-  
licæ veritátis, plúrimos Jesu  
Christo filios peperérunt.

℞. Invéni David servum  
meum, óleo sancto meo  
unxi eum : \* Manus enim  
mea auxiliábitur ei. Allelúia.

†. Nihil proficiet inimicus  
in eo, et filius iniquitátis  
non nocébit ei.

Manus enim.

## LECTIO V.

GREGORIUS igitur aliquando domum revêrsus, primum Sasimórum Episcopus creátus est, deinde Nazianzénam Ecclesiám administrávit. Tum Constantinópolis ad eam regéndam Ecclesiám accersitus, cum civitatem hæresum purgátam erroribus ad Cathólicam fidem reduxisset, quod ei summum ómnium amórem conciliáre débent, multórum parávit invidiam. Itaque cum inter Episcopos magna propterea esset facta seditio, sponte cedens Episcopátu, illud Prophétæ dictum usurpávit: Si propter me commóta est ista tempéstas, dejícite me in mare, ut vos jactári desinátis. Quare Naziánzum revêrsus, cum illi Ecclesiæ Eulálium præficiéndum curáset, totum se ad contemplationem et scriptiorem divinárum rerum cóntulit.

R. Pósuí adjutórium super poténtem, et exaltávi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. Allelúia.

Y. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

## LECTIO VI.

SCRIPSIT autem multa et solúta oratione, et vèrsibus,

mirábili pietáte et eloquentia: quibus doctórum hóminum, sanctorúmque judicio id assecútus est, ut nihil in illis, nisi ex veræ pietátis et Cathólicæ religiósionis régula reperiátur: nemo quidquam jure vocáre possit in dubium. Consubstantialitátis Filii fuit acérrimus propugnátor. Ut autem vitæ laude nemo ei præpósitus est, sic et orationis gravitáte omnes fáciie superávit. In iis scribéndi ac legéndi stúdiis ruri vitam mónachi exércens, Imperátore Theodósio, ad cœléstem vitam sénio conféctus migrávit.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercédât pro peccátis ómnium populórum. Allelúia.

Y. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Ipse intercédât.

Glória Patri.

Ipse intercédât.

*In tertio Nocturno, Homilia sancti Augustini Episcopi in Evangelium Vos estis sal terræ, de Comuni Doctórum, lxxxv.*

*In secundis Vesperis fit commemoratio sequentis, et sanctorum Gordiani et Epimachi, martyrum.*

DIE X MAII.

IN FESTO S. ANTONINI,  
episcopi et confessoris.

( SEMIDUPLEX. )

*Antiphona.*

Sacerdos et Póntifex, et  
virtútum ópifex pastor bone  
in pópulo, ora pro nobis  
Dóminum. Allelúia.

Ÿ. Amávit eum Dóminus,  
et ornávit eum. Allelúia.

Ŧ. Stolum glóriæ induit  
eum. Allelúia.

ORATIO.

SANCTI Antonini, Dómine,  
Confessoris tui atque Pontí-  
ficis méritis adjuvémur: ut,  
sicutte in illo mirábilem præ-  
dicámus, ita in nos miseri-  
córdem fuisse gloriémur. Per  
Dóminum nostrum.

*Deinde fit commemoratio  
sanctorum Gordiani et Epi-  
machi, martyrum.*

*Antiphona.*

Lux perpétua lucébit sanc-  
tis tuis, Dómine, et ætéritas  
témporum. Allelúia.

Ÿ. Sancti et justi, in Dó-  
mino gaudéte. Allelúia.

Ŧ. Vos elégit Deus in hæ-  
reditátem sibi. Allelúia.

ORATIO.

DA, quæsumus, omnipotens  
Deus, ut, qui beatórum már-  
tyrum tuórum Gordiáni et  
Epímachi solémnia cólimus,  
eórum apud te intercessióni-  
bus adjuvémur. Per Dómi-

num nostrum Jesum Chris-  
tum.

*In Hymno Iste confessor  
mutatur tertius Versus.*

*In primo Nocturno, Lectio-  
nes de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

ANTONINUS, Floréntiæ ho-  
néstis paréntibus natus, ab  
ipsa jam puerítia egrégium  
futúre sanctitátis spécimen  
exhibuit. Annum agens sex-  
tum decimum, religióem  
Prædicatórum ampléxus, cœ-  
pit exinde máximis clarére  
virtútibus. Otio perpétuum  
bellum indíxit: post noctúr-  
num brevem somnum primus  
matutinis précibus áderat;  
quibus persolútis, réliquum  
tempus noctis oratióibus,  
aut certe lectióri, et scrip-  
tióri librórum tribuébat: et  
si quando importúnior fessis  
membris somnus obréperet,  
ad parietem paúlulum decli-  
náto cápite, ac tantisper dis-  
cússo somno, móx sacras vi-  
gilias avidius repetébat.

Ŧ. Invéni David servum  
meum, óleo sancto meo unxi  
eum: \* Manus enim mea auxi-  
liábitur ei. Allelúia.

Ÿ. Nihil proficiet inimicus  
in eo, et filius iniquitátis non  
nocébit ei.

Manus enim.

LECTIO V.

DISCIPLINÆ reguláris sui ip-  
sius severíssimus exáctor, car-  
nes, nisi in gravi ægritúdine,

nunquam edit. Humi, aut in nudo tabulato cubabat: cilicio semper usus, et interdum zona ferrea ad vivam cutem incinctus, virginitatem integerrime semper coluit. In explicandis consiliis tantæ dexteritatis fuit, ut communi elógio Antoninus consiliorum diceretur. Adeo autem in eo humilitas enituit, ut etiam cænobiis, ac provinciis præfectus, abjectissima monasterii officia demississime obiret. Ab Eugénio quarto Florentinus Archiepiscopus renuntiatus, ægerrime tandem, nec nisi Apostolicis minis perterrefactus, ut Episcopatum acciperet, acquievit.

R. Pó sui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia.

V. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

#### LECTIO VI.

IN eo múnere vix dici potest quantum prudentia, pietate, charitate, mansuetudine, et sacerdotáli zelo excelluerit. Illud mirandum, tantum ingenio valuisse, ut omnes ferme scientias per se, nullo adhibito præceptore, absolutissime didicerit. Tandem post multos labores, multis etiam editis insignis doctrinæ libris, sacra Eucharistia, et

Uctione percépta, complexus Crucifixi imaginem, mortem lætus aspexit sexto nonas máii, millésimo quadringentésimo quinquagésimo nono. Miráculis, vivens et post mortem conspicuus, Sanctorum número adscriptus est ab Adriáno sexto anno Dómini millésimo quingentésimo vigésimo tertio.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercédât pro peccátis ómnium populórum. Alleluia.

V. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cœlestia regna.

Ipse intercédât.

Glória patri.

Ipse intercédât.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Homo peregre proficiscens, de Comuni Confessoris Pontificis, lxxvij.*

*Pro sanctis martyribus Gordiano et Epimacho.*

#### LECTIO IX.

GORDIANUS iudex, cum ad eum Januárius Présbyter, ut condemnaretur, sub Juliáno apóstata ductus esset, ab eodem in Christiána fide instructus, cum uxóre, et quinquaginta tribus aliis ex eadem familia Romæ baptizatur. Quare Præfectus, relegato Januário, Gordianum a Clementiáno vicário inclúdi



jubet in cárcerem: qui póstea eúndem Gordiánum vinctum caténis ad se accersitum, cum a fidei propósito deterrere non posset, plumbátis diu cæsum, cápite plecti imperat. Cujus corpus ante Apóllinis templum cánibus objéctum, noctu a Christiánis via Latína sepelitur in eádem crypta, in quam reliquiæ beáti Epímachi mártiris translátæ fúerant ab Alexandría: ubi is diu propter Christi confesiónem constrictus in cárcere, postrémo combústus, martyrio coronátus est.

Te Deum laudámus, 18.

*In Laudibus pro commemoratione SS. Gordiani et Epimachi martyrum.*

*Antiphora.*

Filiæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mátyrescum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætitiæ. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Pretiósá in conspéctu Dómini. Allelúia.

Ŗ. Mors sanctórum ejus. Allelúia.

*Oratio* Da, quæsumus, ut *supra*, 633.

## DIE XII MAIL.

IN FESTO SS. NEREI, ACHILLEI, DOMITILLÆ VIRGINIS, ATQUE PANCRATII, MARTYRUM.

(SEMIDUPLEX.)

*Omnia de Comuni Martyrum tempore Paschali, xli, præter sequentia.*

## ORATIO.

SEMPER nos, Dómine, mátyrum tuórum Nérei, Achillei, Domitillæ, atque Pancratii fóveat, quæsumus, beáta solémnitas: et tuo dignos reddat obséquio. Per Dóminum nostrum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

NEREUS et Achilleus fratres, eunúchi Fláviæ Domitillæ, a beáto Petro una cum ipsa, ejúsque matre Plautilla baptizáti, cum Domitillæ persuasissent, ut virginitátem suam Deo consecráret, ab ejus sponso Aureliáno tanquam Christiáni accusáti, ob præcláram fidei confesiónem in Póntiam insulam relegántur: ubi ad quæstiónem íterum vocáti, et verbéribus cæsi, mox Tarracinam perducti, a Minúcio Rufo, equúleo et flammis cruciáti, cum constánter negárent, se a sancto Petro Apóstolo baptizátos, ullis torméntis cogi posse, ut idólis immolárent, secúri percússi sunt: quorum córpora ab Auspicio eórum discipulo, et Domitillæ educátore, Romam deláta, via Ardeatina sepúlta sunt.

Ŗ. Lux perpétua lucébit sanctis suis, Dómine, \* Et ætérnitas témporum. Allelúia, allelúia.

✠. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exultatióem obtinébunt.

Et ætérnitas.

## LECTIO V.

**F**lavía Domitilla, virgo Romána, Titi et Domitiáni Imperatórum neptis, cum sacrum virginitátis velámen a beáto Cleménte Papæ accepisset, ab Aureliáno sponso, Titi Aurélii Cónsulis filio, deláta quod Christiána esset, a Domitiáno Imperátore in insulam Póntiam est deportáta, ubi in cárcere longum martyrium duxit. Demum Tarracínam dedúcta, íterum Christum confessa, cum semper constántior apparéret, sub Trajáno Imperátore, júdicis jussu incénso ejus cubículo, una cum Theodóra et Euphrósyna virginibus, et collectáneis suis, gloriósi martyrii cursum confécit, nonis máii : quarum córpora íntegra invénta, a Cæsário Diácono sepúlta sunt. Hac vero die duórum fratrum ac Domitillæ córpora ex Diacónia sancti Adriáni simul transláta, in ipsórum Mártyrum Basilicam, tituli Fasciolæ, restitúta sunt.

R). In servis suis. Allelúia.  
\* Consolábitur Deus. Allelúia.

✠. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis.

Consolábitur.

## LECTIO VI.

**P**ancrátius, in Phrygia nóbili génere natus, puer quatuórdecim annórum, Romam venit Diocletiano et Maximiano Imperatóribus : ubi a Pontífice Romano baptizátus, et in fide Christiána eruditus, ob eámdem paulo post comprehénsus, cum diu sacrificáre constánter renuisset, virili fortitúdine datis cervicibus, illústrem martyrii coronam consecútus est : cujus corpus Octavilla matróna noctu sústulit, et unguentis delibútum via Aurélia sepelivit.

R). Filíæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum coronis, quibus coronávit eos Dóminus, \* In die solemnitátis et lætitiae. Allelúia.

✠. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedixit filios tuos in te.

In die.

Glória Patri.

In die.

## IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundum Joánnem.

## LECTIO VIII.

[Cap. 4.]

**I**n illo témpore, Erat quidam régulus, cujus filius infirmabátur Caphárnaum. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii  
Papæ.

[Hom. 28, hab. in Bas. hor. SS. Mart.]

**Q**UID est quod régulus Dóminum rogat, ut ad ejus filium véniat, et tamen ire corporáliter recusat: ad servum vero centuriónis non invitá-tur, et tamen se corporáli-ter ire pollicétur? Reguli fi-lio per corporálem præsen-tiam non dignátur adesse, centuriónis servo non dedig-nátur occurrere. Quid est hoc, nisi quod supérbia nos-tra retúnditur, qui in homi-nibus non natúram, qua ad imáginem Dei facti sunt, sed honóres et divítias venerá-mur? Redemptor vero nos-ter ut osténderet, quia quæ alta sunt hóminum despi-ciénda sunt, et quæ despécta sunt hóminum, despiciénda non sunt, ad filium réguli ire nóluit, ad servum centu-riónis ire parátus fuit.

**R.** Ego sum vitis vera, et vos pálmities: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Allelúia, allelúia.

**Y.** Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos.

Qui manet.

#### LECTIO VIII.

**I**NCREPATA est ergo supérbia nostra, quæ nescit pensáre hómines propter hómines. Sola, ut dicimus, quæ cir-cústant homínibus pensat, natúram non áspicit, honó-

Vern.

rem Dei in homínibus non agnóscit. Ecce ire non vult Filius Dei ad filium réguli: et tamen veníre parátus est ad salútem servi. Certe si nos cujúspiam servus rogáret, ut ad eum ire deberémus, pró-tinus nobis nostra supérbia in cogitatióne tácita respon-déret, dicens: Non eas, quia temetípsam degéneras, ho-nor tuus despíctur, locus viléscit. Ecce de cælo venit, qui servo in terra occurrere non déspicit: et tamen hu-miliári in terra contémnimus, qui de terra sumus.

**R.** Cándidi facti sunt Naza-ræi ejus. Allelúia. Splendó-rem Deo dedérunt. Allelúia. \* Et sicut lac coaguláti sunt. Allelúia, allelúia.

**Y.** Candidiôres nive, niti-diôres lacte, rubicundiôres ébore antiquo, sapphiro pul-chriôres.

Et sicut.

Glória Patri.

Et sicut.

#### LECTIO IX.

**N**OLITE ergo intra vosmet-ipsos pensáre quod habétis, sed quid estis. Ecce mundus qui diligitur, fugit. Sancti isti, ad quorum tumbam con-sistimus, floréntem mundum mentis despéctu calcavérunt. Erat tunc vita longa, salus contínua, opuléntia in rebus, fœcúnditas in propágine, tranquillitas in diutúrna pace:

et tamen cum in seipso floréret, jam in eórum córdibus mundus arúerat. Ecce jam mundus in seipso áruit, et adhuc in córdibus nostris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, úndique percútimur, úndique amaritudinibus replémur: et tamen cæca mente carnális concupiscéntiæ ipsas ejus amaritudines amámus, fugiéntem séquimur, labénti inhærémus.

Te Deum laudámus, 18.

~~~~~

DIE XIV MAII.

**SANCTI BONIFACII,**  
martyris.

ORATIO.

**D**A, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui beáti Bonifáccii mártiris tui solémnia cólimus, ejus apud te intercessionibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

LECTIO II.

**B**ONIFACIUS, civis Románus, quod cum Aglæe nóbili matróna impudice versátus esset, tanto illius intemperantiæ dolóre captus est, ut pœnitentiæ causa se ad conquirénda et sepeliénda Mártirum córpora contúlerit. Itaque relictis peregrinationis sóciis, cum Tarsi multos propter Christiánæ fidei professionem váriis tormentis cruciátos vidisset, illórum víncula osculátus, eos vehe-

ménter hortabátur, ut constánter supplicia perférrent, quod brevem labórem sempitérna réquies consecutúra sit. Comprehensus igitur, férreis úngulis excarnificátus est: cui étiam inter mánuum ungues et carnem acúti cáлами sunt infixi, plumbúmque liquefactum in os ejus infúsum. Quibus in cruciátibus ea vox tantum Bonifáccii audiebátur: Grátias tibi ago, Dómine Jesu Christe, Fili Dei.

LECTIO III.

**M**ox in ollam fervéntis picis demisso cápite conjéctus est: unde cum inviolátus exisset, ira incensus judex eum securi pércuti jubet. Quo tempore magnus terræ mótus factus est, ita ut multi infidéles ad Christi Dómini fidem converteréntur. Eum sequénti die quérentes sócii, cum mártirio afféctum cognovissent, quingéntis sólidis ejus corpus redemérunt, et conditum unguéntis, linteisque involútum Romam portándum curárun. Quod factum cum ab Angelo Aglæe matróna, quæ et ipsa pœnitens se piis opéribus addixerat, cognóvisset, pródiens óbviam sancto córpori, Ecclesiám ejus nómine ædificávit, in qua corpus sepúltum est nonis júni, cum ejus ánima pridie idus maii apud Tarsum Ciliciæ urbem migráset



in cœlum, Diocletiano et Maximiano Imperatoribus.

Te Deum laudamus, 18.

DIE XVI MAII.

in festo

**SANCTI UBALDI,**

episcopi et confessoris.

(SEMIDUPLEX.)

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis lxviii, præter ea quæ sequuntur.*

ORATIO.

**AUXILIUM** tuum nobis, Domine, quæsumus, placatus impende: et intercessione beati Ubaldi Confessoris tui atque Pontificis, contra omnes diaboli nequitiæ dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum nostrum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**UBALDUS**, Eugubii in Umbria nobili genere natus, a primis annis pietate et litteris egregie est institutus: jamque adolescens, ut uxorem duceret, sæpe tentatus, nunquam tamen a proposito servandæ virginitatis recesit. Sacerdos effectus, patrimonium suum pauperibus et Ecclesiis distribuit, et Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini institutum suscipiens, illud in patriam transtulit, atque in

eo aliquamdiu sanctissime vixit. Cujus sanctitatis opinione evulgata ab Honório secundo summo Pontifice Ecclesiæ Eugubinæ invitus præficitur, et Episcopalis consecrationis munere decoratur.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia.

Y. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocēbit ei.

Manus enim.

LECTIO V.

**AD** suam itaque revērens Ecclesiā, cum de consueta vivendi ratione nihil admodum immutasset, in omni tamen virtutum genere eo magis eminere cepit, quo efficacius aliorum etiam salutem verbo et exemplo procuraret, factus forma gregis ex animo. Nam victu parco, vestitu moderato, lectulo aspero, et pauperrimo, Crucis mortificationem jūgiter in suo corpore circumferēbat, dum inexplēbili orationis studio spiritum quotidie recrearet. Hinc admirabilem illam mansuetudinem est adeptus, qua gravissimas injurias, et contumelias non modo æquanimiter tulit, verum etiam mirifico dilectionis affectu persecutores suos omni benignitatis testimonio complectebatur.

R. Pósuí adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : \* Manus enim mea auxiliábitur ei. Allelúia.

✠. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

#### LECTIO VI.

BIENNIO ántequam ex hac vita migráret, cum diútinis afflictarétur infirmitátibus, inter acerbíssimos córporis cruciátus, velut aurum in fornáce purgátum, Deo grátias indesinénter agébat. Adveniéntem autem sacro Pentecóstes die, cum multis annis Ecclesiám sibi commissam summa cum laude gubernásset, sanctis opéribus, ac miráculis clarus, quiévit in pace : quem Cœlestinus Papa tértius in Sanctórum númerum rétulit. Ejus virtus præcípue in effugándis spiritibus immúndis elúcet : corpus vero per tot sæcula incorrúptum, magna fidélium veneratióne in pátria cólitur quam non semel a præsénti discrimine liberávit.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : \* Ipse intercédât pro peccátis ómnium populórum. Allelúia.

✠. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœlestia regna.

Ipse intercédât.

Glória Patri.

Ipse intercédât.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Homo perégre proficiscens, de Comuni Confessoris Pontificis, lxxviii.*

#### DIE XVII MAII.

IN FESTO

SANCTI PASCHALIS BAYLON, confessoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Comuni Confessoris non Pontificis, præter ea quæ sequuntur.*

#### ORATIO.

DEUS, qui Beátum Paschálem Confessórem tuum mirífica erga Córporis et Sanguinis tui sacra mystéria dilectiône decorásti, concède propítius ut quam ille ex hoc Divino Convívio spiritus percépit pinguédinem, eámdem et nos percipereme reámur. Qui vivis, etc.

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

*Si autem venerit in feria secunda, vel quarta Rogationum, Justus, de Comuni Confessoris non Pontificis, xcj.*

#### IN SECUNDO NOCTURNO.

#### LECTIO IV.

PASCHALIS Báylon, pauperibus, piisque paréntibus in óppido Turris Formósæ Seguntinæ Diocésis in Ara-

gónia natus, a téneris annis plura dedit futúre sanctitátis indicia. Sortitus ánimam bonam, ac rerum cœlestium appríme studiósam, pueritiam, atque adolescéntiam in gregis custódia transégit: quam ille vivéndi ratióne ideo præcípuè diligébat, quod humilitáti fovendæ, ac innocéntiæ conservandæ in primis útilem, atque opportunam iudicáret. Erat in victu módicus, in oratióne assíduus, tantáque apud cœvos et sócios florébat auctoritaté et grátia, ut eórum lites compónens, erróres córrigens, ignorántiam erúdiens, ac desidiam éxcitans, velut ómnium parens et magíster, máximo stúdio colerétur, ac amarétur: Beátus étiam tum a plerisque appellátus.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam. Allelúia.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vías rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit.

#### LECTIO V.

QUI vero in sæculo, terra nempe desérta et inaquósa, ádeo feliciter adoléverat, flos convállium, plantátus in Domo Dómini, mirum ubique sparsit sanctitátis

odórem. Igitur Paschális, arrepto vitæ severiórís instituto, atque in Ordine Minórum strictiórís Observántiæ Discalceatórum cooptátus, exultávit ut gigas ad curréndam viam suam: totúmque se Dómino excoléndum tradens, dies noctésque cogitábat, qua se ratióne magis ei magisque conformáret. Ita factum est brevi, ut eum, tanquam Seráphicæ perfectiónis exemplar, ipsi quoque provectiones imitándum sibi propónerent. Ipse autem in húmili serviéntium gradu constitútus, se, velut ómnium peripsema réputans, árdua quæque et abjecta domus ministéria, véluti jure quodam peculiári sibi debita, summa cum hilaritaté suscipiébat, et exercebat humilitate ac patientia pari. Carnem spíritui quandóque reluctári niténtem jugi maceratióne afflictauit, atque in servitútem redégit: spíritum vero assídua sui abnegatióne ferventiórem in dies ad austerióra extendébat.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: \* Et ad portas paradísi coronávit eum. Allelúia.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

## LECTIO VI.

DEIPARAM Virginem cujus clientelæ se ab ineunte ætate dicaverat, tanquam matrem quotidianis colébat obsequiis, atque filiáli exorabat fidúcia. Porro erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacraméntum, difficile dictu est, quam ardénti teneretur devotiõnis afféctu, quem defunctus étiam in cadávere retinere visus est, dum jacens in féretro, ad Sacræ Hóstiæ elevatiõnem, bis óculos reserávit, et clausit, magna ómnium, qui áderant, admiratiõne. Ejúsdem veritatem inter hæreticos públice palámque proféssus, multa et grávia ob eam causam perpéssus est; crebro étiam ad necem petitus, sed singulári Dei providéntia impiórum mánibus eréptus. Sæpe inter orándum ómnibus destituebátur sénsibus, dulcique languébat amóris deliquio: quo témpore cœlestem illam sciéntiam hausisse créditos est, qua homo rudis et illiterátus de mystériis Fidei difficillimis respondere, atque áliquot étiam libros conscribere pótuit. Dénique méritis plenus, eádem, qua prædixerat hora, feliciter migrávit ad Dóminum, anno salutis millésimo quingentésimo nonagésimo secúndo, sexto décimo kalendas júniij, eódem, quo natus

fúerat, Festo Pentecóstes recurrénte, annum agens secúndum supra quinquagésimum. Quibus aliisque virtútibus insignem, ac miraculis tam in vita, quam post mortem clarum Paulus Quintus, Póntifex Máximus illum Beátum appellávit: Alexánder autem Octávus Sanctórum catálogo adscripsit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum, ingrédere in réquiem meam, \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus gentibus.

Y. Iste est qui contépsit vitam mundi, et pervénit ad cœlestia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri, de Communi Confessoris non Pontificis, xcviij, in Vesperis a capitulo de sequenti Festo, commemoratio præcedentis.*

~~~~~

DIE XVIII MAII.

IN FESTO S. VENANTII,  
martyris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Martyrum tempore Paschali, xxxix, præter ea quæ hic habentur propria.*

AD VESPERAS.

HYMNUS.

MARTYR Dei Venántius,



**Lux** et decus Camértium,  
Tortóre victo et júdice:  
Lætus triúmphum cóncinit.

Annis puer, post víncula,  
Post cárceres, post vérbera,  
Longa fame frémentibus  
Cibus datur leónibus.

Sed ejus innocéntiæ  
Parcit leónum immánitas,  
Pedésque lambunt mártiris  
Iræ famisque immémores.

Verso deórsum vértice  
Haurire fumum cógitur;  
Costas utrimque et víscera  
Succénsa lampas ústulat.

Sit laus Patri, sit Fílio,  
Tibique, Sancte Spíritus:  
Da per préces Venántii  
Beáta nobis gáudia.

Amen.

*Sic semper terminandus  
est Hymnus prædictus, simi-  
liter ad Matutinum, et ad  
Laudes, ut supra.*

ORATIO.

**DEUS**, qui hunc diem beáti  
Venántii mártiris tui triúm-  
pho consecrásti, exáudi pre-  
ces pópuli tui, et præsta ut,  
qui ejus mérita venerámur,  
fidei constántiam imitémur.  
Per Dóminum nostrum Je-  
sum Christum Fílium tuum,  
qui tecum vivit et regnat.

**AD MATUTINUM.**

HYMNUS.

**ATHLETA** Christi nóbilis  
Idóla damnat géntium,  
Deíque amóre sáucius  
Vitæ perícла despícit.

Loris revíctus áspiris

E rupe præceps vólvitur:  
Spinéta vultum lánçant,  
Per saxa corpus scínditur.

Dum membra raptant már-  
tyris,

Languent siti satéllites,  
Signo Crucis Venántius  
E rupe fontes élicit.

Bellátor o fortíssime,  
Qui pérfidis tortóribus  
E caute præbes póculum,  
Nos rore grátiae írriga.

Sit laus Patri, sit Fílio,  
Tibique, Sancte Spíritus:  
Da per preces Venántii  
Beáta nobis gáudia.

Amen.

*In primo Nocturno, Lec-  
tiones de Scriptura occur-  
rente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**V**ENANTIUS Camers quínde-  
cim annos natus, cum Chris-  
tiánæ religiónis accusarétur  
apud Antíochum, qui sub  
Décio Imperatóre Cameríno  
præerat, in porta civitátis  
Præsidi se óbtulit: quem ille  
pollicitatióibus ac terróri-  
bus diu tentátum, flagris  
cædi, et vínculis astringi jus-  
sit: sed iis mirábiliter ab  
Angelo solútus, lampádibus  
póstea adúritur, atque in-  
vërso ore fumo suppósito  
suspenditur. Ejus constán-  
tiam in torméntis demirátus  
Anastásius Corniculárius, et  
quod eum ab Angelo íterum  
solútum cándida veste supra

fumum ambulántem vidisset, in Christum crédidit, et a beáto Porphyrio Presbytero cum familia baptizátus, paulo post mártýrii palmam cum eódem proméruiť.

℞. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et ætérnitas témporum. Allelúia.

℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exultatióem obtinébunt.

Et ætérnitas.

#### LECTIO V.

AT Venántius Præsidi sístítur, et ab eo íterum frustra tentátus ut Christi fidem deséreret, in cárcerem conjicitur : quo Attalus Præco míttitur, qui ei dicat, se quoque Christiánum fuisse, et ei nómini proptérea renuntiásse, quod cognóvisset ináne esse fidei comméntum, quo Christiáni præsentibus se ábdicant ob vanam futurórum spem. Verum nóbilis Christi athléta cállidi hostis insídias non ignórans, diaboli místrum a se pénitus rejécit. Quare ad Præsidentem íterum addúcto, omnes contúsi sunt dentes, maxillæque confráctæ; atque ita cæsus in sterquilínium dejícitur. Sed inde ab Angelo quoque eréptus, rursus stetit ante júdicem, qui, Venántio adhuc loquénťe, e tribunáli cécidit, et in ea

voce, Verus est Venánti Deus, nostros deos destrúite, exclámans expirávit.

℞. In servis suis. Allelúia, \* Consolábitur Deus. Allelúia.

℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis.

Consolábitur.

#### LECTIO VI.

QUOD cum Præsidi nuntiátum esset, extémplo Venántium leónibus óbjici jussit, qui naturáli feritáte omíssa, ad ejus se pedes abjecérunt : interim ille pópulum Christi fidem edocébat. Quare inde amótus, íterum in cárcerem tráditur. Cumque postridie Præsidi reférret Porphyrius, se per visum noctu pópulos, quos Venántius aqua tingébat, claríssima luce fulgéntes, ipsum vero Præsidentem obcuríssima calígne opértum vidisse, Præses ira incénsus, eum illico cápite plecti ímpérat : deinde Venántium per loca vépribus et cárduis cónsita trahi usque ad vésperam. Is cum semiánimis relictus esset, mane se íterum Præsidi præsentávit, cujus jussu statim e rupe præcipitátur : sed inde étiam divínitus eréptus, dénuo per loca áspera ad mille passus tráhitur : ubi militibus siti æstuántibus, in próxima conválle ex lápide, in quo et génuum formam reliquit

sicut étiam nunc in ejus Ecclésia vidére licet, Crucis signo a Venántio facto, aquæ manárunt. Eo miraculo plures permóti, in Christum credidérunt: quos omnes Præses eo loco una cum Venántio cápite feriri jussit. Fúlgura et terræ mótus eo témpore ita magni fuére, ut Præses aufúgeret: qui paucis tamen post diébus divínam haud valens effúgere justitiam, turpíssimam mortem oppétiit. Christiáni interim Venántii et aliórum córpora honorífico loco sepeliérunt, quæ Camerini in Ecclésia Venántio dicáta cóndita adhuc sunt.

R. Filie Jerúsalem, venite et vidéte Mártýres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus, \* In die solemnitátis et lætitiæ. Allelúia.

V. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit filios tuos in te.

In die.

Glória Patri.

In die.

*In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia sancti Augustini Episcopi in Evangelium Ego sum vitis vera, de Communi Martyrum tempore Paschali, xlv.*

AD LAUDES.

HYMNUS.

DUM nocte pulsa lúifer Diem propínquam núntiat,

Nobis refert Venántius  
Lucis beátæ múnera.

Nam criminum caliginem,  
Stygisque noctem depulit,  
Veróque cives lúmine  
Divinitátis imbuit.

Aquis sacri baptismatis  
Lustrávit ille pátriam:  
Quos tinxit unda milites,  
In astra misit mártýres.

Nunc Angelórum párticeps,  
Adésto votis súpplicum:  
Procul repélle crimina,  
Tuúmque lumen ingere.

Sit laus Patri, sit Fílio,  
Tibique, Sancte Spíritus:  
Da per preces Venántii  
Beáta nobis gáudia.

Amen.

*In secundis Vesperis fit a Capitulo de sequenti, cum commemoratione præcedentis, et sanctæ Pudentiæ virginis.*

~~~~~

DIE XIX MAII.

IN FESTO

S. PETRI COELESTINI,

papæ et confessoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis, lxviii, præter ea quæ sequuntur.*

ORATIO.

DEUS, qui beátum Petrum Cœlestinum ad summi Pontificátus ápicem sublimásti, quique illum humilitáti postpónere docuísti, concéde propítius ut ejus exémplo cuncta mundi despícere, et

ad promissa humilibus præmia pervenire feliciter mereamur. Per Dóminum nostrum.

*Deinde fit commemoratio sancti Venantii martyris.*

*Antiphona.*

Sancti et justi in Dómino gaudete. Allelúia : vos elegit Deus in hereditatem sibi. Allelúia.

℣. Pretiosa in conspectu Dómini. Allelúia.

℞. Mors sanctorum ejus. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui hunc diem, *ut supra*, 643.

*Postea sanctæ Pudentiæ virginis.*

*Antiphona.*

Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dóminus præparavit in æternum. Allelúia.

℣. Spécie tua, et pulchritudine tua. Allelúia.

℞. Intende, prospere procede, et regna. Allelúia.

ORATIO.

**E**XAUDI nos, Deus salutaris noster, ut, sicut de beátæ Pudentiæ virginis tuæ festivitáte gaudemus, ita piæ devotiõis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**P**ETRUS, a nómine quo Póntifex est appellátus, Cœ-

lestinus dictus, honestis Catholicisque paréntibus Æserniæ in Samnitibus natus, adolescentiam vix ingressus, ut ánimum a mundi illécebris custodiret, in solitudinem secéssit. Ibi contemplationibus mentem nútriens, corpus in servitútem rédicens, férream caténam ad nudam carnem adhibébat. Congregationem, quæ postea Cœlestinórum dicta est, sub Régula sancti Benedicti instituit. Hinc quasi lucérna supra candelábrum pósita, cum abscondi nequirit (Romána Ecclésia diu viduáta Pastóre) in Petri Cáthedram ignórans et absens adscitus, magna novitátis admiratióne non minus quam repentino gáudio cunctos affécit. Cum autem in Pontificátus sublimitáte collocátus, váriis disténtus curis, assuétis incúmbere meditationibus vix posscognósceret, óneri páriter et honóri voluntárie cessit. Indéque priscam vitæ rationem répetens, obdormívit in Dómino : ejúsque pretiósam mortem Crux præfúlgens in áere ante cubiculi óstium reddidit ámplius gloriósam. Miráculis multis tam vivens, quam post óbitum cláruit : quibus rite examinátis Clemens quintus, anno postquam decéssit undécimo, Sanctorum número adscripsit.

℞. Inveni David servum



meum, óleo sancto meo unxi eum : \* Manus enim mea auxiliábitur ei. Alleluia.

✠. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei.

Manus enim.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

## LECTIO V.

[Lib. 10, c. 16 in e. 12 Job.]

**DERIDETUR** justí simplicitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatióibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a pueris pretio discitur : hanc qui sciunt, ceteros despiciendo superbunt : hanc qui nesciunt, subiecti et timidi in aliis mirantur : quia ab eis hæc eadem duplicitátis iniquitas nómine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honorum cúlmina quærere, adépta temporális glóriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere : cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere ; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacífica bonitate simulare.

℞. Pósuí adjutórium super

poténtem, et exaltávi electum de plebe mea : \* Manus enim mea auxiliábitur ei. Alleluia.

✠. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

## LECTIO VI.

**AT** contra, sapiéntia justorum est, nil per ostensiónem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitáre, bona gratis exhibere, mala libéntius toleráre, quam fácere, nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritate contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justorum simplicitas deridetur : quia ab hujus mundi sapiéntibus, puritatis virtus fatuitas créditur. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis procul dúbio stultum putatur : et quidquid in ópere véritas approbat, carnáli sapiéntiæ fatuum sonat. Quid namque stultius videtur mundo, quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injuriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, possessa relinquere, rapiénti non resistere, percutiénti álteram maxillam præbere ?

℞. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus

repléta est : \* Ipse intercédât pro peccátis ómnium populórum. Alleluía.

Ÿ. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Ipse intercédât.

Glória Patri.

Ipse intercédât.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 19.]

IN illo témpore, Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

[Hom. in natali sancti Benedicti.]

**P**ERFECTUS ille est, qui ábiens vendit ómnia quæ habet, et dát paupéribus, ac véniens sequitur Christum : habébit enim thesáurum non deficientem in cœlis. Unde bene interrogánte Petro, dixit talibus Jesus : Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. In hac quippe vita pro ejus nómine laborántes, in ália præmium speráre dócuit : id est, in rege-

neratióne, cum videlicet in vitam immortalém fuérimus resurgéndo regeneráti, qui in vitam cadúcam mortáliter erámus géniti.

R). Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum : \* Et ad portas paradisi coronávit eum. Alleluía.

Ÿ. Induit eum Dóminus lorícám fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

LECTIO VIII.

**E**T justa prorsus retribútió, ut qui hic pro Christo humanæ glóriam celsitudinis neglexérunt, illic a Christo júdices glorificáti, singuláriter cum eo assideant, qui a sequéndis ejus vestigiis nulla ratióne póterant avélli. Nemo autem putet : duódecim tantum Apóstolos, quia pro Juda prævaricánte Mathias eléctus est, tunc esse judicatúros : sicut nec duódecim solæ sunt tribus Israel judicándæ : alióquin tribus Levi, quæ tertiadécima est, in judicáta recédet.

R). Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardéntes in mânibus vestris : \* Et vos similes homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. Alleluía.

Ÿ. Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.

Et vos.

Glória Patri.

Et vos.

*Pro sancta Pudentiana virgine.*

LECTIO IX.

**P**UDENTIANA virgo, Pudéntis Románi filia, paréntibus orbáta, cum admirábili pietáte Christiánam religiónem cóleret, una cum soróre Praxéde pecúniám ex véndito património redáctam paupéribus distribuit, seque jejúniis et oratióibus dedit. Cujus étiam ópera tota ejus família, in qua erant nonaginta sex hómínes, a Pio Pontífice baptizáta est. Quod autem ab Antoníno Imperatóre sancítum erat, ne Christiáni públice sacrificia fácerent, Píus Póntifex in ædibus Pudentiánæ cum Christiánis sacra celebrábat. Quibus illa bénigne accéptis quæ ad vitam necessariá essent, supeditábat. Itaque in his Christiánæ pietátis officiis migrávit e vita, et in sepúlcro patris ad coemeterium Priscillæ via Salária sepúlta est, decimoquárto kaléndas júni.

Te Deum laudámus, 18.

*Si hoc Festum contingat transferri, nona Lectio dicitur ut sequitur.*

LECTIO IX.

**E**T Paulus, qui tertiusdecimus est Apóstolus, judicándi sorte privábitur, cum ipse

dicat: Nescitis quóniam ánge-  
los judicábimus, quanto magis sæculária? Sciéndum namque est, omnes qui ad exémplum Apostolórum sua reliquérunt ómnia, et secúti sunt Christum, judices cum eo ventúros, sicut étiam omne mortálium genus esse judicándum. Quia enim duodenário sæpe número solet in Scriptúris univérsitas designári, per duódecim sedes Apostolórum, ómnium numerósitas judicántium, et per duódecim tribus Israel univérsitas eórum, qui judicándi sunt osténditur.

Te Deum laudámus, 18.

*In Laudibus fit commemoratio sanctæ Pudentiænæ.*

*Antiphona.*

Simile est regnum cœlorum hómíni negotiátóri quærenti bonas margaritas: invénta una pretiósá, dedit ómnia sua, et comparávit eam. Allelúia.

✠. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Allelúia.

℟. Proptérea bénedixit te Deus in ætérnum. Allelúia.

*Oratio* Exáudi nos, Deus salutáris noster, ut *supra*, 646.

*In secundis Vesperis, ad Magnificat, Antiphona* Dum esset summus Póntifex, lxxx, *cum commemoratione sancti Bernardini confessoris, ut infra.*

~~~~~  
DIE XX MAIL.

in festo

S. BERNARDINI SENENSIS,  
confessoris.

( SEMIDUPLEX. )

*Omnia ut in Communi  
Confessoris non Pontificis ,  
lxxxvüj, præter sequentes.*

ORATIO.

**DOMINE** Jesu, qui beato Bernardino Confessori tuo eximium sancti nominis tui amorem tribuisti, ejus, quaesumus, meritis et intercessionem, Spiritum nobis tuæ dilectionis benignus infunde. Qui vivis et regnas. In unitate ejusdem Spiritus.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**BERNARDINUS** Albizésca nobili Senénsi familia ortus, ab ineunte ætate non obscura sanctitatis dedit indicia: nam a piis paréntibus honeste educatus, neglectis puerilibus ludis, inter primam grammaticæ stúdia, pietatis opéribus ánimum inténdit, jejúniis, orationi, et beatissimæ Virginis cultui præcipue addictus. Misericórdia vero in páuperes fuit insigni: quæ quidem ómnia procedente tempore quo melius posset excólere, eórum

número adscribi vóluit, qui Senis in hospitáli domo beátæ Mariæ de Scala Deo inserviunt: unde complures sanctitáte célebres viri prodierunt. Ibi córporis afflictatione, et ægrotantium cura, dum atrox pestiléntia grassaretur, incredibili charitáte sese exércuit. Inter céteras autem virtútes, castitatem, egrégia forma repugnante, sanctissime custodivit, ádeo, ut eo præsentem nemo umquam, ne impudentissimus quidem, verbum minus honestum proférre auderet.

R). Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum, \* Et dedit illi claritátem ætéram. Alleluia.

✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

LECTIO V.

**GRAVI** morbo tentátus, eoque ad quatuor menses patientissime toleráto, demum incólumis, de religiósæ vitæ institúto capesséndo deliberare cœpit: quo ut sibi viam muniret, ædiculam in extrémâ urbe condúxit, inquam cum sese abdidisset, asperrimam omni ex parte vitam trahébat, Deum assidue orans, ut quid sibi sequéndum esset, osténderet: quare divinitus factum est, ut beáti Fran-



cisci Ordinem præ ceteris optaret, in quo humilitate, patientia, aliisque religiosi hominis virtutibus excelluit. Id cum cœnobii rector animadverteret, jamque antea Bernardini doctrinam, et sacrarum Litterarum peritiam perspectam haberet, prædicandi onus eidem impôsuit: quo humillime suscepto, cum se minus idôneum agnôceret ob vocis exilitatem ac raucitatem, Dei ope implorata, non sine miraculo ejusmodi impedimento liberatus est.

R. Amavit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronávit eum. Allelúia.

Y. Induit eum Dóminus lorica fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

#### LECTIO VI.

CUMQUE ea témpora vitiis criminibusque redundarent, et cruéntis factiónibus in Itália divina humanaque omnia permixta essent, Bernardinus urbes atque oppida concursans, in nómine Jesu, quem semper in ore et in pectore gerébat, collápsam pietatem morésque, verbo et exémplo, magna ex parte restituit: quo factum est, ut præclæræ civitates eum sibi Episcopum a summo Pontifice postularent: quod illè

munus invicta humilitate constantissime rejécit. Denique vir Dei imménsis laboribus exhaustus, multis magnisque éditis miraculis, libris étiam pie doctèque conscriptis, cum vixisset annos sex ac sexaginta, in urbe Aquila in Vestinis beáto fine quíevit. Quem novis in dies coruscantem signis, anno post óbitum sexto Nicoláus quintus Póntifex Máximus in Sanctórum número rétulit.

R. Iste homo perfécit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam, \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus géntibus. Allelúia.

Y. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

Te Deum laudámus, 18.

DIE XXV MAII.

in festo

S. MARIE MAGDALENÆ

de Pazzis, virginis.

(SEMIDUPLIX.)

*Antiphona.*

Veni, sponsa Christi, accípe coronam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. Allelúia.

Y. Spécie tua, et pulchritudine tua. Allelúia.

R. Inténde, prospere procéde, et regna. Alleluia.

ORATIO.

**D**EUS, virginitatis amátor, qui beátam Mariam Magdalénam virginem tuo amore succénsam coeléstibus donis decorásti, da ut, quam festiva celcbritate venerámur, puritate et charitate imitémur. Per Dóminum.

*Deinde fit commemoratio S. Urbani Papæ et martyris.*

*Antiphona.*

Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et æternitas téporum. Alleluia.

✠. Sancti et justi, in Dómino gaudéte. Alleluia.

R. Vos elégit Deus in hæreditatem sibi. Alleluia.

ORATIO.

**D**A, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui beáti Urbáni mártiris tui atque Pontificis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**M**ARIA Magdaléna illustrióri Pazziórum génere Floréntiæ nata, fere ab incunábulis iter perfectiónis arrípuit. Decénis perpétuam virginitatem vovit, susceptoque hábitu in Monastérios sanctæ Mariæ Angelórum Ordinis Carmelitá-

rum, se ómnium virtutum exémpplar exhibuit. Adeo casta fuit, ut quidquid puritatem lædere potest, pénitus ignoráverit. Quinquénium, Deo jubénte, solo pane et aqua transégit, excéptis diébus Dominicis, quibus cibis quadragesimálibus vescebátur. Corpus suum cilicio, flagéllis, frigore, inedia, vigiliis, nuditate, atque omni poenarum génere cruciábat.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et dedúcet te mirabiliter dextera tua. Alleluia.

✠. Spécie tua, et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Et dedúcet.

LECTIO V.

**T**ANTO igne divini amoris æstuábat, ut ei ferendo impar, ingesta aqua pectus refrigerare cogeretur. Extra sensus frequenter rapta, diuturnas et admirabiles éxtases passa est, in quibus et arcana coeléstia penetrávit, et eximius a Deo grátiis illustráta fuit. His autem munita, longum certámen a principibus tenebrarum sustinuit, árida, desoláta, ab ómnibus derelicta, variisque tentationibus vexáta, Deo sic permittente, ut invictæ patientiæ, ac profundissimæ humilitatis exémpplar præbéret.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. Alleluia.

Y. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea unxit.

## LECTIO VI.

CHARITATE erga proximum singulariter enituit; nam sæpe noctes ducēbat insomnes, vel obeūdis Sororum ministeriis, vel inserviēdo infirmis occupata: quarum aliquādo ulcera lambens sanavit. Infidelium, et peccatorum perditionem amare deflens, se ad quælibet pro illorum salute tormenta paratam offerebat. Multis ante obitum annis, universis cœli deliciis, quibus copiose affluēbat, herōica virtute renūtiāns, illud frequenter in ore habebat: Pati, non mori. Tandem longa et gravissima infirmitate exhausta, transivit ad Sponsum die vigesima quinta maii, anno millésimo sexcentésimo séptimo, explēto anno quadragesimo primo ætatis suæ. Eam multis in vita, et post mortem miraculis clarā Clemens nonus sanctarum Virginum número adscripsit: cuius corpus in præsentem diem incorruptum conservatur.

R. Afferentur Regi virgines post eam, proximæ ejus \* Afferentur tibi in lætitia et exultatione. Alleluia.

Y. Spécie tua et pulchritudine tua intēde, prospere procéde, et regna.

Afferentur.

Glória Patri.

Afferentur.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium* Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, *ut in Communi Virginum*, cxx.

*Pro Sancto Urbano, papa et martyre.*

## LECTIO IX.

URBANUS Romānus, Alexandro Severo Imperatore, doctrina et vitæ sanctitate multos ad Christi fidem convertit: in illis Valerianum, beatæ Cæcilie sponsum, et Tiburtium Valeriani fratrem, qui postea martyrium forti animo subiērent. Hic de bonis Ecclesiæ attributis scripsit his verbis: Ipsæ res fidelium, quæ Dōmino offeruntur, non debent in alios usus, quam Ecclesiasticos et Christianorum fratrum, vel indigentium converti: quia vota sunt fidelium, et prætia peccatorum, ac patrimonia pauperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quatuor: ac martyrio coronatus, sepultus est in cœmetério Prætextati, octavo kalēdas jūni. Ordinationibus quinque habitis mense decēmbri, creavit Presbyteros novem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca octo.

Te Deum laudamus, 18.

*In Laudibus fit commemoratio sancti Urbani papæ et martyris.*

*Antiphona.*

Filiæ Jerúsalem, veníte, et vidéte Mártyres cum coronis, quibus coronávit eos Dóminus, in die solemnitatis et lætitiæ. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Pretiósá in conspectu Dómini. Allelúia.

℞. Mors sanctórum ejus. Allelúia.

*Oratio* Da, quæsumus, ut *supra*, 652.

*Vesperæ de sequenti, commemoratio præcedentis, et sancti Eleutherii papæ et martyris.*

~~~~~

DIE XXVI MAII.

in festo

SANCTI PHILIPPI NERII,  
confessoris.

( DUPLEX. )

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, lxxxviiij, præter sequentia.*

ORATIO.

DEUS, qui beátum Philip-pum Confessórem tuum, Sanctórum tuórum glória sublimásti, concéde propítius ut, cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum nostrum.

*Fit commemoratio Sanc-*

*tæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, ut supra, 651.*

*Postea Sancti Eleutherii papæ et martyris.*

*Antiphona.*

Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et æternitas téporum. Allelúia.

Ÿ. Sancti et justi, in Dómino gaudéte. Allelúia.

℞. Vos elégit Deus in hæreditátem sibi. Allelúia.

ORATIO.

INFIRMITATEM nostram respice, omnipotens Deus, et, quia pondus propriæ actionis gravat, beáti Eleutherii mártiris tui atque Pontificis intercessio gloriósa nos protégat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO

LECTIO IV.

PHILIPPUS Nérius, piis honestisque paréntibus Floréntiæ natus, ab ipsa ineunte ætáte non obscura dedit futuræ sanctitátis indícia. Adoléscent, ampla pátrui hæreditáte dimissa, Romam se contulit: ubi Philosophia ac sacris Litteris eruditus, totum se Christo dicavit. Ea fuit abstinéntia, ut sæpe jejúnus triduum permanserit. Vigiliis et orationibus intén-tus, septem Urbis Ecclesiás frequenter visitans, apud cœmetérium Callisti in cœ-



llestium rerum contemplatione pernoctare consuevit. Sacerdos ex obedientia factus, in animarum salute procuranda totus fuit: et in confessionibus audiendis ad extremum usque diem perseverans, innumeros pene filios Christo peperit: quos verbi Dei quotidiano pabulo, Sacramentorum frequentia, orationis assiduitate, aliisque piis exercitationibus enutriti cupiens, Oratorii Congregationem instituit.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoriis tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam. Alleluia.

Y. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

## LECTIO V.

CHARITATE Dei vulneratus anguebat jūgiter, tantoque calor ejus æstuabat ardore, ut eum intra fines suos contineri non posset, illius situm, confractis atque elatis ulnibus costulis, mirabiliter Dominus ampliaverit. Sacrum vero faciens, aut ferventius orans, in æra quandoque sublatus, mira undique luce fulgere visus fuit. Egēnos et pauperes omni charitatis officio prosequeretur: dignus, qui et Angelo in specie pauperis elemosynam erogaret,

et dum egētibz noctu panem deferret, in foveam lapsus, inde pariter ab Angelo incolumis eriperetur. Humilitati addictus, ab honoribus semper abhorrui, atque Ecclesiasticas dignitates, etiam primarias, non semel ultro delatas, constantissime recusavit.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. Alleluia.

Y. Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum.

Et ad portas.

## LECTIO VI.

PROPHETIÆ dono fuit illustris, et in animorum sensibus penetrandis mirifice enituit. Virginitatem perpetuo illibatam servavit: idque assecutus est, ut eos, qui puritatem colerent, ex odore, qui vero secus, ex foetore dignosceret. Absentibus interdum apparuit, iisque periclitantibus opem tulit. Aegrotos plurimos, et morti proximos sanitati restituit. Mortuum quoque ad vitam revocavit. Cœlestium spirituum, et ipsius Deiparæ Virginis, frequenter fuit apparitione dignatus, ac plurimorum animas splendore circumfusas in cœlum conscendere vidit. Denique anno salutis millésimo quingentésimo no-

nagésimo quinto, octávo kaléndas júlias, in quem diem inciderat festum Córporis Christi, sacro máxima spíritus exultatióne perácto, ceterisque funciónibus explétis, post médiám noctem, qua prædixerat hora, octogenárius obdormívit in Dómino. Quem Gregórius decimusquintus miráculis clarum in Sanctórum númerum rétulit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam, \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. Allelúia.

Ÿ. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœlestia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri præcincti, ut in Communi Confessoris non Pontificis, xcviij.*

*Pro sancto Eleutherio, Papa et martyre.*

#### LECTIO IX.

ELEUTHERIUS, Nicópoli in Græcia natus, Anicéti Pontificis Diáconus, Cómmodo Imperatóre præfuit Ecclésiæ. Huic initio Pontificátus supplices litteræ venérunt a Lúcio Britannórum rege, ut se ac suos in Christianórum nú-

merum reciperet. Quamóbrém Fugátium et Damiánum, doctos et pios viros, misit in Británniam, per quos rex et réliqui fidem suscéperent. Hoc Pontífice Irenæus Polycárpi discipulus Romam véniens, ab eo benigne accéptus est. Quo témpore summa pace et quiéte fruebatur Ecclésia Dei : ac per totum orbem terrárum, máxime Romæ, fides propagabatur. Vixit Eleuthérius in Pontificátu annos quindecim, dies viginti tres. Fecit Ordinatiónes mense decémbri, quibus creávit Presbyteros duodecim, Diáconos octo, Episcopos per diversa loca quindecim : sepultúsque est in Vaticáno prope corpus sancti Petri.

Te Deum laudámus, 18.

*In Laudibus fit commemoratio sancti Eleutherii.*

*Antiphona.*

Filiæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætitiæ. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Pretiósá in conspéctu Dómini. Allelúia.

R. Mors sanctórum ejus. Allelúia.

*Oratio Infirmítatem nostram, ut supra, 654.*

*In secundis Vesperis fit commemoratio Sancti Joannis, Papæ et martyris.*

~~~~~  
DIE XXVII MAII.

SANCTI JOANNIS,

papæ et martyris.

*Antiphona.*

Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et æternitas téporum. Allelúia.

†. Sancti et justi, in Dómino gaudéte. Allelúia.

℞. Vos elégit Deus in hæreditatem sibi. Allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui nos beáti Joánnis mártiris tui atque Pontificis ánnua solemnitáte lætíficas, concéde propítius ut ejus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

LECTIO II.

JOANNES, Etrúscus, Justíno senióre Imperatóre rexit Ecclésiám : ad quem proféctus est Constantinópolis auxílii causa, quod Theodorícus rex hæréticus divexábat Itáliam : ejus étiam iter Deus miráculis illustrávit. Nam cum ei nóbilis vir ad Corínthum equum, quo ejus uxor mansuétó utebátur, itineris causa commodásset, factum est, ut dómíno póstea remíssus equus ita ferox eváderet, ut frémitu et totíus córporis agitatóne semper deinceps dómínam expúlerit : tanquam indignarétur mulierem recípere, ex quo sedisset in eo Jesu Christi Vicárius. Quamóbrem illi equum Pontífici

donavérunt. Sed illud majus miráculum, quod Constantínópoli in áditu portæ áureæ inspectánte frequentíssimo pópulo, qui una cum Imperatóre Pontífici honóris causa occurrerat, cæco lumen restituit. Ad cujus pedes prostrátus étiam Imperátor, eum venerátus est.

LECTIO III.

REBUS cum Imperatóre compósitis, in Itáliam rédiit, statímque epístolam scripsit ad omnes Itáliæ Episcopos, jubens eos Ariánorum Ecclesiás ad Cathólicum ritum consecráre, illud subjúgens : Quia et nos quando fúimus Constantínópoli, tam pro religióne Cathólica, quam pro regis Theodoríci causa, quascúmque illis in pártibus eórum Ecclesiás reperire potúimus, Cathólicas eas consecrávimus. Quod iniquíssimo ánimo ferens Theodorícus, dolo accersítum Pontíficem Ravénnam in cárcerem conjécit, ubi squalóre inediáque afflíc-tus, paucis diébus cessit e vita, cum sedisset annos duos, menses novem, dies quatuórdecim, ordinátis eo témpore Episcopis quíndecim. Paulo post móritur Theodorícus, quem quidam eremíta, ut scribit sanctus Gregórius, vidit inter Joánnem Pontíficem, et Symmachum patrícium, quem idem occide-

rat, demérgi in ignem Li-  
paritánium : ut videlicet illi,  
quibus mortem attúlerat,  
tanquam júdices essent ejus  
intéritus. Joánnis corpus Ra-  
vénnæ Romam portátum est,  
et in Basilica sancti Petri se-  
púltum.

Te Deum laudámus, 18.

DIE XXX MAIL.

SANCTI FELICIS,  
papæ et martyris.

ORATIO.

**I**NFIRMITATEM nostram rés-  
pice, omnipotens Deus, et,  
quia pondus propriæ actió-  
nis gravat, beáti Felicis már-  
tyris tui atque Pontificis in-  
tercessio gloriósa nos proté-  
gat. Per Dóminum nostrum  
Jesum Christum.

LECTIO III.

**F**ELIX RománuS, patre  
Constántio, Aureliáno Im-  
peratóre, præfuit Ecclesiæ.  
Constituit ut Missa supra me-  
mórias et sepúlcræ Márty-  
rum celebrarétur. Qui cum  
mense decémbri habuisset  
Ordinatiónes duas, et creás-  
set Presbyteros novem, Diá-  
conos quinque, Episcopos  
per diversa loca quinque,  
martyrio coronátus, via Au-  
relia sepelitur, in Basilica  
quam a se ædificátam dedi-  
cárat. Vixit in Pontificátu an-  
nos duos, menses quátuor,  
dies viginti novem.

Te Deum laudámus, 18.

DIE XXXI MAIL.

SANCTÆ PETRONILLÆ,  
virginis.

ORATIO.

**E**XAUDI nos, Deus salutáris  
noster, ut, sicut de beátæ  
Petronillæ vírginis tuæ fes-  
tívitate gaudémus, ita piæ  
devotiónis erudiámur affectu.  
Per Dóminum.

Ex libro sancti Cypriáni  
Episcopi et mártiris de dis-  
ciplína et hábitu Vírginum.

LECTIO III.

[Cap. 2.]

**N**UNC nobis ad Vírgines ser-  
mo quarum, quo sublimior  
glória est, major et cura est.  
Flos est ille Ecclesiástici gér-  
minis, decus atque ornamén-  
tum grátiae spiritális, læta in-  
doles, laudis et honóris opus  
íntegrum atque incorruptum,  
Dei imágo respóndens ad  
sanctimóniam Dómini, illús-  
trior pórtio gregis Christi.  
Gáudet per illas, atque in illis  
lárgeriter floret Ecclesiæ matris  
gloriósa fœcúnditas : quan-  
tòque plus copiósa virginitas  
número suo addit, tanto plus  
gáudium matris augéscit. Ad  
has lóquimur, has adhortá-  
mur affectiône pótius, quam  
potestáte: non quod extrémí,  
et mínimi, et humilitátis nos-  
træ ádmodum cónscii áliquíd  
ad censúram licéntiæ vindí-  
cémus; sed quod ad sollicitú-  
dinem magis cauti, plus de diá-  
boli infestatióne timeámus.



## FESTA JUNII.

*Prima die non impedita  
dicitur officium defunctorum.*

DIE II JUNII.

SS. MARCELLINI, PETRI, AT-  
QUE ERASMI, MARTYRUM.

ORATIO.

**D**EUS, qui nos ánnua beató-  
rum mártýrum tuórum Mar-  
cellini, Petri, atque Erásmi  
solemnitate lætíficas, præsta,  
quæsumus, ut, quorum gau-  
démus méritis, accendámur  
exémplis. Per Dóminum.

LECTIO II.

**P**ETRUS exorcísta, Diocle-  
tiáno Imperátore, Romæ a  
Seréno júdice propter Chris-  
tiánæ fidei confessiónem mis-  
sus in cárcerem, Paulínam  
Artémii, qui cárceri præe-  
rat, filiam a dæmone agi-  
tátam, liberávit. Quo facto  
et paréntes puéllæ cum tota  
família, et vicínos qui ad rei  
novitatem concurrerant, Jesu  
Christo conciliátos, ad Mar-  
cellinum presbyterum ad-  
dúxit, a quo omnes baptizáti  
sunt. Quod ubi rescívit Se-  
rénus, Petrum et Marcellí-  
num ad se vocátos, aspérius  
objúrgat, et ad verbórum  
acerbitatem minas ac terróres  
adjúngit, nisi Christo re-  
núntient. Cui cum Marcel-  
linus Christiána libertáte res-  
pondéret, pugnis contúsum,  
et a Petro sejúctum, nudum  
inclúdit in cárcerem stratum  
vitri fragméntis sine cibo ac

sine lúmine. Petrum item  
constríngi imperat arctíssimis  
vínclis. Sed cum utrique ex  
torméntis fides et ánimus  
crésceret, constánti confes-  
sióne, et abscísso cápíte,  
illústre testimónium Jesu  
Christo dedérunt.

LECTIO III.

**E**RASMUS Episcopus impera-  
toribus Diocletiano et Maxi-  
miano, in Campánia plumbá-  
tis et fústibus cæsus, resína  
quoque súlphure, plumbo li-  
quefacto, et fervénti pice,  
cera, oleóque perfúsus, inde  
tamen integer et inviolátus  
evásit. Quo miráculo multi  
se ad Christi fidem converté-  
runt. Verum is íterum de-  
trúsus in cárcerem, cons-  
trictus férreis, gravíssimis-  
que vínclis, inde ab An-  
gelo mirabiliter eréptus est.  
Deinde Fórmis a Maximiano  
váriis afféctus suppliciis, tu-  
nicáque ærea candénti indú-  
tus, illa étiam torménta divína  
virtúte superávit. Dénique  
plúrimis et in fide confirmátis,  
et ad fidem convérsis, insi-  
gnem mártýrii palmam adép-  
tus est.

Te Deum laudámus, 18.

DIE IV JUNII.

IN FESTO

S. FRANCISCI CARACCILO,  
Confessoris et Congregationis Clericorum  
Regularium Minorum Fondatoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Con-*

*fessoris non Pontificis, præter ea quæ sequuntur.*

## ORATIO.

**D**EUS, qui Beátum Franciscum novi Ordinis Institutórem orándi stúdio et pœnitentiæ amóre decorásti, da fámulis tuis in ejus imitatione ita proficere, ut semper orántes, et corpus in servitútem redigéntes, ad cœléstem glóriam pervenire mereántur. Per Dóminum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

## IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

**F**RANCISCUS dictus ántea Ascánus, ex nóbili Familia Caracciólo in óppido Sanctæ Mariæ de Villa in Aprútio ortus, a primis annis exímio enítuit pietátis cultu. Adoléscentis grávitægrótans stáuit sese prorsus Dei, proximique mancipáre servitio. Neápolim proféctus, Sacerdótio initiátus, sacróque adscriptus sodalítio, contemplationi, lucrandisque animábus se totum devóvit, ac extrémó supplicio damnátis hortatórem se præbuit assíduum. Cóntingit autem, ut epistólium álteri destinátum ei per errórem redderétur, quo a piissimis viris Joánne Augustino Adórno, et Fabricio Caracciólo ad novi Religiósi Institúti fundatióem vocabátur: rei novitáte captus, et divinæ

voluntátis demirátus consília, álacri animo se se illis adjúnxit. Cónditis autem in Camaldulensium erémo, quo secésserant, novi Ordinis légibus, inde Romam simul profécti, confirmatióem a Xyxo Quinto impetrárun, qui eósdem Cléricos Reguláres Minóres appellári vóluit, áddito ad tria consuéta áltero de non ambiéndis dignitátibus voto.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custódivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum, \* Et dedit illi claritátem ætérnam. Alleluia.

Y. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit.

## LECTIO V.

**S**OLEMNI emissá professione, ob singulárem ejus in Divum Franciscum Assisínatem cultum, Francisci nomen assúmpsit. Adórno biénno post vita functo, ipse toti Religióni quanquam invítus præficitur, quo in múnere virtútum ómnium præclára præbuit exémpa. Institúti amplificándi studiosíssimus, id assíduis orationibus, lácrymis, et jugi córporis maceratióne enixe a Deo postulábat. Quamóbrem tertio in Hispániam se cóntulit peregrini hábitu indútus, victúmque ostiátim mendicans. In itinere aspérrima quæque perpéssus, Omnipot-

téntis auxilium mirum in modum expértus, navim; quam conscénderat ab imminénti naufrágio oratiónis præsidio servávit incólumem. Ut in Regnis illis voti compos fieret plurimum laborávit, sed ejus sanctitátis fama prælucénte, amplissímaque Catholicórum regum Philippi Secúndi, et Philippi Tértii munificéntia, adversariórum conátibus singulári ánimí fortitúdine superátis, plura sui Ordinis domicilia fundávit, quod pari événtu per Itáliam præstitit.

ñ. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas Paradísi coronávit eum. Allelúia.

✠. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

#### LECTIO VI.

**H**UMILITATE ádeo excélluit, ut Romam véniens, in páuperum hospítio recéptus se lepróso sociáverit; et Ecclesiásticas dignitátes a Paulo Quinto sibi oblátas constántissime recusáverit. Illibátam perpétuo servávit virginitátem, effrontésque mulieres ejus castimóniæ insidiántes Christo lucrifécit. Erga divínissimum Eucharistiæ mystérium ardénti æstuans amóre, noctes pene íntégras in ejus adoratióne insómnes ducébat, quod pium exercítium

véluti sui Ordinis tésseram in eo perpétuo servándum constituit. Deiparæ Virgínis cultum impénse fovit. In próximum exímia exársit charitáte. Prophetiæ dono, et córdium scrutatióne ditátus fuit. Quadragésimum quartum ætátis suæ annum agens, dum in Sacra Lauretána Æde in oratióne persisteret, sibi vitæ finem imminére cognóvit. Aprútium statim defléxit, et Agnóni, apud alúmnos sancti Philippi Nérii letháli febre corréptus, Sacraméntis Ecclesiæ devotissime susceptis, pridie nonas júnií anni millésimi sexcentésimi octávi in pervigilio festi Corporis Christi placidissime obdormívit in Dómino. Sacrum ejus Corpus Neápolim delátum in Ecclesiá sanctæ Mariæ Majóris, ubi prima sui Ordinis jécerat fundaménta, honorífice cónditum fuit. Eum postea miraculis clarum Clemens Décimus Quartus Póntifex Máximus solémni ritu inter beátos, Pius vero Séptimus Póntifex Máximus novis fulgéntem signis anno millésimo octingentésimo séptimo Sanctorum albo adscripsit.

ñ. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam, \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. Allelúia.

✠. Iste est qui contémpsit



vitam mundi, et pervénit ad  
coeléstia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri, de Communi Confessoris non Pontificis, xcxviii.*

DIE VI JUNII.

IN FESTO S. NORBERTI,

episcopi et confessoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis, lxxviii, præter sequentia.*

ORATIO.

**D**EUS, qui beátum Norbértum Confessórem tuum atque Pontificem, verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum Ecclesiám tuam nova prole fœcundásti, præsta, quæsumus, ut, ejúsdem suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per Dóminum nostrum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**N**ORBERTUS, nobilissimis parentibus natus, adolescens liberalibus disciplinis erudi-

tus, in ipsa póstea Imperatoris aula, spretis mundi illécebris, Ecclesiásticæ militiæ adscribi vóluit. Sacris initiátus, rejéctis móllibus ac splendidis véstibus, pellicea melóte indútus, prædicatióni verbi Dei se totum dedit. Abdicátis Ecclesiásticis provéntibus satis amplis, et patrimonio in páuperes erogáto, semel in die sub vésperam solo cibo quadragesimáli utens, nudisque pédibus, et lácera veste sub brumáli rigóre incédens, miræ austeritátis vitam est aggressus. Potens igitur ópere et sermóne innúmeros hæreticos ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam, dissidentes ad pacem et concórdiam revocávit.

ñ. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. Alleluia.

†. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei.

Manus enim.

LECTIO V.

**C**UM Laudúni esset, ab Episcopo rogátus, ne a sua diécési discéderet, désertum in ea locum, qui Præmonstrátus dicebátur, sibi delégit: ibique trédecim sóciis aggregátis, Præmonstraténsem Ordinem instituit, divínitus accépta per visum régula a sancto Augustíno. Cum vero



ejus fama sanctitatis in dies magis augeretur, ac plurimi ad eum quotidie discipuli convenirent, idem Ordo ab Honório secundo, aliisque summis Pontificibus confirmatus, ac pluribus ab eo monasteriis ædificatis, mirifice propagatus est.

R. Pó sui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea : \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia.

†. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

## LECTIO VI.

ANTUERPIAM accersitus, in ea urbe Tanchelini nefariam hæresim profligavit. Prophetico spiritu, et miraculis clariuit. Archiepiscopus tandem ( licet reluctans ) Magdeburgensis creatus Ecclesiasticam disciplinam, præsertim cœlibatum, constanter propugnavit. Rhemis in Concilio Innocentium secundum egregie adjuvit, et Romam cum aliis Episcopis profectus, schisma Petri Leonis compræssit. Postræmo vir Dei, meritis et Spiritu Sancto plenus, Magdeburgi obdormivit in Domino, anno salutis millésimo centésimo trigésimo quarto, die sextajunii.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est,

et omnis terra doctrina ejus repléta est : \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluia.

†. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna.

Ipse intercedat.

Glória Patri.

Ipse intercedat.

*In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregorii Papæ in Evangelium Homo peregre proficiscens, de Comuni Confessoris Pontificis, lxxvij.*

## DIE IX JUNII.

SS. PRIMI ET FELICIANI, martyrum.

## ORATIO.

FAC nos, quæsumus, Domine, sanctorum martyrum tuorum Primi et Feliciani semper festa sectari, quorum suffragiis protectionis tuæ dona sentiâmus. Per Dominum nostrum.

## LECTIO II.

PRIMUS et Felicianus, fratres, in persecutione Diocletiani et Maximiani accusati Christianæ religionis, in vincula conjiciuntur : quibus soluti, inde eripiuntur ab Angelo. Mox ad Prætorem adducti, cum Christianam fidem acerrime tuerentur, alter ab altero distracti sunt : ac primum varie tentata est con-

stántia Feliciáni. Sed cum suasóres impietátis se posse quidquam verbis proficere desperárent, affixis stipiti mánibus ejus et pédibus, ipsum sine cibo et potu inde trídium pendéntem reliqué-runt. Postridie ejus diéi Prætor vocátum ad se Primum sic affátur : Vides, quanto sit prudéntior quam tu frater tuus, qui obsecútus Imperatóribus, apud ipsos est honorátus ? Quem si tu quoque imitári volúeris, párticeps eris ejus honóris et grátia.

## LECTIO III.

**C**UI Primus : Quid factum sit fratri meo, cognóvi ex Angelo. Utinam quemádmódum sum cum eo voluntáte conjunctíssimus, sic ab eódem ne martyrio disjúngar. Quo dicto excánduit Prætor, et ad céteros cruciátus, quibus Primum affécit, præ-sente jam Feliciáno, liquátum igne plumbum in os ejus jussit infúndi. Mox utrúmque perduci imperat in theátrum, in eósque immítti duos leónes : qui prostráti ad eórum génua, cápite et cauda ipsis blandiebántur. Ad id spectáculum cum ámplius duódecim millia hóminum convenissent, quingénti cum suis familiis christiánam religió-nem suscepérunt. Quibus rebus permótus Prætor, eos secúri pércuti jussit.

Te Deum laudámus, 18.

DIE X JUNII.

in festo

SANCTÆ MARGARITÆ,

REGINÆ SCOTIÆ.

( SEMIDUPLEX. )

*Omnia de Communi Sanctarum nec Virginum nec Martyrum, cxxvij, præter ea quæ hic habentur.*

ORATIO.

**D**EUS, qui beátam Margaritam reginam eximia in páuperes charitáte mirábilem effecísti, da ut, ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris cháritas júgiter augeátur. Per Dóminum nostrum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**M**MARGARITA, Scotórum regína, patérno Angliæ Regum, matérno Cæsarum sángine claríssima, illústrior adhuc fuit Christiána virtúte. Hæc in Hungária nata, ubi pater tunc témporis exulábat, post exáctam summa cum pietáte puerilem ætátem, una cum genitóre, qui a sancto Eduárdo pátruo Anglórum rege ad patérni regni fastigium vocabátur, in Angliam venit : mox alternánte paréntum fortúna, ex Angliæ littore

solvens, vi tempestatis expulsa, seu verius divinae providentiae consilio deducta est in oram maritimam Scotiae. Ibi cum ex matris imperio Machólmo tertio Scotorum regi, egregiis ejus dotibus capto, nupsisset, sanctimoniae ac pietatis operibus triginta, quibus regnavit, annis, toti regno mirifice profuit.

℞. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam :  
\* Et deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluia.

Ÿ. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

Et deducet.

## LECTIO V.

INTER regales delicias, corpus afflictationibus ac vigiliis macerans, magnam noctis partem piis precationibus extrahabat. Praeter alia jejunia, quae identidem usurpabat, integros quadraginta dies ante natalitia festa tanta cum severitate jejunare consuevit, ut ne in gravissimis quidem doloribus intermiserit. Divino cultui addictissima, templa plurima et coenobia partim ex integro excitavit, partim resarcivit, et sacra suppellectili, ac largo censu ditavit. Regem conjugem ad meliorem frugem, et ad similia suis exercitationibus opera saluberrimo exemplo traduxit,

liberosque omnes tam sancte et feliciter educavit, ut eorum plerique, quemadmodum et Agatha mater, et Christina soror, sanctissimum vitae genus amplexi sint. Universi demum regni felicitati consulens, a vitiis omnibus, quae furtim irrepserant, populos expurgavit, eisque mores Christiana pietate dignos restituit.

℞. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem :  
\* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae. Alleluia.

Ÿ. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

## LECTIO VI.

NIHIL tamen aequè in illa mirabile fuit ac flagrantissima charitas erga proximos, praesertim egenos, quorum numerosis gregibus non modo stipem affatim suppeditare, verum etiam trecentis quotidie materna benignitate dapes praebere, flexis genibus in morem ancillae ministrare, regiis manibus pedes abluere, et pressis etiam osculis ulcera fovere, solenne habuit. His porro, aliisque piis sumptibus non regias tantum vestes, et pretiosa monilia distraxit, sed ipsum non semel exhausit aerarium. Toleratis demum ad patientiae miraculum acerbissimis doloribus, animam semestri corporis aegrotatione purga-

tam Auctóri suo quarto idus Júnii réddidit. Quo témporis moménto fácies ejus, diutúrní morbi mácie ac pallóre foedáta, insólita quadam venustáte reflóruit. Miris étiam post mortem prodigiis clara, et Clémentis decimi auctoritáte in Scótiæ Patrónam accépta, ubique terrárum religiosissime cólitur.

R. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: \* Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. Allelúia.

Y. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Múlier timens.

Glória Patri.

Múlier timens.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium* Símile est regnum cœlórum thesauro, ut in Communi non Virginum, cxxxiv.

*Vesperæ de sequenti, commemoratio præcedentis.*

~~~~~

DIE XI JUNII.

IN FESTO S. BARNABÆ,  
apostoli.

(DUPLEX MAJUS.)

*Omnia de Communi Apostolorum tempore Paschali, xxij, præter ea quæ hic sunt propria.*

ORATIO.

DEUS, qui nos beáti Bár-

nabæ Apóstoli tui méritis et intercessióne lætíficas, concede propítius ut, qui tua per eum beneficia póscimus, dono tuæ grátia consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

*Et fit commemoratio sanctæ Margaritæ.*

*Antiphona.*

Manum suam apéruit inopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otíosa non comédit. Allelúia.

Y. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Allelúia.

R. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui beátam, ut supra, 664.

IN PRIMO NOCTURNO.

De Actibus Apostolorum.

LECTIO I.

[Cap. 8.]

CUM dimissa esset synagoga, secúti sunt multi Judæórum et coléntium advenárum, Paulum et Barnábam: qui loquéntes suadébant eis ut permanérent in grátia Dei. Sequénti vero sábbato pene univérsa civitas convénit audire verbum Dei. Vidéntes autem turbas Judæi, replet sunt zelo, et contradicébant his quæ a Paulo dicebantur, blasphemántes. Tunc constánter Paulus et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei sed quóniam repéllitis illud.



et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dóminus: Pósuisti te in lucem Géntium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.

R. Beátus vir qui méruit Dóminum. Allelúia. \* In mandatis ejus cupit nimis. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ÿ. Glória et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

In mandatis.

## LECTIO II.

AUDIENTES autem Gentes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Dómini: et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Dómini per universam regionem. Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Bárnabam: et ejecerunt eos de finibus suis. At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Icónium. Discipuli quoque replebantur gaudio, et Spíritu Sancto.

R. Tristitia vestra. Allelúia. \* Convertetur in gaudium. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Mundus autem gaudet, vos vero contristabimini, sed tristitia vestra.

Convertetur in gaudium.

## LECTIO III.

[ Cap. 14 ]

FACTUM est autem Icónii, ut simul introirent in synagogam Judæorum, et loquerentur, ita ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo. Qui vero increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt, et ad iracundiam concitaverunt ánimas Géntium adversus fratres. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Dómino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa, et prodigia fieri per manus eorum.

R. Pretiosa in conspectu Dómini. Allelúia. \* Mors sanctorum ejus. Allelúia.

Ÿ. Custodit Dóminus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.

Mors sanctorum.

Glória Patri.

Mors sanctorum.

IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

BARNABAS Levites, Cyprius genere, qui et Joseph, cum Paulo, Géntium Apóstolus ordinatus est ad prædicandum Jesu Christi Evangelium. Is agro vendito, quem habebat, redactam ex eo pecuniam attulit Apóstolis. Missus autem Antiochiam prædicationis causa, cum ibi multos ad Christi Dómini fidem conversos esse

comperisset, incredibiliter lætatus, eos hortabatur ut in Christi fide permanerent. Qua cohortatione multum proficiebat, quod ab omnibus vir bonus, et Spiritu Sancto plenus habebatur.

R. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et æternitas téporum. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exultatióem obtinéunt.

Et æternitas.

#### LECTIO V.

**P**ROFECTUS inde Tarsum, ut quæreret Paulum, cum eo Antiochiam venit. In ejus urbis Ecclesia annum commemorati, Christianæ fidei et vitæ illis hominibus præcepta dederunt : ubi etiam Jesu Christi cultores primum Christiani sunt appellati. Discipuli autem Pauli et Barnabæ, suis facultatibus Christianos, qui in Judæa erant, sustentabant, eo mittentes pecuniam per Paulum et Barnabam. Qui perfuncti illo charitatis officio, adhibito Joanne, cui cognomen erat Marcus, redierunt Antiochiam.

R. Virtute magna reddébant Apóstoli \* Testimónium resurrectionis Jesu Christi Dómini nostri. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Repléti quidem Spiritu

Sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei.

Testimónium.

#### LECTIO VI.

**C**UM autem Antiochiæ, in Ecclesia cum ceteris Prophetis et Doctóribus, Paulus et Barnabas in jejúnio et oratione Dómini deservirent, dixit Spiritus Sanctus : Segregáte mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Itaque Seleuciam venerunt, inde in Cyprum, ac multas præterea urbes regionesque, prædicantes Evangelium summa cum audientium utilitate, peragrarunt. Postremo Barnabas digressus a Paulo, una cum Joanne, qui cognominatus est Marcus, navigavit in Cyprum : ibique circiter séptimum Nerónis annum tertio idus júni ad Apostólici muneris laudem, martyrii coronam adjunxit. Ejus corpus Zenóne Imperatore repertum est in insula Cypro, ad cujus pectus erat Evangelium Matthæi, Barnabæ manu conscriptum.

R. Isti sunt agni novelli, qui annuntiaverunt. Allelúia. Modo venerunt ad fontes. \* Repléti sunt claritate. Allelúia, allelúia.

Ÿ. In conspectu Agni amicti sunt stolis albis, et palmæ in manibus eorum.

Repléti sunt.

Glória Patri.

Repléti sunt.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 10.]

**I**n illo témpore, Dixit Jesus discipulis suis : Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

[Homília 34, in Matthæum.]

**C**UM Dóminus omnem sollicitúdinem a discipulórum córdibus ejécerit, et ostensione signórum armáverit, atque ab ómnibus negótiis sæculáribus alienátos, et ab omni temporálium rerum cura liberátos, férreos quodámmodo atque adamántinos fécerit, tum dénique eventúra illis advérsa prædicít. Multa enim ex hac prædictióne futurárum rerum cómmoda consequébántur. Primum, ut ejus præsciéntiæ vim ediscerent. Deinde, ut nemo suspicarétur, ex magístri infirmitáte tam grávia mala descéndere. Prætérea, ne qui ea passúri erant, súbito ac inopináto rerum événtu perturbaréntur. Dénique, ne cum ista sub ipsum passióis suæ tempus audírent, nímium commoveréntur.

R. Ego sum vitis vera, et

vos pálmites : \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos.

Qui manet.

LECTIO VIII.

**J**AM vero, ut intélligant novum hoc esse belli genus, et insólitum præliándi morem, cum illos nudos mitteret, una indútos túnica, sine calceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipiéntibus ali jubéret : non fecit hic dicéndi finem, sed inexplicábilem virtútem suam próferens ; etiam sic eúntes, inquit, mansuetúdinem tamen óvium osténdite, quamvis ad lupos itúri, nec simpliciter ad lupos, sed étiam in médio lupórum : ( neque vero óvium tantum mansuetúdinem habére jubet, sed étiam colúmbæ simplicitátem : ) sic enim virtútem meam máxime ostendam, cum ab óvibus lupi superabúntur : et quamvis illæ sint in médio lupórum, et innúmeris mórsibus laceréntur, non modo non consúptæ fúerint, verum étiam illos in sui natúram transmutáverint.

R. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus. Allelúia. Splendórem Deo dedérunt. Allelúia. \* Et sicut lac coagulátus sunt. Allelúia, allelúia.

✠. Candidiôres nive, niti-  
diôres lacte, rubicundiôres  
ébore antiquo, sapphiro pul-  
chriôres.

Et sicut.

Glória Patri.

Et sicut.

LECTIO IX.

**M**AJUS certe atque admira-  
bilius est, mentem adversa-  
riôrum commutâre, et âni-  
mum in diversum transfêrre,  
quam illos occidere: præsér-  
tim cum duódecim tantum  
essent, et lupis plenus esset  
orbis univêrsus. Erubescá-  
mus igitur, qui longe di-  
versa faciêntes, tanquam lupi  
in adversários ruimus. Nam  
quámdiu oves fuérimus, vin-  
cimus: étiam si mille circúm-  
stent lupi, superámus, et vic-  
tôres sumus: quod si lupi  
fuérimus, vincimur. Tunc  
enim a nobis pastôris auxí-  
lium recédit, qui non lupos,  
sed oves pascit.

Te Deum laudámus, 18.

*Deinde fit commemoratio  
sanctorum Basilidis et socio-  
rum, martyrum ut infra.*

~~~~~

DIE XII JUNII.

*Festum sancti Joannis a  
sancto Facundo, confessoris,  
Duplex, celebratur post Fes-  
tum sanctissimæ Trinitatis,  
ac proinde ejus Officium re-  
citandum ex parte Æstiva.*

*De sanctis Basilide, Cy-  
rino, Nabore et Nazario,  
martyribus, fit commemora-  
tio.*

IN VESPERIS.

*Antiphona.*

Lux perpétua luceat sanc-  
tis tuis, Dómine, et æterni-  
tas témporum. Allelúia.

✠. Sancti et justi, in Dó-  
mino gaudete. Allelúia.

℟. Vos elégit Deus in hæ-  
reditátem sibi. Allelúia.

ORATIO.

**S**ANCTORUM mártýrum tuó-  
rum Basilidis, Cyrini, Ná-  
boris, atque Nazárii, quæ-  
sumus, Dómine, natalitia  
nobis votiva resplédeant:  
et, quod illis cóntulit ex-  
celléntia sempitérna, fructi-  
bus nostræ devotiônis accrés-  
cat. Per Dóminum nostrum  
Jesum Christum.

LECTIO IX.

**B**ASILIDES, Cyrinus, Nabor,  
et Nazárius, Románi milites,  
nóbiles génere, et virtute il-  
lústres, Christiána religióne  
suscépta, cum Christum Dei  
Filiûm Diocletiano Impera-  
tore prædicarent, ab Aurelio  
Præfêcto Urbis comprehénsi,  
et ut diis sacra fácerent ad-  
móniti, ejus jussa contem-  
néntes, missi sunt in cárce-  
rem. Quibus orántibus, cum  
súbito clarissima lux obórta  
ómnium óculis, qui ibidem  
essent, cárcerem collustrás-  
set, illo coeléstí splendóre



commótus Marcellus custodiæ præpósitus, multique álii, Christo Dómino crediderunt. Verum póstea e cárcere emissi, ab Imperatóre Maximiano, cum ejus étiam neglécto império unum Christum Deum et Dóminum in ore habérent, scorpíonibus cruciáti, iterum conjiciúntur in vincula: unde séptimo die edúcti, et ante pedes Imperatóris constitúti, perstitérunt in irrisione inánium deórum, Jesum Christum Deum constantissime confiténtes. Quamóbrem damnáti, secúri feriúntur. Quorum córpora feris objécta, nec ab illis tacta, a Christianis honorífice sepúlta sunt.

Te Deum laudámus, 18.

*In Laudibus fit commemoratio sanctorum Basilidis et sociorum, martyrum.*

*Antiphona.*

Filiæ Jerúsalem, venite et vidéte Martyres cum coronis quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætitiæ. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Pretiósá in conspéctu Domini. Allelúia.

R. Mors sanctórum ejus. Allelúia.

### DIE XIII JUNII.

*Festum S. Antonii de Padua, Confessoris, Duplex, celebratur post Festum SS. Trinitatis, ac proinde ejus*

*Officium recitandum ex parte Æstiva.*

### DIE XIV JUNII.

*Festum S. Basilii Magni, Episcopi et Confessoris, Duplex, celebratur post Festum SS. Trinitatis, ac proinde ejus Officium recitandum ex parte Æstiva.*

### DIE XV JUNII.

SS. VITI, MODESTI, ATQUE CRESCENTIÆ, MARTYRUM.

*Antiphona* Lux perpétua.

Ÿ. Sancti et justi, 670.

ORATIO.

**D**A Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Dómine, sanctis martyribus tuis Vito, Modesto, atque Crescentia intercedéntibus, supérbe non sápere, sed tibi plácita humilitáte proficere: ut prava despiciens, quæcúmque recta sunt, libera exérceat charitáte. Per Dóminum.

*In Laudibus Antiphona* Filiæ Jerúsalem.

Ÿ. Pretiósá, 671.

### DIE XVIII JUNII.

SS. MARCI ET MARCELLIANI, martyrum.

*Antiphona* Lux perpétua.

Ÿ. Sancti et justi, 670.

ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui sanctórum mártýrum tuórum

Marci et Marcelliáni natalitia cólimus, a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur. Per Dóminum.

*In Laudibus Antiphona*  
Filiæ Jerúsalem.

✠. Pretiósá, 671.

~~~~~

### DIE XIX JUNII.

*Festum S. Julianæ de Falconeriis, virginis, Duplex, celebratur post Festum sanctissimæ Trinitatis, ac proinde ejus Officium recitandum ex parte Æstiva.*

*De SS. Gervasio et Pro-*

*tasio, martyribus, fit commemoratio.*

### IN VESPERIS.

*Antiphona* Lux perpétua.

✠. Sancti et justi, 670.

### ORATIO.

**D**EUS, qui nos ánnua sanctorum martyrum tuorum Gervásii et Protásii sólemnitate lætíficas, concéde propítius ut, quorum gaudeamus méritis, accendámur exémplic. Per Dóminum.

*In Laudibus Antiphona*  
Filiæ Jerúsalem.

✠. Pretiósá, 671.



# COMMUNE SANCTORUM.

## PARS VERNA.

*Cum de Vigilia Apostolorum tempore Quadragesimæ non fiat officium (sed commemoratio in Missa tantum) sicut etiam nec tempore Paschali, ideo Lectiones de Homilia dictæ Vigiliæ non ponuntur, quia temporibus prædictis nunquam legendæ sunt.*

### COMMUNE APOSTOLORUM ET EVANGELISTARUM.

*Ad Vesperas Antiphona*  
Hoc est præceptum meum, cum reliquis de Laudibus, xij. Psalmus Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi Psalmus Laudate Dominum, omnes gentes, 139.

### CAPITULUM. [ Ephes., c. 2. ]

**FRATRES**, jam non estis hospites et advenæ; sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.  
R. Deo grátias.

*Vern.*

### HYMNUS.

**EXULTET** orbis gaudiis,  
Cælum resúltet láudibus;  
Apostolorum glóriam  
Tellus et astra cóncinunt.

Vos sæculorum júdices,  
Et vera mundi lúmina,  
Votis precámur córdium,  
Audíte voces súpplicum.

Qui templa cœli cláuditis,  
Serásque verbo sólvitis,  
Nos a reátu nóxios  
Solvi jubéte, quæsumus.

Præcépta quorum prótinus  
Languor salúsque sentiunt,  
Sanáte mentes lánguidas,  
Augéte nos virtútibus;

Ut, cum redíbit Arbiter  
In fine Christus sæculi,  
Nos sempitérni gáudii  
Concédat esse cómpotes.

Patri, simúlque Filio,  
Tibique Sancte Spíritus,  
Sicut fuit, sit júgiter  
Sæclum per omne glória.

Amen.

Ÿ. In omnem terram exiit sonus eorum.

R. Et in fines orbis terræ verba eórum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Tradent enim\* vos in conciliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ante reges et præsides ducémini propter me in testimónium illis et géntibus.

*Oratio propria.*

### AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Regem Apostolorum Dóminum, \* Veníte, adorémus.

*Psalmus* Veníte, exultémus, 2.

#### HYMNUS.

**Æ**TERNA Christi múnera,  
Apostolorum glóriam,  
Palmas, et hymnos débitos  
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum Príncipes,  
Belli triumpháles Duces,  
Cœléstis aulæ milites,  
Et vera mundi lúmina.

Devóta Sanctórum Fides,  
Invicta Spes credéntium,  
Perfécta Christi Cháritas  
Mundi tyránnum cónterit.

In his Patérna glória,  
In his triúmphat Filius,  
In his volúntas Spíritus,  
Cœlum replétur gáudio.

Patri, simulque Filio,  
Tibique Sancte Spíritus,  
Sicut fuit, sit júgiter  
Sæclum per omne glória.

Amen.

#### IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

In omnem terram exívit  
sonus eórum, et in fines orbis  
terræ verba eórum.

#### PSALMUS 18.

**C**ŒLI enarrant glóriam Dei,  
\* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum,\*  
et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque  
sermónes, \* quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit  
sonus eórum, \* et in fines  
orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum; \* et ipse tanquam sponsus procedens de thámo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; \* a summo cœlo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus; \* nec est qui se abscondat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: \* testimónium Dómini fidèle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: \* præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: \* judicia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lápidem pretiósium multum, \* et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea: \* in custodiéndis illis retribútio multa.



*Delicta quis intélligit? ab occultis meis munda me, \* et ab aliénis parce servo tuo.*

*Si mei non fúerint domínati, tunc immaculátus ero, \* et emundábor a delicto máximo.*

*Et erunt ut compláceant elóquia oris mei, \* et meditatio cordis mei in conspéctu tuo semper.*

*Dómine, adjútor meus, \* et redemptor meus.*

*Antiphona.*

*In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.*

*Antiphona.*

*Clamavérunt justí, et Dóminus exaudivit eos.*

PSALMUS 33.

*Benedicam Dóminum in omni témpore, \* semper laus ejus in ore meo.*

*In Dómino laudábitur ánima mea: \* áudiant mansuétí, et læténtur.*

*Magnificáte Dóminum mecum, \* et exaltémus nomen ejus in idípsum.*

*Exquisívi Dóminum, et exaudivit me: \* et ex ómnibus tribulatióibus meis erípuit me.*

*Accédite ad eum, et illuminámini: \* et fácies vestræ non confundéntur.*

*Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudivit eum, \* et de ómnibus tribulatióibus ejus alvávít eum.*

*Immíttet Angelus Dómini*

*in circúitu timéntium eum, \* et erípiet eos.*

*Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus: \* beátus vir qui sperat in eo.*

*Timéte Dóminum, omnes sancti ejus, \* quóniam non est inópia timéntibus eum.*

*Dívites eguérunt et esuriérunt: \* inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.*

*Veníte, filii, audite me: \* timórem Dómini docébo vos.*

*Quis est homo qui vult vitam, \* diligit dies vidére bonos?*

*Próhibe linguam tuam a malo, \* et lábia tua ne loquántur dolum.*

*Divérte a malo, et fac bonum: \* inquiré pacem, et perséquare eam.*

*Oculi Dómini super justos, \* et aures ejus in preces eórum.*

*Vultus autem Dómini super faciéntes mala, \* ut perdat de terra memóriam eórum.*

*Clamavérunt justí, et Dóminus exaudivit eos, \* et ex ómnibus tribulatióibus eórum liberávit eos.*

*Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde; \* et húmiles spíritu salvábit.*

*Multæ tribulatióes justórum, \* et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.*

*Custódit Dóminus ómnia ossa eórum, \* unum ex his non conterétur.*

Mors peccatorum pessima:  
\* et qui odérunt justum delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : \* et non delinquent omnes qui sperant in eo.

*Antiphona.*

Clamavérunt justí, et Dóminus exaudivit eos.

*Antiphona.*

Constitues eos príncipes super omnem terram : mémoires erunt nóminis tui, Dómine.

PSALMUS 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : \* dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ \* velóriter scribéntis.

Speciósus forma præ filiis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : \* propterea benedíxit te Deus in ætérnum. ■

Accingere gládio tuo super femur tuum, \* potentissime.

Spécie tua et pulchritúdine tua \* inténde, prospere procéde, et regna,

Propter veritátem et mansuetúdinem et justitiam : \* et dedúcet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, \* in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : \* virga directiónis virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitátem : \* propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cása a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : \* ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestitu deauráto, \* circumdata varietáte.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : \* et obliviscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decórem tuum : \* quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus, \* vultum tuum deprecabúntur omnes divites plebis.

Omnis glória ejus filiæ Regis ab intus, \* in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducéntur Regi virgines post eam : \* próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætitia et exultatióne : \* adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii : \* constitues eos príncipes super omnem terram.

Mémoires erunt nóminis tui \* in omni generatióne et generatióne.

Propterea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, \* et in sæculum sæculi.

*Antiphona.*

Constitues eos principes  
super omnem terram : mé-  
mores erunt nóminis tui, Dó-  
mine.

✠. In omnem terram exi-  
vit sonus eórum.

R. Et in fines orbis terræ  
verba eórum.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dó-  
mine.

✠. Jube, Domne.

*Benedictio* Benedictione  
perpétua.

*Lectiones de Scriptura po-  
sitæ in Communi Sanctorum  
leguntur quando annotantur  
in Proprio Sanctorum per  
annum; et quando contingit  
fieri Officium de aliquo Sanc-  
to illis diebus in quibus in  
Officio Feriæ non ponuntur  
Lectiones de Scriptura, sed  
tantum de Homilia; et quan-  
do aliquod Festum solemni-  
ter celebratur in propria Ec-  
clesia.*

De Epístola prima beáti  
Pauli Apóstoli ad Corinthios.

## LECTIO I.

[Cap. 4.]

Sic nos existimet homo ut mi-  
nistros Christi, et dispensa-  
tōres mysteriōrum Dei. Hic  
am quæritur inter dispensa-  
tōres, ut fidélis quis inve-  
niátur. Mihi autem pro mí-  
nimo est ut a vobis júdicer,  
ut ab humano die : sed ne-  
que meípsum júdico. Nihil

enim mihi cónscius sum ; sed  
non in hoc justificátus sum :  
qui autem júdicat me Dó-  
minus est. Itaque nolite ante  
tempus judicáre, quoadús-  
que véniat Dóminus, qui et  
illuminábit abscondita tene-  
brárum, et manifestábit con-  
silia córdium : et tunc laus  
erit unicuique a Deo.

R. Ecce ego mitto vos si-  
cut oves in médio lupórum,  
dicit Dóminus : \* Estóte ergo  
prudéntes sicut serpéntes, et  
simplices sicut colúmbæ.

✠. Dum lucem habétis, cré-  
dite in lucem, ut filii lucis  
sitis.

Estóte ergo.

*Benedictio* Unigénitus Dei  
Fílius.

## LECTIO II.

HÆC autem, fratres, trans-  
figurávi in me et Apóllo,  
propter vos : ut in nobis dis-  
cátis, ne supra quam scrip-  
tum est, unus advérsus álter-  
um inflétur pro álío. Quis  
enim te discérnit? Quid au-  
tem habes quod non acce-  
pisti? Si autem accepisti,  
quid gloriáris quasi non ac-  
céperis? Jam saturáti estis,  
jam dívites facti estis : sine  
nobis regnátis; et útinam re-  
gnétis, ut et nos vobíscum  
regnémus. Puto enim quod  
Deus nos Apóstolos novíssi-  
mos osténdit, tanquam morti  
destinátos : quia spectáculum  
facti sumus mundo, et An-  
gelis, et homínibus.

R. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et discite a me, quia mitis sum et húmilis corde : \* Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Ÿ. Et inveniétis réquiem animábus vestris.

Jugum enim.

*Benedictio* Spíritus Sancti grátia.

### LECTIO III.

Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes má-nibus nostris : maledícimur, et benedicimus : persecutió-nem pátimur, et sustinémus : blasphemámur, et obsecrá-mus : tanquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos hæc scribo, sed ut filios meos charissimos móneo. Nam si decem millia pædagogórum habeátis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

R. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolite cogitáre quómodo, aut quid loquámini : \* Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini.

Ÿ. Non enim vos estis qui loquimini : sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis.

Dábitur enim.

Glória Patri.

Dábitur enim.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham.

PSALMUS 46.

OMNES gentes, pláudite má-nibus, \* jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : \* Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, \* et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam, \* spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo, \* et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : \* psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : \* psállite sapiénter.

Regnabit Deus super gentes : \* Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : \* quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

*Antiphona.*

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham.



*Antiphona.*

Dedisti hæreditatem timéntibus nomen tuum, Dómine.

PSALMUS 60.

EXAUDI, Deus, deprecationem meam : \* inténde orationi meæ.

A finibus terræ ad te clamavi : \* dum anxietur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea, \* túrris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula, \* prótegar in velaménto alarum tuarum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam : \* ledisti hæreditatem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjiciet, \* annos ejus usque in liem generatiónis et generatiónis.

Permanet in ætérnum in conspéctu Dei : \* misericórdiam et veritatem ejus quis requirit ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : \* ut reddam vota mea de die in liem.

*Antiphona.*

Dedisti hæreditatem timéntibus nomen tuum, Dómine.

*Antiphona.*

Annuntiavérunt ópera Dei, et facta ejus intellexérunt.

PSALMUS 63.

EXAUDI, Deus, orationem

meam cum déprecor : \* a timóre inimici éripe ánimam meam.

Protexisti me a convéntu malignántium : \* a multitudíne operántium iniquitatem.

Quia exacuérent ut gládium linguas suas : \* intendérunt arcum rem amáram, ut sagittent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : \* firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narráverunt ut absconderent láqueos : \* dixerunt : Quis vidébit eos ?

Scrutáti sunt iniquitates : \* defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : \* et exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum, \* et infirmatæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : \* et timuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei : \* et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo ; \* et laudabúntur omnes recti corde.

*Antiphona.*

Annuntiavérunt ópera Dei, et facta ejus intellexérunt.

ʒ. Constitues eos principes super omnem terram.

ʒ. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

Ÿ. Jube, Domne.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

Sermo sancti Gregorii Papæ.

LECTIO IV.

[Homil. 30 in Evang.]

SCRIPTUM est: Spiritus Domini ornávit cœlos. Ornamenta enim cœlorum sunt virtutes prædicantium. Quæ videlicet ornamenta Paulus enúmerat, dicens: Alii datur per Spiritum sermo sapiéntiæ, alii sermo sciéntiæ secundum eundem Spiritum, aliter fides in eodem Spiritu, alii grátia sanitátum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

R. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes, et Angelus Domini locutus est ad me, dicens: \* Isti sunt viri sancti, facti amici Dei.

Ÿ. Vidi Angelum Dei fortem, volantem per medium cœlum, voce magna clamantem, et dicentem.

Isti sunt viri.

*Benedictio* Christus perpetuæ.

LECTIO V.

QUOT ergo sunt bona præ-

dicantium, tot sunt ornamenta cœlorum. Hinc rursus scriptum est: Verbo Domini cœli firmati sunt. Verbum enim Domini Filius est Patris. Sed eosdem cœlos, videlicet sanctos Apóstolos, ut tota simul sancta Trinitas ostendatur operata, repente de Sancti Spiritus divinitate adjungitur: Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Cœlorum ergo virtus de Spiritu sumpta est: quia mundi hujus potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos Sancti Spiritus fortitudo solidasset. Quales namque doctores sanctæ Ecclesiæ ante adventum hujus Spiritus fuerint scimus: et post adventum illius, cujus fortitudinis facti sint conspicimus.

R. Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. \* Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Ÿ. Cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis.

Gaudete et exultate.

*Benedictio* Ignem sui amoris.

LECTIO VI.

CERTE iste ipse pastor Ec-

clésiæ, ad cujus sacratissimum corpus sedemus, quantæ debilitatis, quantæque formidinis ante adventum Spiritus fuerit, ancilla ostiaria requisita dicat. Una enim mulieris voce percussus, dum mori timuit, vitam negavit. Et pensandum, quia eum comprehensum Petrus negavit in terra quem suspensum latro confessus est in cruce. Sed vir iste tantæ formidinis qualis post adventum Spiritus existat audiamus. Fit conventus magistratus atque seniorum; cæsis denuntiatur Apóstolis ne in nómine Jesu loqui debeant: Petrus magna auctoritate respondet: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.

R. Isti sunt triumphatores et amici Dei qui, contemnentes jussa principum, meruerunt præmia æterna: \* Modo coronantur, et accipiunt palmam.

Y. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

Modo coronantur.

Glória Patri.

Modo coronantur.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Exaltabuntur cónua justi.  
Alleluia.

PSALMUS 74.

CONFITEBIMUR tibi, Deus:

\* confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua: \* cum accépero tempus, ego justitias judicabo.

Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea: \* ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis: Nolite inique ágere: \* et delinquentibus: Nolite exaltare cornu:

Nolite extollere in altum cornu vestrum, \* nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desértis montibus: \* quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat: \* quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto.

Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx ejus non est exinanita: \* bibent omnes peccatores terræ.

Ego autem annuntiabo in sæculum: \* cantabo Deo Jacob.

Et ómnia cónua peccatorum confringam: \* et exaltabuntur cónua justi.

*Antiphona.*

Exaltabuntur cónua justi.  
Alleluia.

*Antiphona.*

Lux orta est justo. Alleluia.  
Rectis corde lætitia. Alleluia.

PSALMUS 96.

Dominus regnavit, exultat  
a\*

tet terra : \* læténtur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circúitu ejus : \* justitia et judicium corrèctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, \* et inflammábit in circúitu inimicos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : \* vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini, \* a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justitiam ejus, \* et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adorant sculptília, \* et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : \* audivit, et lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ, \* propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram, \* nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui diligitis Dóminum, odíte malum : \* custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, \* et rectis corde lætítia.

Lætámini, justí, in Dómino : \* et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

*Antiphona.*

Lux orta est justo. Alleluia.

Rectis corde lætítia. Alleluia.

*Antiphona.*

Custodiébant testimónia ejus et præcépta ejus. Alleluia.

PSALMUS 98.

DÓMINUS regnávít, irascántur pópuli ; \* qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : \* et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terribile et sanctum est : \* et honor regis judícium diligit.

Tu parásti directiões : \* judícium et justitiam in Jacob tu fecisti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabellum pedum ejus, \* quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdotibus ejus : \* et Sámuel inter eos qui invocant nomen ejus.

Invocabant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : \* in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, \* et præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos : \* Deus, tu propítius fuísti eis, et ulciscens in omnes adinventiões eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte



sancto ejus, quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

*Antiphona.*

Custodiébant testimónia ejus, et præcepta ejus. Alleluia.

Ÿ. Nimis honoráti sunt amici tui, Deus.

℞. Nimis confortátus est principátus eórum.

Pater noster.

*Absolutio A vinculis.*

Ÿ. Jube, Domne.

*Benedictio Evangélica lectio.*

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 19.]

**I**N illo tēpore, Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus ómnia, et secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

[Lib. 3 in Matth. cap. 19.]

**G**RANDIS fidúcia! Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu et arte quærébat; et tamen lóquitur confidénter : Reliquimus ómnia. Et quia non súfficit tantum relinquere, jungit quod perfectum est : Et secúti sumus te. Fécimus quod jussisti, quid igitur nobis dabis præmii? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratione cum séderit Filius hóminis in sede majestátis

suae, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. Non dixit : Qui reliquistis ómnia; hoc enim et Crates fecit philosophus, et multi álíi divítias contempsérunt : sed, Qui secúti estis me : quod próprie Apostolórum est atque credéntium.

℞. Isti sunt qui, vivéntes in carne, plantavérunt Ecclesiám ságuine suo : \* Cálicem Dómini bibérunt, et amici Dei facti sunt.

Ÿ. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Cálicem Dómini.

*Benedictio Cujus, vel Quorum festum cólimus.*

LECTIO VIII.

**I**N regeneratione, cum séderit Filius hóminis in sede majestátis suae, (quando et mórtui de corruptione resúrgent incorrupti) sedébitis et vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israel; quia vobis credéntibus, illi credere noluérunt. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia congruit, in qua Salvátor lóquitur : Non veni pacem mittere, sed gládium : veni enim se-

parare hóminem a patre suo, et matrem a filia, et nurum a socru : et inimici hóminis domestici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, et prædicationem Evangélíi, omnes afféctus contémpserint, atque divítias et sæculi voluptates, isti centuplum recipient, et vitam ætérnam possidébunt.

R. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : \* Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna.

Ÿ. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justitiam.

Quorum doctrína.

Glória Patri.

Quorum doctrína.

*Benedictio* Ad societátem.

#### LECTIO IX.

Ex occasione hujus sententiæ, quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes, tunc nobis centuplum ómnium rerum quas dimisimus, et vitam ætérnam esse reddéndam, non intelligéntes quod, si in céteris digna sit repromissio; in uxóribus appareat turpítudo, ut qui unam pro Dómino dimiserit centum recipiat in futúro. Sensus ergo iste est : Qui carnália pro Salvatóre dimiserit spirituália recipiet; quæ comparatione et mérito sui ita erunt,

quasi parvo número centenárius número comparétur.

*Deinde dicitur Hymnus*  
Te Deum laudámus, 18.

#### AD LAUDES

ET PER HORAS.

#### *Antiphona.*

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis invicem, sicut dilexi vos.

*Psalmus* Dóminus regnavit, cum reliquis, 19.

#### *Antiphona.*

Majórem charitátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amicis suis.

#### *Antiphona.*

Vos amici mei estis si feceritis quæ præcipio vobis, dicit Dóminus.

#### *Antiphona.*

Beáti pacífici, beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

#### *Antiphona.*

In patientia vestra possidebitis ánimas vestras.

#### CAPITULUM.

[Ephes., c. 2.]

FRATRES, jam non estis hospites et advenæ; sed estis cives sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulári lapide Christo Jesu.

R. Deo grátias.

#### HYMNUS.

EXULTET orbis gaudiis;  
Cælum resúltet laudibus;  
Apostolorum glóriam  
Tellus et astra concinunt.

Vos sæculórum júdices,  
Et vera mundi lúmina,  
Votis precámur córdium,  
Audíte voces súpplicum.

Qui templa cœli cláuditis,  
Serásque verbo sólvitis,  
Nos a reátu nóxios  
Solvi jubéte, quæsumus.

Præcépta quorum prótinus  
Languor salúsque séntiunt,  
Sanáte mentes lánguidas,  
Augéte nos virtútibus.

Ut, cum redíbit Arbiter  
In fine Christus sæculi,  
Nos sempitérni gáudii  
Concédat esse cómpotes.

Patri, simúlque Fílio,  
Tibíque Sancte Spíritus,  
Sicut fuit, sit júgiter  
Sæclum per omne glória.

Amen.

✠. Annuntiavérunt ópera  
Dei.

℞. Et facta ejus intellexé-  
runt.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Vos qui reliquistis ómnia  
et secúti estis me, céntuplum  
accipiétis, et vitam ætérrnam  
possidébitis.

*Ad Tertiam, Antiphona*  
Majórem charitátem.

*Capitulum* Fratres, jam  
non, xij.

℞. *breve.* In omnem ter-  
ram, \* Exívit sonus eórum.  
In omnem.

✠. Et in fines orbis terræ  
verba eórum.

℞. Exívit sonus.

Glória Patri.

In omnem terram.

✠. Constitues eos prínci-  
pes super omnem terram.

℞. Mémoires erunt nóminis  
tui, Dómine.

*Ad Sextam, Antiphona*  
Vos amici mei estis.

CAPITULUM.

[Act., c. 5.]

**P**ER manus autem Aposto-  
lórum fiébant signa et pro-  
dígia multa in plebe.

℞. *br.* Constitues eos prin-  
cipes, \* Super omnem terram.  
Constitues.

✠. Mémoires erunt nómi-  
nis tui, Dómine.

℞. Super omnem.

Glória Patri.

Constitues eos.

✠. Nimis honoráti sunt  
amici tui, Deus.

℞. Nimis confortátus est  
principátus eórum.

*Ad Nonam, Antiphona* In  
patiéntia vestra.

CAPITULUM.

[Act., c. 5.]

**I**BANT Apóstoli gaudéntes a  
conspéctu concílii, quóniam  
digni hábiti sunt pro nómine  
Jesu contuméliam pati.

℞. *breve.* Nimis honoráti  
sunt, \* Amici tui, Deus.

Nimis honoráti.

✠. Nimis confortátus est  
principátus eórum.

℞. Amici tui.

Glória Patri.

Nimis confortátus.

✠. Annuntiavérunt ópera  
Dei.

ñ. Et facta ejus intellexerunt.

### IN II<sup>a</sup> VESPERIS.

#### *Antiphona.*

Juravit Dóminus, et non pœnitêbit eum : Tu es sacerdos in ætérnum.

PSALMUS 109.

**D**IXIT Dóminus Dómino meo : \* Sede a dextris meis :

Donec ponam inimicos tuos, \* scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emit-  
tet Dóminus ex Sion : \* do-  
mináre in médio inimicórum  
tuórum.

Tecum princípium in die  
virtútis tuæ in splendóribus  
sanctorum : \* ex útero ante  
Luciferum genui te.

Juravit Dóminus, et non  
pœnitêbit eum : \* Tu es sacer-  
dos in ætérnum secúndum  
ordinem Melchisedech.

Dóminus a dextris tuis, \*  
confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natióibus,  
implébit ruínas : \* conquassá-  
bit cápita in terra multórum.

De torrén- te in via hîbet : \*  
propterea exaltábit caput.

#### *Antiphona.*

Juravit Dóminus, et non  
pœnitêbit eum : Tu es sacer-  
dos in ætérnum.

#### *Antiphona.*

Cólocet eum Dóminus cum  
principibus pópli sui.

PSALMUS 112.

**L**AUDATE, púeri, Dóminum,  
\* laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini bene-  
dictum, \* ex hoc nunc, et  
usque in sæculum.

A solis ortu usque ad oc-  
cásum, \* laudábile nomen  
Dómini.

Excélsus super omnes gen-  
tes Dóminus, \* et super cælos  
glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus  
noster, qui in altis hábitat, \*  
et humília réspicit in cælo et  
in terra?

Súscitans a terra inopem,  
\* et de stercore érigens páu-  
perem :

Ut cólocet eum cum prin-  
cípibus, \* cum principibus pó-  
pli sui.

Qui habitáre facit stérilem  
in domo, \* matrem filiórum  
lætántem.

#### *Antiphona.*

Cólocet eum Dóminus  
cum principibus pópli sui.

#### *Antiphona.*

Dirupisti, Dómine, vin-  
culamea, tibi sacrificábo hós-  
tiam laudis.

PSALMUS 115.

**C**REDIDI, propter quod lo-  
cútus sum : \* ego autem hu-  
miliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo :  
\* Omnis homo mendax.

Quid retribuam Dómino \*  
pro ómnibus quæ retribuit  
mihi?

Cálicem salutáris accípiam,  
\* et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam



coram omni pópulo ejus : \*  
pretiósá in conspéctu Dómini  
mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus  
tuus, \* ego servus tuus, et  
filius ancillæ tuæ.

Dirupísti vîncula mea : \*  
tibi sacrificábo hóstiám lau-  
dis, et nomen Dómini invo-  
cábo.

Vota mea Dómino reddam  
in conspéctu omnis pópuli  
ejus, \* in átriis domus Dó-  
mini, in médio tui, Jerúsalem.

*Antiphona.*

Dirupísti, Dómine, vîncula  
mea, tibi sacrificábo hóstiám  
laudis.

*Antiphona.*

Eúntes ibant et flebant,  
mitténtes sémîna sua.

PSALMUS 125.

**I**N converténdo Dóminus  
captivitátem Sion, \* facti su-  
mus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio  
os nostrum, \* et lingua nostra  
exultatióne.

Tunc dicent inter gentes : \*  
Magnificávit Dóminus fácere  
cum eis.

Magnificávit Dóminus fá-  
cere nobiscum : \* facti sumus  
lætántes.

Convérte, Dómine, capti-  
vitátem nostram, \* sicut tor-  
rens in Austro.

Qui séminant in lácrymis  
\* in exultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, \*  
mitténtes sémîna sua.

Veniéntes autem vénient

cum exultatióne, \* portántes  
manípulos suos.

*Antiphona.*

Eúntes ibant et flebant,  
mitténtes sémîna sua.

*Antiphona.*

Confortátus est principá-  
tus eórum, et honoráti sunt  
amici tui, Deus.

PSALMUS 138.

**D**OMINE, probásti me, et  
cognovísti me : \* tu cogno-  
vísti sessiόνem meam et re-  
surrectiόνem meam.

Intellexísti cogitatiónes  
meas de longe, \* sémitam  
meam et funiculuni meum  
investigásti.

Et omnes vias meas præ-  
vidísti, \* quia non est sermo  
in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cogno-  
vísti ómnia novíssima et an-  
tiqua : \* tu formásti me, et po-  
suísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia  
tua ex me : \* confortáta est,  
et non pótero ad eam.

Quo ibo a spírítu tuo ? \* et  
quo a fácie tua fúgiam ?

Si ascéndero in cœlum, tu  
illic es ; \* si descéndero in in-  
férnum, ades.

Si sumpsero pennas meas  
dilúculo, \* et habitávero in  
extrémis maris ;

Etenim illuc manus tua de-  
ducet me, \* et tenébit me dex-  
tera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ  
conculcábunt me : \* et nox il-  
luminátio mea in deliciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur: \* sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos: \* suscepisti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es: \* mirabilia ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecisti in occulto: \* et substántia mea in inferiórius terræ.

Imperféctum meum viderunt óculi tui, et in libro tuo omnes scribéntur: \* dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: \* nimis confortátus est princípatus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur: \* exurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occideris, Deus, peccatóres: \* viri sánguinem, declináte a me:

Quia dicitis in cogitatióne: \* Accipient in vanitate civitates tuas.

Nónne qui odérunt te, Dómine, óderam, \* et super inimicos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos: \* et inimici facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum: \* intéroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide si via iniquitátis

in me est: \* et deduc me in via æténa.

### *Antiphona.*

Confortátus est princípatus eórum, et honoráti sunt amíci tui, Deus.

### CAPITULUM.

[Ephes., c. 3.]

**F**RATRES, jam non estis hóspites et ádvenæ; sed estis cives sanctorum, et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

R. Deo grátias.

*Hymnus* Exúltet orbis, ut supra, xiiij.

Y. Annuntiavérunt ópera Dei.

R. Et facta ejus intellexérunt.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Estóte fortes in bello, et pugnáte cum antiquo serpente; et accipiétis regnum æternum. Alleluia.

### ALIE LECTIONES

#### PRO APOSTOLIS.

De Expositiône S. Augustini Episcopi super Psalmum octogésimum sextum.

#### LECTIO IV.

**F**UNDAMENTA ejus in montibus sanctis: diligit Dóminus portas Sion. Quare sunt fundamenta Apóstoli et Prophætæ? Quia eórum auctóritas portat infirmitátem nostram. Quare sunt portæ? Quia

per ipsos intrámus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis ; et cum per ipsos intrámus, per Christum intrámus. Ipse est enim jánuā. Et cum dicuntur duódecim portæ Jerúsalem, et una porta Christus, et duódecim portæ Christus, quia in duódecim portis Christus : et ideo duodenárius númerus Apostolorum. Sacraméntum magnum hujus duodenárii significatio est númeri. Sedébitis, inquit, super duódecim sedes, judicantes duódecim tribus Israel.

℞. Vidi conjúctos viros habentes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : \* Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei.

℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem, et dicéntem.

Isti sunt viri.

#### LECTIO V.

SI duódecim sellæ ibi sunt, non est ubi sédeat tertiusdecimus Paulus Apóstolus, et non erit quómodo júdicet : et ipse se júdicatúrum dixit, non hómines tantum, sed et ánge-  
 los. Quos ánge-  
 los, nisi apóstatas ánge-  
 los? Nescitis, inquit, quia ánge-  
 los júdicá-  
 bimus? Respondéret ergo turba : Quid te jactas júdicatúrum? Ubi sedébis? Duódecim sedes dixit Dóminus duódecim Apóstolos : unus cecidit Judas, in locum ipsius

sanctus Mathías ordinátus est; implétus est duodenárius númerus sédium. Primo locum ínveni ubi sédeas, et sic te mináre júdicatúrum. Duódecim ergo sedes quid sibi velint videámus. Sacraméntum est cujúsdam universitátis, quia per totum orbem terrárum futúra erat Ecclesi-  
 sia : unde vocátur hoc ædifi-  
 cium ad Christi compágem.

℞. Beáti estis cum maledixerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et dixerint omne malum advérsus vos, mentiéntes propter me : \* Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis.

℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hóminis.

Gaudéte et exultáte.

#### LECTIO VI.

ET ideo quia úndique veni-  
 tur ad júdicándum, duódecim sedes sunt : sicut quia úndique intrátur in illam ci-  
 vitátem, duódecim portæ sunt. Non solum ergo illi duódecim, et Apóstolus Paulus, sed quotquot júdicatúri sunt, propter significatió-  
 nem universitátis ad sedes duódecim pértinent : quem-  
 ádmodum quotquot intrá-  
 bunt, ad duódecim portas pértinent. Partes enim mundi

quátuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo, et Merídiēs. Istæ quátuor partes assidue nōminántur in Scriptúris. Ab istis quátuor ventis, sicut dicit Dóminus in Evangélio, a quátuor ventis se collectúrum eléctos suos : ab ómnibus ergo istis quátuor ventis vocátur Ecclesiā. Quómodo vocátur? Undique in Trinitáte vocátur. Non vocátur nisi per baptismum in nómīne Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Quátuor ergo ter ducta duódecim inveniúntur.

R). Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui, contemnentes jussa principum, meruerunt præmia ætérna : \* Modo coronántur, et accipiunt palmam.

Ÿ. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et laverunt stolas suas in ságuine Agni.

Modo coronántur.

Glória Patri.

Modo coronántur.

## PRO EVANGELISTIS

### LECTIONES.

#### IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit liber Ezechiélis Prophétæ.

#### LECTIO I.

[Cap. 1.]

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in médio captivórum juxta flúvium

Chobar, apérti sunt cœli, et vidi visiones Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachim, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldæórum, secus flumen Chobar : et facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, et ecce ventus túrbis veniebat ab Aquilóne, et nubes magna, et ignis invólvens, et splendor in circúitu ejus : et de médio ejus quasi species eléctri, id est de médio ignis.

R). Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : \* Estóte ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.

Ÿ. Dum lucem habétis, créдите in lucem, ut filii lucis sitis.

Estóte ergo.

#### LECTIO II.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium : et hic aspectus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, et quátnor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti, et planta pedis eórum quasi planta pedis vituli, et scintillæ quasi aspéctus æris candentis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus, et fácies et pennas per quátuor partes habébant : junctæque erant pennæ eórum altérius ad álterum. Non



revertebántur cum incéderent: sed unumquódque ante fáciem suam gradiebátur.

℞. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et discite a me quia mitis sum et húmilis corde: \* Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris.

Jugum enim.

LECTIO III.

SIMILITUDO autem vultus eórum, fácies hóminis, et fácies léonis a dextris ipsórum quátuor: fácies autem bovis a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungébántur, et duæ tegébant córpora eórum: et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat impetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cum ambulárent.

℞. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolite cogitare quómodo aut quid loquámini: \* Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini.

℣. Non enim vos estis qui loquimini: sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis.

Dábitur enim.

Glória Patri.

Dábitur enim.

IN SECUNDO NOCTURNO.

De Expositione sancti Gregórii Papæ super Ezechiélem Prophétam.

LECTIO IV.

[Homilia 5, lib. 1.]

SANCTA quátuor animália, quæ prophetiæ spíritu futura prævidéntur, subtili narratione describúntur, cum dicitur: Quátuor fácies uni, et quátuor pennæ uni. Quid per fáciem, nisi notitia, et quid per pennas, nisi volátus exprimitur? Per fáciem quippe unusquisque cognóscitur: per pennas vero in altum ávium córpora sublevántur. Fácies itaque ad fidem pértinet, penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipoténti Deo cognóscimur, sicut ipse de suis óvibus dicit: Ego sum pastor bonus, et cognóscovo meas, et cognóscunt me meæ. Qui rursus ait: Ego scio quos elégerim. Per contemplationem vero, qua super nosmetipsos tóllimur, quasi in áera levámur.

℣. Vidi conjúctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens: \* Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei.

℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem, et dicéntem.

Isti sunt viri.

## LECTIO V.

**Q**UATUOR ergo fácies uni sunt : quia si requíras quid Matthæus de incarnatióne Dómini sentiat; hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas et Joánnēs. Si quæras quid Joánnēs sentiat, hoc procul dúbio quod Lucas, Marcus et Matthæus. Si quæras quid Marcus, hoc quod Matthæus, Joánnēs et Lucas. Si quæras quid Lucas, hoc quod Joánnēs, Matthæus et Marcus sentit. Quátuor ergo fácies uni sunt : quia notitia fidei, qua cognoscúntur a Deo, ipsa est in uno, quæ est simul in quátuor. Quidquid enim in uno invéneris, hoc in ómnibus simul quátuor cognóscēs.

**R**. Beáti estis cum maledixerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et dixerint omne malum advérsus vos, mentientes propter me: \* Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis.

**V**. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tanquam malum propter Fílium hóminis.

Gaudéte et exultáte.

## LECTIO VI.

**E**t quátuor pennæ uni, quia Dei omnipoténtis Fílium Dóminum nostrum Jesum Christum simul omnes concórditer

prædicant, et ad divinitátem ejus mentis óculos levántes, penna contemplatiónis volant. Evangelistárum ergo fácies ad humanitátem Dómini pértinet, penna ad divinitátem : quia in eum, quem corpóream aspíciunt, quasi fácies inténdunt : sed dum hunc esse incircumscriptum atque incorpóream ex divinitáte annúntiant, per contemplatiónis pennam quasi in æra levántur. Quia itaque una est fides incarnatiónis ejus in ómnibus, et par contemplatio divinitátis ejus in singulis, recte nunc dicitur : Quátuor fácies uni, et quátuor pennæ uni.

**R**. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui, contemnentes jussa princípum, meruerunt præmia ætérna : \* Modo coronántur, et accípiunt palmam.

**V**. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatióne, et laverunt stolas suas in sánguine Agni.

Modo coronántur.

Glória Patri.

Modo coronántur.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

## LECTIO VII.

[Cap. 10.]

**I**n illo témpore, Designávit Dóminus et álios septuaginta duos, et misit illos binos ante

faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii apæ.

[Homilia 17 in Evangelia.]

**D**ominus et Salvator noster, atres charissimi, aliquando per sermonibus, aliquando per operibus admonet. Ipsa enim facta ejus præcepta sunt: quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. Ecce enim nos in prædicationem discipulos mittit: quia duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor et proximi, et minus quam inter duos charitas haberi non potest. Neque enim proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur: sed dilectio in alterum tendit, ut charitas esse possit.

**R.** Isti sunt qui, viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: \* Calicem Domini biberunt, et amici ei facti sunt

**Y.** In omnem terram exivit nomen eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.

Calicem Domini biberunt.

LECTIO VIII.

**E**cce enim binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit: quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet prædicationis officium accipere nullatenus debet. Ene autem dicitur, quia mi-

sit eos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Prædicatores enim suos Dominus sequitur: quia prædicatio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt, atque per hoc veritas in mente suscipitur.

**R.** Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam: \* Quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna.

**Y.** Sancti per fidem vicērunt regna, operati sunt justitiam.

Quorum doctrina.

Glória Patri.

Quorum doctrina.

LECTIO IX.

**H**inc namque eisdem prædicatoribus Isaías dicit: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hinc filiis Psalmista ait: Iter facite ei qui ascendit super occasum. Super occasum namque Dominus ascendit; quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. Super occasum videlicet ascendit, quia mortem, quam pertulit, resurgendo calcavit. Ei ergo qui ascendit super occasum iter facimus cum nos ejus gloriam vestris mentibus prædicamus, ut eas et ipse

post véniens per amóris sui  
præséntiam illústret.

Te Deum laudámus, 18.

~~~~~

COMMUNE  
APOSTOLORUM  
ET EVANGELISTARUM.

TEMPORE PASCHALI.

*Ad Vesperas Antiphona*  
Sancti tui, cum reliquis de  
Laudibus, xxiv.

*Psalmus* Dixit Dóminus,  
cum reliquis de Dominica,  
134, et loco ultimi *Psalmus*  
Laudáte Dóminum, omnes  
gentes, 139.

CAPITULUM.

[ Sap., 5.]

**S**TABUNT justí in magna, con-  
stántia advérsus eos qui se  
angustiavérunt, et qui abs-  
tulérunt labóres eórum.

HYMNUS.

**T**RISTES erant Apóstoli  
De Christi acérbo fúnere,  
Quem morte crudelissima  
Servi necárant impii.

Sermóne verax Angelus  
Mulieribus prædixerat:  
Mox ore Christus gáudium  
Gregi feret fidélium.

Ad ánxios Apóstolos  
Currunt statim dum núntiæ,  
Illæ micántis óbvia  
Christi tenent vestigia.

Galilææ ad alta móntium  
Se cónferunt Apóstoli,  
Jesúque, voti cómpotes,  
Almo beántur lúmine.

Ut sis perénne méntibus  
Paschále Jesu gáudium,

A morte dira criminum  
Vitæ renátos libera.

Deo Patri sit glória,  
Et Filio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito  
In sempitérna sæcula.  
Amen.

*Sic terminantur Hymni*  
*ejusdem metri usque ad As-*  
*censione exclusive.*

*Ab Ascensione autem us-*  
*que ad Pentecosten, loco*  
*supradicti Versus dicatur se-*  
*quens:*

Jesu, tibi sit glória,  
Qui victor in cœlum redis,  
Cum Patre, et almo Spiritu,  
In sempitérna sæcula.  
Amen.

✠. Sancti et justí, in Dó-  
mino gaudéte. Alleluia.

R). Vos elégit Deus in hæ-  
reditátem sibi. Alleluia.

*Ad Magnificat, Antiphona*  
Lux perpétua\* lucébit sanc-  
tis tuis, Dómine, et æterni-  
tas témporum: Alleluia.

*Oratio propria.*

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Regem  
Apóstolorum Dóminum,  
Venite, adorémus. Alleluia.

*Psalmus* Venite, exulté-  
mus, 2.

*Hymnus* Tristes erant Após-  
toli, ut supra.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Stabunt justí in magna con-  
stántia advérsus eos qui se  
angustiavérunt. Alleluia.



*Psalmi* Cœli enarrant; Benedicam; Eructavit, *ut supra in Communi Apostolorum*, ij.

Ÿ. Sancti et justi, in Dómino gaudete. Allelúia.

℞. Vos elégit Deus in hæreditatem sibi. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

Ÿ. Jube, Domne.

*Benedictio* Benedictione perpétua.

*Lectiones in quolibet Nocturno, ut in Proprio annotatur.*

℞. 1. Beátus vir qui méruit Dóminum. Allelúia. \* In mandátis ejus cupit nimis. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ÿ. Glória et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

℞. In mandátis.

*Benedictio* Unigénitus Dei Filius.

℞. 2. Tristitia vestra. Allelúia. \* Convertétur in gáudium. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Mundus autem gaudébit; vos vero contristabimini; sed tristitia vestra.

℞. Convertétur.

*Benedictio* Spíritus Sancti grátia.

℞. 3. Pretiósá in conspéctu Dómini. Allelúia. \* Morssanctorum ejus. Allelúia.

Ÿ. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum; unum ex his non conterétur.

**Mors sanctorum.**

Glória Patri.

Mors sanctorum.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Ecce quómodo computáti sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illórum est. Allelúia.

*Psalmi* Omnes gèntes; Exáudi, Deus, deprecationem; Exáudi, Deus, orationem meam, *ut supra*, vj.

Ÿ. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine. Allelúia.

℞. Et æternitas téporum. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsíus píetas.

Ÿ. Jube, Domne.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

℞. 4. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et æternitas téporum. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Lætitia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exultationem obtinebunt.

Et æternitas.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

℞. 5. Virtúte magna reddébant Apóstoli \* Testimónium resurrectionis Jesu Christi Dómini nostri. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Repléti quidem Spíritu Sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei.

**Testimónium.**

*Benedictio* Ignem sui amoris.

R. 6. Isti sunt agni novelli, qui annuntiaverunt, Allelúia. Modo venerunt ad fontes; \* Repléti sunt claritate. Allelúia, allelúia.

Ÿ. In conspectu Agni amicti sunt stolis albis, et palmæ in manibus eorum.

Repléti sunt.

Glória Patri.

Repléti sunt.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et æternitas téporum. Allelúia.

*Psalmi* Confitebimur; Dóminus regnavit, exultet; Dóminus regnavit, irascantur, *supra*, ix.

Ÿ. Lætítia sempiterna super cápita eorum. Allelúia.

R. Gáudium et exultationem obtinebunt. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* A vinculis peccatorum.

Ÿ. Jube, Domne.

*Benedictio* Evangélica lectio.

R. 7. Ego sum vitis vera, et vos palmites: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.

Qui manet.

*Benedictio* Cujus vel Quorum festum colimus.

R. 8. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus. Allelúia. Splendorem Deo dederunt. Allelúia. \* Et sicut lac coagulati sunt. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Cándidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antiquo, sapphiro pulchrióres.

Et sicut lac.

Glória Patri.

Et sicut lac.

*Benedictio* Ad societatem.  
AD LAUDES.

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium. Allelúia. Et sicut odor bálsami erunt ante te. Allelúia.

*Psalmus* Dóminus regnavit, cum reliquis de Psalterio, 19.

*Antiphona.*

In cœlestibus regnis sanctorum habitatio est. Allelúia. Et in ætérnum réquies eorum. Allelúia.

*Antiphona.*

In velamento clamabant sancti tui, Dómine. Allelúia, allelúia, allelúia.

*Antiphona.*

Spiritus et animæ justorum, hymnum dicite Deo nostro. Allelúia, allelúia.

*Antiphona.*

Fulgébunt justi sicut sol in conspectu Dei. Allelúia.

CAPITULUM.

[Sap., 3.]

STABUNT justi in magna

constántia advérsus eos qui se angustiavérunť, et qui abstulérunť labóres eórum.

HYMNUS.

PASCHALE mundo gáudium  
Sol núnťiat formósior,  
Cum luce fulgéntem nova  
Jesum vident Apóstoli.

In carne Christi vúlnera  
Micáre tanquam sidera  
Mirántur, et quídquid vident  
Testes fidéles prædicant.

Rex Christe clementíssime,  
Tu corda nostra pósside,  
Ut lingua grates débitas  
Tuo repéndat nómini.

Ut sis perénne méntibus  
Paschále, Jesu, gáudium,  
A morte dira criminum  
Vitæ renátos libera.

Deo Patri sit glória,  
Et Fílio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

Ÿ. Pretiósá in conspéctu  
Dómini. Allelúia.

Ŗ. Mors sanctórum ejus.  
Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Filiæ Jerúsalem, veníte et  
vidéte Mártýres cum corónis,  
quibus coronávit eos  
Dóminus in die solemnitátis  
et lætitiæ. Allelúia, allelúia.

*Ad Primam in responso-  
rio brevi, a Feria secunda  
post Dominicam in Albis  
usque ad Ascensionem exclu-  
sive, dicitur versus Qui sur-  
rexisti a mórtuis.*

Vern.

*Ab Ascensione autem us-  
que ad Pentecosten exclusive,  
dicitur Versus Qui scandis  
super sidera.*

*Ad Tertiam, Antiphona*  
In coeléstibus regnis.

*Capitulum* Stabunt justi  
ut supra, xxij.

Ŗ. breve. Sancti et justi, in  
Dómino gaudéte. \* Allelúia,  
allelúia. Sancti et justi.

Ÿ. Vos elégit Deus in hæ-  
reditátem sibi.

Ŗ. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Sancti et  
justi.

Ÿ. Lux perpétua lucébit  
sanctis tuis, Dómine. Alle-  
lúia.

Ŗ. Et æternitas témpo-  
rum. Allelúia.

*Ad Sextam, Antiphona*  
In velaménto.

CAPITULUM.

[ Sap., 5. ]

ECCE quómodo computáti  
sunt inter filios Dei, et inter  
sanctos sors illórum est.

Ŗ. breve. Lux perpétua  
lucébit sanctis tuis, Dómine.  
\* Allelúia, allelúia. Lux per-  
pétua.

Ÿ. Et æternitas témporum.

Ŗ. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Lux per-  
pétua.

Ÿ. Lætítia sempitérna su-  
per cápita eórum. Allelúia.

Ŗ. Gáudium et exultatió-  
nem obtinébunt. Allelúia.

*Ad Nonam, Antiphona*  
Fulgébunt iusti.

## CAPITULUM.

[Rom., c. 8.]

**S**CI MUS quóniam diligén-  
tibus Deum ómnia coope-  
rántur in bonum, iis qui se-  
cúndum propósitum vocáti  
sunt sancti.

R. *breve.* Lætítia sempi-  
térna super cápita eórum. \*  
Allelúia, allelúia. Lætítia.

✠. Gáudium et exultatió-  
nem obtinébunt.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Lætítia.

✠. Pretiósá in conspéctu  
Dómini. Allelúia.

R. Mors sanctórum ejus.  
Allelúia.

*Ad Vesperas, Antiphona.*

Sancti tui cum reliquis de  
Laudibus, xxiv.

*Psalmi* Dixit Dóminus;  
Laudáte, púeri; Crédidi; In  
converténdo; Dómine, pro-  
básti, ut *supra*, xiv.

*Capitulum* Stabunt Iusti.

*Hymnus* Tristes erant  
Apóstoli, xxij

✠. Pretiósá in conspéctu  
Dómini. Allelúia.

R. Mors sanctórum ejus.  
Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Sancti et iusti, in Dómino  
gaudéte. Allelúia. Vos elégit  
Deus in hæreditátem sibi.  
Allelúia.

## COMMUNE

## UNIUS MARTYRIS

EXTRA TEMPUS PASCHALE.

*Ad Vesperas Antiphona*  
Qui me conféssus, cum reli-  
quis de Laudibus, ut *infra*.  
*Psalmus* Dixit Dóminus,  
cum reliquis de Dominica,  
134, et loco ultimi *Psalmus*  
Laudáte Dóminum, omnes  
gentes, 139.

## CAPITULUM.

[Jacobi 1.]

**B**EATUS vir qui suffert tenta-  
tiónem, quóniam, cum pro-  
bátus fúerit, accipiet coró-  
nam vitæ, quam repromisit  
Deus diligentibus se.

R. Deo grátias.

## HYMNUS.

**D**EUS tuórum militum  
Sors, et coróna, præmium,  
Laudes canéntes Mártyris  
Absólve nexu criminis.

Hic nempe mundi gáudia,  
Et blanda fraudum pábula  
Imbúta felle députans,  
Pervénit ad coeléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter,  
Et sústulit viriliter,  
Fundénsque pro te sánqui-  
nem,

Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precáti súplici  
Te póscimus, piíssime,  
In hoc triúmpho Mártyris  
Dimitte noxam sérvulis.

Laus et perénis glória  
Patri sit, atque Filio,



Sancto simul Paráclito,  
In sempiterna sæcula.

Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

℞. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Iste sanctus \* pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non timuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

*Pro Martyre et Pontifice.*

ORATIO.

**I**NFIRMITATEM nostram respice, omnipotens Deus, et quia pondus propriæ actiõnis gravat, beati N., Mátyris tui atque Pontíficis, intercessio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

ALIA ORATIO.

**D**EUS, qui nos beáti N., Mátyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætificas, concéde propítius ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectione gaudeámus. Per Dóminum.

*Pro Martyre tantum.*

ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beáti N., Mátyris tui, natalítia cólimus, intercessiõne ejus in tui nóminis amore roborémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

ALIA ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, intercedenet

beáto N., Mátyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiõibus mundémur in mente. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Regem Mátyrum Dóminum, \* Veníte, adorémus.

*Psalmus Veníte, exultémus, 2.*

*Hymnus Deus, tuórum militum, xxvj.*

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

In lege \* Dómini fuit volúntas ejus die ac nocte.

PSALMUS I.

**B**EATUS vir qui non ábiit in consilio impiórum, et in via peccatórum non stetit, \* et in cáthedra pestilentiae non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, \* et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum quod plantátum est secus decúrsus aquárum, \* quod fructum suum dabit in témpore suo;

Et fólium ejus non défluet; \* et ómnia quæcúmque faciet prosperabúntur.

Nonsic ímpii, nonsic: \* sed tanquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judicio, \* neque peccatóres in concilio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: \* et iter impiórum peribit.

*Antiphona.*

In lege \* Dómini fuit voluntas ejus die ac nocte.

*Antiphona.*

Prædicans \* præceptum Dómini, constitutus est in monte sancto ejus.

## PSALMUS 2.

**Q**UARE fremuerunt gentes, \* et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, \* et príncipes convenérunt in unum, \* advérsus Dóminum, \* et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, \* et projiciámus a nobis júgum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos, \* et Dóminus sub sannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, \* et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, \* prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me : \* Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, \* et possessiónem tuam téminos terræ.

Reges eos in vírga férrea, \* et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite; \* erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, \* et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, \* et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, \* beáti omnes qui confidunt in eo.

*Antiphona.*

Prædicans \* præceptum Dómini, constitutus est in monte sancto ejus.

*Antiphona.*

Voce mea \* ad Dóminum clamávi, et exaudivit me de monte sancto suo.

## PSALMUS 3.

**D**OMINE, quid multiplicáti sunt qui tribulant me? \* multi insúrgunt advérsus me.

Multi dicunt ánimæ meæ : \* Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, \* glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : \* et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : \* et exurréxi, quia Dóminus suscepit me.

Non timébo millia pópuli circumdántis me : \* exúrge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussisti omnes adversántes mihi sine causa, \* dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : \* et super pópulum tuum benedictio tua.

*Antiphona.*

Voce mea \* ad Dóminum

clámavi; et exaudivit me de monte sancto suo.

Ÿ. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

R. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

Ÿ. Jube, Domne.

*Benedictio* Benedictione perpétua.

*Lectiones sequentes primi Nocturni leguntur in Festo Martyris et Pontificis.*

*In Festo autem Martyris non Pontificis leguntur quæ inferius positæ sunt in Comuni plurimorum Martyrum.*

De Actibus Apostolorum.

LECTIO I.

[Cap. 20.]

**A** MILÉTO Paulus mittens Ephesum, vocávit majóres natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis: Vos scitis a prima die qua ingressus sum in Asiam quáliter vobiscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, et lácrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum: quómodo nihil subtráxerim utilium, quo minus annuntiárem vobis, et docérem vos públice et per domos, testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœniténtiam, et fidem in Dó-

minum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem, quæ in ea ventúra sint mihi ignórans, nisi quod Spíritus Sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens: Quóniam víncula et tribulationes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor, nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me, dúmmodo consúmmem cursum meum, et ministérium verbi, quod accépi a Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiae Dei.

R. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: \* Fundátus enim erat supra firmam petram.

Ÿ. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.

Fundátus.

*Benedictio* Unigénitus Dei Filius.

LECTIO II.

**E**t nunc ecce ego scio quia ámplius non vidébitis faciém meam vos omnes, per quos transívi prædicans regnum Dei. Quaprópter contéstor vos hodiérna die, quia mundus sum a ságuine ómnium. Non enim subterfúgi, quo minus annuntiárem omne consílium Dei vobis. Atténdite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus Sanctus

pósuit Episcopos régere Ecclesiám Dei, quam acquisívit ságuine suo. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi. Et ex vobis ipsis exúrgent viri loquéntes perversa, ut abdúcant discipulos post se. Propter quod vigiláte, memória retinéntes quóniam per triénnum nocte et die non cessávi, cum lácrymis monens unumquémque vestrum.

R. Justus germinábit sicut lílium : \* Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

V. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et florébit.

*Benedictio Spíritus Sancti grátia.*

#### LECTIO III.

ET nunc comméndo vos Deo, et verbo grátiae ipsíus, qui potens est aedificáre, et dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus. Argéntum et aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis : quóniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit : Beátius est magis dare quam accipere. Et cum hæc dixisset, pósitis génibus suis orávit cum ómnibus illis. Magnus

autem fletus factus est ómnium ; et, procumbéntes super collum Pauli, osculabántur eum, doléntes máxime in verbo quod dixerat, quóniam ámplius fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem.

R. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : \* et invéntus est in número sanctórum.

V. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Et invéntus est.

Glória Patri.

Et invéntus est.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Fílii hóminum \* scitóte quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

#### PSALMUS 4.

CUM invocárem, exaudivit me Deus justítiae meæ : \* in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, \* et exáudi oratiómem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde ? \* ut quid diligitis vanitátem, et quæritis mendácium ?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : \* Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascimini, et nolite peccáre : \* quædicitis in córdibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.



Sacrificáte sacrificium iustitiæ, et speráte in Dómino :  
\* Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : \* dedisti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et olei sui, \* multiplicáti sunt.

In pace in idípsum \* dormiam et requiescam ;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe \* constituístime.

*Antiphona.*

Filii hóminum, \* scitóte quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

*Antiphona.*

Scuto \* bonæ voluntátis tuæ coronásti eum, Dómine.

PSALMUS 5.

VERBA mea áuribus percípe, Dómine, \* intéllege clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, \* Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : \* Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, et vidébo : \* quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit iuxta te malignus : \* neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem : \* perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinem et dolósum abominábitur Dóminus : \* ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introibo in domum tuam :  
\* adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in iustítia tua : \* propter inimícos meos dirige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas, \* cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant : \* júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, \* quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, \* in ætérnum exultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, \* quóniam tu benedices justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ \* coronásti nos.

*Antiphona.*

Scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum, Dómine.

*Antiphona.*

In univérsa \* terra glória et honóre coronásti eum.

PSALMUS 8.

DÓMINE, Dóminus noster, \* quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua \* super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem prop-

ter inimicos tuos, \* ut destruas inimicum et ultorem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitorum tuorum, \* lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? \* aut filius hominis, quóniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum, \* et constituisti eum super ópera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, \* oves et boves universas, insuper et pecora campi;

Vólucres cœli, et pisces maris, \* qui perambulant semitas maris.

Dómine, Dóminus noster, \* quam admirábile est nomen tuum in universa terra!

*Antiphona.*

In universa terra glória et honóre coronásti eum.

℣. Posuisti, Dómine, super caput ejus.

℞. Coronam de lapide pretioso.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

℣. Jube, Domne.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

#### LECTIO IV.

[Sermone 44 de Sanctis.]

**T**RIUMPHALIS beáti Mátyris N. dies hódie nobis an-

niversária celebritáte recurrit : cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestigia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcipue consideránda sunt : induráta videlicet tortóris sævitia, et Mátyris invicta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur : patiéntia Mátyris, ut eam imitémur. Audi Psalmistam advérsus malitiam increpántem : Noli æmulári in malignántibus, quóniam tanquam fcenum velóciter aréscent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem : Patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiones.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum : \* Et dedit illi claritátem ætérnam.

℣. Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum.

Et dedit illi.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

#### LECTIO V.

**C**ORONATA itaque est beáti Mátyris patiéntia, mancipáta est ætérnis cruciátibus tortóris incorrécta malitia. Hoc atténdens in agóne suo gloriósus Christi athléta, non exhórruit cárcerem. Ad imi-

tationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit; et quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante Apóstolo biberat alte retinebat: Quia non sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Et quia momentaneum hoc et leve nostrae tribulationis, aeternum gloriae pondus operatur in caelis. Huius promissionis amore a terrenis suspensus, et prae gustata supernae suavitatis dulcedine ineffabiliter affectus, dicebat cum Psalmista: Quid mihi est in caelo, et a te quid volui super terram? defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

R. Desiderium animae ejus tribuisti ei, Domine: \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

V. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Et voluntate.

Benedictio Ignem sui amoris.

#### LECTIO VI.

CONTEMPLABATUR enim quantum in aenigmate infirmitas humana oculus mentis in aeternitate figere po-

test, quanta sint supernae civitatis gaudia, et ea enarrare non sufficiens, admirando clamabat: Quid mihi est in caelo? Quasi diceret: Excedit vires meas, excedit facultatem eloquentiae meae, transcendit capacitatem intelligentiae meae illud decus, illa gloria, illa celsitudo, qua nobis a conturbatione hominum remotis, in abscondito faciei suae Jesus Christus Dominus noster reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae. Huius perfectae libertatis contemplatione nullum vitabat periculum, nullum horrebat supplicium: et si millies posset mori, non putabat se hanc digne posse aliqua ratione promereri.

R. Stola jucunditatis induit eum Dominus: \* et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

V. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum.

Et coronam.

Gloria Patri.

Et coronam.

IN TERTIO NOCTURNO.

Antiphona.

Justus Dominus, \* et justitiam dilexit: aequitatem vidit vultus ejus.

PSALMUS IO.

IN Domino confido: quomodo dicitis animae meae: \*

b\*

Trásmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretra, \* ut sagittent in obscúro rectos corde:

Quóniam quæ perfecisti destruxérunt: \* justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, \* Dóminus in cœlo sedes ejus:

Oculi ejus in páuperem respiciunt: \* pálpebræ ejus interrogant filios hóminum.

Dóminus intérogat justum et impium: \* qui autem diligit iniquitatem odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: \* ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit: \* æquitatem vidit vultus ejus.

*Antiphona.*

Justus Dóminus, \* et justítiam diléxit; æquitatem vidit vultus ejus.

*Antiphona.*

Habitábit \* in tabernáculo tuo, requiescet in monte sancto tuo.

PSALMUS 14.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? \* aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine mácula, \* et operáitur justítiam:

Qui lóquitur veritatem in

corde suo, \* qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, \* et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos:

Ad nihilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus: \* tímētes autem Dóminum glorificat:

Qui jurat próximo suo et non decipit, \* qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnēra super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc \* non móvbitur in ætérnum.

*Antiphona.*

Habitábit \* in tabernáculo tuo, requiescet in monte sancto suo.

*Antiphona.*

Posuisti, Dómine, \* super caput ejus corónam de lapide pretiósio.

PSALMUS 20.

DOMINE, in virtúte tua lætábitur rex: \* et super salútare tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuisti ei, \* et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcedinis: \* posuisti in cápite ejus corónam de lapide pretiósio.

Vitam pétiit a te, \* et tribuisti ei longitúdinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: \* glóriam et



magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi : \* lætificabis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino , \* et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : \* dextera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clibanum ignis in témpore vultus tui : \* Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes , \* et semen eórum a filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala , \* cogitavérunt consilia quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : \* in reliquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : \* cantábitus et psalémus virtútes tuas.

*Antiphona.*

Posuisti , \* Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.

✠. Magna est glória ejus in salutári tuo.

℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Pater noster.

*Absolutio* A vñculis.

✠. Jube, Domne.

*Benedictio* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangélíi secúndum Lucam.

LECTIO VII.

[ Cap. 14. ]

IN illo témpore, Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et filios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discipulus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

[ Homília 37 in Evangelia. ]

SI considerémus, fratres charíssimi, quæ et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, viléscunt ánimò ómnia quæ habéntur in terris. Terréna namque substantia supérnæ felicitáti comparáta pondus est, non subsidium. Temporális vita æternæ vitæ comparáta mors est pótius dicénda quam vita. Ipse enim quotidiánus defectus corruptionis quid est áliud quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere vel quis intellectus cápere súfficit illa supérnæ civitátis quanta sint gáudia? Angelórum choris interésse, cum beatíssimis spirítibus glóriæ conditóris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen vidére, nullo mortis metu áffici, incorruptio-

nis perpétuæ múnere lætári?

R. Coróna áurea super caput ejus, \* Exprensa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis.

Ÿ. Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcedinis, posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretioso.

Exprensa signo.

*Benedictio* Cujus festum cólimus.

#### LECTIO VIII.

**S**ED ad hæc audíta inardescit ánimus; jamque illic cupit assistere ubi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Unde et Paulus egregius prædicátor dicit: Non coronábitur nisi qui legitime certáverit. Deléctat ergo mentem magnitúdo præmiórum, sed non detérreat certámen labórum. Unde ad se veniéntibus Véritas dicit: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et filios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus.

R. Hic est vere martyr qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: \* Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ, dignitátis glóriam quæsivit, sed ad cœléstia regna pervénit.

Ÿ. Justum dedúxit Dómi-

nus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Qui minas.

Glória Patri.

Qui minas.

*Sequens responsorium dicitur ultimo loco in Festis sanctorum Martyrum Pontificum Eusebii, Marcelli, Joannis, Silverii, Martini, Pontiani et Melchiadis.*

R. Dómine, prævenisti eum in benedictiónibus dulcedinis: \* Posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretioso.

Ÿ. Vitam pétiit a te, et tribuisti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Posuisti in cápite.

Glória Patri.

Posuisti in cápite.

*Benedictio* Ad societátem.

#### LECTIO IX.

**S**ED percontári libet quómo paréntes et carnáliter propínquos præcipimur odisse, qui jubémur et inimicos diligere? Et certe Véritas de uxóre dicit: Quod Deus conjúnxit homo non séparet. Et Paulus ait: Viri, diligite uxóres vestras sicut et Christus Ecclésiám. Ecce discípulus uxórem diligendam prædicat, cum magister dicat: Qui uxórem non odit non potest meus esse discípulus. Numquid áliud judex núníat, áliud præco clamat? An simul et odisse póssumus et diligere? Sed si vim præcepti perpéndimus, utrúm-

que ágere per discretiónem  
valémus : ut uxórem et eos  
qui nobis carnis cognatióne  
conjuncti sunt, et quos proxi-  
mos nóvimus diligámus ; et  
quos adversários in via Dei  
pátimur odiendo et fugiendo  
nesciámus.

Te Deum laudámus , 18.

AD LAUDES ,  
ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Qui me \* conféssus fúerit  
coram homínibus, confitébor  
et ego eum coram Patre meo.

*Psalmus* Dóminus regná-  
vit, cum reliquis , 19.

*Antiphona.*

Qui séquitur me \* non ám-  
bulat in ténebris, sed habé-  
bit lumen vitæ, dicit Dó-  
minus.

*Antiphona.*

Qui mihi \* ministrat me  
sequátur : et ubi ego sum,  
illic sit et mínister meus.

*Antiphona.*

Si quis \* mihi ministráve-  
rit, honorificábit eum Pater  
meus, qui est in cœlis, dicit  
Dóminus.

*Antiphona.*

Volo, Pater,\* ut ubi ego sum  
illic sit et mínister meus.

CAPITULUM.

[Jacobi 1.]

BEATUS vir qui suffert ten-  
tatióne : quóniam cum pro-  
bátus fúerit, accipiet corón-  
am vitæ, quam repromisit  
Deus diligéntibus se.

HYMNUS.

INVICTE Martyr, únicum  
Patris secútus Fílium,  
Victis triúmphas hóstibus,  
Victor fruens Cœléstibus.

Tui precátus múnere,  
Nostrum reátum dílué,  
Arcens mali contágium,  
Vitæ repéllens tædium.

Solúta sunt jam víncula  
Tui sacráti corpóris ;  
Nos solve vinclis sæculi,  
Dono supérni Núminis.

Deo Patri sit glória,  
Ejúsque soli Fílio,  
Cum Spíritu Paráclito,  
Nunc, et per omne sæculum.

Amen.

✠. Justus ut palma florébit.

R). Sicut cedrus Líbani mul-  
tiplicábitur.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Qui odit \* ánimam suam in  
hoc mundo, in vitam ætér-  
nam custódit eam.

*Pro Martyre et Pontifice.*

ORATIO.

INFIRMITATEM nostram ré-  
spice, omnipotens Deus, et  
quia pondus propriæ acti-  
onis gravat, beáti N. Mártyris  
tui atque Pontíficis intercés-  
sio gloriósa nos próteget. Per  
Dóminum.

ALIA ORATIO.

DEUS, qui nos beáti N. Már-  
tyris tui atque Pontíficis án-  
nua solemnitáte lætíficas,  
concéde propítius ut ejús-  
dem natalítia cólimus, de ejús-  
dem étiam protectióne gaudeá-  
mus. Per Dóminum.

*Pro Martyre tantum.*

## ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beāti N. Mártyris tui natalitia cólimus intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

## ALIA ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, intercedente beáto N. Mártyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberémur in corpore, et a pravis cogitationibus mundémur in mente. Per Dóminum.

*Ad Tertiam, Antiphona*  
Qui séquitur me.

*Capitulum* Beátus vir qui,  
xxxviij.

R. *breve.* Glória et honóre\*  
Coronásti eum, Dómine.

Glória et honóre.

✠ Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

R. Coronásti.

Glória Patri. Glória et honóre.

✠ Posuísti, Dómine, super caput ejus.

R. Coronam de lapide pretiósó.

*Ad Sextam, Antiphona*  
Qui mihi ministrat.

## CAPITULUM.

[Eccli., 15.]

**C**IBAVIT illum pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum Dóminus Deus noster.

R. *breve.* Posuísti, Dómine,  
\* Super caput ejus.

Posuísti, Dómine.

✠ Coronam de lapide pretiósó.

R. Super caput.

Glória Patri. Posuísti, Dómine.

✠ Magna est glória ejus in salutári tuo.

R. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

*Ad Nonam, Antiphona*  
Volo, Pater.

## CAPITULUM.

[Eccli., 39.]

**J**USTUS cor suum trádedit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

R. *br.* Magna est glória ejus,  
\* In salutári tuo.

Magna est glória.

✠ Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

R. In salutári tuo.

Glória Patri. Magna est glória.

✠ Justus ut palma florébit.

R. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

*Ad Vesperas, Antiphona*  
Qui me conféssus, *ut supra,*  
*cum reliquis de Laudibus,*  
xxxviij.

*Psalmus* Dixit Dóminus,  
*cum reliquis de Dominica,*  
134, *et loco ultimi Psalmus*  
Crédidi, 139.

*Capitulum* Beátus vir.

*Hymnus* Deus, tuórum militum, xxiiij.

✠ Justus ut palma florébit.



R). Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Qui vult \* venire post me abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

ALIE LECTIONES

PRO UNO MARTYRE

IN SECUNDO NOCTURNO.

De Expositione sancti Ambrosii Episcopi in Psalmum centesimum decimum octavum.

LECTIO IV.

[Serm. 21.]

PRINCIPES persecuti sunt me gratis; et a verbis tuis trepidavit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injuste persecutionum tormenta sustineat, qui nihil rapuerit, nullum violentus oppresserit, nullius sanguinem fuderit, nullius torum putaverit esse violandum; qui nihil legibus debeat, et graviora latronum sustinere cogatur supplicia; qui loquatur juste, et non audiatur; qui loquatur plena salutis, et impugnatur; ut possit dicere: Cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Gratis igitur persecutionem patitur qui impugnatur sine crimine, impugnatur ut noxius; cum sit in tali confessione laudabilis; impugnatur quasi veneficus, qui in nomine Domini gloriatur, cum pietas virtutum omnium fundamentum sit.

R). Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, \* et dedit illi claritatem aeternam.

Y). Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum.

Et dedit illi.

LECTIO V.

VERE frustra impugnatur qui apud impios et infidos impietatis arcessitur, cum fidei sit magister. Verum qui gratis impugnatur fortis debet esse et constans. Quomodo ergo subtexit, et a verbis tuis trepidavit cor meum? Trepidare infirmitatis est, timoris atque formidinis. Sed est etiam infirmitas ad salutem, est etiam timor sanctorum. Time Domine, omnes sancti ejus: et, Beatus vir qui timet Dominum. Quare ratio beatus? Quia in mandatis ejus cupit nimis.

R). Desiderium anime ejus tribuisti ei, Domine, \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Y). Quoniam pravenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Et voluntate labiorum.

LECTIO VI.

PONE ergo Martyrem inter pericula constitutum, cum inde immunitas bestiarum ad incutiendum terrorem infrenat, aliunde stridor canden-

tium laminarum, et flamma fornacis ardentis exæstuet, ex parte alia personent tractus gravium catenarum, hinc carnifex cruentus assistat; pone, inquam, circumspicientem omnia plena suppliciiis, deinde cogitantem mandata divina, illum ignem perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum, illam poenæ recrudescentis ærumnam: trepidare corde, ne, dum presentibus cedat, perpetuis se dedat exitiis: perturbari animo, dum futuri iudicii rhomphæam illam terribilem quadam conspectus specie contuetur. Nonne ad hanc trepidationem fiduciæ viri constantis, æqualis in eundem concurrat effectum confidentia cupientis æterna, et divina trepidantis?

R. Stola iucunditatis induit eum Dominus: \* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus?

Y. Cibavit illum Dominus pane vitæ et intellectus: et aqua sapientiæ salutæ potavit illum.

Et coronam.

Glória Patri.

Et coronam.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 16.]

**I**N illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult

post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Homilia 3a in Evangelia.]

**Q**UIA Dominus ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitiis enutritæ contrarietatem opposuit novitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat, nisi sua retinere, aliena rapere, si posset: concupiscere, si non posset? Sed cælestis medicus singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.

R. Corona aurea super caput ejus, \* Expressa signo sanctitatis, glória honoris, et opus fortitudinis.

Y. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Expressa signo.

LECTIO VIII.

**C**ERTE cum se sequentibus nova mandata proponeret, dixit: Nisi quis renuntiaverit

ómnibus quæ pòssidet, non potest meus esse discipulus. Ac si apèrte dicat: Qui per vitam vèterem alièna concupiscitis, per novæ conversatiónis stúdiu et vestra largimini. Quid vero in hac lectione dicat audiámus: Qui vult post me veníre ábneget semetipsum. Ibi dicitur ut abnegemus nostra: hic dicitur ut abnegemus nos. Et ortásse laboriósu non est hómini relinquere sua; sed valde laboriósu est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegáre quod habet, valde autem multum est abnegáre quod est.

R. Hic est vere martyr qui pro Christi nómine sanguinem suum fudit: \* Qui minas júdicu non timuit, nec terrénæ dignitatís glóriam quæsiuit, sed ad cœlestia regna pervénit.

Ÿ. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Qui minas júdicu.

Glória Patri.

Qui minas júdicu.

*Sequens Responsorium dicitur ultimo loco in festis sanctorum Martyrum Pontificum Eusebii, Marcelli, Joannis, Silverii, Martini, Pontiani et Melchiadis.*

R. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcedinis; \* Posuísti in cápite ejus

corónam de lápide pretiósu.

Ÿ. Vitam pétiiit a te, et tribuísti ei longitudínem dierum in sæculu sæculi.

Posuísti in cápite.

Glória Patri.

Posuísti in cápite.

#### LECTIO IX.

An se autem nobis veniéntibus Dóminus præcépit ut renuntiémus nostris, quia quicúmque ad fidei agónem venimus luctámen contra malignos spíritus súmimus. Nihil autem maligni spíritus in hoc mundo próprium pòssident: nudi ergo cum nudis luctári debémus. Nam si vestitus quisque cum ludo luctátur, citius ad terram dejícitur, quia habet unde teneátur. Quid enim sunt terréna ómnia, nisi quædam córporis induménta? Qui ergo contra diábolu ad certámen próperat vestiménta abjiciat, ne succúmbat.

Te Deum laudámus, 18.



#### COMMUNE

#### MARTYRUM

#### TEMPORE PASCHALI.

*Ad Vesperas, Antiphona Sancti tui, Dómine, cum reliquis de Laudibus, xlvj.*

*Psalmus Dixit Dóminus, cum reliquis de Domínica, 134, et loco ultimi Psalmus Laudáte Dóminu, omnes gentes, 139.*

## CAPITULUM.

[Sap., 5.]

**S**TABUNT justi in magna  
constántia advérsus eos qui  
se angustiavérunt, et qui abs-  
tulérunt labóres eórum.

*Pro uno Martyre.*

## HYMNUS.

**D**EUS tuórum militum  
Sors, et coróna, præmium,  
Laudes canéntes Mártyris  
Absólve nexu críminis.

Hic nempe mundi gáudia,  
Et blanda fraudum pábula,  
Imbúta felle députans,  
Pervénit ad cœléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter,  
Et sústulit viríliter,  
Fundénsque pro te sángu-  
nem,

Æténa dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici  
Te póscimus, piíssime,  
In hoc triúmpho Mártyris  
Dimitte noxam sérvulis.

Deo Patri sit glória,  
Et Fílio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

*Sic terminantur Hymni  
ejusdem metri usque ad As-  
censionem.*

*Ab Ascensione autem us-  
que ad Pentecosten, loco su-  
pradicti Versus, dicatur se-  
quens :*

Jesu, tibi sit glória,  
Qui victor in cœlum redis,  
Cum Patre, et almo Spíritu,  
In sempitérna sæcula.  
Amen.

*Pro pluribus Martyribus.*

## HYMNUS.

**R**EX glorióse Mártyrum,  
Coróna confiténtium,  
Qui respuéntes térrea  
Perdúcis ad cœléstia,

Aurem benignam prótinus  
Inténde nostris vóci-  
bus :

Trophæa sacra pángimus :  
Ignósce quod deliquimus.

Tu vincis inter Mártyres,  
Parcisque Confessóribus :  
Tu vince nostra crimina,  
Largítor indulgéntiæ.

Deo Patri sit glória,  
Et Fílio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

†. Sancti et justi, in Dómino  
gaudéte. Allelúia.

℞. Vos elégit Deus hæredi-  
tátem sibi. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Lux perpétua\* lucébit sanc-  
tis tuis, Dómine, et æterni-  
tas témporum. Allelúia.

*Oratio, si non adsit pro-  
pria, sumitur de Comuni  
unius vel plurimorum Mar-  
tyrum extra tempus Pas-  
chale.*

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Exúltent  
in Dómino sancti. \* Alle-  
lúia.

*Psalmus* Veníte, exulté-  
mus 2.

*Hymnus pro uno Mar-  
tyre* Deus tuórum militum,  
*ut supra.*



*Pro pluribus Martyribus.*

HYMNUS.

CHRISTO profusum sanguinem,

Martyrum victorias,

quænamque cælo lauream

illis sequamur vocibus.

Ferro victo sæculi,

illisque spretis corporis,

illis sacræ compendio

vitæ beatam possident.

Traduntur igni Martyres,

bestiarum dentibus:

nata sævit ungulis

tororis insani manus.

Nudata pendent viscera;

ignis sacratus funditur:

illis permanent immobiles

et perennis gratia.

Te nunc, Redemptor, qua-

sumus

Martyrum consortio

regas precantes servulos

in sempiterna sæcula.

Amen.

*hic semper terminandus*

*Hymnus prædictus.*

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Stabant justi \* in magna

constantia adversus eos qui

angustiaverunt. Alleluia.

*Sub una tantum Anti-*

*phona dicuntur Psalmi cu-*

*libet Nocturni.*

*Psalmi pro uno et pluri-*

*Martyribus* Beatus vir;

qui are fremuerunt; Domine,

quia multiplicati sunt, xxvij.

Sancti et justi, in Domino

gaudent. Alleluia.

R. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi. Alleluia.

Pater noster.

*Absolutio* Exaudi, Domine.

✠. Jube, Domne.

*Benedictio* Benedictione perpetua.

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura quæ occurrit tempore Paschali in Officio de tempore, vel, quando non adsunt, de Comuni unius vel plurimorum Martyrum, extra tempus Paschale.*

R. 1. Beatus vir qui metuit Dominum. Alleluia. \* In mandatis ejus cupit nimis. Alleluia, alleluia, alleluia.

✠. Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

In mandatis.

*Benedictio* Unigenitus Dei Filius.

R. 2. Tristitia vestra. Alleluia. \* Convertetur in gaudium. Alleluia, alleluia.

✠. Mundus autem gaudet, vos vero contristabimini; sed tristitia vestra.

Convertetur in gaudium.

*Benedictio* Spiritus Sancti gratia.

R. 3. Pretiosa in conspectu Domini. Alleluia. \* Mors sanctorum ejus. Alleluia.

✠. Custodit Dominus omnia ossa eorum; unum ex his non conteretur.

Mors sanctorum.

Glória Patri.

Mors sanctorum.

IN SECUNDO NOCTURNO

*Antiphona.*

Ecce quomodo\* computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Allelúia.

*Pro uno Martyre, Psalmi*  
Cum invocárem; Verba mea;  
Dómine Dóminus noster,  
xxx.

*Pro pluribus Martyribus, Psalmi*  
Dómine, quis habitábit;  
Consérva; Dómini est terra,  
*ut infra, in Comuni plurimorum Martyrum.*

✠. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine. Allelúia.

℞. Et æternitas téporum. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius píetas.

✠. Jube, Domne.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

LECTIO IV.

[Serm., 11.]

**D**IGNUM et congruum est, fratres, ut post lætítiam Paschæ, quam in Ecclesia celebrávimus, gáudia nostra cum sanctis Martyribus conferámus; et iis annuntiémus Dóminicæ resurrectionis glóriam, qui consórtes sunt Dóminicæ passiónis. Qui enim sócii sunt contuméliæ debent, et participes esse læti-

tiae. Ita enim dicit beátus Apóstolus: Sicut sócii passiónum estis, et resurrectionis éritis: si tolerábitis inquit, et conregnábitis. Qui ergo toleravérunt malum propter Christum debent et glóriam habére cum Christo.

℞. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et æternitas téporum. Allelúia, allelúia.

✠. Lætitia sempitérna erit super cápita eórum; gáudium et exultationem obtinébunt Et æternitas.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

LECTIO V.

**A**NNUNTIEMUS, inquam, sanctis Martyribus Dóminicæ Paschæ grátiam, ut dum sepultúræ illius prædicámus reseráta claustra, et horum sepúlcræ reseréntur: dum corpus illius mórtuum dicimus tepéntibus venis subito viguisse, horum quoque membra jam frígida immortalitátis calóre foveántur. Eadem enim rátio Mártires suscitat quæ et Dóminum suscitávit. Nam sicut viam passiónis ejus expérti sunt, ita experiéntur et vitæ. Scriptum est enim in Psalmo: Notas mihi fecisti vias vitæ. Hoc útique in resurrectione ex persóna dicitur Salvatóris, ut qui dum post mortem ab inferis redit ad súperos incipiat notam habére viam vitæ,

quæ ante habebátur ignóta.

R. In servis suis. Allelúia.\*  
Consolábitur Deus. Allelúia.

Ÿ. Judicábit Dóminus pólum suum : et in servis suis.  
Consolábitur Deus.

*Benedictio* Ignem sui amós.

LECTIO VI.

IGNOTA enim erat ante Christi adventum via vitæ, quæ nullus adhuc resurgéntis fúerat emeráta vestígio. At ubi Dóminus resurrexit, nota facta, solo attríta est plurimórum. De quibus sanctus Evangelista ait : Multórum córpora sanctórum surrexérunt cum eo, et introiérunt in sanctam civitátem. Unde cum Dóminus in resurrectione sua iixerit : Notas mihi fecísti vias vitæ : póssumus et nos tibi dicere Dómino : Notas fecísti nobis vias vitæ. Ipse enim nobis notas fecit vias vitæ, qui nobis sémitam manifestávit ad vitam. Notas enim mihi fecit vias vitæ cum ne dócuit fidem, misericórdiam, justitiam, castitátem. His enim pervénitur itinérius ad salutem.

R. Filie Jerúsalem, veníte et vidéte Mártýres cum coronis, quibus coronávit eos Dóminus, \* In die solemnitátis et lætitiæ. Allelúia.

Ÿ. Quóniam confortávit seras portárum tuárum; benedíxit filios tuos in te.

In die solemnitátis.

Glória Patri.

In die solemnitátis.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Lux perpétua \* lucébit sanctis tuis, Dómine, et æternitas téporum. Allelúia.

*Psalmi pro uno Martyre*,  
In Dómino confido; Dómine, quis habitábit; Dómine, in virtute tua; xxxij.

*Pro pluribus Martyribus*,  
*Psalmi* Exultáte, justí; Benedícam Dóminum; Deus noster refúgium, *ut infra*, in *Communi plurimorum Martyrum*.

Ÿ. Lætítia sempitérna super cápita eórum. Allelúia.

R. Gáudium et exultatió-nem obtinébunt. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* A vinculis.

Ÿ. Jube, Domne.

*Benedictio* Evangélica léc-tio.

\* Léc-tio sancti Evangélii se-cúndum Joánnem.

LECTIO VII.

[Cap. 15.]

IN illo témpore, Dixit Jesus discipulis suis : Ego sum vitis vera; et Pater meus agricola est. Et reliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

[Tract. 80 in Joannem.]

ISTE locus Evangélicus, fratres, ubi se dicit Dóminus vitem, et discipulos suos pálmities, secúndum hoc dicit, quod est caput Ecclesiæ,

nosque membra ejus, mediátor Dei, et hóminum homo Christus Jesus. Unius quippe naturæ sunt vitis et pálmities. Propter quod cum esset Deus, cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura cujus et nos hómines pálmities esse possémus.

R. Ego sum vitis vera et vos pálmities: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos.

Qui manet.

*Benedictio* Cujus vel quorum festum cólimus.

#### LECTIO VIII.

Quid ergo est, ego sum vitis vera? Numquid ut ádderet vera, hoc ad eam vitem rétulit, unde ista similitúdo transláta est? Sic enim dicitur vitis per similitúdinem, non per proprietátem, quemádmódum dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, et cétera hujúsmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducúntur istæ similitúdines, non proprietátes. Sed cum dicit ego sum vitis vera, ab illa se útique discérnit, cui dicitur: Quómodo conversa es in amaritúdinem, vitis aliéna? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectáta est ut fáceret uvam, fecit autem spinas?

R. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus. Allelúia. Splendórem Deo dedérunt. Allelúia. \* Et sicut lac coagulati sunt. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Candidiôres nive, mitidiôres lacte, rubicundiôres ébore antiquo, sapphíro pulchriôres.

Et sicut lac.

Glória Patri.

Et sicut lac.

*Benedictio* Ad societátem.

#### LECTIO IX.

Ego sum, inquit, vitis vera; et Pater meus agricola est. Numquid unum sunt agricola et vitis? Secúndum hoc ergo vitis Christus, secúndum quod ait: Pater major me est. Secúndum autem id quod ait: Ego et Pater unum sumus; et ipse agricola est: nec talis, quales sunt qui extrínsecus operádo exhibent ministérium: sed talis, ut det étiam intrínsecus incrementum. Nam neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Sed útique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum: unde ipse et Pater unum sunt: et, si Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat.

Te Deum laudámus, 16.

AD LAUDES,

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

SANCTI tui, \* Dómine, flore-



bunt sicut lilium. Allelúia :  
Et sicut odor bálsami erunt  
ante te. Allelúia.

*Psalmus* Dóminus reg-  
návít, *cum reliquis*, 19.

*Antiphona.*

In coeléstibus \* regnis sanc-  
tórum habitátio est. Alle-  
lúia. Et in ætérnum réquies  
eórum. Allelúia.

*Antiphona.*

In velaménto \* clamábant  
sancti tui, Dómine. Allelúia,  
allelúia, allelúia.

*Antiphona.*

Spiritus et ánimæ \* justó-  
rum, hymnum dícite Deo  
nostro. Allelúia, allelúia.

*Antiphona.*

Fulgébunt \* justi sicut sol  
in conspéctu Dei. Allelúia.

CAPITULUM.

[ Sap., 5. ]

STABUNT justi in magna con-  
tántia advérsus eos qui se  
angustiavérunt, et qui abstu-  
runt labóres eórum.

*Pro uno Martyre.*

HYMNUS.

INVICTE Martyr, únicum  
patris secútus Fílium,  
victis triúmphas hóstibus,  
victor fruens coeléstibus.

Tui precátus múnere,  
peccatum reátum dílu-  
ens mali contágium,  
vitæ repéllens tædium.

Soluta sunt jam víncula  
a sacráti córporis :

nos solve vinclis sæculi  
in ómnino supérni Núminis.

Deo Patri sit glória,

Et Fílio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

*Pro pluribus Martyribus*  
Rex glorióse Mártyrum, *su-  
pra*, xliij.

✠. Pretiósa in conspéctu  
Dómini. Allelúia.

℟. Mors sanctórum ejus.  
Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Filiæ Jerúsalem, \* veníte et  
vidéte Mártyres cum corónis,  
quibus coronávit eos Dómi-  
nus in die solemnitátis et læ-  
titiæ. Allelúia, allelúia.

*Ad Primam in responso-  
rio brevi a Feria secunda post  
Dominicam in Albis usque  
ad Ascensionem exclusive di-  
citur :*

✠. Qui surrexísti a mór-  
tuis.

*Ab Ascensione autem us-  
que ad Pentecosten exclusive,  
dicitur :*

✠. Qui scandis super sí-  
dera.

*Ad Tertiam, Antiphona*  
In coeléstibus regnis.

*Capitulum* Stabunt justi,  
xliij.

℟. *breve.* Sancti et justi, in  
Dómino gaudéte. \* Allelúia,  
allelúia. Sancti et justi.

✠. Vos elégit Deus in hæ-  
reditátem sibi.

℟. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Sancti et justi.

✠. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine. Allelúia.

℞. Et æternitas téporum. Allelúia.

*Ad Sextam, Antiphona*  
In velaménto.

CAPITULUM.

[Sap., 5.]

**ECCE** quómodo computáti sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

℞. *breve.* Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine.\* Allelúia, allelúia. Lux perpétua.

✠. Et æternitas téporum.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Lux perpétua.

✠. Lætítia sempitérna super cápita eórum. Allelúia.

℞. Gáudium et exultatió-nem obtinébunt.

Allelúia.

*Ad Nonam, Antiphona*  
Fulgébunt iusti.

CAPITULUM.

[Rom., c. 8.]

**SCIMUS** quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti.

℞. *breve.* Lætítia sempitérna super cápita eórum.\* Allelúia, allelúia. Lætítia.

✠. Gáudium et exultatió-nem obtinébunt.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Lætítia.

✠. Pretiósá in conspéctu Dómini. Allelúia.

℞. Mors sanctórum ejus. Allelúia.

*Ad Vesperas Antiphona*  
Sancti tui, Dómine, cum reliquis, ut supra in Laudibus, xlvj.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi Psalmus Crédidi, 139.

*Capitulum* Stabunt iusti, xlvij.

*Hymnus pro uno Martyre*  
Deus tuórum militum, xlvj.

*Pro pluribus Martyribus*  
Rex glorióse Mártyrum, supra, xliij.

✠. Pretiósá in conspéctu Dómini. Allelúia.

℞. Mors sanctórum ejus. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Sancti et iusti\*, in Dómino gaudéte. Allelúia. Vos elégit Deus in hæreditátem sibi. Allelúia.

~~~~~

ALIE LECTIONES

PRO MARTYRIBUS

TEMPORE PASCHALI.

IN SECUNDO NOCTURNO.

De Epístola sancti Cypriáni Episcopi et mátyris, ad mátyres et confessóres.

LECTIO IV.

[Lib. 2, Epist. 6.]

**QUIBUS** ego vos láudibus prædicem, fortíssimi mátyres? robur pectoris vestri,

et perseverantiam fidei, quo præcónio vocis exórnem? Tolerástis usque ad consummationem glóriædurissimam quæstionem: nec cessistis suppliciis, sed vobis pótius supplicia cessérunt. Finem dolóribus, quem torménta non dabant, coronæ dedérunt. Laniéna gráviore ad hoc diu perseverávit, non ut stantem fidem dejiceret, sed ut hómines Dei ad Deum velócius mitteret.

R. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, \* Et æternitas témporum. Allelúia, allelúia.

Ÿ. Læticia sémperiterna erit super cápita eórum; gáudium et exultationem obtinébunt.

Et æternitas.

LECTIO V.

VIDIT admirans præsentium multitúdo cœléste certámen, certámen Dei, certámen spiritalé, prælium Christi: stetit servos ejus voce libera, mente incorrupta, virtute divina, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei ardéntis armátos. Steterunt torti torquéntibus fortiores: et pulsántes ac laniántes úngulas, pulsáta ac laniáta membra vicérunt. Inexpugnábilem fidem superare non pótuit sæviens diu plaga repetita, quamvisrupta compáge víscerum torqueántur in servis Dei jam nōn membra, sed vúlnera. Flué-

Vern.

bat sanguis qui incéndium persecutiónis extingueret, qui flammæ et ignes gehénnæ glorióso cruóre sopíret.

R. In servis suis. Allelúia. Consolábitur Deus. Allelúia.

Ÿ. Judicábit Dóminus pópulum suum: et in servis suis.

Consolábitur Deus.

LECTIO VI.

Oh! quale illud fuit spectáculum Dómino, quam sublíme, quam magnum, quam Dei óculis sacraménto ac devotiōne militis ejus accéptum! sicut scriptum est in Psalmis, Spíritu Sancto loquente ad nos páriter et monente: Pretiósá est in conspéctu Dómini mors justórum ejus; pretiósá mors hæc est, quæ emit immortalitatem prætio sui ságuinis, quæ accépit coronam de consummatione virtútis. Quam lætus illic Christus fuit, quam libens in talibus servis suis et pugnavit et vicit protéctor fidei, dans credéntibus tantum quantum se credit cápere qui sumit: certámini suo ádfuit, præliatóres atque assertóres sui nóminis eréxit, corrobórávit, animávit. Et qui pro nobis mortem semel vicit semper vincit in nobis.

R. Filiæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum coronis, quibus coronávit eos Dóminus, \* In die solemnitatis et lætitiae. Allelúia.

Ÿ. Quóniam confortávit

seras portarum tuarum; benedixit filios tuos in te.

In die solemnitatis.

Glória Patri.

In die solemnitatis.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO VII.

[Cap. 15.]

**I**N illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo; hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

(Tract. 81 in Joan.)

**N**E quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre; cum dixisset: hic fert fructum multum, non ait: Quia sine me parum potestis facere, sed, nihil potestis facere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest: quia etsi parum attulerit palmes, eum purgat agricola ut plus afferat. Tamen nisi in vite manserit, et vixerit in radice, quantumlibet fructum a semetipso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset nisi homo esset; tamen istam gratiam palmitibus non praeberet, nisi etiam Deus esset.

**R**. Ego sum vitis vera, et vos palmites: \* Qui manet in me, et ego in eo; hic fert fructum multum. Alleluia, alleluia.

**V**. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.

**R**. Qui manet.

LECTIO VIII.

**V**ERUM quia ita sine ista gratia non potest vivi, ut et mors in potestate sit liberi arbitrii: si quis in me, inquit, non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arcescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Ligna itaque vitis tanto sunt contemptibiliora si in vite non manserint quanto gloriosiora si manserint. Denique sicut de his etiam per Ezechielem Prophetam Dominus dicit: praecisa nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Unum de duobus palmiti congruit aut vitis aut ignis: si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit.

**R**. Candidi facti sunt Nazaraei ejus. Alleluia. Splendorem Deo dedérunt. Alleluia. Et sicut lac coagulati sunt. Alleluia, alleluia.

**V**. Candiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.

Et sicut lac.

Glória Patri.



Et sicut lac.

## LECTIO IX.

**SI** manseritis in me, inquit, et verba mea in vobis manserint, quodcúmque volueritis petétis, et fiet vobis. Manéndo quippe in Christo, quid velle possunt, nisi quod cónvenit Christo? Quid velle possunt manéndo in Salvatore, nisi quod non est alienum a salute? Aliud quippe volumus quia sumus in Christo: et aliud volumus quia sumus adhuc in hoc sæculo. De mansióne namque hujus sæculi nobis aliquándo subrépit, ut hoc pétamus quod nobis non expedire nescimus. Sed absit ut fiat nobis, si manémus in Christo, qui non facit quando pétimus, nisi quod expedit nobis.

Te Deum laudámus, 18.

~~~~~

## COMMUNE

## PLURIMORUM MARTYRUM.

EXTRA TEMPUS PASCHALE.

*Ad Vesperas, Antiphona*  
Omnes sancti, cum reliquis de  
Laudibus, ut infra.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi *Psalmus* Laudáte Dóminum, omnes gentes, 139.

## CAPITULUM.

[Sap., 3.]

**IUSTORUM** animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos

torméntum mortis. Visi sunt óculis insipientium mori: illi autem sunt in pace.

## HYMNUS.

**SANCTORUM** méritis inclyta  
gáudia

Pangámus sócii, géstaque fórtia:

Gliscens fert ánimus prómere  
cántibus,

Victórum genus óptimum.

Hi sunt quos fátue mundus abhórruit,

Hunc fructu vácuum, flóribus áridum

Contempsére tui nóminis ásseclæ,

Jesu Rex bone Cœlitum.

Hi pro te fúrias, atque minas truces

Calcárunt hóminum, sævaque vérbera;

His cessit lácerans fórtiter úngula,

Nec carpsit penetrália.

Cædúntur gládiis more bidentium;

Non murmur résonat, non querimónia;

Sed corde impávido mens bene cónscia

Consérvat patiéntiam.

Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere

Quæ tu Martyribus múnera præparas?

Rubri nam flúido sáanguine fúlgidis

Cingunt témpora láureis.

Te summa o Déitas, úna-  
que póscimus  
Ut culpas ábigas, nóxia súb-  
trahas,  
Des pacem fámulis, ut tibi  
glóriam  
Annórum in sériem canant.  
Amen.

Ÿ. Lætámini in Dómino  
et exultáte, justí.

Ŗ. Et gloriámini, omnes  
recti corde.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Istórum \* est enim regnum  
cœlórum, qui contempsérunt  
vitam mundi, et pervenérunt  
ad præmia regni, et lavérunt  
stolas suas in sángine Agni.

*Pro pluribus Martyribus  
Pontificibus.*

ORATIO.

BEATORUM Mártyrum, pari-  
térque Pontificum N. et N.  
nos, quæsumus, Dómine, festa  
tueántur, et eórum commén-  
det orátio veneránda. Per  
Dóminum nostrum Jesum  
Christum.

*Si non fuerint Pontifices.*

ORATIO.

DEUS, qui nos concédís sanc-  
tórum Mártyrum tuórum N.  
et N. natalítia cólere, da no-  
bis in æténa beatitúdine de  
eórum societáte gaudére. Per  
Dóminum nostrum Jesum  
Christum.

ALIA ORATIO.

DEUS, qui nos ánnua sanc-  
tórum Mártyrum tuórum N.  
et N. solemnitáte lætíficas,

concéde propítius ut qui eó-  
rum gaudémus méritis accen-  
dámur exémpis. Per Dómi-  
num nostrum.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Regem  
Mártyrum Dóminum, \* Ve-  
nite, adorémus.

*Psalmus Venite, exulte-  
mus, 2*

HYMNUS.

CHRISTO profúsum sángu-  
nem

Et Mártyrum victórias  
Dignámque cœlo láuream  
Lætis sequámur vóciis.

Terróre victo sæculi,  
Pœnisque spretis córporis,  
Mortis sacræ compéndio  
Vitam beátam póssident.

Tradúntur igni Mártyres,  
Et bestiárum déntibus:  
Armáta sævit úngulis  
Tortóris insáni manus.

Nudáta pendent viscera,  
Sanguis sacrátus fúnditur:  
Sed pérmanent inmóbiles,  
Vitæ perénis grátia.

Te nunc Redémptor, quæ-  
sumus

Ut Mártyrum consórtio  
Jungas precántes sêrvulos  
In sempitérna sæcula.

Amen.

*Sic semper terminandus est  
Hymnus prædictus.*

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Secus decúrsus \* aquárum  
plantávit vineam justórum,  
et in lege Dómini fuit volún-  
tas eórum.

## PSALMUS 1.

**B**EATUS vir qui non ábiit in consilio impiórum, et in via peccatórum non stetit, \* et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, \* et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, \* quod fructum suum dabit in tēpore suo :

Et fólium ejus non défluet, \* et ómnia quæcúmque fáciat prosperabúntur.

Non sic impii, non sic : \* sed tanquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent impii in iudicio : \* neque peccátóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : \* et iter impiórum peribit.

*Antiphona.*

Secus decúrsus aquárum plantávit vineam justórum, et in lege Dómini fuit volúntas eórum.

*Antiphona.*

Tanquam aurum \* in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusta accépit eos in ætérnum.

## PSALMUS 2.

**Q**UARE fremuérunt gentes : \* et pópuli meditáti sunt inánia ?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in

unum \* advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eorum : \* et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos, \* et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, \* et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, \* prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : \* Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, \* et possessionem tuam téminos terræ.

Reges eos in virga férrea : \* et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite : \* erudimini, qui iudicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, \* et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplinam, nequándo irascátur Dóminus, \* et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, \* beáti omnes qui confidunt in eo.

*Antiphona.*

Tanquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusta accépit eos in ætérnum.

*Antiphona.*

Si coram \* hominibus tormenta passi sunt, spes electorum est immortalis in æternum.

## PSALMUS 3.

**D**OMINE, quid multiplicati sunt qui tribulant me? \* multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ :  
\* Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, \* glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : \* et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : \* et exurrexi, quia Dóminus suscepit me.

Non timebo millia pópuli circumdántis me : \* exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : \* dentes peccatorum contrivisti.

Dómini est salus : \* et super pópulum tuum benedictio tua.

*Antiphona.*

Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes electorum est immortalis in æternum.

℣. Lætámini in Dómino et exultáte, justi.

℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

℣. Jube, Domne.

*Benedictio* Benedictione perpétua.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

## LECTIO I.

[Cap. 8.]

**F**RATRES, debitóres sumus non carni, ut secúndum carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini : si autem spiritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spiritu Dei agúntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis iterum in timóre, sed accepístis spíritum adoptionis filiórum, in quo clamámus : Abba (Pater). Ipse enim Spíritus testimonium reddit spíritui nostro quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hærédes : hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi : si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus téporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelationem filiórum Dei expéctat.

℟. Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis sanctorum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor : \* Quóniam prióra transiérunt.

℣. Non esúrient, neque sitient ámplius, neque cadet



super illos sol, neque ullus  
æstus.

Quóniam prióra.

*Benedictio Unigénitus Dei  
Filius.*

## LECTIO II.

**S**CIMUS autem quóniam dili-  
géntibus Deum ómnia coo-  
perántur in bonum, iis qui  
secúndum propósitum vo-  
cáti sunt sancti. Nam quos  
præscívit, et prædestinávit  
confórmes fieri imáginis Fí-  
lii sui, ut sit ipse primogéni-  
tus in multis frátribus. Quos  
autem prædestinávit, hos et  
vocávit; et quos vocavit,  
hos et justificávit; quos au-  
tem justificávit, illos et glo-  
rificávit. Quid ergo dicémus  
ad hæc? Si Deus pro no-  
bis, quis contra nos? Qui  
étiam próprio Fílio suo non  
pepércit, sed pro nobis óm-  
nibus trádedit illum; quó-  
modo non étiam cum illo  
ómnia nobis donávit? Quis  
accusábit advérsus eléctos  
Dei? Deus qui justificat,  
quis est qui condémnet?  
Christus Jesus, qui mórtuus  
est, imo qui et resurrexit,  
qui est ad dexteram Dei, qui  
étiam interpéllat pro nobis.

✠. Viri sancti gloriósum  
sánguinem fuderunt pro Dó-  
mino, amavérunt Christum  
in vita sua, imitáti sunt eum  
in morte sua: \* Et ideo co-  
rónas triumpháles merué-  
runt.

✠. Unus spíritus et una  
fides erat in eis.

Et ideo corónas.

*Benedictio Spíritus Sancti  
grátia.*

## LECTIO III.

**Q**UIS ergo nos separábit a  
charitáte Christi? tribulatio,  
an angústia, an fames, an  
núditas, an perículum, an  
persecútio, an gládus? (si-  
cut scriptum est: Quia prop-  
ter te mortificámur tota die,  
æstimáti sumus sicut oves oc-  
cisiónis.) Sed in his ómnibus  
superámus propter eum qui  
diléxit nos. Certus sum enim  
quia neque mors, neque vita,  
neque Angeli, neque princi-  
pátus, neque virtútes, neque  
instántia, neque futúra, neque  
fortitúdo, neque altitúdo,  
neque profúndum, neque  
creatúra ália póterit nos se-  
paráre a charitáte Dei, quæ  
est in Christo Jesu Dómino  
nostro.

R. Tradidérunt córpora  
sua propter Deum ad sup-  
plicia, \* Et meruérunt habére  
corónas perpétuas.

✠. Isti sunt qui venérunt  
ex magna tribulatióne, et la-  
vérunt stolas suas in ságuine  
Agni.

Et meruérunt.

Glória Pátri.

Et meruérunt.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Dabo \* sanctis meis locum

nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

PSALMUS 14.

**D**OMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? \* aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine mácula, \* et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, \* qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum: \* et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad nihilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus: \* tíméntes autem Dóminum glorificat:

Qui jurat próximo suo, et non decipit: \* qui pecúniám suam non dedit ad usúram, et múnera super innocentem non accépit.

Qui facit hæc \* non móvêbitur in ætérnum.

*Antiphona.*

Dabo \* sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

*Antiphona.*

Sanctis, \* qui in terra sunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

PSALMUS 15.

**C**ONSERVA me, Dómine, quóniam sperávi in te. \* Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, \* qui sunt in terra ejus, \* mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: \* póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventicula eórum de sanguinibus: \* nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, et cálicis mei: \* tu es qui restitues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: \* étenim hæreditas mea præclára est mihi.

Benedicam Dóminum, qui tribuit mihi intelléctum: \* insuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: \* quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea: \* insuper et caro mea requiescet in spe.

Quóniam non derelinques ánimam meam in inférno: \* nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo: \* delectatiónes in dextera tua usque in finem.

*Antiphona.*

Sanctis, \* qui in terra sunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

*Antiphona.*

Sancti \* qui sperant in Dómino habébunt fortitúdinem,

assument pennas ut aquilæ, volabunt, et non deficient.

PSALMUS 23.

**D**OMINI est terra et plenitudo ejus; \* orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: \* et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? \* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, \* qui non accipit in vano animam suam; nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, \* et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio querentium eum, \* querentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales: \* et introibit rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? \* Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales: \* et introibit rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? \* Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

*Antiphona.*

Sancti qui sperant in Domino habebunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt, et non deficient.

℣. Exultent justi in conspectu Dei.

℞. Et delectentur in lætitia.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

℣. Jube, Domne.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

LECTIO IV.

[Sermone 47 de Sanctis.]

**Q**UOTIESCUMQUE, fratres charissimi, sanctorum Martyrum sollemnia celebramus, ita, ipsis intercedentibus, expectemus a Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos Martyres imitando accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim sanctorum Martyrum in veritate festivitatum gaudia celebrantur qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim Martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat quod celebrare delectat.

℞. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, serviētes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: \* Terra apparuit arida, et in mari Rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt.

Terra apparuit.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

## LECTIO V.

**S**ED nos vólumus gaudere cum Sanctis, et tribulationem mundi nólumus sustinere cum ipsis. Qui enim sanctos Mártyres, in quantum potúerit, imitári nolúerit, ad eórum beatitudinem non póterit pervenire. Sed et Paulus Apóstolus prædicat dicens : Si fuérimus sócii passiónum, érimus et consolatiónum. Et Dóminus in Evangélio : Si mundus vos odit, scitote quia me priórem vobis odio hábuit. Recúsat esse in corpore qui ódium non vult sustinere cum cápite.

R. Vérbera carnificum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine :  
\* Ut hærédes fierent in domo Dómini.

✠. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplicia.

Ut hærédes.

*Benedictio* Ignem sui amoris.

## LECTIO VI.

**S**ED dicet aliquis : Et quis est qui possit beatórum Mártyrum vestigia sequi ? Huic ego respóndeo quia non solum Mártyres, sed étiam ipsum Dóminum cum ipsius adjutório, si vólumus, póssumus imitári. Audi non me, sed ipsum Dóminum géneri humano clamántem : Dis-

cite a me quia mitis sum et húmilis corde. Audi et Petrum Apóstolum admonéntem : Christus passus est pro nobis, relínquens nobis exemplum ut sequámur vestigia ejus.

R. Tanquam aurum in fornace probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hostiam accépit illos, et in tempore erit respéctus illórum :  
\* Quóniam donum et pax est eléctis Dei.

✠. Qui confidunt in illum intélligent veritátem, et fideles in dilectiône acquiescent illi.

Quóniam donum et pax.  
Glória Patri.

Quóniam donum et pax.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Justi autem \* in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum.

PSALMUS 32.

**E**XULTATE, justi, in Dómino :  
\* rectos decet collaudatio.

Confitémini Dómino in cithara : \* in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : \* bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, \* et ómnia ópera ejus in fide.

Diligit misericórdiam et judícium : \* misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmati



sunt : \* et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris : \* ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra : \* ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, et facta sunt : \* ipse mandavit, et creata sunt.

Dominus dissipat consilia gentium : \* reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.

Consilium autem Domini in æternum manet : \* cogitationes cordis ejus in generationem et generationem.

Beata gens cujus est Dominus Deus ejus : \* populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

De cælo respexit Dominus, \* vidit omnes filios hominum.

De præparato habitaculo suo \* respexit super omnes qui habitant terram.

Qui finxit singillatim corda eorum, \* qui intelligit omnia opera eorum.

Non salvatur rex per multam virtutem, \* et gigas non salvabitur in multitudinem virtutis suæ.

Fallax equus ad salutem : \* in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

Ecce oculi Domini super metuentes eum, \* et in eis qui

sperant super misericordia ejus.

Ut eruat a morte animas eorum, \* et alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dominum ; \* quoniam adiutor et protector noster est.

Quia in eo lætabitur cor nostrum : \* et in nomine sancto ejus speravimus.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, \* quemadmodum speravimus in te.

*Antiphona.*

Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.

*Antiphona.*

Tradiderunt \* corpora sua in mortem, ne servirent idolis : ideo coronati possident palmam.

PSALMUS 33.

**B**ENEDICAM Dominum in omni tempore : \* semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea : \* audiant mansueti, et lætentur.

Magnificate Dominum mecum, \* et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me, \* et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum et illuminamini : \* et facies vestrae non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum : \* et

de ómnibus tribulatióibus  
ejus salvábit eum.

Immíttet Angelus Dómini  
in circúitu timéntium eum : \*  
et eripiet eos.

Gustáte, et vidéte, quóniam  
suávis est Dóminus : \* beátus  
vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes  
sancti ejus : \* quóniam non  
est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esurié-  
runt : \* inquiréntes autem Dó-  
minum non minuéntur omni  
bono.

Veníte, filii, audíte me : \*  
timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vi-  
tam : \* diligit dies vidére bo-  
nos ?

Próhibe linguam tuam a  
malo, \* et lábia tua ne loquán-  
tur dolum.

Divérte a malo, et fac bo-  
num : \* inquire pacem, et  
perséquare eam.

Oculi Dómini super justos :  
\* et aures ejus in preces eó-  
rum.

Vultus autem Dómini su-  
per faciéntes mala : \* ut perdat  
de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justí, et Dó-  
minus exaudivit eos : \* et ex  
ómnibus tribulatióibus eó-  
rum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis qui  
tribuláto sunt corde : \* et hú-  
miles spírítu salvábit.

Multæ tribulatióes justó-  
rum : \* et de ómnibus his li-  
berábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia  
ossa eórum : \* unum ex his  
non conterétur.

Mors peccatórum péssima :  
\* et qui odérunt justum de-  
linquent.

Rédimet Dóminus ánimas  
servórum suórum : \* et non  
delinquent omnes qui spe-  
rant in eo.

*Antiphona.*

Tradidérunt córpora sua  
in mortem, ne servirent idó-  
lis : ideo coronáti póssident  
palmam.

*Antiphona.*

Ecce merces \* sanctórum  
copiósá est apud Deum : ipsi  
vero mórtui sunt pro Christo,  
et vivent in ætérnum.

PSALMUS 45.

DEUS, noster refúgium et  
virtus, \* adjútor in tribula-  
tióibus, quæ invenérunt nos  
nimis.

Proptérea non timébimus  
dum turbábitur terra : \* et  
transferéntur montes in cor-  
maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt  
aquæ eórum : \* conturbáti  
sunt montes in fortitudine  
ejus.

Flúminis ímpetus lætificat  
civitátem Dei : \* sanctificávit  
tabernáculum suum Altissi-  
mus.

Deus, in médio ejus, non  
commovébitur : \* adjuvábít  
eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et

inclinata sunt regna : \* dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum, \* susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram : \* auferens bella usque ad finem terrae.

Arcum conteret et confringet arma, \* et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus ; \* exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum : \* susceptor noster Deus Jacob.

### *Antiphona.*

Ecce merces sanctorum copiosa est apud Deum : ipsi vero mortui sunt pro Christo, et vivent in aeternum.

✠. Iusti autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Pater noster.

*Absolutio A vinculis.*

✠. Jube, Domne.

*Benedictio Evangelica lectio.*

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

### LECTIO VII.

[Cap. 21.]

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis : Cum audieritis praelia et seditiones, nolite terreri : oportet primum

haec fieri, sed nondum statim finis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papae.

[Homilia 35 in Evangelia.]

**D**OMINUS ac Redemptor noster perituri mundi praecurrentia mala denuntiat, ut eo minus perturbent venientia quo fuerint praescita. Minus enim jacula feriunt quae praevidentur : et nos tolerabilius mundi mala suscipimus si contra haec per praescientiae clypeum munimur. Ecce enim dicit : Cum audieritis praelia et seditiones, nolite terreri : oportet enim primum haec fieri, sed nondum statim finis. Pensanda sunt verba Redemptoris nostri, per quae nos aliud interius, aliud exterius passuros esse denuntiat. Bella quippe ad hostes pertinent, seditiones ad cives. Ut ergo nos indicet interius exteriusque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud a fratribus perpeti.

℟. Propter testamentum Domini et leges paternas, sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis : \* Quia unus fuit semper spiritus in eis et una fides.

✠. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.

Quia unus fuit.

*Benedictio Quorum festum colimus.*

LECTIO VIII.

**S**ED his malis præveniēti-  
bus, quia non statim finis se-  
quatur, adiungit: Surget gens  
contra gentem, et regnum  
adversus regnum: et terræ-  
mōtus magni erunt per loca,  
et pestilentiæ, et fames, ter-  
rorésque de cœlo, et signa  
magna erunt. Ultima tribulá-  
tio multistribulatiōibus præ-  
venitur, et per crebra mala  
quæ veniunt indicantur mala  
perpétua quæ subsequētur.  
Et ideo post bella et seditiōes  
non statim finis, quia multa  
debent mala præcurrere, ut  
malum váleant sine fine nun-  
tiare.

R. Sancti mei, qui, in carne  
pósiti, certámen habuistis, \*  
Mercédem labóris ego red-  
dam vobis.

✠. Veníte, benedicti Patris  
mei, percipite regnum.

Mercédem labóris.

Glória Patri.

Mercédem labóris.

*Sequens Responsorium di-  
citur post octavam vel secun-  
dam Lectionem in Festo plu-  
rimorum Martyrum fratrum.*

R. Hæc est vera fraternitas,  
quæ nunquam pótuit violári  
certámine: qui effúso sán-  
guine secúti sunt Dóminum:

\* Contemnētes aulam ré-  
giam, pervenērunt ad regna  
coeléstia.

✠. Ecce quam bonum et  
quam jucúndum habitáre fra-  
tres in unum.

Contemnētes aulam.

Glória Patri.

Contemnētes aulam.

*Benedictio Ad societátem.*

LECTIO IX.

**S**ED cum tot signa perturba-  
tiōis dicta sint, opórtet ut  
eórum consideratiōem bré-  
viter per singula perstringá-  
mus, quia necesse est ut  
ália e cœlo, ália e terra, ália  
ab elemētis, ália ab homini-  
bus patiámur. Ait enim: Sur-  
get gens contra gentem, ecce  
perturbátiō hóminum: erunt  
terræmōtus magni per loca,  
ecce respéctus iræ desuper:  
erunt pestilentiæ, ecce inæ-  
quálitas córporum: erit fa-  
mes, ecce sterilitas terræ:  
terrorésque de cœlo et tem-  
pestátes, ecce inæquálitas  
áeris. Quia ergo ómnia con-  
summánda sunt, ante con-  
summationem ómnia pertur-  
bántur: et qui in cunctis de-  
liquimus in cunctis ferimur:  
ut impleátur quod dicitur: Et  
pugnábit pro eo orbis terrá-  
rum contra insensátos.

Te Deum laudámus, 18.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Omnes sancti\* quanta passi  
sunt torméta, ut secúri per-  
venírent ad palmam martyrii!

*Psalmus Dóminus regná-  
vit, cum reliquis, 19.*

*Antiphona.*

Cum palmá\* ad regna per-



venérunt sancti, coronas decóris meruerunt de manu Dei.

*Antiphona.*

Córpóra sanctórum \* in pace sepúlta sunt : et vivent nómina eórum in ætérnum.

*Antiphona.*

Mártyres Dómini, \* Dóminum benedicite in ætérnum.

*Antiphona.*

Mártyrum chorus, \* laudáte Dóminum de coelis. Allelúia.

CAPITULUM.

[ Sap., 3. ]

JUSTORUM ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt óculis insipientium mori; illi autem sunt in pace.

HYMNUS.

REX glorióse Mártyrum,  
Coróna confiténtium,  
Qui respuéntes térrea  
Perducis ad coeléstia,

Aurem benignam prótinus  
Inténde nostris vóci-  
bus :  
Trophæa sacra pángimus :  
Ignósce quod deliquimus.

Tu vincis inter Mártyres,  
Parcisque Confessóribus,  
Tu vince nostra crimina,  
Largitor indulgéntiæ.

Deo Patri sit glória,  
Ejúsque soli Fílio,  
Cum Spíritu Paráclito,  
Nunc, et per omne sæculum.

Amen.

✠. Exultábunt sancti in glória.

℞. Lætábúntur in cubilibus suis.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Vestri capílli cápitis\* omnes numeráti sunt : nolite timére: multis passéribus meliôres estis vos.

*Pro pluribus Martyribus Pontificibus.*

ORATIO.

BEATORUM Mártyrum, paritérque Pontíficum N. et N., nos, quæsumus, Dómine, festa tueántur, et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

*Si non fuerint Pontifices.*

ORATIO.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

ALIA ORATIO.

DEUS, qui nos ánnua sanctorum Mártyrum tuórum N. et N. solemnitáte lætíficas, concéde propítius ut quorum gaudémus méritis accendámur exémp-  
lis. Per Dóminum nostrum.

*Ad Tertiam, Antiphona*  
Cum palma.

*Capitulum Justórum ánimæ, ut supra.*

℞. breue. Lætámini in Dómino, \* Et exultáte, justi.

Lætámini.

✠. Et gloriámini omnes recti corde.

℞. Et exultáte justi.

Glória Patri. Lætámini in.  
 ✠. Exúltent justí in conspéctu Dei.

℞. Et delecténtur in lætítia.

*Ad Sextam, Antiphona*  
 Córpora sanctórum.

CAPITULUM.

[Sap., 10.]

**R**EDDIDIT Deus mercédem labórum sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili, et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum nocte.

℞. *breve.* Exúltent justí, \* In conspéctu Dei.

Exúltent justí.

✠. Et delecténtur in lætítia.

℞. In conspéctu Dei.

Glória Patri. Exúltent justí.

✠. Justí autem in perpétuum vivent.

℞. Et apud Dóminum est merces eórum.

*Ad Nonam, Antiphona*  
 Mártýrum chorus.

CAPITULUM.

[Sap., 5.]

**F**ULGEBUNT justí, et tanquam scintillæ in arundinéto discúrrunt. Judicábunt nátiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℞. *br.* Justí autem, \* In perpétuum vivent.

Justí autem.

✠. Et apud Dóminum est merces eórum.

℞. In perpétuum vivent.

Glória Patri. Justí autem.

✠. Exultábunt sancti in glória.

℞. Lætábúntur in cubilibus suis.

AD VESPERAS.

*Antiphona.*

Isti sunt sancti, qui pro testaménto Dei sua córpora tradidérunt, et in ságuine Agni lavérunt stolas suas.

*Psalmus* Dixit Dóminus, 134.

*Antiphona.*

Sancti \* per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiones.

*Psalmus* Confitébor, 135.

*Antiphona.*

Sanctórum \* velut áquilæ juvéntus renovábitur: florébunt sicut lilium in civitáte Dómini.

*Psalmus* Beátus vir, 135.

*Antiphona.*

Abstérget Deus \* omnem lácrymam ab óculis sanctórum: et jam non erit ámplius neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor, quóniam prióra transiérunt.

*Psalmus* Laudáte púeri, 136.

*Antiphona.*

In cœléstibus \* regnissanc-tórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

*Psalmus* Crédidi, 139.

*Capitulum et Hymnus ut in primis Vesperis, lj.*

✠. Exultábunt sancti in glória.

R. Lætabúntur in cubílibus suis.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Gaudent in cœlis \* animæ sanctórum, qui Christi vestigia sunt secúti; et quia pro ejus amore ságuinem suum fuderunt, ideo cum Christo exúltant sine fine.

ALIE LECTIONES

PRO

PLURIBUS MARTYRIBUS.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermos sancti Joánnis Chrysostomi.

LECTIO IV.

[Serm. 1 de Martyrib.]

NEMO est qui nesciat Mártýrum glórias ad hoc divíno consilio a Dei pópulis frequentári, ut et illis débitus honor dicétur, et nobis virtútis exémpia, favénte Christo, monstréntur, ut dum hæc ita celebrári perspicimus, cognoscámus quanta eos glória máneat in cœlis, quorum natalítia táliter celebrántur in terris; quo possimus étiam ipsi tálibus provocári exémpis, virtúte pari, devotióne consímili ac fide; ut, Christo præstánte, dimicáre et vincere hostem possimus; ut parta victória, cum iisdem sanctis in regnis cœléstibus triumphémus.

R. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis vá-

lidis: \* Terra appáruit árida, et in mari Rubro via sine impediménto.

V. Quóniam percússit petram et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt.

Terra appáruit.

LECTIO V.

QUIS est enim qui, eórum volens mérito copulári, nisi prius constántiam eórum teneat, sectétur fidem, imitétur virtútem passiónis, eórum glóriam páribus vitæ lineaméntis aut invéniat aut exquirat? Qui etsi martyrio par esse non possit, tamen múnere tanti dignitáte se quisque bonis áctibus dignum præbeat. Adest enim clementíssimus Deus, qui desirántibus suis aut martyrium præbeat, aut sine martyrio cum sanctis præmia divína retribuat.

R. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei moriéntes pro Christi nómine, \* Ut hærédes fierent in domo Dómini.

V. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia.

Ut hærédes.

LECTIO VI.

UT enim infirmáture peccátor advérsis, ita justus tentatióibus roboráture. Sic dimicárunt advérsus peccátum Sancti; sic et laborándo fortióres, et moriéndó victóres effecti sunt. Nullus athlétes sine

certamine fortior dici, nullus sine victoria poterit coronari. Nemo miles sine praelio hostem subiecit: nemo sine bello imperatorem promeruit. Habes, Christiane, competentia arma, quibus hostem expugnes; habes fortissima tela, quibus inimicum debelles.

R. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos; et in tempore erit respectus illorum: \* Quoniam donum et pax est electis Dei.

V. Qui confidunt in illum intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi.

Quoniam donum.

Glória Patri.

Quoniam donum.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII.

[Cap. 6.]

In illo tempore, Descendens Jesus de monte stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

[Lib. 5 in Luc., c. 6.]

ADVERTE omnia diligenter, quomodo et cum Apóstolis ascendat, et descendat ad tur-

bas. Quomodo enim turba nisi in humili Christum videret? Non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia. Denique ubi descendit, invenit infirmos: in excelsis enim infirmi esse non possunt. Hinc etiam Matthæus docet in inferioribus debiles esse sanatos. Prius enim unusquisque sanandus est, ut paulatim virtutibus procedentibus ascendere possit ad montem. Et ideo quemque in inferioribus sanat, hoc est a libidine revocat, injuriam cæcitatís avertit. Ad vulnera nostra descendit, ut usu quodam et copia suæ naturæ participes nos faciat esse regni cælestis.

R. Propter testamentum Domini, et leges paternas, sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis, \* Quia unus fuit semper spiritus in eis, et una fides.

V. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.

Quia unus.

LECTIO VIII.

BEATI pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Quatuor tantum beatitudines sanctus Lucas Dominicas posuit, octo vero sanctus Matthæus: sed in illis octo istæ quatuor sunt, et in quatuor istis illæ octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus est cardinales: ille in illis octo mysticum



úmerum reserávit. Pro octava enim multi inscribuntur salmi: et mandátum áccipis ut illis partem dare, forse benedictionibus. Sicut enim spei nostræ octáva perceptio est, ita octáva summa virtutum est.

R. Sancti mei, qui, in carne úsiti, certámen habuistis, \* mercédem labóris ego redam vobis.

Ÿ. Venite, benedicti Patris mei, percípите regnum.

Mercédem labóris.

Glória Patri.

Mercédem labóris.

*Sequens responsorium dicitur post octavam vel secundum Lectionem in Festo plurimorum Martyrum Fratrum.*

R. Hæc est vera fraternitas, quæ nunquam pótuit violári certamine: qui effúso sanguine secúti sunt Dóminum: Contemnentes aulam réam, pervenerunt ad regna celestia.

Ÿ. Ecce quam bonum et iucundum habitáre fratres in unum.

Contemnentes aulam.

Glória Patri.

Contemnentes aulam.

#### LECTIO IX.

ED prius quæ sunt amplióra deamus. Beáti, inquit, páures, quóniam vestrum est regnum Dei. Primam benedictionem hanc utérque Evangelista pósuit. Ordine enim prima est, et parens quædam

generatióque virtutum, quia qui contempserit sæculária ipse merébitur sempiterna: nec potest quisquam méritum regni cœlestis adipisci qui, mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem.

Te Deum laudamus, 17.

*In Communi Confessorum, Virginum, et non Virginum, et Dedicationis Ecclesie, tempore Paschali, Officium fit ut inferius in aliis temporibus; sed additur unum Allelúia in fine ad Invitatorium, Antiphonas, versus et responsoria, similiter et in responsoriis post Lectiones Nocturnorum ante versum: (responsoria brevia vero horarum dicuntur ea quæ in prædictis communibus secundo loco ponuntur, ut inferius) et tres Psalmi dicuntur in quolibet Nocturno sub prima Antiphona illius Nocturni. In fine omnium Hymnorum (dummodo Hymni sint ejusdem metri, ut versus sequens, et non habuerint ultimum versum proprium) dicatur:*

Deo Patri sit glória,  
Et Filio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempiterna sæcula.

Amen.

*Ad Primam in responsorio brevi dicitur versus. Qui surrexisti a mórtuis, et sic usque ad Ascensionem.*

*Ab Ascensione autem usque ad Pentecosten, in fine Hymnorum.*

Jesu, tibi sit glória,  
Qui victor in cœlum redis,  
Cum Patre, et almo Spiritu,  
In sempiterna sæcula.

Amen.

*Et ad Primam in responsorio brevi dicitur versus Qui scandis super sidera.*

~~~~~

COMMUNE

CONFESSORIS PONTIFICIS.

*Notandum quod si fuerit intra tempus Paschale, servanda est Rubrica posita supra.*

*Ad Vesperas, Antiphona*  
Ecce sacerdos magnus, cum reliquis de Laudibus, ut infra.  
*Psalmus* Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi Psalmus Laudate Dominum, omnes gentes, 139.

CAPITULUM.

[Eccli., 44.]

ECCE sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus; et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

HYMNUS.

ISTE Confessor Domini, colentes  
Quem pie laudant populi per orbem,  
Hac die lætus meruit beatas  
Scandere sedes.

*Si non est dies obitus, dicatur:*

Hac die lætus meruit supremos

Laudis honores.

Qui pius, prudens, humilis,  
pudicus,  
Sobriam duxit sine labe vitam,

Donec humanos animavit  
auræ

Spiritus artus.

Cujus ob præstans meritum  
frequenter,

Ægra, quæ passim jacere,  
membra,

Viribus morbi domitis, saluti  
Restituuntur.

Noster hinc illi chorus obsequentem

Concinit laudem, celebrésque  
palmas;

Ut piis ejus precibus juvémur  
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque  
virtus,

Qui super cœli solio coruscans

Totius mundi seriem gubernat  
Trinus et unus.

Amen.

✠. Amavit eum Dominus,  
et ornavit eum.

℞. Stulam gloriæ induit  
eum.

*Ad Magnificat Antiphona.*

Sacerdos et Pontifex, \* et  
virtutum opifex, pastor bone  
in populo, ora pro nobis Dominum.

*Pro Doctoribus in utrisque  
Vesperis.*

*Ad Magnificat Antiphona.*

O Doctor optime, \* Ecclé-

æ sanctæ lumen, beâte N.,  
divinæ legis amátor, depre-  
care pro nobis Filium Dei.

*Oratio* Deus, qui pópulo  
io, ut *infra*.

## ORATIO.

DA, quæsumus, omnipotens  
Deus, ut beáti N. Confessó-  
s tui atque Pontificis vene-  
randa solémnitas et devo-  
ónem nobis áugeat et salú-  
em. Per Dóminum nostrum.

## ALIA ORATIO.

LAUDI, quæsumus, Dómine,  
reces nostras, quas in beáti  
Confessóris tui atque Pon-  
tificis sollemnitate deférimus,  
t qui tibi digne méruit famu-  
lari, ejus intercedéntibus mé-  
ritis ab ómnibus nos absólve  
eccátis. Per Dóminum.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Regem  
Confessorum Dóminum, \* Ve-  
nite, adorémus.

*Psalmus* Veníte, exulté-  
mus, 2.

*Hymnus* Iste Confessor,  
ut *supra*, lxviij.

## IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Beátus vir\* qui in lege Dó-  
mini meditátur: volúntas ejus  
pérmanet die ac nocte, et  
omnia quæcúmque fáciat  
semper prosperabúntur.

## PSALMUS I.

BEATUS vir qui non ábiit in  
consilio impiórum, et in via  
peccatórum non stetit,\* et in  
sáthedra pestilentiae non se-  
lit:

Sed in lege Dómini volún-  
tas ejus,\* et in lege ejus me-  
ditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum  
quod plantátum est secus de-  
cúrsus aquárum,\* quod fruc-  
tum suum dabit in témpore  
suo:

Et fólium ejus non défluet:  
\* et ómnia quæcúmque fáciat  
prosperabúntur.

Non sic impii, non sic:\*  
sed tanquam pulvis, quem  
próicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent impii  
in judicio,\* neque pecca-  
tóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus  
viam justórum:\* et iter im-  
piórum peribit.

*Antiphona.*

Beátus vir qui in lege Dó-  
mini meditátur: volúntas  
ejus pérmanet die ac nocte,  
et ómnia quæcúmque fáciat  
semper prosperabúntur.

*Antiphona.*

Beátus\* iste sanctus, qui  
confisus est in Dómino, præ-  
dicávit præcéptum Dómini,  
constitutus est in monte  
sancto ejus.

## PSALMUS 2.

QUARE fremuérunt gentes,  
\* et pópuli meditáti sunt iná-  
nia?

Astitérunt reges terræ,  
et principes convenérunt in  
unum,\* advérsus Dóminum  
et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula có-

rum, \* et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in coelis iridebit eos, \* et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, \* et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, \* predicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me : \* Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, \* et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea, \* et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite; \* erudimini, qui iudicatis terram.

Servite Domino in timore, \* et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, \* et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, \* beati omnes qui confidunt in eo.

*Antiphona.*

Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, predicavit praeceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus.

*Antiphona.*

Tu es \* gloria mea, tu es susceptor meus, Domine : tu

exaltans caput meum, et exaudisti me de monte sancto tuo.

PSALMUS 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? \* multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae : \* Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, \* gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi, \* et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum : \* et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me : \* exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, \* dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus : \* et super populum tuum benedictio tua.

*Antiphona.*

Tu es gloria mea, tu es susceptor meus, Domine, tu exaltans caput meum, et exaudisti me de monte sancto tuo.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

℟. Stulam gloriae induit eum.

Pater noster.

*Absolutio* Exaudi, Domine.



✠. Jube, Domne, benedí-  
ere.

*Benedictio* Benedictione  
erpétua.

De Epístola prima beáti  
Pauli Apóstoli ad Timó-  
theum.

LECTIO I.

[ Cap. 3. ]

FIDELIS sermo : Si quis Epis-  
opátum desíderat, bonum  
opus desíderat. Opórtet ergo  
Episcopum irreprehensibi-  
lem esse, unius uxóris virum,  
óbrium, prudéntem, orná-  
um, pudicum, hospitálem,  
doctórem; non vinoléntum,  
non percussórem, sed mo-  
léstum; non litigiósum, non  
cupidum, sed suæ dómui bene  
præpósitum; filios habéntem  
súbditos cum omni castitáte.  
Si quis autem dómui suæ præ-  
esse nescit, quómodo Ecclé-  
siae Dei diligéntiam habébit?  
Non neóphytum, ne, in su-  
pérbiam elátus, in iudícium  
incidat diabóli. Opórtet au-  
tem illum et testimónium ha-  
bere bonum ab iis qui foris  
sunt, ut non in oppróbrium  
incidat, et in láqueum diá-  
boli.

R. Euge, serve bone et fi-  
délis, quia in pauca fuísti fi-  
délis, supra multa te consti-  
tuam : \* Intra in gáudium  
Dómini tui.

✠. Dómine, quinque talénta  
tradidísti mihi, ecce ália quin-  
que superlucrátus sum.

Intra in gáudium.

*Benedictio* Unigénitus Dei  
Fílius.

De Epístola ad Titum.

LECTIO II.

[ Cap. 1. ]

OPORTET enim Episcopum  
sine crimine esse, sicut Dei  
dispensatórem; non supér-  
bum, non iracúndum, non  
vinoléntum, non percussó-  
rem, non turpis lucri cúpi-  
dum, sed hospitálem, be-  
nignum, sóbrium, justum,  
sanctum, continéntem, am-  
plecténtem eum qui secún-  
dum doctrínam est fidélem  
sermónem, ut potens sit ex-  
hortári in doctrína sana, et  
eos qui contradícunt ar-  
guere. Sunt enim multi étiam  
inobediéntes, vaniloqui, et  
seductóres; máxime qui de  
circumcisióne sunt; quos  
opórtet redárgui; qui uni-  
vérsas domos subvértunt, do-  
céntes quæ non opórtet,  
turpis lucri grátia.

R. Ecce sacerdos magnus,  
qui in diébus suis plácuít Deo:

\* Ideo jurejurádo fecit illum  
Dóminus créscere in plebem  
suam.

✠. Benedictionem ómnium  
géntium dedit illi, et testa-  
méntum suum confirmávit su-  
per caput ejus.

Ideo jurejurádo fecit.

*Benedictio* Spíritus Sancti.

LECTIO III.

[ Cap. 2. ]

Tu autem lóquere quæ de-  
cent sanam doctrínam: Senes

ut sóbrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia : Anus similiter in hábitu sancto, non criminatrices, non multo vino serviéntes, bene docéntes ; ut prudentiam dóceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benignas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes similiter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exéplum bonórum óperum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereátur nihil habens malum dicere de nobis.

R. Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : \* Tu es sacerdos in ætérnum secúndum órđinem Melchisedech.

Ÿ. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis.

Tu es sacerdos.

Glória Patri

Tu es sacerdos.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Invocántem \* exaudivit Dóminus sanctum suum ; Dóminus exaudivit eum, et constituit eum in pace.

PSALMUS 4.

CUM invocárem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : \* in tribulatione dilatásti mihi.

Miserére mei, \* et exáudi orationem meam.

Filii hóminum úsquequo gravi corde ? \* ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendácium ?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : \* Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascimini, et nolite peccáre : \* quæ dicitis in córdibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificáte sacrificium justitiæ, et speráte in Dómino : \* Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine, \* dedisti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui, \* multiplicáti sunt.

In pace in idipsum \* dormiam, et requiescam ;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe \* constituisti me.

*Antiphona.*

Invocántem exaudivit Dóminus sanctum suum ; Dóminus exaudivit eum, et constituit eum in pace.

*Antiphona.*

Læténtur omnes \* qui sperant in te, Dómine ; quóniam tu benedixisti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

PSALMUS 5.

V ERBA mea áuribus percipe,

Dómine, \* intéllege clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ:

\* Rex meus, et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : \*

Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, et vidébo ; \* quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus : \* neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem : \* perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinem et dolósum abominábitur Dóminus : \* ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introibo in domum tuam : \* adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : \* propter inimicos meos dirige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : \* cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dóluse agébant : \* júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatióibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, \* quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, \* in ætérnum exultábunt ; et habitábis in eis.

*Vern.*

Et gloriabúntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, \* quóniam tu benedices justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ \* coronásti nos.

*Antiphona.*

Læténtur omnes qui sperant in te, Dómine ; quóniam tu benedixísti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

*Antiphona.*

Dómine, \* Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra ! quia glória et honóre coronásti sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

PSALMUS 8.

**D**OMINE, Dóminus noster, \* quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificentia tua \* super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimicos tuos, \* ut déstruas inimicum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : \* lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus ? \* aut filius hóminis, quóniam visitas eum ?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : \* et consti-

**d**

tuisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, \* oves et boves univérsas; insuper et pécora campi;

Vólucres cœli, et pisces maris, \* qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, \* quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

*Antiphona.*

Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et contituisti eum super ópera mánuum tuárum.

✠. Elégit eum Dóminus sacerdotem sibi.

R. Ad sacrificándum ei hóstiám laudis.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsíus píetas.

✠. Jube, Domne.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

Sermo sancti Máximi Episcopi.

#### LECTIO IV.

[ Homilia 59, quæ est 2 de S. Eusebio Vercellensi. ]

**A**n sancti ac beatissimi Patris nostri N., cujus hódie festa celebrámus, laudes addidisse áliquid, decerpisse est: siquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scrip-

túra: Glória patris est filius sapiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia et devotióne lætatur? in Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos genuit.

R. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei.

✠. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei.

Manus enim.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

#### LECTIO V.

**Q**UIDQUID igitur in hac sancta plebe potest esse virtutis et grátie, de hoc quasi quodam fonte lucidíssimo ómnium rivulórum puritas emanávit. Etenim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinentiæ gloriabátur angústis, quia blandiméntis erat præditus lenitátis, ómnium civium in Deum provocávit affectum: quia Pontificií administratione fulgébat, plures e discipulis reliquit sui sacerdotií successóres.

R. Pósuí adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei.

✠. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

*Benedictio* Ignem sui amoris.



## LECTIO VI.

**B**ENE et congrue in hac die, quam nobis beāti Patris nostri N. ad paradísium tránsitus exultábilem reddit, præsentis Psalmi versículum decantávimus : In memória æténa erit justus. Digne enim in memóriam vértitur hóminum qui ad gáudium tránsiit Angelórum. Dicit sermo divínus : Ne laudes hóminem in vita sua : tanquam si diceret : Lauda post vitam, magnífica post consummationem. Dúplici enim ex causa útilius est hóminum magis memóriæ laudem dare quam vitæ; ut illo potíssimum témpore mérita sanctitátis extóllas, quando nec laudántem adulátio movet, nec laudátum tentet elátio.

R). Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum.

✠. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Ipse intercédát.

Glória Patri.

Ipse intercédát.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Dómine, \* iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiescet in monte sancto tuo.

## PSALMUS 14.

**D**OMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo : \* aut quis requiescet in monte sancto tuo ?

Qui ingréditur sine mácula, \* et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, \* qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, \* et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus : \* tímētes autem Dóminum gloríficat :

Qui jurat próximo suo, et non decipit, \* qui pecúniám suam non dedit ad usúram, et múnēra super innocéntem non accépit :

Qui facit hæc \* non móvabitur in ætérnum.

*Antiphona.*

Dómine, iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiescet in monte sancto tuo.

*Antiphona.*

Vitam pétíit \* a te, et tribuísti eí, Dómine : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápīte ejus corónam de lápīde pretiósō.

## PSALMUS 20.

**D**OMINE, in virtúte tua lætábitur rex, \* et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tri-

buisti ei, \* et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis : \* posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te, \* et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo : \* gloriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in saeculum saeculi : \* laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino, \* et in misericordia Altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : \* dextera tua inveniat omnes qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : \* Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes : \* et semen eorum a filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala ; \* cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum : \* in reliquiis tuis praeparabis vultum eorum.

Exaltare, Domine, in vir-

tute tua : \* cantabimus et psallamus virtutes tuas.

*Antiphona.*

Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Domine : gloriam et magnum decorem imposuisti super eum : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

*Antiphona.*

Hic accipiet \* benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo : quia haec est generatio quaerentium Dominum.

PSALMUS 23.

**D**OMINI est terra et plenitudo ejus, \* orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum, \* et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? \* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, \* qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, \* et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, \* quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales, \* et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? \* Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles, \* et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

*Antiphona.*

Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

Ÿ. Tu es sacérdos in ætérnum.

R. Secúndum órđinem Melchisedech.

Pater noster.

*Absolutio* A vinculis.

Ÿ. Jube, Domne.

*Benedictio* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 25.]

In illo témpore, Dixit Jesus discipulis suis parábolam hanc : Homo péregre profíciscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

[Homilia 9 in Evangelia.]

LECTIO sancti Evangélii, fratres charíssimi, solícite consideráre nos ádmonet ne nos, qui plus céteris in hoc mundo accepisse áliquíd cernimur, ab auctóre mundi grávius inde judicémur. Cum enim au-

géntur dona, ratiónes étiam crescunt donórum. Tanto ergo esse humilior atque ad serviéndum Deo prómptior quisque debet ex múnere, quanto se obligatiórem esse cónspicit in reddénda ratióne. Ecce homo qui péregre profíciscitur servos suos vocat, eisque ad negótium talénta partitur. Post multum vero témporis positúrus ratiónem revértitur. Bene operántes pro apportáto lucro remunerat, servum vero a bono ópere torpéntem damnat.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum; stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronávit eum.

Ÿ. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

*Benedictio* Cujus festum cólmus.

LECTIO VIII.

Quis itaque iste homo est qui péregre profíciscitur, nisi Redémptor noster, qui in ea carne quam assúmpserat ábiit in cœlum? Carnis enim locus próprius terra est, quæ quasi ad peregrína dúcitur, dum per Redemptórem nostrum in cœlo collocátur. Sed homo iste péregre profíciscens servis suis bona sua trádidit, quia fidélibus suis spirituália dona concéssit. Et unius quidem quinque talénta, álíi duo, álíi vero commísit unum.

Quinque etenim sunt corporis sensus, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus. Quinque ergo talentis donum quinque sensuum, id est exteriorum scientia exprimitur. Duobus vero intellectus et operatio designatur. Unius autem talenti nomine intellectus tantummodo designatur.

*R.* Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

*V.* Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

Et vos similes.

Glória Patri.

Et vos similes.

*Benedictio* Ad societatem.

#### LECTIO IX.

**S**ED is qui quinque talenta acceperat alia quinque lucratus est, quia sunt nonnulli qui, etsi interna ac mystica penetrare nesciunt, pro intentione tamen supernae patriae docent recta quos possunt, de ipsis exterioribus, quae acceperunt, duplum talentum portant: dumque se a carnis petulantia, et a terrenarum rerum ambitu, atque a visibilium voluptate custodiunt, ab his etiam alios admonendo compescunt. Et sunt nonnulli qui, quasi duobus talentis ditati, intellectum

atque operationem percipiunt, subtilia de internis intelligunt, mira in exterioribus operantur. Cumque et intelligendo et operando aliis praedicant, quasi duplicatum de negotio lucrum reportant.

Te Deum laudamus, 18.

#### AD LAUDES,

ET PER HORAS.

##### *Antiphona.*

Ecce sacerdos magnus, \* qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus.

*Psalmus* Dominus regnavit, cum reliquis, 19.

##### *Antiphona.*

Non est inventus \* similis illi qui conservaret legem Excelsi.

##### *Antiphona.*

Ideo jurejurando \* fecit illum Dominus crescere in plebem suam.

##### *Antiphona.*

Sacerdotes Dei, \* benedicite Dominum: servi Domini, hymnum dicite Deo. Alleluia.

##### *Antiphona.*

Serve bone \* et fidelis, intra in gaudium domini tui.

#### CAPITULUM.

[Eecli., 44.]

**E**CCE sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus: et in tempore iracundiae factus est reconciliatio.

#### HYMNUS.

**J**ESU, redemptor omnium, Perpes corona Praesulum,



In hac die clementius  
Indulgeas precantibus;  
Tui sacri qua nominis  
Confessor almus claruit,  
Hujus celebrat annua  
Devota plebs solennia.

Qui rite mundi gaudia  
Hujus caduca respuens,  
Æternitatis præmio  
Potitur inter Angelos.

Hujus benignus annue  
Nobis sequi vestigia:  
Hujus precatu servulis  
Dimitte noxam criminis.

Sit, Christe Rex piissime,  
Tibi, Patrique gloria,  
Cum Spiritu Paráclito,  
Nunc, et per omne sæculum.  
Amen.

✠. Justum deduxit Dominus  
per vias rectas.

℞. Et ostendit illi regnum  
Dei.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Euge, serve bone\* et fidelis,  
quia in pauca fuisti fidelis,  
supra multa te constituam,  
dicit Dominus.

## ORATIO.

**D**A, quæsumus, omnipotens  
Deus, ut beati N., Confessoris  
tui atque Pontificis, vene-  
randa sollemnitas et devo-  
tionem nobis augeat et salu-  
tem. Per Dominum nostrum.

## ALIA ORATIO.

**E**XAUDI, quæsumus, Domi-  
ne, preces nostras, quas in  
beati N. Confessoris tui atque  
Pontificis sollemnitate deféri-  
mus, et qui tibi digne meruit  
famulári, ejus intercedenti-

bus méritis ab ómnibus nos  
absolve peccátis. Per Dómi-  
num.

*Ad Tertiam, Antiphona*  
Non est inventus.

*Capitulum* Ecce sacerdos  
magnus, ut supra.

℞. br. Amavit eum Dómi-  
nus, \* Et ornavit eum.

Amavit eum.

✠. Stulam glóriæ induit  
eum.

℞. Et ornavit.

Glória Patri. Amavit.

✠. Elégit eum Dóminus sa-  
cerdotem sibi.

℞. Ad sacrificandum ei  
hóstiam laudis.

*Tempore Paschali, ad  
Tertiam.*

℞. breve. Amavit eum Dó-  
minus, et ornavit eum. \* Al-  
lelúia, allelúia.

Amavit eum.

✠. Stulam glóriæ induit  
eum.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Amavit eum.

✠. Elégit eum Dóminus  
sacerdotem sibi. Allelúia.

℞. Ad sacrificandum ei  
hóstiam laudis. Allelúia.

*Ad Sextam, Antiphona*  
Ideo jurejurando.

## CAPITULUM.

[Eceli., 44.]

**N**ON est inventus similis illi,  
qui conserváret legem Excél-  
si: ideo jurejurando fecit il-  
lum Dóminus crescere in ple-  
bem suam.

℞. br. Elégit eum Dóminus,

\* Sacerdótem sibi. Elégit eum.

✠. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

R. Sacerdótem sibi.

Glória Patri. Elégit eum.

✠. Tu es sacérdos in ætérnum.

R. Secúndum órđinem Melchisedech.

*Tempore Paschali, ad Sextam.*

R. *breve.* Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. \* Allelúia, allelúia.

Elégit eum.

✠. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Elégit eum.

✠. Tu es sacérdos in ætérnum. Allelúia.

R. Secúndum órđinem, Melchisedech. Allelúia.

*Ad Nonam, Antiphona*  
Serve bone.

CAPITULUM.

[Ecc. l., 45.]

**F**UNGI sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offerre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

R. *br.* Tu es sacérdos, \* In ætérnum. Tu es.

✠. Secúndum órđinem Melchisedech.

R. In ætérnum.

Glória Patri. Tu es.

✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

R. Et osténdit illi regnum Dei.

*Tempore Paschali, ad Nonam.*

R. *breve.* Tu es sacérdos in ætérnum. \* Allelúia, allelúia.

Tu es sacérdos.

✠. Secúndum órđinem Melchisedech.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Tu es

✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. Allelúia.

R. Et osténdit illi regnum Dei. Allelúia.

*Ad Vesperas, Antiphona*  
Ecce sacérdos magnus, *cum reliquis de Laudibus*, lxxvii.

*Psalmus* Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica*, 134, *et loco ultimi Psalmus* Memento, Dómine, David, 144.

*Capitulum et Hymnus ut supra in primis Vesperis*, lxxviii.

✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

R. Et osténdit illi regnum Dei.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Amávit eum \* Dóminus, et ornávit eum; stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradisi coronávit eum.

*Sequens Antiphona dicitur ad Magnificat in secundis Vesperis pro solis Summis Pontificibus.*

*Antiphona.*

Dum esset \* Summus Póntifex, terréna non méruit, sed

ad cœlestia regna gloriósus migrávit.

*Si occurrat celebrari Festum plurimorum Pontificum et Confessorum, Officium fit ut supra : sed in Oratione et Sermone, quæ ponuntur in singulari dicantur in plurali, et in primo Nocturno legantur sequentes Lectiones de Scriptura.*

De libro Ecclesiástici.

LECTIO I.

[ Cap. 44 ]

**L**AUDEMUS viros glorióſos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua præditi, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum, et imperántes in præſenti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

R). Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constituam : \* Intra in gáudium Dómini tui.

Ÿ. Dómine, quinque talénta tradidisti mihi, ecce álía quinque superlucrátus sum.

Intra in gáudium.

LECTIO II.

**H**OMINES dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdiu habéntes ; pacificántes in dómi-

bus suis. Omnes isti in generatióibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt reliquérunt nomen narrándi laudes eórum, et sunt quorum non est memória : periérunt quasi qui non fuérunt : et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsórum cum ipsis.

R). Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo : \* Ideo jurejurádo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

Ÿ. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

Ideo jurejurádo.

LECTIO III.

**S**ED illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum, et filii eórum propter illos usque in ætérnum manent : semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatióem et generatióem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum nuntiet Ecclesiá.

R). Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : \* Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órđinem Melchisedech.

✠. Dixit Dóminus Dómino  
meo: Sede a dextris meis.

Tu es sacerdos.

Glória Patri.

Tu es sacerdos.

ALIE LECTIONES

PRO PONTIFICE

ET CONFESSORE.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Máximi Episcopi.

LECTIO IV.

[Ex Homil. 59, quæ est 2 de S. Eusebio.]

**B**EATI Patris N. mérita jam in tuto pósito securi magnificémus, qui gubernáculum fidei viriliter tenens, áncoram spei tranquilla jam in statione compósuit, et plenam coeléstibus divitiis et ætérnis mércibus navem optáto in littore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabiliter tenuit, donec ad victóriam perveniret. Quid enim fuit totus vitæ illius cursus, nisi unius cum vigili hoste conflictus?

R. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei.

✠. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei.

Manus enim.

LECTIO V.

**Q**UANTIS hic cæcis a via veritátis errántibus, et de summa jam in profúndum rupe pen-

déntibus, amíssum réddidit visum, et illum quo Christus viderétur reparávit intúitum? Quantórum áuribus surdis, et infidelitátis obturatione damnátis, ad percipiéndam vocem coeléstium mandatórum, pretiósus infúdit auditum, ut vocánti Deo ad misericórdiam responderent per obediéntiam? Quantos intrínsecus vulnerátos, Angélici oris arte et orationum, ab infirmitate curávit?

R. Pósuí adjutórium super poténtem, et exaltávi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei.

✠. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

LECTIO VI.

**Q**UANTOS per longam incuriam peccáti labe resolutos, et quadam lepræ contagione perfúsos, castigaciónibus et exhortaciónibus expiádo, Deo in se operánte mundávit? Quantórum ánimas vivéntes in corpore jam defúctas, et delictórum mole óbrutas ac sepúltas, ad emendaciónem tanquam ad lucem vocádo, Deo resuscitávit, ut Dómini sui admirándus imitátor, jam mórtuas Deo, e contrário mortificet vitáli morte peccáto?

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrina ejus



replēta est : \* Ipse intercēdat pro peccātis ómnium populórum.

Ÿ. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervēnit ad cōlēstia regna.

Ipse intercēdat.

Glória Patri.

Ipse intercēdat.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangēlii secūndum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 24.]

**I**n illo tēpore, Dixit Jesus discipulis suis : Vigilāte, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilia sancti Hilárii Episcopi.

[Comment. in Matth. cap. 26.]

**U**t ignorántiam illam diēi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigilāre nos Dóminus propter advéntum furis admónuit, et oratiónum assiduitate deténtos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærere. Furem enim esse ostēdit zábulum, ad detrahēda ex nobis spólia pervigilem, et córporum nostrórum dómibus insidiántem : ut ea incuriósus nobis, et somno dēditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódia. Parátos igitur esse nos cónvenit : quia diēi ignoratio inténtam sollicitúdi-

nem suspénsæ expectatiónis exágitet.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum ; stolam glóriæ induit eum, \* et ad portas paradisi coronávit eum.

Ÿ. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

LECTIO VIII.

[Cap. 27.]

**Q**UISNAM est fidélis servus et prudens, quem constituit Dóminus super familiam suam? Quamquam in commúne nos ad indefessam vigilántiæ curam adhortétur, speciálem tamen pópuli princípibus, id est Episcopis, in expectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudentem, præpósitum familiæ significat, cómmoda atque utilitates commissi sibi pópuli curántem. Qui si dicto áudiens, et præceptis obédiens erit, id est si doctrinæ opportunitate et veritate infirma confirmet, disrúpta consólidet, depraváta convertat, et verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ familiæ dispēdat, atque hæc agens, hisque immorans deprehendátur, glóriam a Dómino tanquam dispensátor fidélis et villicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur ; id est in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultra quod mélius sit.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : \* Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

V. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

Et vos similes.

Glória Patri.

Et vos similes.

#### LECTIO IX.

QUOD si contuens longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ salutis extenditur, adversum conservos insoléscet, et sæculi malis vitiisque se tradet, præsentium tantum curam in cultu ventris exercens : desperata die Dominus advéniet, eumque a bonis quæ spoponderat dividet, portionemque ejus cum hypócritis in pœnæ æternitate constituet : quia adventum desperaverit, quia mandatis non obtemperaverit, quia præsentibus studuerit, quia vita gentium vixerit, quia desperatione judicii commissam sibi familiam fame, siti, cæde vexaverit.

Te Deum laudamus, 18.

~~~~~

#### PRO DOCTORIBUS.

*Ad Magnificat, in utrisque Vesperis, Antiphona.*

O Doctor \* optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate N., divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

#### ORATIO.

DEUS, qui populo tuo æternæ salutis beatum N. ministrum tribuisti, præsta, quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

*Lectiones sequentes leguntur in Festis Doctorum; Officium autem in illis fit de Confessoribus Pontificibus vel non Pontificibus, pro qualitate Festi.*

#### IN PRIMO NOCTURNO.

De libro Ecclesiastici.

#### LECTIO I.

[ Cap. 39. ]

SAPIENTIAM omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, et in versutias parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur. In medio magnatorum ministrabit, et in conspectu præsidis apparebit. In terram alienigenarum gentium pertransiet : bona enim et mala in hominibus tentabit.

R. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : \* intra in gaudium Domini tui.

V. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.

Intra in gáudium.

*Benedictio Unigénitus Dei Filius.*

LECTIO II.

**C**OR suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altissimi deprecábitur. Apériet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus voluerit, spiritu intelligéntiæ replébit illum, et ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratione confitébitur Dómino: et ipse dirigit consílium ejus, et disciplinam, et in absconditis suis consiliábitur.

*Pro Doctore Pontifice.*

R. Ecce sacerdos magnus, qui in diébus suis placuit Deo: \* Ideo jurejurando fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

✠. Benedictionem ómnium géntium dedit illi, et testamentum suum confirmávit super caput ejus.

Ideo jurejurando.

*Benedictio Spíritus Sancti grátia.*

*Pro Doctore non Pontifice.*

R. Justus germinábit sicut lílium, \* Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

✠. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.

Et florébit.

*Benedictio Spíritus Sancti grátia.*

LECTIO III.

**I**PSE palam fáciét disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatione in generationem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

*Pro Doctore Pontifice.*

R. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: \* Tu es sacerdos in ætérnum secúndum órđinem Melchisedech.

✠. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis.

Tu es sacerdos.

Glória Patri.

Tu es sacerdos.

*Pro Doctore non Pontifice.*

R. Iste cognóvit justitiam, et vidit mirabilia magna, et exorávit Altíssimum: \* Et invéntus est in número sanctorum.

✠. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Et invéntus.

Glória Patri.

Et invéntus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

## LECTIO IV.

[Lib. 9, c. 6.]

QUI post Oríonas Hyadum nómine nisi Doctóres sanctæ Ecclésiæ designántur? Qui, subductis Martyribus, eo jam témpore ad mundi notitiam venérunt, quo fides clárius elúcet, et représsa infidelitátis hieme, áltius per corda fidélium sol veritátis calet. Qui remóta tempestáte persecutiónis, explétis longis nóctibus infidelitátis, tunc sanctæ Ecclésiæ orti sunt cum ei jam per credulitátis vernum lucidior annus aperitur.

*Pro Doctore Pontifice.*

R. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : \* Manus enim mea auxiliábitur ei.

Y. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei.

Manus enim.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

*Pro Doctore non Pontifice.*

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum : \* Et dedit illi claritátem ætérnam.

Y. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

## LECTIO V.

Nec immérito Doctóres sancti Hyadum nuncupatióne signántur. Græco quippe elóquio hyetos plúvia vocátur, et Hyades nomen a plúviis accepérunt, quia ortæ proculdúbio imbres ferunt. Bene ergo Hyadum appellatióne expréssi sunt qui ad statum universális Ecclésiæ, quasi in cœli fáciem dedúcti, super aréntem terram lumáni pectoris sanctæ prædicatiónis imbres fuderunt. Si enim prædicatiónis sermo plúvia non esset, Móyses minime dixisset : Expectétur sicut plúvia elóquium meum : et nequáquam per Isaíam Veritas diceret : Mandábo núbibus meis, ne pluant super eam imbrem : atque hoc quod paulo ante protulimus : Quamóbrem prohibitæ sunt stellæ pluviárum.

*Pro Doctore Pontifice.*

R. Pósuí adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : \* Manus enim mea auxiliábitur ei.

Y. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

*Benedictio* Ignem sui amoris.

*Pro Doctore non Pontifice.*

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum ; stolam glóriæ induit eum : \* Et ad portas paradísi coronávit eum.



✠. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

*Benedictio* Ignem sui amoris.

## LECTIO VI.

**D**UM ergo Hyades cum plúviis véniunt, ad cœli spátia altióra sol dúcitur : quia apparánte Doctórum sciéntia, dum mens nostra imbre prædicatiónis infúnditur, fidei calor augétur. Et perfúsa terra ad fructum próficit, cum lumen ætheris ignéscit, quia ubérius frugem boni óperis réddimus, dum per sacræ eruditiónis flammam in corde clárius ardémus. Dumque per eos diébus singulis magis magisque sciéntia cœlestis osténditur, quasi intérni nostri lúminis vernum tempus aperitur, ut novus sol nostris méntibus rúilet, et eórum verbis nobis cógnitus, seípso quotidie clárior micet. Urgénte etenim mundi fine, supérna sciéntia próficit, et largius cum témpore excreócit.

*Pro Doctore Pontifice.*

℞. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum.

✠. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Ipse intercédát.

Glória Patri.

Ipse intercédát.

*Pro Doctore non Pontifice.*

℞. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

✠. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

## IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

## LECTIO VII.

[ Cap. 5. ]

**I**N illo témpore, Dixit Jesus discíplis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuérít, in quo salietur? et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

[L. 1 de Serm. Domini in monte, c. 6.]

**O**STENDIT Dóminus fátuos esse judicándos, qui temporálium bonórum vel cópiam sectántes, vel inópiam metuéntes, amittunt æténa, quæ nec dari possunt ab homínibus nec auferri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo salietur? id est, si vos, per quos condiéndi sunt quodámodo pópuli, metu persecutiónum temporálium amisérítis regna cœlórum, qui erunt hómines per quos a vobis error auferátur, cum vos elégerit Deus per quos errórem áuferat ceterórum.

*Pro Doctore Pontifice.*

R. Amávit eum Dóminus ,  
et ornávit eum; stolam gló-  
riæ induit eum : \* Et ad por-  
tas paradisi coronávit eum.

Ÿ. Induit eum Dóminus  
loricam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

*Pro Doctore non Pontifice.*

R. Iste est qui ante Deum  
magnas virtútes operátus est,  
et de omni corde suo laudá-  
vit Dóminum : \* Ipse inter-  
cedat pro peccátis ómnium  
populórum.

Ÿ. Ecce homo sine queréla,  
verus Deicultor, ábstinens se  
ab omni ópere malo , et pér-  
manens in innocéntia sua.

Ipse intercedat.

*Benedictio Cujus festum.*

LECTIO VIII.

**E**RGO ad nihilum valet sal  
infatuátum, nisi ut mittátur  
foras, et calcétur ab homí-  
bus. Non itaque calcátur ab  
homínibus qui pátitur per-  
secutióem, sed qui persecu-  
tióem timéndo infatuátur.  
Calcári enim non potest, nisi  
inférieur; sed inférieur non est  
qui quamvis corpore multa  
in terra sustíneat, corde ta-  
men fixus in cælo est.

R. In médio Ecclesiæ apé-  
ruit os ejus, \* Et implévit eum  
Dóminus spiritu sapiéntiæ et  
intelléctus.

Ÿ. Jucunditátem et exulta-  
tióem thesaurizávit super  
eum.

Et implévit.

Glória Patri.

Et implévit.

*Benedictio Ad societátem.*

LECTIO IX.

**V**os estis lumen mundi. Quó-  
modo dixit supérius sal ter-  
ræ, sic nunc dicit lumen  
mundi. Nam neque supérius  
ista terra accipiéndá est  
quam pédibus corpóreis cal-  
cámus : sed homínes qui in  
terra hábitant, vel étiam pec-  
catóres, quorum condiéndis  
et extingúendis putóribus  
apostólicum salem Dóminus  
misit. Et hic mundum, non  
cælum et terram, sed hó-  
mines qui sunt in mundo  
vel diligunt mundum, opór-  
tet intélligi, quibus illumi-  
nándis Apóstoli missi sunt.  
Non potest civitas abscóndi  
super montem pósita, id est  
fundáta super insignem mag-  
námque justitiám, quam sig-  
nificat étiam ipse mons in  
quo disputat Dóminus.

Te Deum laudámus, 18.

~~~~~

COMMUNE

CONFESSORIS

NON PONTIFICIS.

*Notandum, quod si fuerit  
intra tēpus Paschale, ser-  
vanda est Rubrica superius  
posita, xlvij.*

*Ad Vesperas, Antiphona  
Dómine, quinque talénta,  
ut infra ad Laudes Psalmus  
Dixit Dóminus, cum reliquis  
de Dominica, 134 et loco*

*ultimi Psalmus* Laudáte Dó-  
minum, omnes gentes, 139.

CAPITULUM.

[Eccli., 31.]

**B**EATUS vir qui invéntus est  
sine mácula, et qui post au-  
rum non ábiit, nec sperávit  
in pecúnia et thesáuris. Quis  
est hic, et laudábimus eum? fe-  
cit enim mirabilia in vita sua.

HYMNUS.

**I**STE Conféssor Dómini co-  
léntes

Quem pie laudant pópuli per  
orbem,

Hac die lætus méruit beátas  
Scándere sedes.

*Si non est dies obitus, di-  
catur :*

Hac die lætus méruit suprè-  
mos

Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmi-  
lis, pudicus,

Sóbriam duxit sine labe vitam,  
Donec humános animávit

auræ

Spiritus artus.

Cujus ob præstans méri-  
tum, frequénter

Ægra, quæ passim jacuere,  
membra,

Víribus morbi dómitis, salúti  
Restituúntur.

Noster hinc illi chorus ob-  
sequéntem

Cóncinit laudem, celebrés-  
que palmas;

Ut piis ejus précibus juvémur  
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus atque  
virtus,

Qui super cœli sólio corús-  
cans,

Tótius mundi sériem gubér-  
nat

Trinus et unus.

Amen.

Ÿ. Amávit eum Dóminus,  
et ornávit eum.

Ŗ. Stolum glóriæ induit  
eum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Similábo eum\* viro sapién-  
ti, qui ædificávit domum  
suam supra petram.

ORATIO.

**D**EUS, qui nos beáti N. con-  
fessóris tui ánnua solemnité  
lætificas, concéde propítius  
ut cujus natalitia cólimus  
étiam actiónes imitémur. Per  
Dóminum.

ALIA ORATIO.

**A**DESTO, Dómine, supplica-  
tiónibus nostris, quas in beáti  
N. confessóris tui solemnité  
deférimus, ut qui nos-  
træ justitiæ fidúciā non ha-  
bémus ejus qui tibi plácu-  
it précibus adjuvémur. Per Dó-  
minum.

*Si fuerit Abbas.*

ORATIO.

**I**NTERCESSIO nos, quæsumus,  
Dómine, beáti N. abbátis  
comméndet, ut quod nostris  
méritis non valémus ejus  
patrocínio assequámur. Per  
Dóminum

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Regem

Confessorum Dóminum, \*  
Veníte, adorémus.

*Psalmus* Veníte, exultémus, 2.

*Hymnus* Iste Confessor, ut supra, lxxxviii.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Beátus vir \* qui in lege Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quaecúmque fáciat semper prosperabúntur.

PSALMUS I.

**B**EATUS vir qui non ábiit in consilio impiórum, et in via peccatórum non stetit, \* et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, \* et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, \* quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non defluet : \* et ómnia quaecúmque fáciat prosperabúntur.

Non sic impii, non sic : \* sed tanquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent impii in iudicio : \* neque peccátóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum ; \* et iter impiórum peribit.

*Antiphona.*

Beátus vir qui in lege

Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quaecúmque fáciat semper prosperabúntur.

*Antiphona.*

Beátus iste sanctus, \* qui confisus est in Dómino, prædicávit præceptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

PSALMUS 2.

**Q**UARE fremuérunt gentes, \* et pópuli meditáti sunt inánia ?

Astitérunt reges terræ, et principes convenérunt in unum, \* advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus vincula eórum : \* et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis iridébit eos : \* et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, \* et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, \* prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me : \* Filius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, \* et possessiónem tuam téminos terræ.

Reges eos in virga férrea, \* et tanquam vas figuli confrínges eos.



Et nunc, reges, intelligite,\*  
erudimini, qui iudicatis ter-  
ram.

Servite Dómino in timó-  
re,\* et exultáte ei cum tre-  
móre.

Apprehéndite disciplinam,  
nequándo irascátur Dómi-  
nus,\* et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira  
ejus,\* beáti omnes qui con-  
fidunt in eo.

*Antiphona.*

Beátus iste sanctus, qui  
confisus est in Dómino, præ-  
dicávit præcéptum Dómini,  
constitútus est in monte sanc-  
to ejus.

*Antiphona.*

Tu es \* glória mea, tu es  
suscéptor meus, Dómine : tu  
exáltans caput meum, et  
exaudisti me de monte sancto  
tuo.

PSALMUS 3.

**D**OMINE, quid multiplicati  
sunt qui tribulant me? \* multi  
insúrgunt advérsus me.

Multi dicunt ánimæ meæ : \*  
Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscep-  
tor meus es, \* glória mea, et  
exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum  
clamávi : \* et exaudivit me de  
monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus  
sum : \* et exurréxi, quia Dó-  
minus suscepit me.

Non timébo millia pópuli  
circumdántis me : \* exúrge,

Dómine, salvum me fac, Deus  
meus.

Quóniam tu percussisti  
omnes adversántes mihi sine  
causa : \* dentes peccatórum  
contrivisti.

Dómini est salus : \* et su-  
per pópulum tuum benedic-  
tio tua.

*Antiphona.*

Tu es glória mea, tu es  
suscéptor meus, Dómine, tu  
exáltans caput meum, et ex-  
audisti me de monte sancto  
tuo.

†. Amávit eum Dóminus,  
et ornávit eum.

†. Stola glóriæ induit eum.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

†. Jube, Domne, benedi-  
cere.

*Benedictio* Benedictione  
perpétua.

De libro Sapiéntiæ.

LECTIO I.

[Cap. 4 et 5.]

**J**USTUS, si morte præoccupá-  
tus fúerit, in refrigerio erit.  
Senéctus enim venerábilis  
est, non diutúrna, neque an-  
nórum número computáta :  
cani autem sunt sensus hó-  
minis, et ætas senectútis vita  
immaculáta. Placens Deo  
factus est diléctus, et vivens  
inter peccatóres translátus  
est. Raptus est ne malítia  
mutáret intelléctum ejus, aut  
ne fictio decíperet ánimam  
illius. Fascinatio enim nu-  
gacitátis obscurat bona, et

inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malitia. Consummátus in brevi explévit témpora multa : plácita enim erat Deo ánima illius : propter hoc properávit educere illum de médio iniquitátum.

R). Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constitutam : \* Intra in gáudium Dómini tui.

✠. Dómine, quinque talénta tradidisti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.

Intra in gáudium.

*Benedictio* Unigénitus Dei Filius.

#### LECTIO II.

**P**OPULI autem vidéntes, et non intelligéntes, nec ponéntes in præcórdiis tália : quóniam grátia Dei et misericórdia est in sanctos ejus, et respéctus in eléctos illius. Condémnat autem justus mórtuus vivos impios, et juvéntus celérius consummáta longam vitam injústi. Vidébunt enim finem sapiéntis, et non intélligent quid cogitáverit de illo Deus, et quare munierit illum Dóminus. Vidébunt, et contémnent eum : illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc decidéntes sine honóre, et in contumélia inter mortuos in perpétuum : quóniam dirúmpet illos inflátos sine voce, et commovébit illos a

fundaméntis, et usque ad suprénum desolabúntur.

R). Justus germinábit sicut lílium : \* Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

✠. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.

Et florébit.

*Benedictio* Spiritus Sancti grátia.

#### LECTIO III.

**E**T erunt geméntes, et memória illórum peribit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi, et tradúcent illos ex advérso iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justí in magna constántia advérsus eos qui se angustiavérent, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horribili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salutis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes : Hi sunt quos habuimus aliquándó in derisum et in similitúdinem improperii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre : ecce quómodo computáti sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

R). Iste cógnovit justitiam, et vidit mirabilia magna, et exorávit Altissimum : \* Et invéntus est in número sanctórum.

✠. Iste est qui contémpsit

vitam mundi, et pervénit ad  
cœlestia regna.

Et invéntus.

Glória Patri.

Et invéntus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Invocántem\* exaudivit Dóminus sanctum suum, Dóminus exaudivit eum, et constituit eum in pace.

PSALMUS 4.

CUM invocárem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : \* in tribulatione dilatásti mihi.

Miserére mei, \* et exáudi orationem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde ? \* ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendácium ?

Et scitôte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : \* Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascimini, et nolite peccáre : \* quæ dicitis in córdibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificáte sacrificium justitiæ, et speráte in Dómino : \* Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : \* dedisti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini et olei sui, \* multiplicáti sunt.

In pace in idípsum \* dormiam et requiescam;

Quóniam tu, Dómine, sin-

guláriter in spe \* constituísti me.

*Antiphona.*

Invocántem exaudivit Dóminus sanctum suum; Dóminus exaudivit eum, et constituit eum in pace.

*Antiphona.*

Læténtur omnes\* qui sperant in te, Dómine, quóniam tu benedixisti justo; scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

PSALMUS 5.

VERBA mea áuribus pécipe, Dómine, \* intéllege clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, \* Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : \* Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : \* quóniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus : \* neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitatem : \* perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinem et dolósum abominábitur Dóminus : \* ego autem in multitudine misericórdiæ tuæ.

Introibo in domum tuam : \* adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justitia tua : \* propter inimicos

meos dirige in conspectu tuo  
viam meam.

Quóniam non est in ore  
eorum veritas : \* cor eorum  
vanum est.

Sepulcrum patens est gut-  
tur eorum, linguis suis do-  
lōse agēbant; \* júdica illos,  
Deus.

Décidant a cogitacionibus  
suis; secúndum multitudi-  
nem impietatum eorum ex-  
pelle eos, \* quóniam irrita-  
verunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui  
sperant in te, \* in ætérnum  
exultábunt, et habitábis in  
eis.

Et gloriabúntur in te om-  
nes qui diligunt nomen  
tuum, \* quóniam tu benedi-  
ces justo.

Dómine, ut scuto bonæ  
voluntátis tuæ \* coronásti  
nos.

*Antiphona.*

Læténtur omnes qui spe-  
rant in te, Dómine, quóniam  
tu benedixisti justo; scuto  
bonæ voluntátis tuæ coro-  
násti eum.

*Antiphona.*

Dómine, \* Dóminus noster,  
quam admirábile est nomen  
tuum in univérſa terra! quia  
glória et honóre coronásti  
sanctum tuum, et constituísti  
eum super ópera mánuum  
tuarum.

PSALMUS 8.

**D**OMINE Dóminus noster, \*

quam admirábile est nomen  
tuum in univérſa terra!

Quóniam eleváta est mag-  
nificéntia tua \* super cœlos.

Ex ore infántium et lactén-  
tium perfecisti laudem prop-  
ter inimicos tuos, \* ut destruas  
inimicum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos  
tuos, ópera digitórum tuó-  
rum, \* lunam et stellas, quæ  
tu fundásti.

Quid est homo, quod me-  
mor es ejus? \* aut filius hó-  
minis, quóniam visitas eum?

Minuísti eum paulo minus  
ab Angelis, glória et honóre  
coronásti eum: \* et constituísti  
eum super ópera mánuum  
tuarum.

Omnia subjecisti sub pedi-  
bus ejus, \* oves et boves  
univérſas, insuper et pécora  
campi.

Vólucres cœli, et pisces  
maris, \* qui perámbulant sé-  
mitas maris.

Dómine Dóminus noster, \*  
quam admirábile est nomen  
tuum in univérſa terra!

*Antiphona.*

Dómine Dóminus noster,  
quam admirábile est nomen  
tuum in univérſa terra! quia  
glória et honóre coronásti  
sanctum tuum, et constituísti  
eum super ópera mánuum  
tuarum.

℣. Os justi meditábitur sa-  
piéntiam.

℞. Et lingua ejus loquétur  
judícium.



Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

✠. Jube, Domne.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

LECTIO IV.

[In Orat. de S. Philogonio.]

**BEATI** N. dies, cujus festivitatem celebramus, ad ipsius recte factorum enarrationem linguam nostram evocavit: siquidem hodie beatus iste ad tranquillam omnisque perturbationis expertem vitam transiit; eoque navigium appulit ubi deinceps non poterit metuere naufragium, nec ullam animi perturbationem aut dolorem. Et quid mirum est si locus ille purus est ab omni molestia animi, cum Paulus hominibus adhuc in hac vita degentibus loquens dicat: Semper gaudete, sine intermissione orate.

℞. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, \* Et dedit illi claritatem æternam.

✠. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

*Benedictio* Christus perpetuæ.

LECTIO V.

Quoniam si hic ubi morbi, ubi insectationes, ubi præmaturæ

mortes, ubi calumniæ, ubi invidiæ, ubi perturbationes, ubi iræ, ubi cupiditates, ubi innumerabiles insidiæ, ubi quotidianæ sollicitudines, ubi perpetua sibi succedentia mala sunt, innumeros ex omni parte dolores afferentia, Paulus dixit fieri posse, ut semper gaudeamus, si quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus erexerit caput, vitamque suam recte composuerit: multo magis, postquam hinc demigraverimus, facile cōmpotes erimus ejus boni, cum hæc omnia sublata fuerint, adversa valetudo, morbi, peccandi materia, ubi non est meum actuum, frigidum illud verbum, et quidquid est malorum in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella.

℞. Amavit eum Dominus, et ornavit eum; stolam gloriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum.

✠. Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

*Benedictio* Ignem sui amoris.

LECTIO VI.

**QUA**MO BREVI maximopere gratulor hujus Sancti felicitati, quod quanquam translatus est, atque hanc quæ apud nos est civitatem reliquit, tamen in alteram adscriptus est civitatem, nempe Dei, et digressus ab hac Ecclesia, ad

illam pervénit quæ est primogenitorum descriptorum in cælis; ac relictis hisce festis, tránsiit ad celebritátem Angelorum. Etenim quod et civitas sursum sit, et Ecclesiá, et celebritas, audi Paulum dicentem: Accessistis ad civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cœlestem, et Ecclesiám primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, et ad multorum millium Angelorum frequentiam.

℞. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

Ÿ. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœlestia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Dómine, \* iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo.

PSALMUS 14.

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? \* aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine mácula, \* et operátur justitiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, \* qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum, \* et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus: \* tíméntes autem Dóminum glorificat.

Qui jurat próximo suo, et non decipit, \* qui pecúniám suam non dedit ad usúram, et múnera super innocentem non accépit:

Qui facit hæc \* non movebitur in ætérnum.

*Antiphona.*

Dómine, iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo.

*Antiphona*

Vitam pétiiit \* a te, et tribuisti ei, Dómine: glóriam et magnum decórem imposuisti super eum: posuisti in cápite ejus corónam de lapide pretiósó.

PSALMUS 20.

Dómine, in virtúte tua lætábitur rex, \* et super salutáre tuum exultábit vehementer.

Desidérium cordis ejus tribuisti ei, \* et voluntáte labiów ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcedinis: \* posuisti in cápite ejus corónam de lapide pretiósó.

Vitam pétiiit a te, \* et tribuisti ei longitúdinem di-

rum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: \* glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: \* lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: \* et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimicis tuis: \* dextera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clibanum ignis in témpore vultus tui: \* Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, \* et semen eórum a filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala, \* cogitavérunt consilia quæ non potuérunt stabilire.

Quóniam pones eos dorsum: \* in reliquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: \* cantábimus et psalémus virtútes tuas.

*Antiphona.*

Vitam pétii a te, et tribuísti ei, Dómine: glóriam et magnum decórem imposuísti super eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

*Vern.*

*Antiphona.*

Hic accipiet \* benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo, quia hæc est generatio quæréntium Dóminum.

PSALMUS 23.

DÓMINI est terra et plenitúdo ejus, \* orbis terrárum et univérsti qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, \* et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? \* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innócens manibus et mundo corde, \* qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accipiet benedictiónem a Dómino, \* et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generatio quæréntium eum, \* quæréntium faciém Dei Jacob.

Attóllite portas, principes, vestras, et elevámini, portæ æternáles, \* et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, principes, vestras, et elevámini, portæ æternáles, \* et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

*Antiphona.*

Hic accipiet benedictió-

nem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo, quia hæc est generatio quærentium Dóminum.

✠. Lex Dei ejus in corde ipsius.

R. Et non supplantabuntur gressus ejus.

Pater noster.

*Absolutio A vinculis.*

✠. Jube, Domne.

*Benedictio Evangélica lectio.*

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

#### LECTIO VII.

[Cap. 12.]

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Homilia 13 in Evangelia.]

SANCTI Evangelii, fratres charissimi, aperta vobis est lectio recitata. Sed ne aliquibus ipsa ejus planities alta fortasse videatur, eam sub brevitate transcurramus, quatenus ejus expositio ita nescientibus fiat cognita, ut tamen scientibus non sit onerosa. Dominus dicit: Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat et bonis operibus insudare,

protinus additur: Et lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. De quibus profecto operibus Dominus dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dóminum; \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

✠. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua.

Ipse intercedat.

*Benedictio Cujus festum celimus.*

#### LECTIO VIII.

Duo autem sunt quæ jubentur, et lumbos restringere, et lucernas tenere, ut et munditia sit castitatis in corpore, et lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro unum sine altero placere nequaquam potest: si aut is qui bona agit adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit, aut is qui castitate præeminet necdum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquod sine castitate. Sed



et si utrúmque ágitur, restat ut quisquis ille est spe ad supérnam pátriam tendat, et nequáquam se a vítiis pro mundi hujus honestáte contineat.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : \* Et vos similes hominibus expectantibus dñm suum, quando revertatur a nuptiis.

Ÿ. Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dñs vester venturus sit.

Et vos similes.

Glória Patri.

Et vos similes.

*Benedictio* Ad societatem.

LECTIO IX.

ET vos similes hominibus expectantibus dñm suum, quando revertatur a nuptiis, ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Venit quippe Dñs, cum ad iudicium properat : pulsat vero, cum jam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, et videre eum quem contempsisse se meminit iudicem formidat. Qui autem de sua spe et operatione securus est pulsanti confestim aperit, quia lætus iudicem sustinet; et cum tempus propinquæ mortis advenerit, de

glória retributionis hilarescit.

Te Deum laudamus, 18.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Dñe, \* quinque talenta tradidisti mihi : ecce alia quinque superlucratus sum.

*Psalmus* Dñs regnavit, cum reliquis, 19.

*Antiphona.*

Euge, serve bone, \* in modico fidelis, intra in gaudium Dñi tui.

*Antiphona.*

Fidelis servus \* et prudens, quem constituit Dñs super familiam suam.

*Antiphona.*

Beatus \* ille servus quem cum venerit Dñs ejus, et pulsaverit januam, invenerit vigilantem.

*Antiphona.*

Serve bone \* et fidelis, intra in gaudium Dñi tui.

CAPITULUM.

[Eccli., 31]

BEATUS vir qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

HYMNUS.

JESU corona celsior,  
Et veritas sublimior,  
Qui confitenti servulo  
Reddis perenne præmium,

Da supplicanti cœtui,  
Hujus rogatu, nōxii  
Remissionem criminis,  
Rumpendo nexum vinculi.

Anni reverso tempore,  
Dies refulsit lumine,  
Quo sanctus hic de corpore  
Migravit inter sidera.

Hic vana terræ gaudia,  
Et luculenta prædia  
Polluta sorde deputans,  
Ovans tenet cœlestia.

Te Christe Rex piissime,  
Hic confitendo jūgiter  
Calcavit artes dæmonum,  
Sævumque avēni principem.

Virtute clarus et fide,  
Confessione sedulus,  
Jejuna membra deferens,  
Dapes supernas obtinet.

Proinde te, piissime,  
Precamur omnes supplices  
Nobis ut hujus gratia  
Pœnas remittas debitas.

Patri perennis gloria,  
Natōque Patris unico,  
Sanctōque sit Paráclito,  
Per omne semper sæculum.

Amen.

✠. Justum deduxit Dōmi-  
nus per vias rectas.

R. Et ostendit illi regnum  
Dei.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Euge, serve bone,\* et fidē-  
lis, quia in pauca fuisti fidē-  
lis, supra multa te consti-  
tuam; intra in gaudium Dō-  
mini tui.

ORATIO.

DEUS, qui nos beati N. con-  
fessoris tui annua solemnitate

lætificas, concède propitius,  
ut cujus natalitia cōlimus  
etiā actiones imitemur. Per  
Dōminum.

ALIA ORATIO.

ADESTO, Dōmine, suppli-  
cationibus nostris, quas in  
beati N. confessoris tui so-  
lemnitate deferimus, ut qui  
nostræ justitiæ fidūciam non  
habemus ejus qui tibi plā-  
cuit precibus adjuvemur.  
Per Dōminum.

*Si fuerit Abbas.*

ORATIO.

INTERCESSIO nos, quæsumus,  
Dōmine, beati N. abbatis  
commendet, ut quod nostris  
meritis non valēmus ejus pa-  
trocínio assequāmur. Per Dō-  
minum.

*Ad Tertiam, Antiphona*  
Euge, serve bone.

*Capitulum* Beatus vir qui  
inventus est, *ut supra*, lxxxix.

R. breve. Amavit eum Dō-  
minus,\* Et ornavit eum.

Amavit eum.

✠. Stola gloriæ induit  
eum.

R. Et ornavit.

Glória Patri. Amavit eum.

✠. Os justī meditabitur sa-  
piētiā.

R. Et lingua ejus loquētur  
judiciū.

*Tempore Paschali, ad  
Tertiam.*

R. breve. Amavit eum Dō-  
minus, et ornavit eum.\* Al-  
lelúia, allelúia. Amavit eum.

✠. Stolum glóriæ induit eum.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Amávit eum.

✠. Os justi meditábitur sapiéntiam. Allelúia.

℞. Et lingua ejus loquétur judicium. Allelúia.

*Ad Sextam, Antiphona*  
Fidélis servus.

## CAPITULUM.

[ Eccli. , 39. ]

JUSTUS cor suum trádedit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℞. *breve.* Os justi \* Meditábitur sapiéntiam. Os justi.

✠. Et lingua ejus loquétur judicium.

℞. Meditábitur.

Glória Patri. Os justi.

✠. Lex Dei ejus in corde ipsius.

℞. Et non supplantabúntur gressus ejus.

*Tempore Paschali, ad*  
*Sextam.*

℞. *breve.* Os justi meditábitur sapiéntiam. \* Allelúia, allelúia. Os justi.

✠. Et lingua ejus loquétur judicium.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Os justi.

✠. Lex Dei ejus in corde ipsius. Allelúia.

℞. Et non supplantabúntur gressus ejus. Allelúia.

*Ad Nonam, Antiphona*  
Serve bone.

## CAPITULUM.

[ Sap. , 10. ]

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illius.

℞. *breve.* Lex Dei ejus \* In corde ipsius. Lex Dei.

✠. Et non supplantabúntur gressus ejus.

℞. In corde.

Glória Patri. Lex Dei.

✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℞. Et osténdit illi regnum Dei.

*Tempore Paschali, ad*  
*Nonam.*

℞. *breve.* Lex Dei ejus in corde ipsius. \* Allelúia, allelúia. Lex Dei.

✠. Et non supplantabúntur gressus ejus.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Lex Dei.

✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. Allelúia.

℞. Et osténdit illi regnum Dei. Allelúia.

*Ad Vesperas, Antiphona*  
Dómine, quinque talénta,  
*cum reliquis de Laudibus,*  
xcix. *Psalmi, Capitulum*  
*et Hymnus ut in primis Vesperis, lxxxviii.*

✠. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

R. Et ostendit illi regnum Dei.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Hic vir \* despiciens mundum et terréna, triumphans, divitias cœlo condidit ore, manu.

*Si occurrat celebrari Festum plurimorum Confessorum non Pontificum, Officium fit ut supra : sed in Oratione et Sermonem quæ habentur in singulari dicantur in plurali.*

ALIE LECTIONES

PRO CONFESORE

NON PONTIFICE.

IN PRIMO NOCTURNO.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO I.

[Cap. 31.]

**B**EATUS vir qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit : nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna : qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

R. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te con-

stituiam : \* Intra in gaudium Domini tui.

✠. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.

Intra in gaudium.

LECTIO II.

[Cap. 32 et 33.]

**Q**UI timet Dominum excipiet doctrinam ejus, et qui vigilaverint ad illum invenient benedictionem. Qui querit legem replebitur ab ea, et qui insidiosè agit scandalizabitur in ea. Qui timet Dominum invenient iudicium justum, et justitias quasi lumen accendent. Qui credit Deo attendit mandatis, et qui confidit in illo non minorabitur. Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit et liberabit a malis. Sapiens non odit mandata et justitias, et non illidetur quasi in procèlla navis. Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis.

R. Justus germinabit sicut lilium, \* Et florebit in æternum ante Dominum.

✠. Plantatus in domo Domini, in atrius domus Dei nostri.

Et florebit.

LECTIO III.

[Cap. 34.]

**S**PIRITUS timéntium Deum queritur, et in respectu illius benedicetur. Spes enim illorum in salvantem illos, et



óculi Dei in diligéntes se. Qui timet Dóminum nihil trepidábit et non pavébit, quóniam ipse est spes ejus. Timéntis Dóminum beáta est ánima ejus. Ad quem rēspicit, et quis est fortitúdo ejus? Oculi Dómini super timéntes eum, protéctor poténtiæ, firmaméntum virtútis, tégimen ardóris et umbráculum meridiáni, deprecátio offensiónis et adjutórium casus, exáltans ánimam et illúminans óculos, dans sanitátem et vitam et benedictiónem.

℞. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum: \* Et invéntus est in número sanctórum.

℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Et invéntus.

Glória Patri.

Et invéntus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

LECTIO IV.

[Lib. 10, c. 16, in Job 12.]

**D**ERIDETUR justí simplicitas. Hujus mundi sapiéntia est cor machinatióibus tégere, sensum verbis veláre, quæ falsa sunt vera osténdere, quæ vera sunt falsa demonstráre. Hæc nimirum prudéntia usu a juvenibus scitur, hæc a púeris pretio

discitur; hanc qui sciunt céteros despiciéndò superbíunt; hanc qui nesciunt, subjécti et tímidi in áliis mirántur, quia ab eis hæc eadem duplicítatis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adépta temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplicius réddere, cum vires súppetunt nullis resisténtibus cédere, cum virtútis possibilitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit illi

LECTIO V.

**A**T contra, sapiéntia justórum est nil per ostensiónem fingere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre quam fácere, nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplicitas deridétur, quia ab hujus mundi sapiéntibus

puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocentem agitur ab eis procul dubio stultum putatur, et quidquid in opere veritas approbat carnali sapientiae fatuum sonat. Quid namque stultius videtur mundo quam mentem verbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quaerere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam praebere?

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum; stolam gloriae induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum.

V. Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum.

Et ad portas.

#### LECTIO VI.

[ Cap. 17. ]

LAMPAS contempta apud cogitationes divitum. Saepe contingit ut electus quisque, qui ad aeternam felicitatem ducitur, continua hic adversitate deprimatur: non hunc rerum abundantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilem ostendat, nulla ei obsequentium frequentia suppetat, nulla hunc humanis oculis vestium pompa componat: a cunctis vero despicibilis cernitur, et huius mundi gratia indignus aestimatur: sed tamen ante

occulti iudicis oculos virtutibus emicat, vitae meritis coruscet: honorari metuit, despici non refugit, corpus continentia afficit, sola in animo dilectione pinguescit, mentem semper ad patientiam praeparat, et erectus pro justitia, de perceptis contumeliis exultat, afflictis ex corde compatiatur, de bonorum prosperitatibus quasi de propriis laetatur, sacri verbi pabula in mente sollicitus ruminat, et inquisitus quodlibet eloqui dupliciter ignorat.

R. Iste homo perfecit omnia quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam; \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

V. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

#### LECTIO VII.

[ Cap. 12. ]

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedae Presbyteri.

[ Lib. 4, cap. 54, in Luc. 12. ]

PUSILLUM gregem electo-

rum, vel ob comparationem majóris númeri reprobórum, vel pótius ob humilitátis devotiónem nóminat, quia videlicet Ecclesiám suam quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promissum regnum humilitáte pervenire. Ideóque ejus labóres blande consolátus, quam regnum Dei tantum quærere præcipit, eidem regnum a Patre dandum complácita benignitáte promittit.

R). Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum.

Ÿ. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.

Ipse intercédát.

#### LECTIO VIII.

VENDITE quæ possidétis; et date eleemósynam. Nolíte, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus hujus vitæ necessária desint : quin étiam posséssa propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis, semel pro Dómino suis ómnibus sprétis, nihilóminus post hæc labóre mánuum, unde et victum transigere et eleemósynam dare queat

operátur. Unde gloriátur Apóstolus, dicens : Argéntum et aurum, aut vestem nullius concupívi : ipsi scitis quóniam ad ea quæ mihi opus erant et his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscipere infirmos.

R). Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : \* Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

Ÿ. Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.

Et vos símiles.

Glória Patri.

Et vos símiles.

#### LECTIO IX.

FACITE vobis sácculos qui non veteráscunt, eleemósynas videlicet operándo, quarum merces in ætérnum máneat. Ubi non hoc præcéptum esse putándum est, ut nil pecúniæ reservétur a Sanctis, vel suis scilicet, vel páuperum úsibus suggeréndæ, cum et ipse Dóminus, cui ministrábant Angeli, tamen ad informándam Ecclesiám suam lóculos habuisse legátur, et a fidélibus obláta consérvans, et suórum necessitátibus alijsque indigéntibus tribuens : sed ne Deo propter ista serviátur, et ob inópiæ timórem justitia deserátur.



Te Deum laudamus, 18.

~~~~~

# PRO ABBATIBUS.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

## LECTIO VII.

[Cap. 19.]

**I**N illo tempore, Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te ; quid ergo erit nobis ? Et reliqua.

Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

[Lib. 3, in Matth. cap. 19.]

**G**RANDIS fiducia, Petrus piscator erat, dives non fuerat, cibos manu et arte querebat, et tamen loquitur confidenter, Reliquimus omnia. Et quia non sufficit tantum relinquere, jungit quod perfectum est : Et secuti sumus te. Fecimus quod jussisti : quid igitur nobis dabis premii ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Non dixit, Qui reliquistis omnia : hoc enim et Crates fecit philosophus, et multi alii divitias contempserunt ; sed, Qui secuti estis me, quod proprie Apostolorum est atque credentium.

✠. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum : \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

✠. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua.

Ipse intercedat.

## LECTIO VIII.

**I**N regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis sue, (quando et mortui de corruptione resurgent incorrupti) sedebitis et vos in solis iudicantium, condemnantes duodecim tribus Israel, quia vobis credentibus, illi credere noluerunt. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Locus iste cum illa sententia congruit in qua Salvator loquitur : Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem a patre suo, et matrem a filia, et nurum a socru, et inimici hominis domestici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, et predicationem Evangelii, omnes affectus contempserint atque divitias et sæculi voluptates, isti centuplum re-



cipient, et vitam æternam possidebunt.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

V. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

Et vos similes.

Glória Patri.

Et vos similes.

#### LECTIO IX.

**Ex** occasione hujus sententiæ quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes, tunc nobis centuplum omnium rerum quas dimisimus, et vitam æternam esse reddendam, non intelligentes quod, si in ceteris digna sit repromissio, in uxoribus appareat turpitudine, ut qui unam pro Domino dimiserit centum recipiat in futuro. Sensus ergo iste est: Qui carnalia pro Salvatore dimiserit spiritalia recipiet: quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparatur.

Te Deum laudamus, 18.

#### COMMUNE

#### VIRGINUM.

*Ad Vesperas, Antiphona.*

Hæc est virgo \* sapiens, et una de numero prudentum.

#### PSALMUS 109.

**Dixit** Dominus Domino meo: \* sede a dextris meis:

Donec ponam inimicos tuos, \* scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: \* dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: \* ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non poenitebit eum: \* Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, \* confrégit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: \* conquasabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: \* propterea exaltabit caput.

*Antiphona.*

Hæc est virgo sapiens, et una de numero prudentum.

*Antiphona.*

Hæc est virgo \* sapiens, quam Dominus vigilātem invenit.

#### PSALMUS 112.

**Laudate**, pueri, Dominum, \* laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, \* ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occā-

sum, \* laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, \* et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, \* et humília respicit in cœlo et in terra?

Súscitans a terra inopem, \* et de stercore érigenz páuperem :

Ut cóllocet eum cum principibus, \* cum principibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, \* matrem filiórum lætántem.

*Antiphona.*

Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit.

*Antiphona.*

Hæc est \* quæ nescívit torum in delicto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

PSALMUS 121.

LÆTATUS sum in his quæ dicta sunt mihi : \* in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, \* in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut civitas : \* cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : \* testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes

in judício, \* sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, \* et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua, \* et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos, \* loquēbar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, \* quæsi vi bona tibi.

*Antiphona.*

Hæc est quæ nescívit torum in delicto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

*Antiphona.*

Veni, elécta mea, \* et ponam in te thronum meum. Alleluia.

PSALMUS 126.

NISI Dóminus ædificáverit domum, \* in vanum laboráverunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodierit civitátem, \* frustra vigilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : \* súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : \* ecce hæréditas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis, \* ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; \*

non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

*Antiphona.*

Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum. Alleluia.

*Antiphona.*

Ista est \* speciosa inter filias Jerúsalem.

PSALMUS 147.

**L**AUDA, Jerúsalem, Dóminus : \* lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : \* benedixit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : \* et ádipe fruménti sátiat te

Qui emittit elóquium suum terræ : \* velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, \* nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : \* ante faciém frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea : \* flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúnciat verbum suum Jacob, \* justítias et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni nationi : \* et judícia sua non manifestávit eis.

*Antiphona.*

Ista est speciosa inter filias Jerúsalem.

# CAPITULUM.

[II. Cor., c. 10.]

**F**RATRES, qui gloriátur in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est, sed quem Deus comméndat.

## HYMNUS.

**J**ESU, coróna Virginum, Quem mater illa cóncipit, Quæ sola virgo párturit, Hæc vota clemens áccipe.

Qui pergis inter lília, Septus choréis Virginum, Sponsus decórus glória, Sponsisque reddens præmia.

Quocúmque tendis, Virgines

Sequúntur, atque láudibus Post te canéntes cúrsitant, Hymnósque dulces pèrsonant.

Te deprecámur súpplīces, Nostris ut addas sénsibus Nescire prorsus ómnia Corruptionis vúlnera.

Virtus, honor, laus, glória, Deo Patri cum Filio, Sancto simul Paráclito, In sæculórum sæcula.

Amen.

✠. Spécie tua et pulchritúdine tua.

℞. Inténde, prospere procéde, et regna.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Veni, sponsa \* Christi, áccipe corónam quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

## ORATIO.

**D**EUS, qui inter cétera potén-

tiae tuæ miracula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti, concéde propítius ut qui beátæ N. virginis et mártiris tuæ natalitia cólimus per ejus ad te exéempla gradiámur. Per Dóminum.

## ALIA ORATIO.

**I**NDULGENTIAM nobis, quæsumus, Dómine, beáta N. virgo et martyr implóret, quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis et tuæ professione virtútis. Per Dóminum.

*Pro Virgine non Martyre.*

## ORATIO.

**E**XAUDI nos, Deus salutáris noster, ut sicut de beátæ N. virginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

*Si fuerint plures, in utrisque Vesperis ad Magnificat, et in Laudibus ad Benedictus, Antiphona.*

Prudentes Virgines, aptate vestras lámpades: ecce sponsus venit, exite óbviám ei.

℣. Adducéntur regi virgines post eam.

℞. Próximæ ejus afferéntur tibi.

## ORATIO.

**D**A nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, sanctárum virginum et mártyrum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári, ut quas

digna mente non póssumus celebráre humilibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum nostrum.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Regem Virginum Dóminum, \* Veníte, adorémus.

*Psalmus* Veníte, exultémus, 2.

## HYMNUS.

**V**IRGINIS Proles, Opiféxque Matris,

Virgo quem gessit peperitque virgo;

Virginis partos cánimus decóra

Morte triúmphos.

Hæc enim palmæ dúplicis beáta

Sorte, dum gestit frágilem domáre

Córporeis sexum, dómuat cruéntum

Cæde tyránnum.

Unde nec mortem, nec amíca mortis

Mille pœnárum génera expavéscens,

Sánguine effúso méruiť sérénus

Scándere cœlum.

Hujus orátu, Deus alme, nobis

Débitas pœnas scélerum remítte;

Ut tibi puro resonémus alúmum

Péctore carmen.

Sit decus Patri, genitæque Proli,



Et tibi compar utriusque  
Virtus,  
Spíritus semper, Deus unus  
omni  
Témporis ævo.

Amen

*Si Sancta fuerit virgo tantum, et non Martyr, dicitur Hymnus ut sequitur.*

**V**IRGINIS Proles, Opiféxque  
Matris,  
Virgo quem gessit, peperit-  
que Virgo,  
Virginis festum cānimus  
beátæ;  
Accipe votum.

Hujus orátu, Deus alme,  
nobis

Débitas pœnas scélerum re-  
mitte,  
Ut tibi puro resonémus al-  
mum

Péctore carmen.

Sit decus Patri, genitæque  
Proli,

Et tibi compar utriusque  
Virtus  
Spíritus semper, Deus unus  
omni

Témporis ævo.

Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Oh! quam pulchra \* est  
casta generátio cum clari-  
táte!

PSALMUS 8.

**D**OMINE Dóminus noster, \*  
quam admirábile est nomen  
tuum in univérſa terra?

Quóniam eleváta est mag-

nificéntia tua, \* super cœlos.

Ex ore infántium et lac-  
téntium perfecisti laudem  
propter inimícos tuos, \* ut  
déstruas inimícum et ultó-  
rem.

Quóniam vidébo cœlos  
tuos, ópera digitórum tuó-  
rum, \* lunam et stellas,  
quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod me-  
mor es ejus? \* aut filius  
hóminis, quóniam visitas  
eum?

Minuísti eum paulo minus  
ab Angelis, glória et honóre  
coronásti eum: \* et consti-  
tuísti eum super ópera má-  
nuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédi-  
bus ejus, \* oves et boves  
univérſas, insuper et pécora  
campi.

Vólucres cœli, et pisces  
maris, \* qui perámbulant sé-  
mitas maris.

Dómine Dóminus noster,  
\* quam admirábile est nomen  
tuum in univérſa terra!

*Antiphona.*

Oh! quam pulchra est casta  
generátio cum claritáte!

*Antiphona.*

Ante torum \* hujus virginis  
frequentáte nobis dúlcia cán-  
tica drámatis.

PSALMUS 18.

**C**OELI enarrant glóriam Dei,  
\* et ópera mánuum ejus an-  
núntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum,\*

et nox nocti indicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, \* quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exivit sonus eórum, \* et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum, \* et ipse tanquam sponsus procedens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, \* a summo cœlo egressio ejus.

Et occûrsus ejus usque ad summum ejus: \* nec est qui se abscondat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: \* testimoniúm Dómini fidèle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: \* præcéptum Dómini lícidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: \* júdicia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lápidem pretiósus multum, \* et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea: \* in custodiéndis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occúltis meis munda me, \* et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domínati, tunc immaculátus ero:

\* et emundábor a delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; \* et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, \* et redémptor meus.

*Antiphona.*

Ante torum hujus virginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatís.

*Antiphona.*

Revértere, \* revértere, Sunamitis: revértere, revértere, ut intueámur te.

PSALMUS 23.

**D**OMINI est terra et pleníitúdo ejus, \* orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, \* et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? \* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innócens mánibus et mundo corde, \* qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictionem a Dómino, \* et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, \* quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles, \* et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \*

Dóminus fortis et potens,  
Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, principes,  
vestras, et elevámini, portæ  
æternáles, \* et introibit rex  
glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \*  
Dóminus virtútum ipse est  
rex glóriæ.

*Antiphona.*

Revértere, revértere, Su-  
namítis; revértere, revér-  
tere, ut intueámur te.

Ÿ. Spécie tua et pulchri-  
túdine tua.

℞. Inténde, prospere pro-  
cède, et regna.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi.

Ÿ. Jube, Domne.

*Benedictio* Benedictione  
perpétua.

De Epístola prima beáti  
Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO I.

[ Cap. 7. ]

DE virginibus præceptum  
Dómini non hábeo : consí-  
lium autem do, tanquam mi-  
sericórdiam consecútus a Dó-  
mino, ut sim fidélis. Existi-  
mo ergo hoc bonum esse  
propter instántem necessitá-  
tem, quóniam bonum est  
hómīni sic esse. Alligátus es  
uxóri? noli quærere solutió-  
nem. Solútus es ab uxóre?  
noli quærere uxórem. Si au-  
tem accéperis uxórem, non  
peccásti. Et si núpserit virgo,  
non peccávit. Tribulationem  
tamen carnis habébunt hujús-

modi. Ego autem vobis parco.  
Hoc itaque dico, fratres :  
Tempus breve est : réli-  
quum est ut et qui habent  
uxóres tanquam non habén-  
tes sint, et qui flent tan-  
quam non flentes : et qui gau-  
dent tanquam non gaudén-  
tes : et qui emunt tanquam  
non possidentes : et qui utún-  
tur hoc mundo tanquam  
non utántur : præterit enim  
figúra hujus mundi.

℞. Veni, sponsa Christi,  
áccipe corónam, quam tibi  
Dóminus præparávit in ætér-  
num : pro cujus amóre sán-  
guinem tuum fudisti : \* Et  
cum Angelis in paradísū  
introísti.

Ÿ. Veni, elécta mea, et po-  
nam in te thronum meum,  
quia concupívit Rex spéciem  
tuam.

Et cum Angelis.

*Si non fuerit Martyr, dici-  
tur sequens* ℞. Veni, elécta  
mea, et ponam in te thronum  
meum : \* Quia concupívit  
Rex spéciem tuam.

Ÿ. Spécie tua et pulchritú-  
dine tua inténde, prospere  
procède, et regna.

Quia concupívit.

*Benedictio* Unigénitus Dei  
Filius.

LECTIO II.

VOLO autem vos sine sollici-  
túdine esse. Qui sine uxóre  
est sollicitus est quæ Dó-  
mini sunt, quómodo pláceat  
Deo. Qui autem cum uxóre

est sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxóri, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut láqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dóminum obsecrándi.

R). Diffúsa est grátia in lábiis tuis : \* Propterea benedixit te Deus in ætérnum.

✠. Spécie tua, et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Propterea benedixit.

*Benedictio Spiritus Sancti grátia.*

### LECTIO III.

Si quis autem turpem se vidéri existimat super vírgine sua, quod sit superadúlta, et ita opórtet fieri : quod vult fáciat : non peccat si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntátis, et hoc judicávit in corde suo, servare vírginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit : et qui non jungit mélius facit. Mulier alligáta est legi quanto témpore vir ejus vivit. Quod si dor-

míerit vir ejus, liberáta est : cui vult nubat, tantum in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit secúndum meum consílium : puto autem quod et ego spiritum Dei hábeam.

R). Spécie tua et pulchritudine tua \* Inténde, prospere procéde, et regna.

✠. Diffúsa est grátia in lábiis tuis ; propterea benedixit te Deus in ætérnum.

Inténde.

Glória Patri.

Inténde.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Spécie tua \* et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna.

PSALMUS 44.

**E**RUCTAVIT cor meum verbum bonum : \* dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, \* velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ filiis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : \* propterea benedixit te Deus in ætérnum.

Accingere gládio tuo super femur tuum, \* potentissime.

Spécie tua et pulchritudine tua \* inténde, prospere procéde, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : \* et dedúcet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli



sub te cadent : \* in corde inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : \* virga directionis virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : \* propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestimentis tuis, a dómibus ebúrneis : \* ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestitu deaurato : \* circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : \* et obliviscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum : \* quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus ; \* vultum tuum deprecabúntur omnes divites plebis.

Omnis glória ejus filiæ Regis ab intus, \* in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : \* próximæ ejus afferéntur tibi :

Afferéntur in lætítia et exultatione : \* adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii : \* constitues eos

príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui \* in omni generatione et generationem.

Propterea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : \* et in sæculum sæculi.

*Antiphona.*

Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospère procéde, et regna.

*Antiphona.*

Adjuvabit eam \* Deus vultu suo : Deus, in médio ejus, non commovébitur.

PSALMUS 45.

DEUS noster refúgium et virtus : \* adjutor in tribulationibus, quæ invenérunt nos nimis.

Propterea non timébimus dum turbábitur terra : \* et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbatæ sunt aquæ eorum : \* conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Flúminis ímpetus lætificat civitatem Dei : \* sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus, in médio ejus, non commovébitur : \* adjuvabit eum Deus mane dilúculo.

Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna : \* dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtutum nobis-

cum, \* suscēptor noster Deus Jacob.

Venite, et vidēte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : \* áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcem cónteret, et confringet arma : \* et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidēte quóniam ego sum Deus : \* exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiscum, \* suscēptor noster Deus Jacob.

*Antiphona.*

Adjuvábít eam Deus vultu suo : Deus, in médio ejus, non commovébitur.

*Antiphona.*

Aquæ multæ \* non potuerunt extinguere charitátem.

PSALMUS 47.

**M**AGNUS Dóminus, et laudábilis nimis : \* in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne universæ terræ mons Sion, \* látera Aquilónis, civitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, \* cum suscipiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : \* convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, com-

móti sunt : \* tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, \* in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : \* Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, \* in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : \* justitia plena est dextera tua.

Lætétur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, \* propter júdicia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectimini eam : \* narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus, \* et distribuíte domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et insæculum sæculi : \* ipse reget nos in sæcula.

*Antiphona.*

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitátem.

Ÿ. Adjuvábít eam Deus vultu suo.

R. Deus, in médio ejus, non commovébitur.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

Ÿ. Jube, Domne.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

## LECTIO IV.

[Lib. 1 de Virginibus.]

**Q**UONIAM hódie natális est Virginis, invitat nunc integritátis amor ut áliquíd de virginitáte dicámus, ne véluti tránsitu quodam præstricta videátur quæ principalis est virtus. Non enim ideo laudábilis virginitas quia in martyribus reperitur, sed quia ipsa mártires fáciat. Quis autem humano eam possit ingénio comprehendere quam nec natura suis inclúsit légibus? aut quis naturali voce complécti quod supra usum naturæ sit? E cœlo accersivit quod imitarétur in terris. Nec inmérito vivéndi sibi usum quæsiivit e cœlo, quæ sponsum sibi invénit in cœlo.

R). Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, \* Et dedúcet te mirabiliter dextera tua.

Ÿ. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Et dedúcet.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

## LECTIO V.

**H**ÆC nubes, áera, Angelos, sideraque transgrédiens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invénit, et toto hausit péc-

tore. Nam quis tantum, cum invénit, relínquat boni? Unguéntum enim exinanitum est nomen tuum: proptérea adolescéntulæ dilexérunt te, et attraxérunt te. Postrémo non meum est illud, quóniam quæ non nubunt, neque nubéntur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Nemo ergo mirétur, si Angelis comparéntur, quæ Angelórum Dómino copulántur.

R). Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem: \* Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiæ.

Ÿ. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam.

Proptérea unxit te.

*Benedictio* Ignem sui amoris.

## LECTIO VI.

**Q**UIS ígitur neget hanc vitam fluxisse de cœlo, quam non fácte invenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terréni córporis membra descendit? Tunc in útero virgo concépit, et Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus. Dicet áliquis: Sed étiam Elías nullíus corpórei cóitus fuisse permíxtus cupiditátibus invenitur. Ideo ergo curru raptus ad cœlum, ideo cum Dómino appáret in glória, ideo dominici ventúrus est præcúrsor advéntus.

R). Afferéntur Regi virgines post eam, próximæ ejus

\* Afferéntur tibi in lætítia et exultatióne.

Ÿ. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Afferéntur tibi.

Glória Patri.

Afferéntur tibi.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Nigra sum,\* sed formósa, filiæ Jerusalem : ideo diléxit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

PSALMUS 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : \* cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedicite nómini ejus : \* annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus,\* in ómnibus pópulis mirabilia ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : \* terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii génitium dæmónia : \* Dóminus autem coelos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus : \* sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ génitium, afférte Dómino glóriam et honórem : \* afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : \* adoráte Dó-

minum in átrio sancto ejus.

Commovéatur a fácie ejus unívsa terra : \* dicite in géntibus quia Dóminus regnávít.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : \* judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra, commovéatur mare et plenitúdo ejus : \* gaudebunt campi et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : \* quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte,\* et pópulos in veritáte sua.

*Antiphona.*

Nigra sum, sed formósa, filiæ Jerúsalem : ideo diléxit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

*Antiphona.*

Trahe me\* post te, in odórem currémus unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

PSALMUS 96.

DÓMINUS regnávít, exúltet terra : \* læténtur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circúitu ejus : \* justitia et judicium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet,\* et inflammábit in circúitu inimicos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi



terræ: \* vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: \* a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt celi justitiam ejus, \* et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia, \* et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli ejus: \* audivit, et letata est Sion.

Et exultaverunt filiae Judæ, \* propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, \* nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: \* custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, \* et rectis corde letitia.

Letamini, justi, in Domino: \* et confitemini memorie sanctificationis ejus.

*Antiphona.*

Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum: oleum effusum nomen tuum.

*Antiphona.*

Veni, sponsa Christi, \* accipe coronam quam tibi Dominus preparavit in æternum.

PSALMUS 97.

CANTATE Domino canticum novum, \* quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, \* et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum, \* in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordie suae, \* et veritatis suae domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ \* salutare Dei nostri.

Jubilate Deo, omnis terra: \* cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi: \* in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini: \* moveatur mare et plenitudo ejus, orbis terrarum et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini, \* quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, \* et populos in æquitate.

*Antiphona.*

Veni, sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus preparavit in æternum.

℣. Elégit eam Deus, et praelégit eam.

℞. In tabernáculo suo habitare facit eam.

Pater noster.

*Absolutio* A vinctulis.

℣. Jube, Domne.

*Benedictio* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 25.]

**I**N illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ, accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Homilia 12 in Evangelia.]

**S**ÆPE vos, fratres charissimi, admoneo prava opera fugere, mundi hujus inquinamenta devitare: sed hodierna sancti Evangelii lectione compellor dicere ut et bona quæ agitis cum magna cautela teneatis, ne per hoc, quod a vobis rectum geritur, favor aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis subrepat, et quod foris ostenditur intus a mercede vacuetur. Ecce enim Redemptoris voce decem virgines, et omnes dicuntur virgines, et tamen intra beatitudinis januam non omnes sunt receptæ: quia earum quædam, dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt.

℞. Hæc est virgo sapiens,

quam Dominus vigilantem invenit, quæ acceptis lampadibus sumpsit secum oleum: \* Et veniente Domino, introivit cum eo ad nuptias.

℣. Média nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

Et veniente.

*Benedictio* Cujus vel Quorum festum colimus.

LECTIO VIII.

**S**ED prius querendum nobis est quid sit regnum cœlorum, aut cur decem virginibus comparatur, quæ etiam virgines prudentes et fatuæ dicantur. Dum enim cœlorum regnum constat, quia reproborum nullus ingreditur, etiam fatuis virginibus cur simile esse perhibetur? Sed sciendum nobis est, quod sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur. De quo alio in loco Dominus dicit: Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scândala. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri scândala poterunt, quæ colligantur.

℞. Média nocte clamor factus est: \* Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

℣. Prudentes virgines, aptate vestras lampades.

Ecce sponsus venit.

Glória Patri.

Ecce sponsus venit.

*Benedictio* Ad societatem.

LECTIO IX.

**I**n quinque autem corporis sensibus unusquisque subsistit. Geminatus autem quinquarius denarium perficit. Et quia ex utroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denuntiatur. In qua, quia mali cum bonis, et reprobi cum electis admixti sunt, recte similis virginibus prudentibus et fatuis esse perhibetur. Sunt namque plerique continentes, qui ab appetitu se exteriori custodiunt, et spe ad interiora rapiuntur, carnem macerant, et toto desiderio ad supernam patriam anhelant, æterna præmia expetunt, pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt. Hi nimirum gloriam suam non in ore hominum ponunt, sed intra conscientiam contegunt. Et sunt plerique qui corpus per abstinentiam affligunt, sed de ipsa sua abstinencia humanos favores expetunt.

Te Deum laudamus, 18.

AD LAUDES,

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Hæc est \* virgo sapiens, et una de numero prudentum.

*Psalmus* Dominus regnavit, cum reliquis, 19.

*Antiphona.*

Hæc est \* virgo sapiens,

*Vern.*

quam Dominus vigilantem invenit.

*Antiphona.*

Hæc est \* quæ nescivit torum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

*Antiphona.*

Veni, electa mea, \* et ponam in te thronum meum. Allelûia.

*Antiphona.*

Ista est \* speciosa inter filias Jerusalem.

CAPITULUM.

[II Cor., c. 10.]

**F**RATRES, qui gloriatur in Domino gloriatur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.

HYMNUS.

**J**ESU corona Virginum,  
Quem mater illa concipit  
Quæ sola Virgo parturit,  
Hæc vota clemens accipe.

Qui pergis inter lilia,  
Septus choræis Virginum,  
Sponsus decorus gloria,  
Sponsisque reddens præmia.

Quocumque tendis, virgines

Sequuntur, atque laudibus  
Post te canentes cursitant,  
Hymnosque dulces personant.

Te deprecamur supplices  
Nostris ut addas sensibus  
Nescire prorsus omnia  
Corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria  
Deo Patri cum Filio,

Sancto simul Paráclito,  
In sæculórum sæcula.

Amen.

✠. Diffúsa est grátia in lá-  
biis tuis.

R. Proptérea benedíxit te  
Deus in ætérnum.

*Ad Benedictus Antiphona.*

Símile est \* regnum cœló-  
rum hómini negotiátóri quæ-  
rénti bonas margarítas : in-  
vénta una pretiósá, dedit óm-  
nia sua, et comparávit eam.

ORATIO.

DEUS, qui inter cétera po-  
téntiæ tuæ mirácula étiam  
in sexu frágili victóriam  
martyrii contulisti, concéde  
propítius ut qui beátæ N.  
virginis et martyris tuæ nata-  
lítia cólimus, per ejus ad te  
exémpla gradiámur. Per Dó-  
minum.

ALIA ORATIO.

INDULGENTIAM nobis, quæ-  
sumus, Dómine, béata N.  
virgo et martyr implóret,  
quæ tibi grata semper exstítit  
et mérito castitátis, et tuæ  
professione virtútis. Per Dó-  
minum nostrum.

*Pro Virgine non Martyre.*

ORATIO.

EXAUDI nos, Deus salutáris  
noster, ut sicut de beátæ N.  
Virginis tuæ festivitáte gau-  
démus, ita piæ devotiónis  
erudiámur afféctu. Per Dó-  
minum nostrum Jesum Chris-  
tum

*Si fuerint plures, Antiphona.*

Prudentes Virgines, ap-

táte vestras lámpades : ecce  
sponsus venit, exite óbviám  
ei.

✠. Adducéntur Regi virgi-  
nes post eam.

R. Próximæ ejus afferén-  
tur tibi.

ORATIO.

DA nobis, quæsumus, Dó-  
mine Deus noster, sanctá-  
rum Virginum et Mátyrum  
N. et N. palmas incessábil  
devotióne venerári, ut quas  
digna mente non póssumus  
celebráre humilibus saltem  
frequentémus obséquiiis. Per  
Dóminum nostrum Jesum  
Christum Fílium tuum.

*Ad Tertiam Antiphona*

Hæc est virgo sápiens.

*Capitulum* Fratres, qui  
gloriátur, *ut supra*, cvj.

R. *breve.* Spécie tua, \* Et  
pulchritúdine tua. Spécietua.

✠. Inténde, prósperé pro-  
céde, et regna.

R. Et pulchritúdine.

Glória Patri. Spécie tua.

✠. Adjuvábít eam Deus  
vultu suo.

R. Deus, in médio ejus,  
non commovébitur.

*Tempore Paschali, Ad  
Tertiam.*

R. *breve.* Spécie tua et  
pulchritúdine tua. \* Allelúia,  
allelúia. Spécie tua.

✠. Inténde, prósperé pro-  
céde, et regna.

R. Allelúia. Allelúia.

Glória Patri. Spécie tua.



✠. Adjuvabit eam Deus vultu suo. Allelúia.

℞. Deus, in médio ejus, non commovébitur. Allelúia.

*Ad Sextam Antiphona* Hæc est quæ nescivit.

## CAPITULUM.

[II. Cor., c. 11.]

**E**MULOR enim vos Dei æmulatione. Despónði enim vos mi viro virginem castam exhibére Christo.

℞. *breve.* Adjuvabit eam Deus vultu suo. Adjuvabit.

✠. Deus, in médio ejus, non commovébitur.

℞. Deus.

Glória Patri. Adjuvabit.

✠. Elégit eam Deus, et præelégit eam.

℞. In tabernáculo suo habitare facit eam.

*Tempore Paschali, ad Sextam.*

℞. *breve.* Adjuvabit eam Deus vultu suo. \* Allelúia, allelúia. Adjuvabit.

✠. Deus, in médio ejus, non commovébitur.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Adjuvabit.

℞. Elégit eam Deus, et præelégit eam. Allelúia.

℞. In tabernáculo suo habitare facit eam. Allelúia.

*Ad Nonam Antiphona* Is est speciósá.

## CAPITULUM.

[Eccli., c. 51.]

**D**OMINE Deus meus, exaltasti super terram habitatió-

nem meam, et pro morte defluente deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório.

℞. *breve.* Elégit eam Deus, \* Et præelégit eam. Elégit.

✠. In tabernáculo suo habitare facit eam.

℞. Et præelégit.

Glória Patri. Elégit.

✠. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℞. Propterea benedixit te Deus in ætérnum.

*Tempore Paschali, ad Nonam.*

℞. *breve.* Elégit eam Deus, et præelégit eam. \* Allelúia, allelúia. Elégit.

✠. In tabernáculo suo habitare facit eam.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Elégit.

✠. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Allelúia.

℞. Propterea benedixit te Deus in ætérnum. Allelúia.

*Si fuerit Virgo, et non Martyr, dicitur sequens*

## CAPITULUM.

[Sap., 4.]

**O**H! quam pulchra est casta generatio cum claritáte! Immortális est enim memória illius: quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

℞. *breve* Elégit, *ut supra.*

*Ad Vesperas Antiphonæ, Psalmi, Capitulum et Hym-*

*nus ut in primis Vesperis, cvij.*

Ÿ. Diffusa est grátia in lábiis tuis.

Ŕ. Propterea benedixit te Deus in ætérnum.

*Ad Magnificat, Antiphona*

Veni, sponsa Christi, \* accipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

~~~~~

#### ALIE LECTIONES.

#### PRO VIRGINIBUS.

*Pro Virgine et Martyre, ac pro Martyre tantum Lectiones Primi Nocturni leguntur etiam ut infra.*

De libro Ecclesiástici.

#### LECTIO I.

[Cap., 51.]

CONFITEBOR tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitebor nómini tuo, quóniam adjutor et protector factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditione, a láqueo linguæ iniquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspectu astántium factus es mihi adjutor. Et liberásti me secúndum multitudinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quærentium ánimam meam, et de portis tribulatiónum quæ circumdederunt me : a pressúra flammæ quæ circumdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine

ventris inferi, et a lingua coinquináta, et á verbo mendácii, a rege iniquo, et a lingua injústa.

Ŕ. Veni, sponsa Christi, accipe corónam quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum : pro cujus amóre sánguinem tuum fudisti : \* Et cum Angelis in paradisum introisti.

Ÿ. Veni, elécta mea, et ponam te in thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam.

Et cum Angelis.

#### LECTIO II.

LAUDABIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropinquans erat in inférno deórsum. Circumdederunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respiiciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt. Quóniam éruis sustinéntes te, Dómine. et liberas eos de mánibus géntium.

Ŕ. Diffusa est grátia in lábiis tuis : \* Propterea benedixit te Deus in ætérnum.

Ÿ. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Propterea.

#### LECTIO III.

EXALTASTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluente deprecáta sum. Invocávi Dóminum Pa-

rem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assidue, et collaudábo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberásti me de perditione, et eripuísti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, et laudem licam tibi, et benedicam nómini Dómini.

R. Spécie tua et pulchritudine tua \* Inténde, prospere procéde, et regna.

Ÿ. Diffúsa est grátia in látiis tuis, propterea benedixit Deus in ætérnum.

Inténde.

Glória Patri.

Inténde.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex libro sancti Cypriáni episcopi et mártiris de disciplina et hábitu Virginum.

LECTIO IV.

[ Cap. 2. ]

NUNC nobis ad Vírgines sermo est, quarum quo sublimior glória est, major et pura est. Flos est ille Ecclesiastici gérmis, decus atque ornámentum grátie spiritalis, læta índoles, laudis et onóris opus íntegrum atque incorruptum, Dei imágo respóndens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, et in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriósa fœ-

cúnditas; quantóque plus copiósa virginitas número suo addit, tanto plus gáudium matris augéscit. Ad has loquimur: has adhortámur affectione pótius quam potestate: non quod extrémis et minimis, et humilitátis nostræ ádmodum cónsicii áliquíd ad censúram licéntiæ vindicemus; sed quod ad sollicitudinem magis cauti, plus de diaboli infestatione timeámus.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et dedúcet te mirabiliter dextera tua.

Ÿ. Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Et dedúcet.

LECTIO V.

NEQUE inánis hæc cáutio est, et vana formído, quæ ad salutis viam cónsulit, quæ Dominica et vitália præcepta custódit, ut quæ se Christo dicáverint, et a carnáli concupiscéntia recedéntes, tam carne quam mente se Deo vóverint, consúmment opus suum magno præmio destinátum: nec ornári jam aut placere cuíquam nisi Dómino suo stúdeant, a quo et mercédem virginitátis expéctant, dicente ipso: Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadónes, qui ex útero matris sic nati sunt; et sunt

spadónes qui coácti sunt ab homínibus : et sunt spadónes qui seipsos castravérunt propter regnum cœlórum.

R). Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ.

Ÿ. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam.

Propterea.

#### LECTIO VI.

**D**ENUO quoque per hanc Angeli vocem continentiæ munus ostenditur, virginitas prædicatur. Hi sunt qui cum mulieribus se non coinquinavérunt ; virgines enim permanserunt ; hi sunt qui sequuntur Agnum quocúmque ierit. Neque enim tantum masculis continentiæ grátiam Dóminus repromittit, et féminas præterit : sed quóniam femina viri portio est, et ex eo sumpta atque formata est, in Scriptúris fere ómnibus ad protoplástum Deus loquitur, quia sunt duo in carne una, et in masculino simul significatur et femina. Quod si Christum continentiæ sequitur, et regno Dei virginitas destinatur : quid est illis cum terréno cultu et cum ornámentis, quibus dum homínibus placere gestiunt, Deum offéndunt ?

R). Afferéntur regi virgines post eam, próximæ ejus

\* Afferéntur tibi in lætitia et exultatióne.

Ÿ. Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Afferéntur tibi.

Glória Patri.

Afferéntur tibi.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum.

#### LECTIO VII.

[ Cap. 19. ]

**I**n illo tempore, Accesserunt ad Jesum Pharisei tentantes eum, et dicentes : Si licet homini dimittere uxorem suam, quacúmque ex causa ? Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

[ Homilia 63, in Matthæum. ]

**D**OMINUS noster, quia ad virginitatem hortari grave esse videbatur, a necessitate legis de non solvendo matrimonio, eos ad cupiditatem illius trahere studet. Deinde ut eam esse possibilem ostendat, sic inquit : Sunt eunúchi, qui ex ventre matris ita nati sunt, et sunt qui ab hominibus eunúchi facti sunt, et sunt qui seipsos castravérunt propter regnum cœlórum. Quibus verbis latenter eos ad eligendam virginitatem inducit, dum eam virtutem esse possibilem ástruit.

R). Hæc est virgo sapiens, quam Dóminus vigilantem



venit, quæ accéptis lampálibus sumpsit secum óleum; Et veniente Dómino, introivit cum eo ad nuptias.

¶ Média nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite óbviám ei.

Et veniente.

## LECTIO VIII.

[D] autem hoc fere modo confirmat. Cógita tecum si ut a natúra talis esses, aut ab homínibus eam injúriam passus, quid fáceres, cum et ejusmodi voluptáte caréres, et nullam caréndo mercédem consequeréris? Grátias igitur tunc Deo agas, quod cum mercéde atque corónis idem ústines quod illi sine corónis ac præmio tólerant: imo ero non idem, sed multo évius, tum quia spe eriseris, et consciéntia recte acti; tum quia non ita ingéribus concupiscéntiæ flúctibus jactáris.

¶ Média nocte clamor factus est: \* Ecce sponsus venit, exite óbviám ei.

¶ Prudentes vírgines, aperte vestras lámpades.

Ecce sponsus.

Glória Patri.

Ecce sponsus.

## LECTIO IX.

[U]m ergo de illis eunúchis exierit, qui nisi étiam ipsi veniente se contineant, frustra et inutiliter tales sunt, ac de illis qui ut regnum cœlórum consequántur se contémunt,

subjúnxit rursus, dicens: Qui potest cápere cápiat: ut alacrióres efficiat eo ipso, quod grave esse opus osténdit, et ineffábili benignitáte sua nóluit eam rem intra necessitátem legis concludere: idque dicéndo, adhuc magis possibilem esse demonstrat, ut voluntátis stúdium plus augeátur.

Te Deum laudámus, 18.

## COMMUNE

## SANCTÆ MARTYRIS

TANTUM,

ET NEC VIRGINIS NEC MARTYRIS.

*Notandum quod, si fuerit intra tempus Paschale, servanda est Rubrica posita supra, xlvij.*

*Ad Vesperas, Antiphona Dum esset Rex, cum reliquis de Laudibus, cxxxv.*

*Psalmus Dixit Dóminus, cum reliquis de Virginibus, ut supra, cvij.*

*Pro Martyre tantum.*

## CAPITULUM.

[Eccli., 51.]

**C**ONFITEBOR tibi, Dómine, Rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitebor nómini tuo: quóniam adjutor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditione.

*Pro nec Virgine nec Martyre.*

## CAPITULUM.

[Prov., 51.]

**M**ULIEREM fortem quis inveniet? procul, et de últimis

finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit.

## HYMNUS.

**F**ORTEM virili pectore  
Laudemus omnes feminam,  
Quæ sanctitatis gloria  
Ubique fulget inclyta.

Hæc sancto amore saucia,  
Dum mundi amorem noxium  
Horrêscit, ad cœlestia  
Iter perêgit arduum.

Carnem domans jejuniis,  
Dulcique mentem pabulo  
Orationis nutriens,  
Cœli potitur gaudiis.

Rex Christe, virtus fortium,  
Qui magna solus efficis,  
Hujus precatu, quæsumus,  
Audi benignus supplices.

Deo Patri sit gloria,  
Ejusque soli Filio,  
Cum Spiritu Paráclito,  
Nunc, et per omne sæculum.

Amen.

✠. Spécie tua et pulchritudine tua.

℣. Intende, prospere procede, et regna.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Simile est \* regnum cœlorum homini negotiatóri quærenti bonas margaritas : inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam.

*Pro una Martyre tantum.*

## ORATIO.

**D**EUS, qui inter cœtera potentiae tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede

propitius ut qui beatae N. martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dóminum.

*Pro pluribus Martyribus tantum.*

## ORATIO.

**D**A nobis, quæsumus, Domine Deus noster, sanctarum martyrum tuarum N. et N. palmas incessabili devotione venerari, ut quas dignamente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dóminum nostrum.

*Pro nec Virgine nec Martyre.*

## ORATIO.

**E**XAUDI nos, Deus salutaris noster, ut sicut de beata N. festivitâte gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dóminum nostrum.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Laudemus Deum nostrum, 1<sup>a</sup> confessione beatae N.

*Psalmus Venite, exultemus, 2.*

## HYMNUS.

**H**UJUS oratu, Deus alme nobis

Débitas pœnas scelerum remitte,

Ut tibi puro resonemus animum

Pectore carmen.

Sit decus Patri, genitæque

Proli,

Et tibi compar utriusque Virtus

Spiritus semper, Deus unus  
omni  
Témporis ævo.  
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Oh! quam pulchra est \*  
casta generatio cum claritate!

PSALMUS 8.

DOMINE Dóminus noster, \*  
quám admirabile est nomen  
uñm in univérſa terra!

Quóniam eleváta est mag-  
nificéntia tua \* super cœlos.

Ex ore infántium et lac-  
éntium perfecísti laudem  
propter inimicos tuos, \* ut  
léstruas inimicum et ultó-  
em.

Quóniam vidébo cœlos  
uos, ópera digitórum tuó-  
um, \* lunam et stellas, quæ  
u fundásti.

Quid est homo quod me-  
nor es ejus? \* aut filius  
hóminis, quóniam visitas  
eum?

Minuísti eum paulo minus  
b Angelis, glória et honóre  
coronásti eum, \* et consti-  
uísti eum super ópera má-  
uum tuarum.

Omnia subjecísti sub pedi-  
bus ejus, \* oves et boves  
univérſas; insuper et pécora  
campi.

Vólucres cœli, et pisces  
maris, \* qui perámbulant  
émitas maris.

Dómine Dóminus noster,  
quám admirabile est nomen  
uñm in univérſa terra!

*Antiphona.*

Oh! quam pulchra est  
casta generatio cum clari-  
tate!

*Antiphona.*

Læva ejus \* sub cápite  
meo, et dextera illius am-  
plexábitur me.

PSALMUS 18.

Cœli enarrant glóriam Dei,  
\* et ópera mánuum ejus an-  
núnciat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum,  
\* et nox nocti indicat scién-  
tiam.

Non sunt loquélæ, neque  
sermónes, \* quorum non  
audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit  
sonus eórum, \* et in fines  
orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernácu-  
lum suum, \* et ipse tanquam  
sponsus procédens de thá-  
lamo suo.

Exultávit ut gigas ad cur-  
réndam viam: \* a summo  
cœlo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad  
summum ejus: \* nec est qui  
se abscóndat a calore ejus.

Lex Dómini immaculáta,  
convértens ánimas: \* testi-  
mónium Dómini fidéle, sa-  
piéntiam præstans párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ, læ-  
tificántes corda: \* præcép-  
tum Dómini lúcidum, illú-  
minans óculos.

Timor Dómini sanctus,  
pérmanens in sæculum sæ-

culi : \* iudicia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lápidem pretiósum multum, \* et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea : \* in custodiéndis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : \* et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : \* et emundábor a delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : \* et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, \* et redémptor meus.

*Antiphona.*

Læva ejus sub cápite meo, et dextera illius amplexábitur me.

*Antiphona.*

Revértere, revértere, \* Sunamítis; revértere, revértere, ut intueámur te.

PSALMUS 23.

**D**OMINI est terra et plenitúdo ejus; \* orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, \* et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? \* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, \* qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino, \* et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, \* quæréntium faciém Dei Jacob.

Attóllite portas, principes, vestras, et elevámini portæ æternáles : \* et introibit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, principes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : \* et introibit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

*Antiphona.*

Revértere, revértere, Sunamítis; revértere, revértere, ut intueámur te.

✠. Spécie tua et pulchritúde tua.

R). Inténde, prospere procéde, et regna.

Pater noster.

*Absolutio Exáudi.*

✠. Jube, Domne.

*Benedictio* Benedictiónis perpétua.

*Lectiones primi Nocturni pro Martyre tantum leguntur ut supra, Confitebor tibi, Dómine, cxxvij.*



*Pro nec Virgine nec Martyre  
ut sequuntur.*

*De Parábolis Salomónis.*

LECTIO I.

[Cap. 31.]

**M**ULIEREM fortem quis inveniet? procul, et de últimis finibus prætium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domésticis suis, et cibária ancillis suis. Considerávit agrum et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, et robóravit bráchium suum.

✠. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: ✠ Quia concupívit Rex spéciem tuam.

✠. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Quia concupívit.

*Benedictio Unigénitus Dei Filius.*

LECTIO II.

**G**USTAVIT, et vidit quia bona est negotiatio ejus: non extingúetur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígití ejus apprehendérunt fusum. Manum

suam apéruiť inopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplicibus. Stragulatám vestem fecit sibi: byssus et púrpura indumentum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cingulum trádidit Chananæo.

℞. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: ✠ Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

✠. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Proptérea.

*Benedictio. Spíritus Sancti grátia.*

LECTIO III.

**F**ORTITUDO et decor indumentum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruiť sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas dómus suæ, et panem otíosa non comédit. Surrexérunt filii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ filiæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: mulier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℞. Spécie tua, et pulchri-

tudine tua, \* Inténde, prospere procéde, et regna.

†. Diffusa est grátia in lábiis tuis, propterea benedixit te Deus in ætérnum.

Inténde.

Glória Patri.

Inténde.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Spécie tua \* et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna.

*Psalmus* Eructávit cor, ut supra, cxiv.

*Antiphona.*

Adjuvabit eam \* Deus vultu suo : Deus, in médio ejus, non commovébitur.

*Psalmus* Deus noster refúgium, cxv.

*Antiphona.*

Aquæ multæ \* non potuerunt extingueré charitátem.

*Psalmus* Magnus Dóminus, cxvj.

†. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

¶. Deus, in médio ejus, non commovébitur.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

†. Jube, Domne.

*Benedictio* Deus Pater omnipotens.

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi de Viduis.

LECTIO IV.

**A**GRUM hunc Ecclésiæ fértilem cerno, nunc integritátis flore vernántem, nunc viduitátis gravitate polléntem,

nunc étiam conjúgi fructibus redundántem. Nam etsi diversi, unius tamen agri fructus sunt, nec tanta hortórum lília quantæ aristæ ségetum, méssium spicæ : compluriúmque spátia campórum recipiéndis aptántur semínibus, quam rédditis nováles fructibus feriántur. Bona ergo vidúitas, quæ tóties Apóstolico judicio prædicáture. Hæc enim magistra fidei, magistra est castitátis.

¶. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justitiam, \* Et dedúcet te mirabiliter dextera tua.

†. Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Et dedúcet.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

LECTIO V.

**U**NDE et illi qui deórum suórum adultéria et probra venerántur, cælibátus et viduitátis statuere pœnas, ut æmuli criminum mulctarent stúdia virtútum, spécie quidem qua fœcunditatem quærerent, sed stúdio quo propositum castitátis abolérent. Nam confectis et miles stipendiis arma depónit, et relicto officio quo gerébat, ad propria veteránus rura dimittitur, ut et ipse exércitæ laboribus vitæ réquiem consequáture, et álios spes futura quiétis subeúndis fáciat opé-

ribus promptiores. Agricola quoque maturior torquendam aliis stivam committit, et juvenili gravatus opere providentiam curae senilis explorat. Vitem facilis tondere quam premere, ut juvenescentem luxuriam reprimat, et adulescentem lasciviam falce succidat, parcorum quamdam partium castitatem docens etiam in vitibus expetendam.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

Y. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam.

Propterea.

*Benedictio* Ignem sui amoris.

#### LECTIO VI.

SIMILIS huic vidua velut emeritis veterana stipendiis castitatis, et si conjugii arma deponat, domus tamen totius pacem gubernat, et si vehendis oneribus otiosa, maritandis tamen junioribus provida, ubi cultus utilior, ubi fructus uberius sit, quarum copulam aptiorem senili gravitate disponit. Itaque si maturioribus quam junioribus committitur ager, cur putes utiliorem nuptam esse quam viduam? Quod si persecutores fidei persecutores fuerunt etiam viduitatis : utique fidem sequentibus viduitas non pro supplicio fu-

gienda est, sed tenenda pro praemio.

R. Fallax gratia, et vana est pulchritudo : \* Mulier timens Deum, ipsa laudabitur.

Y. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.

Mulier timens Deum.

Glória Patri.

Mulier timens Deum.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Nigra sum, \* sed formosa, filiae Jerusalem : ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

*Psalmus* Cantate Domino canticum novum : \* cantate, cxviij.

*Antiphona.*

Trahe me \* post te, in odorem curremus unguentorum tuorum : oleum effusum nomen tuum.

*Psalmus* Dominus regnavit, cxviij.

*Antiphona.*

Veni, sponsa Christi, \* accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum.

*Psalmus* Cantate Domino canticum novum : \* quia mirabilia, cxix.

Y. Elégit eam Deus, et praelégit eam.

R. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Pater noster.

*Absolutio* A vinculis.

Y. Jube, Domne.

*Benedictio* Evangélica léc-  
tio.

Léctio sancti Evangélii se-  
cúndum Matthæum.

LECTIO VIII.

[ Cap. 13. ]

**I**N illo témpore , Dixit Jesus  
discipulis suis parábolam  
hanc : Simile est regnum  
cœlórum thesáuro abscón-  
dito in agro. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii  
Papæ.

[ Homília 11 in Evangelia. ]

**C**ŒLORUM regnum, fratres  
charíssimi, idcirco terrénis  
rebus simile dicitur, ut ex his  
quæ ánimus novit surgat ad  
incógnita quæ non novit :  
quátenus exémplo visibílium  
se ad invisibília rápiat, et  
per ea quæ usu didicit quasi  
confricátus incaléscat, ut  
per hoc quod scit notum di-  
ligere, discat et incógnita  
amáre. Ecce enim cœlórum  
regnum thesáuro abscóndito  
in agro comparátur : quem  
qui invenit homo abscóndit,  
et præ gáudio illius vadit, et  
vendit univérsa quæ habet, et  
emit agrum illum.

℞. Os suum apérui sapién-  
tiæ, et lex cleméntiæ in lin-  
gua ejus : considerávit sémi-  
tas domus suæ : \* Et panem  
otiósam non comédit.

℣. Gustávit et vidit quia bona  
est negotiátio ejus, non extin-  
guétur in nocte lucérna ejus.

Et panem.

*Benedictio* Cujus festum  
cólimus.

LECTIO VIII.

**Q**UA in re hoc quoque no-  
tándum est, quod invéntus  
thesáurus abscónditur ut  
servétur : quia stúdiu[m] coelès-  
tis desidérii a malignis spiri-  
tibus custodire non súfficit  
qui hoc ab humánis láudibus  
non abscóndit. In præsentí  
étenim vita, quasi in via su-  
mus, qua ad pátriam pèrgi-  
mus. Maligni autem spiritus  
iter nostrum quasi quidam  
latrúnculi óbsident. Depræ-  
dári ergo desidérat qui the-  
sáurum públice portat in via.  
Hoc autem dico, non ut  
próximí ópera nostra bona  
non vídeant, cum scriptum  
sit : Videant ópera vestra  
bona, et glorificent Patrem  
vestrum, qui in cœlis est :  
sed ut per hoc quod ágimus,  
laudes extérius non quærá-  
mus. Sic autem sit opus in  
público, quátenus intentio  
máneat in occulto : ut et  
de bono ópere próximis præ-  
beámus exémplum : et tamen  
per intentiónem, qua Deo  
soli placére quærimus, sem-  
per optémus secrétum.

℣. Regnum mundi, et om-  
nem ornátum sæculi contém-  
psi propter amórem Dómini  
mei Jesu Christi : \* Quem  
vidi, quem amávi, in quem  
crédidi, quem diléxi.

℣. Eructávit cor meum



verbum bonum, dico ego  
ópera mea Regi.

Quem vidi.

Glória Patri.

Quem vidi.

*Benedictio* Ad societátem.

LECTIO IX.

**T**HESAURUS autem cœléste  
est desidérium : ager vero  
in quo thesáurus abscondi-  
tur, disciplina stúdií cœléstis.  
Quem profecto agrum vëndi-  
tis ómnibus cómparat, qui vo-  
luptátibus carnis renúntians,  
cuncta sua terréna desidéria  
per disciplínæ cœléstis custó-  
diam calcat : ut nihil jam quod  
caro blanditur líbeat ; nihil,  
quod carnálem vitam truci-  
dat, spíritus perhorréscat.

Te Deum laudámus, 18.

AD LAUDES,

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Dum esset Rex\* in accúbitu  
suo, nardus mea dedit odó-  
rem suavitátis.

*Psalmus* Dóminus regná-  
vit, cum reliquis, 19.

*Antiphona.*

In odórem\* unguentórum  
tuórum cúrrimus, adolescén-  
tulæ dilexérunt te nimis.

*Antiphona.*

Jam hiems tránsiit,\* imber  
ábiit et recéssit : surge, ami-  
ca mea, et veni.

*Antiphona.*

Veni, elécta mea,\* et po-  
nam in te thronum meum.  
Alleluia.

*Antiphona.*

Ista est speciósá inter fi-  
lias Jerúsalem.

*Pro Martyre tantum.*

CAPITULUM.

[ Ecclí., 51. ]

**C**ONFITEBOR tibi, Dómine  
Rex, et collaudábo te Deum  
Salvatórem meum. Confité-  
bor nómini tuo : quóniam  
adjutor et protéctor factus  
es mihi, et liberásti corpus  
meum a perditíone.

*Pro nec Virgine nec Martyre.*

CAPITULUM.

[ Prov., 31. ]

**M**ULIEREM fortem quis in-  
veniet? procul et de últimis  
finibusprétium ejus. Confidit  
in ea cor viri sui, et spóliis  
non indigébit.

HYMNUS.

**F**ORTEM virili pectore  
Laudémus omnes féminam,  
Quæ sanctitátis glória  
Ubique fúlget ínclýta.

Hæc sancto amóre sáucia,  
Dum mundi amórem nóxium  
Horréscit, ad cœléstia  
Iter perégit árduum.

Carnem domans jejúniis,  
Dulcíque mentem pábulo  
Oratiónis nútriens,  
Cœli potitur gáudiis.

Rex Christe, virtus fórtium,  
Qui magna solus éfficis,  
Hujus precátu, quæsumus,  
Audi benígnus súpplices.

Deo Patri sit glória,  
Ejúsque soli Fílio,  
Cum Spíritu Paráclito,

Nunc, et per omne sæculum.

Amen.

✠. Diffusa est grátia in lá-  
biis tuis.

℞. Propterea benedixit te  
Deus in ætérnum.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Date ei \* de fructu mánuum  
suárum, et laudent eam in  
portis ópera ejus.

*Pro una Martyre tantum.*

ORATIO.

**D**EUS, qui inter cétera po-  
téntiæ tuæ mirácula, étiam in  
sexu frágili victóriam marty-  
rii contulisti, concéde pro-  
pitius ut qui beátæ N. már-  
tyris tuæ natalitia cólimus,  
per ejus ad te exémpla gra-  
diámur. Per Dóminum.

*Pro pluribus Martyribus  
tantum.*

ORATIO.

**D**A nobis, quæsumus, Dómi-  
mine Deus noster, sanctárum  
mártýrum tuárum N. et N. pal-  
mas incessábili devotióne ve-  
nerári, ut quas digna mente  
non póssumus celebráre, hu-  
mílibus saltem frequentémus  
obséquiiis. Per Dóminum.

*Pro nec Virgine nec Martyre.*

ORATIO.

**E**XAUDI nos, Deus salutáris  
noster, ut sicut de beátæ N.  
festivitáte gaudémus, ita piæ  
devotiónis erudiámur afféctu.  
Per Dóminum nostrum.

*Ad Tertiam, Antiphona*  
In odórem.

*Pro Martyre tantum, Ca-*

*pitulum* Confitébor tibi, ut  
*supra*, cxxvij.

*Pro nec Virgine nec Mar-  
tyre, Capitulum* Mulierem  
fortem, ut *supra*, cxxvij.

℞. br. Spécie tua, \* Et pul-  
chritúdine tua. Spécie tua.

✠. Inténde, prospere pro-  
céde, et regna.

℞. Et pulchritúdine.

Glória Patri. Spécie tua.

✠. Adjuvábít eam Deus  
vultu suo.

℞. Deus, in médio ejus,  
non commovébitur.

*Tempore Paschali, ad Ter-  
tiam.*

℞. breve. Spécie tua et pul-  
chritúdine tua. \* Allelúia, al-  
lelúia. Spécie tua.

✠. Inténde, prospere pro-  
céde, et regna.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Spécie.

✠. Adjuvábít eam Deus  
vultu suo. Allelúia.

℞. Deus, in médio ejus,  
non commovébitur. Allelúia.

*Ad Sextam, Antiphona*  
Jam hiems tránsiit.

*Pro Martyre tantum.*

CAPITULUM.

[Eccli., 51.]

**L**IBERASTI me secúndum  
multitúdinem misericórdiæ  
nóminis tui a rugiéntibus  
præparátis ad escam, de má-  
nibus quæréntium ánimam  
meam, et de multis tribu-  
latiónibus quæ circumdede-  
runt me.

*Pro nec Virgine nec Martyre.*

## CAPITULUM.

[Prov., 31.]

**M**ANUM suam aperuit inopi,  
et palmas suas extendit ad  
páuperem. Non timébit dó-  
muni suæ a frigóribus nivis.

R. *breve.* Adjuvabit eam  
\* Deus vultu suo. Adjuvabit  
eam.

✠. Deus, in médio ejus,  
non commovébitur.

R. Deus, in médio ejus.  
Glória Patri. Adjuvabit.

✠. Elégit eam Deus, et  
prælégit eam.

R. In tabernáculo suo ha-  
bitáre facit eam.

*Tempore Paschali, ad  
Sextam.*

R. *breve.* Adjuvabit eam  
Deus vultu suo. \* Allelúia, al-  
lelúia. Adjuvabit.

✠. Deus, in médio ejus,  
non commovébitur.

R. Allelúia, allelúia.  
Glória Patri. Adjuvabit.

✠. Elégit eam Deus, et  
prælégit eam. Allelúia.

R. In tabernáculo suo ha-  
bitáre facit eam. Allelúia.

*Ad Nonam, Antiphona*  
Ista est speciósá.

*Pro Martyre tantum.*

## CAPITULUM.

[Eccli., 51.]

**L**AUDABIT usque ad mor-  
tem ánima mea Dóminum,  
quóniam éruis sustinéntes te,  
et liberas eos de manu an-  
gústia, Dómine Deus noster.

*Pro nec Virgine nec Martyre.*

## CAPITULUM.

[Prov., 31.]

**M**ULTÆ filiæ congregavérunt  
divitias : tu supergréssa es  
univérsas. Fallax grátia et  
vana est pulchritúdo : mulier  
timens Dóminum ipsa láu-  
dábitur.

R. *breve.* Elégit eam Deus,  
\* Et prælégit eam. Elégit.

✠. In tabernáculo suo ha-  
bitáre facit eam.

R. Et prælégit.  
Glória Patri. Elégit.

✠. Diffúsa est grátia in lá-  
biis tuis.

R. Proptérea benedixit te  
Deus in ætérnum.

*Tempore Paschali, ad  
Nonam.*

R. *breve.* Elégit eam Deus,  
et prælégit eam. \* Allelúia,  
allelúia. Elégit.

✠. In tabernáculo suo ha-  
bitáre facit eam.

R. Allelúia, allelúia.  
Glória Patri. Elégit.

✠. Diffúsa est grátia in  
lábiis tuis. Allelúia, allelúia.

R. Proptérea benedixit te  
Deus in ætérnum. Allelúia.

*Ad Vesperas, Antiphona*  
Dum esset Rex, et alia ut su-  
pra in primis Vesperis, cxxxv.

✠. Diffúsa est grátia in lá-  
biis tuis.

R. Proptérea benedixit te  
Deus in ætérnum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Manum suam \* aperuit ino-  
pi, et palmas suas extendit

ad páuperem, et panem otíosa non comédjt.

*Si fuerint plures non Virgines, idem fit Officium ut supra, CXXVIj.*

LECTIONES

PRO MARTYRE TANTUM.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo Sancti Joánnis Chrysóstomi.

LECTIO VI.

[Serm. 67 de diversis novi Testam. locis.]

**E**GO máxime commemorationes diligo Mátyrum, diligo, et ampléctor, atque omnes quidem, sed tum præcipue, cum mulierum certamina proponúntur. Quanto enim infirmius est vas, tanto major est grátia, tanto illustrius est trophæum, tanto insignior est victória; non ob imbecillitatem sexus athletarum, sed quod per ea quibus vícerat inimicus nunc etiam vincátur.

Rj. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam; \* Et dedúcet te mirabiliter dextera tua.

Ÿ. Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Et dedúcet te.

LECTIO VI.

**P**ER mulierem vicit, per mulierem superátus est. Hoc illius ántea telum erat, hoc illius nunc cædis factum est instrumentum, hoc vas appáruit insuperábile. Peccávit

illa prior et mórtua est; ista mórtua est ne peccáret. Illa tum fútilis promissi spe infláta Dei leges violávit; hæc vitam præsentem contempsit, ne fidem in suum benefactórem ejuráret. Quam igitur deinceps speráre póterunt excusationem viri, si molles sint et ignávi? quam vero véniam, cum fórtiter ac viriliter se gerant mulieres, cum ádeo se generóse ad certamina pietátis accíngant.

Rj. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiæ.

Ÿ. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam.

Propterea unxit te.

LECTIO VI.

**F**UIT illi corpus imbecillum, et obnoxius sexus injuriæ, verúntamen ómnium horum imbecillitatem advéniens grátia occultávit. Nihil enim est, nihil plane poténtius est eo, qui magno cum stúdio Dei timórem hábeat in mente defixum; sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis béstias, quamvis áliud quidvis minéntur hostes, ómnia nullo negótio contémnit: quod útique beáta ista etiam fecit.

Rj. Fallax grátia et vana est pulchritúdo: \* Múlier timens Deum ipsa laudábitur.

Ÿ. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent



eam in portis ópera ejus.  
 Múlier timens.  
 Glória Patri.  
 Múlier timens.

## COMMUNE

## DEDICATIONIS ECCLESIE.

*Notandum quod, si fuerit intra tempus Paschale, servanda est Rubrica posita supra, xlvij.*

*Ad Vesperas, Antiphona Domum tuam, Dómine, cum reliquis de Laudibus, infra.*

*Psalmus Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi Psalmus Lauda, Jerúsalem, 153.*

## CAPITULUM.

[Apoc., 21.]

**V**IDI civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de cœlo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

## HYMNUS.

**C**OELESTIS Urbs Jerúsalem,  
 Beáta pacis visio,  
 Quæ celsa de vivéntibus  
 Saxis ad astra tólleris,  
 Sponsæque ritu cingeris  
 Mille Angelórum míllibus;

O sorte nupta próspera,  
 Dotáta Patris glória,  
 Respérta Sponsi grátia,  
 Regina formosíssima,  
 Christo jugáta Principi,  
 Cœli corúsca civitas;

Hic margarítis émicant,  
 Paténtque cunctis óstia,  
 Virtúte namque prævia

Mortális illuc dúcitur,  
 Amóre Christi pércitus,  
 Torménta quisquis sústinet.

Scalpri salúbris íctibus,  
 Et tunsióné plúrima,  
 Fabri políta málleo  
 Hanc saxa molem cónstruunt,  
 Aptisque juncta nexibus  
 Locántur in fastigio.

Decus Parénti débitum  
 Sit usquequáque Altissimo,  
 Natóque Patris Unico,  
 Et inclyto Paráclito,  
 Cui laus, potéstas, glória  
 Ætérna sit per sæcula.

Amen.

✠. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta.

℣. Bene fundáta est supra firmam petram.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum; quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

*In ipso die Dedicationis Ecclesiæ, et per Octavam, et quando varianda est oratio ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiæ.*

## ORATIO.

**D**EUS, qui invisibiliter omnia cónlines, et tamen pro salute géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis, templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra; et concéde ut omnes qui huc deprecáturi convéniunt, ex quacúmque tribulatióne

ad te clamáverint, consolatiónis tuæ beneficia consequántur. Per Dóminum.

*In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ et per Octavam.*

ORATIO.

**D**EUS, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis réparas diem, et sacris semper mystériis repræsentas incólumes, exáudi preces pópuli tui, et præsta ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrásse lætetur. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Domum Dei decet sanctitúdo: \* Sponsum ejus Christum adorémus in ea.

*Psalmus* Venite, exultémus, 2.

*Hymnus* Cœléstis Urbs, ut supra, cxxxix.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Tóllite portas, principes, vestras, et elevámini, portæ æternáles.

PSALMUS 23.

**D**OMINI est terra et plenitúdo ejus, \* orbis terrarum et univérsti qui habitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, \* et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem

Dómini? \* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, \* qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accipiet benedictiónem a Dómino, \* et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quærentium eum, \* quærentium faciém Dei Jacob.

Attóllite portas, principes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: \* et introibit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, principes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: \* et introibit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \* Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

*Antiphona.*

Tóllite portas, principes, vestras, et elevámini, portæ æternáles.

*Antiphona.*

Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei.

PSALMUS 45.

**D**EUS noster refúgium, et virtus: \* adjútor in tribulationibús quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, \* et

transferéntur montes in cor-  
maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt  
aquæ eórum; \* conturbáti  
sunt montes in fortitúdine  
ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat  
civitátem Dei : \* sanctificávit  
tabernáculum suum Altíssi-  
mus.

Deus, in médio ejus, non  
commovébitur : \* adjuvábít  
eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et  
inclináta sunt regna : \* dedit  
vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobis-  
cum : \* suscéptor noster Deus  
Iacob.

Veníte, et vidéte ópera  
Dómini, quæ pósuit prodigia  
super terram : \* áuferens  
bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et con-  
ríngét arma : \* et scuta com-  
búret igni :

Vacáte, et vidéte quóniam  
ego sum Deus : \* exaltábor  
in géntibus, et exaltábor in  
terra.

Dóminus virtútum nobis-  
cum : \* suscéptor noster Deus  
Iacob.

*Antiphona.*

Erit mihi Dóminus in  
Deum, et lapis iste vocábitur  
Iomus Dei.

*Antiphona.*

Ædificávit Móyses altáre  
Dómino Deo.

PSALMUS 47.

MAGNUS Dóminus, et laudá-

bilis nimis \* in civitáte Dei  
nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne uni-  
vérsæ terræ mons Sion, \* lá-  
tera Aquilónis, civitas Regis  
magni.

Deus in dómibus ejus  
cognoscétur, \* cum suscípíet  
eam.

Quóniam ecce reges terræ  
congregáti sunt : \* convené-  
runt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti  
sunt, conturbáti sunt, com-  
móti sunt : \* tremor apprehé-  
ndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis,  
\* in spíritu veheménti cónte-  
res naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vidi-  
mus in civitáte Dómini virtú-  
tum, in civitáte Dei nostri : \*  
Deus fundávit eam in ætér-  
num.

Suscépimus Deus miseri-  
córdiam tuam, \* in médio  
templi tui.

Secúndum nomen tuum,  
Deus, sic et laus tua in fines  
terræ : \* justitia plena est dex-  
tera tua.

Lætétur mons Sion, et  
exúltent filiæ Judæ, \* propter  
judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et com-  
plectímini eam : \* narráte in  
túrribus ejus.

Pónite corda vestra in  
virtúte ejus : \* et distribúite  
domos ejus, ut ennarrétis in  
progénie áltera.

Quóniam hic est Deus,

Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi: \* ipse reget nos in sæcula.

*Antiphona.*

Ædificávit Móyses altáre Dómino Deo.

✠. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo.

℞. In longitudínem diérum.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dómine.

✠. Jube, Domne.

*Benedictio* Benedictione perpétua.

Delibro secúndo Paralipómenon.

#### LECTIO I.

[Cap. 7.]

**C**UM compléset Sálomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devorávit holocáusta et victimas: et majestas Dómini implévit domum. Nec póterant sacerdotes ingredi templum Dómini, eo quod impléset majestas Dómini templum Dómini. Sed et omnes filii Israel vidébant descendéntem ignem et glóriam Dómini super domum, et corruéntes proni in terram super paviméntum stratum lápide, adoravérunt et laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. Rex autem et omnis pópulus immolábant victimas coram Dómino. Mac-távit igitur rex Sálomon

hóstias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia; et dedicávit domum Dei rex, et univérsus pópulus.

℞. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem: Et in ore eórum dulcis resonábat sonus.

✠. Fundáta est domus Dómini supra vérticem món-tium, et vénient ad eam omnes gentes.

Et in ore.

*Benedictio* Unigénitus Dei Fílius.

#### LECTIO II.

**S**ACERDOTES autem stabant in officiis suis, et Levitæ in organis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum, quóniam in ætérnum misericórdia ejus, hymnos David canéntes per manus suas: porro sacerdotes canébant tubis ante eos, cunctúsque Israel stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini, obtúlerat enim ibi holocáusta et ádipes pacificórum: quia altáre æneum quod fécerat non póterat sustinére holocáusta et sacrificia et ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitétem in témpore illo septem diébus, et omnis Israel cum eo, ecclésia magna valde, ab intróitu Emath usque ad torréntem Ægypti. Fecitque die octávo colléctam, eo quod dedicásset al-



tare septem diebus, et solemnitatem celebrasset diebus septem.

R. Fundata est domus Domini supra verticem montium, et exaltata est super omnes colles : \* Et venient ad eam omnes gentes, et dicent : Gloria tibi, Domine.

Y. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Et venient.

*Benedictio Spiritus Sancti gratia.*

#### LECTIO III.

COMPLEVITQUE Salomon domum Domini, et domum regis, et omnia quæ disposuerat in corde suo, ut faceret in domo Domini, et in domo sua, et prosperatus est. Apparuit autem ei Dominus nocte, et ait : Audivi orationem tuam, et elegi locum istum mihi in domum sacrificii. Si clausero cælum, et pluvia non fluxerit, et mandavero et præcepero locustæ ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum; conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit poenitentiam a viis suis pessimis, et ego exaudiam de cælo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, et aures meæ

erectæ ad orationem ejus qui in loco isto oraverit. Elegi enim et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.

R. Benedic, Domine, domum istam quam ædificavi nomini tuo; venientium in loco isto \* Exaudi preces in excelsio solio gloriæ tuæ.

Y. Domine, si conversus fuerit populus tuus, et oraverit ad sanctuarium tuum.

Exaudi preces.

Gloria Patri.

Exaudi preces.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cæli.

PSALMUS 83.

QUAM dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! \* concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea \* exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum, \* et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum : \* Rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua, Domine : \* in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir cujus est auxilium abs te : \* ascensiones in corde suo disposuit, in valle

lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem : \* videbitur Deus deorum in Sion.

Dómine, Deus virtutum, exaudi orationem meam : \* auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster, aspice, Deus : \* et respice in faciem Christi tui :

Quia melior est dies una in atriis tuis \* super millia.

Elégi abjectus esse in domo Dei mei : \* magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus : \* gratiam et gloriam dabit Dóminus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia : \* Dómine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

*Antiphona.*

Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

*Antiphona.*

Vidit Jacob scalam, summitas ejus cœlos tangébat, et descendentes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est.

PSALMUS 86.

FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis : \* diligit Dóminus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, \* civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylonis \* scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, \* hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo et homo natus est in ea : \* et ipse fundavit eam Altissimus.

Dóminus narrabit in scripturis populorum et principum, \* horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium \* habitatio est in te.

*Antiphona.*

Vidit Jacob scalam, summitas ejus cœlos tangébat, et descendentes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est.

*Antiphona.*

Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper.

PSALMUS 87.

DÓMINE, Deus salutis meæ, \* in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea : \* inclina aurem tuam ad precem meam :

Quia repleta est malis anima mea, \* et vita mea inférno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendéntibus in lacum : \* factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris quorum non es memor amplius, \* et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori, \* in tenebris et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus, \* et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me : \* posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar : \* oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die : \* expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia, \* aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, \* et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscuntur in tenebris mirabilia tua, \* et iustitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi, \* et mane oratio mea præveniet te.

Utquid, Domine, repellis orationem meam, \* avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : \* exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ, \* et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die, \* circumdederunt me simul.

*Vern.*

Elongasti a me amicum et proximum, \* et notos meos a miseria.

*Antiphona.*

Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper.

℣. Domus mea.

℞. Domus orationis vocabitur.

Pater noster.

*Absolutio* Ipsius pietas.

℣. Jube, Domne.

℞. *Benedictio* Deus Pater omnipotens.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

#### LECTIO IV.

[Serm. 252, de Tempore.]

QUOTIESCUMQUE, fratres clarissimi, altaris vel templi festivitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, et sancte ac juste vivimus, quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spiritali ædificatione complètur. Non enim mentitus est ille qui dixit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: et iterum: Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est? Et ideo, fratres charissimi, quia nullis præcedentibus meritis per gratiam Dei meruimus fieri templum Dei, quantum possumus cum ipsius adiutorio laboremus, ne Dominus noster in templo suo, hoc est in nobis ipsis,

inveniat quod oculos suæ majestatis offéndat.

R. Orántibus in loco isto  
\* Dimitte peccáta pópuli tui,  
Deus, et osténde eis viam bonam,  
per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto.

✠. Qui regis Israel inténde,  
qui dedúcis velut ovem Joseph,  
qui sedes super Chérubim.

Dimitte peccáta.

*Benedictio* Christus perpétuæ.

#### LECTIO V.

**S**ED habitáculum cordis nostri evacuétur vítiis, et virtutibus repleátur : claudátur diabolo, et aperiátur Christo: et ita laborémus ut nobis bonorum óperum clávibus jánuam regni cœlestis aperire possimus. Sicut enim malis opéribus, quasi quibúsdam seris ac véctibus, vitæ nobis jánuam cláuditur : ita absque dúbio bonis opéribus aperítur. Et ídeo, fratres charíssimi, unusquisque consideret consciéntiam suam, et quando se áliquo crimine vulnerátum esse cognóverit, prius oratiónibus, jejúniis, vel eleemósynis stúdeat munda-re consciéntiam suam, et sic Eucharístiam præsumat accipere.

R. Oh! quam metuéndus est locus iste, \* Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

✠. Hæc est domus Dó-

mini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

R. Vere non est.

*Benedictio* Ignem sui amoris.

#### LECTIO VI.

**S**I enim agnóscens reátum suum ipse se a divino altári subtráxerit, cito ad indulgéntiam divínæ misericórdiæ pervéniet. Quia sicut qui se exáltat humiliábitur, ita e contrário qui se humiliat exaltábitur. Qui enim, sicut dixi, agnóscens reátum suum, ipse se humiliter ab altári Ecclesiæ pro emendatíone vitæ removére volúerit, ab ætérno illo et cœlesti convivio excommunicári pénitus non timébit.

R. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in titulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino : \* Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam.

✠. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait.

Vere locus iste.

Glória Patri.

Vere locus iste.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

#### *Antiphona.*

Qui hábitat in adjutório Altissimi in protectione Dei cœli commorábitur.

*Quando hæc Antiphona dicitur integra, et illi non additur in fine Allelúia, tunc principium Psalmi est a se-*



*cundo Versu* Dicet Dómino.

PSALMUS 90.

**Q**UI hábitat in adjutório Altissimi, \* in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Dómino : Suscéptor meus es tu, et refúgium meum : \* Deus meus, sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, \* et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi, \* et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : \* non timébis a timóre noctúrno.

A sagitta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris, \* ab incúrsu et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis : \* ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : \* et retributió-nem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea : \* altissimum posuisti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum, \* et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te, \* ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, \* ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem et basilis-

cum ambulábis, \* et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : \* prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : \* cum ipso sum in tribulatióne, erípiam eum et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, \* et osténdam illi salutáre meum.

*Antiphona.*

Qui hábitat in adjutório Altissimi in protectione Dei cœli commorabitur.

*Antiphona.*

Templum Dómini sanctum est, Dei structúra est, Dei ædificatio est.

PSALMUS 95.

**C**ANTATE Dómino cánticum novum, \* cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedicite nómini ejus, \* annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, \* in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : \* terribilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii gentium dæmónia : \* Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspectu ejus : \* sanctimó-

nia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino , pátriæ gentium, afférte Dómino glóriam et honórem : \* afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : \* adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commovéatur a fácie ejus univérsa terra : \* dicite in gentibus quia Dóminus regnávít.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : \* judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra, commovéatur mare, et plenitúdo ejus : \* gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit, \* quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, \* et pópulos in veritáte sua.

*Antiphona.*

Templum Dómini sanctum est, Dei structúra est, Dei ædificatio est.

*Antiphona.*

Benedicta glória Dómini de loco sancto suo. Allelúia.

PSALMUS 98.

Dóminus regnávít, irascántur pópuli : \* qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus :

\* et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terribile et sanctum est : \* et honor regis judicium diligit.

Tu parásti directiões : \* judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabellum pedum ejus : \* quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdotibus ejus : \* et Sámuel inter eos qui invocant nomen ejus.

Invocabant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : \* in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, \* et præceptum quod dedit illis.

Dómine, Deus noster, tu exaudiébas eos : \* Deus, tu propítius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiões eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus, \* quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

*Antiphona.*

Benedicta glória Dómini de loco sancto suo. Allelúia.

Ÿ. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta.

℞. Bene fundáta est supra firmam petram.

Pater noster.

*Absolutio A vinculis.*

✠. Jube, Domne.

℞. *Benedictio* Evangélica  
ctio.

Lectio sancti Evangelii se-  
cundum Lucam.

## LECTIO VII.

[Cap. 19.]

In illo tempore, Ingressus  
Jesus perambulabat Jéricho.  
Et ecce vir nomine Zachæus:  
hic princeps erat publica-  
riorum, et ipse dives. Et re-  
qua.

Homilia sancti Ambrósii  
episcopi.

[1 lib. 8 in Luc.]

ZACHÆUS statūra pusillus,  
hoc est nulla nobilitatis in-  
genitæ dignitate sublimis,  
xiguus meritis sicut popu-  
lus nationum, audito Domini  
salvatoris adventu, quem sui  
non receperant, videre cu-  
riebat. Sed nemo facile Je-  
sum videt: nemo potest Je-  
sum videre constitutus in  
erra. Et quia non Prophé-  
as, non legem habebat,  
anquam formæ gratiam na-  
turalis, ascendit in sycómo-  
rum, vanitatem scilicet Ju-  
dæorum vestigio suo proté-  
gens, errata quoque corrigens  
superioris ætatis: et ideo Je-  
sum in interioris domus re-  
cepit hospitio.

℞. Domus mea domus  
orationis vocabitur, dicit Dó-  
minus; in ea omnis qui pe-  
tít accipit, et qui quærit  
invenit, \* Et pulsánti aperi-  
étur.

✠. Pétite, et accipiétis;  
quærite, et inveniétis.

Et pulsánti aperiétur.

*Benedictio* Divinum auxi-  
lium.

## LECTIO VIII.

ET bene ascendit in arbo-  
rem, ut arbor bona bonos  
fructus faceret, ac naturali  
excisus oleastro, et contra  
naturam insértus in bonam  
olivam, fructum posset legis  
afferre. Radix enim sancta,  
etsi rami inútiles; quorum  
infructuosam glóriam plebs  
géntium fide resurrectionis,  
quasi quadam corporis ele-  
vatione transcendit. Zachæus  
ergo in sycómoro, cæcus in  
via: quorum álterum Dómi-  
nus miseratúrus expéctat,  
áalterum mansionis suæ clari-  
tate nobilitat: áalterum sana-  
túrus intérogat, apud álte-  
rum se non invitátus invitat.  
Sciébat enim úberem hospí-  
tíi sui esse mercédem. Sed  
tamen, etsi nondum vocem  
invitántis audierat, jam ví-  
derat afféctum.

℞. Lápides pretiósí omnes  
muri tui: \* Et turres Jerúsa-  
lem gemmis ædificabúntur.

✠. Portæ Jerúsalem ex  
sapphíro et smarágdo ædifi-  
cabúntur, et ex lápide pre-  
tíoso omnis circúitus muri  
ejus.

Et turres Jerúsalem.

Glória Patri.

Et turres Jerúsalem.

*Benedictio* Ad societátem.

## LECTIO IX.

VERUM ne cæcum illum tanquam fastidiósi páuperum cito reliquisse videámur, et transisse ad divitem, expectémus eum, quia expectávit et Dóminus : interrogémus eum, quia interrogávit et Christus. Nos interrogémus, quia nescimus; ille quia nóverat. Nos interrogémus ut sciámus unde iste curátus sit; ille interrogávit ut in uno plures discerémus unde Dóminum vidére mereámur. Interrogávit enim, ut crederémus néminem nisi confiténtem posse salvári.

Te Deum laudámus, 18.

AD LAUDES,  
ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo, in longitudinem diérum.

*Psalms* Dóminus regnávít, cum reliquis, 19.

*Antiphona.*

Domus mea domus orationis vocábitur.

*Antiphona.*

Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

*Antiphona.*

Bene fundáta est domus Dómini supra firmam petram.

*Antiphona.*

Lápides pretiósí omnes

muri tui, et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

## CAPITULUM.

[Apoc., 21.]

VIDI civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

## HYMNUS.

ALTO ex Olympi vértice  
Summi Paréntis Filius,  
Ceum monte deséctus lapis  
Terras in imas decídens,  
Domus supérnæ et infimæ,  
Utrúmque junxit ángulum.

Sed illa sedes Cœlitum  
Semper résultat láudibus,  
Deúmque Trinum et Unicum  
Jugi canóre prædicat,  
Illi canéntes júngimur  
Almæ Siónis æmuli.

Hæc templa, Rex Cœlestium,

Imple benigno lúmine,  
Huc o rogátus ádveni,  
Plebisque vota súscipe,  
Et nostra corda júgiter  
Perfúnde cœli grátia.

Hic impetrént Fidélium  
Voces, precésque súpplicum.  
Domus beátæ múnera,  
Partisque donis gáudeant,  
Donec solúti córpore  
Sedes beátas impleant.

Decus Parénti débitum  
Sit usquequáque altissimo,  
Natóque Patris Unico,  
Et inclyto Paráclito,  
Cui laus, potéstas, glória  
Æténa sit per sæcula.

Amen.



✠. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta.

℞. Bene fundáta est supra firmam petram.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Zachæe, festinans descende, quia hódie in domo tua opórtet me manére : at ille festinans descendit, et suscepit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est. Allelúia.

*In ipso die Dedicationis Ecclesiæ, et per Octavam, et quando varianda est Oratio ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiæ.*

## ORATIO.

DEUS, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salute géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis, templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, et concéde ut omnes qui huc deprecáturi convéniunt, ex quacúmque tribulatióné ad te clamáverint, consolatiónis tuæ beneficia consequántur. Per Dóminum nostrum.

*In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, et per Octavam.*

## ORATIO.

DEUS, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes, exáudi preces pópuli tui, et præsta

ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingréditur cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

*Ad Tertiam, Antiphona*  
Domus mea.

*Capitulum* Vidi civitátem, ut supra, cl.

℞. *breve.* Domum tuam, Dómine, \* Decet sanctitúdo. Domum.

✠. In longitudínem diérum.

℞. Decet sanctitúdo.

Glória Patri. Domum.

✠. Locus iste sanctus est, in quo orat sacerdos.

℞. Pro delictis et peccátis pópuli.

*Tempore Paschali, ad Tertiam.*

℞. *breve.* Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. \* Allelúia, allelúia. Domum.

✠. In longitudínem diérum.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Domum.

✠. Locus iste sanctus est, in quo orat sacerdos. Allelúia.

℞. Pro delictis et peccátis pópuli. Allelúia.

*Ad Sextam, Antiphona*  
Hæc est domus Dómini.

## CAPITULUM.

[ Apoc. , 21. ]

ET audivi vocem magnam de throno dicéntem : Ecce tabernáculum Dei cum hominibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit córum Deus.

R. *breve*. Locus iste sanctus est, \* In quo orat sacerdos. Locus.

✠. Pro delictis et peccatis populi.

R. In quo orat.

Glória Patri. Locus.

✠. Hæc est domus Dómini firmiter ædificata.

R. Bene fundata est supra firmam petram.

*Tempore Paschali, ad Sextam.*

R. *breve*. Locus iste sanctus est, in quo orat sacerdos. \* Allelúia, allelúia. Locus.

✠. Pro delictis et peccatis populi.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Locus.

✠. Hæc est domus Dómini firmiter ædificata. Allelúia.

R. Bene fundata est supra firmam petram. Allelúia.

*Ad Nonam, Antiphona*  
Lápides pretiosi.

#### CAPITULUM.

[ Apoc. , 21. ]

**ET** abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum : et mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce nova fácio ómnia.

R. *breve*. Hæc est domus Dómini, \* Firmiter ædificata. Hæc est.

✠. Bene fundata est supra firmam petram.

R. Firmiter ædificata.

Glória Patri. Hæc est.

✠. Bene fundata est domus Dómini.

R. Supra firmam petram.

*Tempore Paschali, ad Nonam.*

R. *breve*. Hæc est domus Dómini firmiter ædificata. \* Allelúia, allelúia. Hæc est.

✠. Bene fundata est supra firmam petram.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Hæc est.

✠. Bene fundata est domus Dómini. Allelúia.

R. Supra firmam petram. Allelúia.

*In secundis Vesperis, Antiphonæ Psalmi, Capitulum et Hymnus ut in primis Vesperis, cxxiiij.*

✠. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo.

R. In longitudinem diérum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Oh! quam metuendus est locus iste! vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

## SECUNDA DIE

INFRA OCTAVAM.

*In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Tractátu sancti Augustini Episcopi super Psalmos.

#### LECTIO IV.

[ In Psalm. 131. ]

**J**ERUSALEM, quæ ædificatur ut civitas. Fratres, quando

dicébat ista David, perfecta erat illa civitas, non ædificabatur. Nescio quam ergo civitatem dicit, quæ modo ædificatur, ad quam currunt in fide lapides vivi; de quibus dicit Petrus: Et vos tanquam lapides vivi coedificamini in domum spiritualem, id est templum Dei sanctum. Quid est, Lapidés vivi coedificamini? Vivis, si credis, si autem credis, efficiéris templum Dei; quia dicit Apóstolus Paulus: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

R. Orantibus in loco isto  
\* Dimitte peccata populi tui, Deus, et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da gloriam in loco isto.

Ÿ. Qui regis Israel, inténde; qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim.

Dimitte peccata.

## LECTIO V.

**I**PSA ergo modo civitas ædificatur. Præciduntur de montibus lapides per manus prædicantium veritatem, conquadrantur, ut intrent in structuram sempiternam. Adhuc multi lapides in manibus artificis sunt: non cadant de manibus artificis, ut possint perfecti coedificari in structuram templi. Est ergo ista Jerúsalem, quæ ædificatur ut civitas: fundamentum ipsius Christus est. Dicit Apóstolus Paulus: Fundamentum aliud

nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.

R. Oh! quam metuendus est locus iste, \* Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cæli.

Ÿ. Hæc est domus Domini firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petram.

Vere non est.

## LECTIO VI.

**F**UNDAMENTUM quando ponitur in terra, desuper ædificantur parietes, et pondus parietum ad ima tendit, quia in imo positum est fundamentum. Si autem fundamentum nostrum in cælo est, ad cælum ædificemur. Corpora ædificaverunt istam structuram, quam videtis amplam surrexisse hujus basilicæ: et quia corpora ædificaverunt, fundamentum in imo posuerunt. Quia vero spiritaliter ædificamur, fundamentum nostrum in summo positum est. Illuc ergo curramus, ibi ædificemur; quia de ipsa Jerúsalem dictum est: Stantes erant pedes nostri in atrius tuis, Jerúsalem.

R. Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino: \* Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

Ÿ. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait.

Vere locus iste.

Glória Patri.

Vere locus iste.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII.

[Cap. 19.]

**I**N illo tempore, Ingressus Jesus perambulabat Jéricho. Et ecce vir nomine Zachæus: et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives. Et reliqua.

De Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

[Ex lib. 8 in Lucam.]

**E**T confestim, inquit, vidit, et sequebatur illum, magnificans Dominum. Aliter enim non videret, nisi sequeretur Christum, nisi Dominum predicaret, nisi sæculum præteriret. Cum divitibus quoque in gratiam revertamur. Nolumus enim offendere divites, qui volumus, si fieri potest, sanare omnes: ne in cameli comparatione præstricti, et in Zachæo citius quam oportuit, derelicti, iustæ habeant commotionis offensam.

¶. Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus; in ea omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, \* et pulsanti aperiatur.

¶. Petite, et accipietis; quærite, et invenientis.

Et pulsanti aperiatur.

LECTIO VIII.

**D**ISCANT divites non in facultatibus crimen hærere, sed in iis qui uti nesciant facultatibus. Nam divitiæ ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis. Dives certe Zachæus, et electus a Christo; sed dimidium bonorum suorum pauperibus largiendo, reddendo etiam in quadruplum quæ fraudâ sustulerat (alterum enim non sat est, nec habet gratiam liberalitas, si injuria perseverat, quia non spolia, sed dona quærentur) uberiorem mercedem quam conferbat accipit.

¶. Lápides pretiosi omnes muri tui: \* Et turres Jerúsalem gemmis ædificabuntur.

¶. Portæ Jerúsalem ex sapphiro et smarágdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus muri ejus.

Et turres Jerúsalem.

Glória Patri.

Et turres Jerúsalem.

LECTIO IX.

**E**T bene princeps inducitur publicanorum. Quis jam de se desperet, quando et iste, cui census ex fraude, ad salutem pervenit? Et ipse inquit dives. Ut scias non omnes divites aváros. Quia statúra pusillus erat. Quid sibi vult, quod nullius alterius statúram Scriptúra, nisi hujus expréssit? Vide ne



forte malitia pusillus; aut adhuc pusillus fide. Nondum enim reddere promiserat; nondum viderat Christum; mérito adhuc pusillus. Joánes autem magnus, quia et Christum vidit, et Spíritum sicut colúmbam super Christum manéntem, sicut ipse ait: Vidi Spíritum descendéntem sicut colúmbam, et manéntem super eum.

Te Deum laudámus, 18.

### TERTIA DIE.

INFRA OCTAVAM.

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

LECTIO IV.

[Serm. 256, de Tempore.]

**C**ELEBRITAS hujus congregatiónis dedicatio est domus oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista, domus autem Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc sæculo ædificámur, ut in fine sæculi dedicémur. Ædificium imo ædificatio habet labórem, dedicatio exultatiónem. Quod hic fiébat, quando ista surgébant, hoc fit modo, cum congregántur credéntes in Christum. Credéndó enim, quasi de silvis et móntibus ligna et lápides præcidúntur: cum vero catechizántur, baptizántur, for-

mántur, tanquam inter manus fabrórum et opíficum dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen domum Dómini non faciunt, nisi quando charitáte compaginántur.

R). Orántibus in loco isto  
\* Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto.

✠. Qui regis Israel, inténde; qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim.

Dimítte peccáta.

LECTIO V.

**L**IGNA ista, et lápides si non sibi certo órdine cohærérent, si non se invicem, cohæréndo sibi, quodámmodo amárent, nemo huc intráret. Dénique quando vides in áliqua fábrica lápides et ligna bene sibi cohærére, secúrus intras, ruinam non times. Volens ergo Dóminus Christus intráre, et in nobis habitáre, tanquam ædificándo dicébat: Mandátum novum do vobis, ut vos invicem diligátis. Mandátum, inquit, novum do vobis. Véteres enim erátis, domum mihi nondum faciebátis, in vestra ruína jacebátis. Ergo ut eruámini a vestræ ruínæ vetustáte, vos invicem amáte.

R). Oh! quam metuéndus est locus iste, \* Vere non est

hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

✠. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

Vere non est.

LECTIO VI.

CONSIDERET ergo cháritas vestra ædificári adhuc istam domum toto, sicut prædictum est et promissum, orbe terrárum. Cum enim ædificátur domus post captivitátem, sicut habet álius Psalmus, dicitur: Cantáte Dómino cánticum novum; cantáte Dómino, omnis terra. Quod ibi dixit, Cánticum novum: hoc Dóminus dixit, Mandátum novum. Quid enim habet cánticum novum, nisi amórem novum? Cantáre amántis est. Vox hujus cantóris, fervor est sancti amóris. Amémus, gratis amémus: Dóminum enim amámus, quo nihil mélius invenimus: ipsum amémus propter ipsum, et nos in ipso, tamen propter ipsum.

℞. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in titulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino: \* Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam.

✠. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait.

Vere locus iste.

Glória Patri.

Vere locus iste.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII.

[Cap. 10.]

IN illo témpore, Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et reliqua.

De Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

[Ex lib. 8 in Lucam.]

QUÆ autem turba, nisi imperitæ confúsió multitudinis, quæ vérticem nequit vidére sapiéntiæ? Ergo Zachæus quándiu in turba est non videt Christum: supra turbam ascéndit, et vidit: hoc est, plebis jam transgréssus inscítiam, méruit quem desiderábat aspícere. Pulchre autem ádditur, Quia illa parte erat transitúrus Dóminus: vel ubi sycómorus, vel ubi creditúrus: ut et mystérium serváret, et grátiam semináret. Sic enim vénerat, ut per Judæos transiret ad gentes.

℞. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus; in ea omnis qui petit áccipit, et qui quærít invenit, \* et pulsánti aperiétur.

✠. Pétite, et accipiétis quæríte, et inveniétis.

Et pulsánti aperiétur.

LECTIO VIII.

VIDIT itaque Zachæum sur-

sum. Jam enim sublimitate fidei inter fructus novorum operum, velut fecundæ altitudine arboris eminēbat. Et quoniam de typo ad moralia defleximus, inter tot credentium voluptates Dominica die relaxare animum, festivitatem admiscere delectat. Zachæus in sycómoro, novum videlicet novi temporis pomum, ut in hoc quoque compleretur illud: Arbor fici produxit grossos suos.

R. Lápides pretiosi omnes muri tui: \* Et turres Jerúsalem gemmis ædificabuntur.

Ÿ. Portæ Jerúsalem ex sapphiro et smarágdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus muri ejus.

Et turres Jerúsalem.

Glória Patri.

Et turres Jerúsalem.

## LECTIO IX.

AD hoc enim Christus advēnit, ut ex lignis non poma, sed homines nascerentur. Legimus alibi: Cum esses sub arbore fici, vidi te. Ergo Nathánael sub arbore, hoc est supra radicem, quia justus; radix enim sancta. Sub arbore tamen Nathánael, quia sub lege: Zachæus supra arborem, quia supra legem. Ille Domini occultus defensor, hic publicus prædicator. Ille adhuc Christum ex lege quærebat: iste jam supra legem re-

linquēbat sua, et Dóminum sequebatur.

Te Deum laudamus, 18.

## QUARTA DIE

INFRA OCTAVAM.

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

De Sermone sancti Augustini Episcopi.

## LECTIO IV.

[Ex. Serm. 256, de Tempore.]

ATTENDITE in Psalmo dedicationis, quem modo cantavimus ex ruina ædificiorum, Conscidisti saccum meum: hoc pertinet ad ruinam. Quid ergo ad ædificium? Et accinxisti me lætitia. Vox dedicationis, Ut cantet tibi glória mea, et non compungar. Quis est qui loquitur? In verbis ejus agnoscite. Si expóno, obscurum est. Ergo verba ejus dicam, continuo agnoscetis loquentem, ut amētis alloquentem. Quis est qui dicere pótuit: Eruisti, Dómine, ab inferis animam meam?

R. Orántibus in loco isto \* Dímítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto.

Ÿ. Qui regis Israel, inténde; qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim.

Dímítte peccáta.

## LECTIO V.

Cujus ánima jam ab inferis

éruta est, nisi de qua dictum est alio loco : Non derelinques animam meam in inferno? Propónitur dedicatio, et cantatur liberatio, canticum dedicationis domus, et dicitur: Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me, et non jucundásti inimicos meos super me. Atténdite Judæos inimicos, qui se putábant occidisse Christum, vicisse tanquam inimicum, perdidisse quasi hóminem céteris similem atque mortálem.

R. Oh! quam metuendus est locus iste, \* Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

V. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

Vere non est.

#### LECTIO VI.

**R**ESURREXIT tértia die, et ejus vox est : Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me. Atténdite Apóstolum dicentem : Propter quod eum exaltávit. Et non jucundásti inimicos meos super me. Ipsi quidem in Christi morte jucundabántur, sed in ejus resurrectione, ascensione, prædicatione, aliqui compungebántur. In ejus ergo prædicatione, et per Apostolorum constantiæ diffamationem aliqui compungebantur, et convertebantur : aliqui obdurabántur, et confunde-

bántur; nulli tamen jucundabántur.

R. Mane surgens Jacob erigebat lápidem in titulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino : \* Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam.

V. Cumque evigiláset Jacob de somno, ait.

Vere locus iste.

Glória Patri.

Vere locus iste.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

#### LECTIO VII.

[Cap. 19.]

**I**n illo témpore, Ingressus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et reliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

[Lib. 27 Moralium, cap. 27.]

**S**i veráciter sapiéntes esse atque ipsam sapiéntiam contemplári appetimus, stultos nos humíliter cognoscámus. Relinquámus nóxiam sapiéntiam, discámus laudábilem fatuitátem. Hinc quippe scriptum est : Stulta mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes. Hinc rursum dicitur : Si quis vidétur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Hinc Evangélicæ históriæ



verba testantur : quia Zachæus, cum videre præ turbam nihil posset, sycómori arborem ascendit, ut transeuntem Dóminum cerneret. Sycómorus quippe ficus fátua dicitur.

R. Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dóminus; in ea omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, \* et pulsanti aperiétur.

Ÿ. Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis.

Et pulsanti aperiétur.

## LECTIO VIII.

PUSILLUS itaque Zachæus sycómorum súbiit, et Dóminum vidit : quia qui mundi stultitiam humiliter éligunt ipsi Dei sapiéntiam subtiliter contemplántur. Pusillitatem namque nostram ad videndum Dóminum turba præpedit : quia infirmitatem humánæ mentis, ne lucem veritátis inténdat, curárum sæculárium tumultus premit. Sed prudenter sycómorum ascendimus, si próvide eam quæ divinitus præcipitur stultitiam mente tenemus. Quid enim in hoc mundo stúltius quam amissa non quærere, posséssa rapiéntibus relaxáre, nullam pro acceptis injúriis injúriam reddere, imo adjúctis áliis patientiam præbere?

R. Lápides pretiósí omnes muri tui : \* Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

Ÿ. Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pretiósó omnis circúitus muri ejus.

Et turres Jerúsalem.

Glória Patri.

Et turres Jerúsalem.

## LECTIO IX.

QUASI enim sycómorum nos ascendere Dóminus præcipit cum dicit : Qui aufert quæ tua sunt ne répetas. Et rursum : Si quis te percússerit in dexteram maxillam, præbe illi et álteram. Per sycómorum Dóminus tránsiens cernitur : quia per hanc sapiéntem stultitiam, etsi necdum ut est sólíde, jam tamen per contemplationis lumen Dei sapiéntia quasi in tránsitu vidétur, quam vidére néqueunt qui sibi sapiéntes esse vidéntur : quia ad conspiciendum Dóminum, in eláta cogitationum suárum turba deprehénsi, adhuc sycómori arborem non invenérunt.

Te Deum laudámus, 18.

## QUINTA DIE

## INFRA OCTAVAM.

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

## LECTIO IV.

[Ex Sermone 256, de Tempore.]

**M**odo, quando impléntur Ecclesiæ, putámus jucundári

Judæos? Ecclesiæ ædificántur, dedicántur, impléntur, quómodo illi jucundántur? Non solum non jucundántur, sed étiam confundúntur, et implétur vox exultántis: Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me: et non jucundásti inimicos meos super me. Non jucundásti super me: si mihi credant, jucundábis in me. Ne multa dicámus, ad illa quæ cantávimus aliquándo veniámus. Quómodo dicit Christus: Conscidisti saccum meum, et accinxisti me lætitia? Saccus ejus erat similitúdo carnis peccáti.

R. Orántibus in loco isto \* Dimitte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto.

✠. Qui regis Israel, inténde; qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim.

Dimitte peccáta.

#### LECTIO V.

NON tibi viléscat quod ait, Saccum meum: ibi erat inclúsum prétium tuum. Conscidisti saccum meum. Evásimus ad saccum istum. Conscidisti saccum meum. In passióne conscissus est. Quómodo ergo Deo Patri dicitur: Conscidisti saccum meum? Quómodo Patri dicátur vis audire, conscidisti saccum meum? quia próprio Filio

non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádedit illum. Fecit enim per Judæos nesciéntes, unde redimeréntur sciéntes, et confunderéntur negántes. Nesciunt enim quid boni nobis operáti sunt malo suo. Suspénsus est saccus, et quasi lætátus est impius. Conscidit saccum láncea persecútor, et fudit prétium nostrum Redémptor.

R. Oh! quam metuéndus est locus iste, \* Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

✠. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

Vere non est.

#### LECTIO VI.

CANTET Christus Redémptor, gemat Judas vënditor, erubéscat Judæus emptor. Ecce Judas vëndidit, Judæus emit, malum negótium egerunt, ambo damnáti sunt, seipsos perdidérunt vënditor et emptor. Dicat ergo caput nostrum, dicat pro corpore occiso, pro corpore dedicáto. Dicat, audiámus. Conscidisti saccum meum, et accinxisti me lætitia: id est Conscidisti mortalitátem meam, et accinxisti me immortalitáte et incorruptiόne. Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar. Quid est, non compúngar? Jam contra me non ferat lánceam persecútor, ut

**non** compúngar. Christus enim surgens a mórtuis jam **non** móritur, et mors illi **ultra** non dominábitur.

**R.** Mane surgens Jacob erigébat lápidem in titulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino : \* Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam.

**Ÿ.** Cumque evigilásset Jacob de somno, ait.

Vere locus iste.

Glória Patri.

Vere locus iste.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundum Lucam.

LECTIO VII.

[Cap. 19.]

**I**n illo témpore, Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: et hic princeps erat publicánórum, et ipse dives. Et reliqua.

Homilia venérabilis Bedæ Presbyteri.

[Lib. 5, cap. 77, in Luc. 19.]

**Q**UÆ impossibília sunt apud hómines possibília sunt apud Deum. Ecce enim camélus depósita gibbi sárcina per forámen acus transit, hoc est dives et publicánuſ relicto ónere divitiárum, contémpſto censu fraudum, angústam portam, arctámque viam quæ ad vitam ducit, ascéndit. Qui mira devotióne fidei ad vidéndum Salvatórem, quod nátura minus ha-

búerat, ascénsu supplet árboris: atque ídeo iuste, quamvis ipse rogáre non áudeat, benedictiónem Domínicæ susceptiónis quam desiderábat accépit.

**R.** Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus; in ea omnis qui petit áccipit, et qui quærit ínvenit, \* et pulsánti aperiétur.

**Ÿ.** Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis.

Et pulsánti aperiétur.

LECTIO VIII.

**M**YSTICE autem Zachæus, qui interpretátur justificátus, credéntem ex géntibus pópulum significat. Qui quanto curis sæculáribus occupátior, tanto flagítiis depri méntibus erat factus humilior. Sed ablúſus est, sed sanctificátus, sed justificátus in nómine Dómini nostri Jesu Christi, et in spíritu Dei nostri. Qui intrántem Jéricho Salvatórem vidére quærébat, sed præ turba non póterat, quia grátie fidei quam mundo Salvátor áttulit participáre cupiébat: sed inólita vitiórum consuetúdo ne ad votum perveniret obstiterat.

**R.** Lápidés pretiósí omnes muri tui: \* Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

**Ÿ.** Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pre-

tióso omnis circúitus muri ejus.

Et turres Jerúsalem.

Glória Patri.

Et turres Jerúsalem.

LECTIO IX.

**E**ADEM namque turba nóxiæ consuetúdinis, quæ supra cæcum clamántem, ne lumen péteret, increpábat, étiam suspiciéntem publicánum, ne Jesum vídeat, tardat. Sed sicut cæcus turbárum voces magis ac magis clamándo devicit, ita pusillus necesse est turbæ nocéntis obstáculum altióra peténdo transcéndat, terréna relínquat, árborem crucis ascéndat. Sycómorus namque (quæ est arbor fóliis moro símilis, sed altitúdine præstans, unde et a Latinis celsa nuncupátur) ficus fátua dícitur. Et éadem Dominica crux, quæ credéntes alit ut ficus, ab incredúlis irridétur ut fátua.

Te Deum laudámus, 18.

SEXTA DIE

INFRA OCTAVAM.

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

De Sermóne sancti Augustini Epíscopi.

LECTIO IV.

[Ex Serm. 256, de Tempore.]

**E**RGO, dum novam constructionem sanctæ hujus Ecclesiæ libénter atténdimus, quam divíno nómini hódie

dedicámus, invenimus a nobis debéri et Deo nostro máximam laudem, et sanctitáti vestræ cóngruum de divinæ domus ædificatióne sermónem. Tunc autem sermo noster cóngruus erit si in se áliquis ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum vestrárum, Deo vos intérius ædificánte, proficiat. Quod hic factum corporáliter vidémus in parietibus, spiritáliter fiat in mentibus: et quod hic perfectum cernimus in lapidibus et lignis, hoc, ædificánte grátia Dei, perficiátur in corpóribus vestris.

R. Orántibus in loco isto  
\* Dimitte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto.

Y. Qui regis Israel, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim.

Dimitte peccáta.

LECTIO V.

**P**RINCIPALITER ergo grátias agámus Dómino Deo nostro, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum: et ejus bonitátem tota cordis alacritáte laudémus, quóniam ad construéndam istam domum oratiónis, fidélium suórum visitávit ánimum, excitávit afféctum, surrogávit auxílium, inspirávit necdum voléntibus



ut vellent, adjúvit bonæ voluntátis conátus ut fácerent: ac per hoc Deus, qui operátur in suis et velle et perficere pro bona voluntáte, hæc ómnia ipse cœpit, ipse perfécit.

R. Oh! quam metuendus est locus iste, \* Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Ÿ. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

Vere non est.

LECTIO VI.

ET quia ópera bona in conspéctu suo nunquam esse permittit inánia, fidélibus suis, quibus operántibus præbuit virtútis suæ favórem, tribuit condígnam pro tanta operatione mercédem. Adhuc ámplius agendæ sunt grátia Deo nostro. Hanc enim Ecclesiám, quam fecit nómini suo cónstrui, fecit étiam sanctórum Mártyrum reliquiis ámplius honorári.

R. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in titulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino: \* Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam.

Ÿ. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait.

Vere locus iste.

Glória Patri.

Vere locus iste.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII.

[Cap. 19.]

IN illo témpore, Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

De Homilia venerábilis Bedæ Presbyteri.

[Lib. 5, cap. 77, in Luc. 19.]

ET cum venísset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum. Perámbulans Jéricho Salvátor, venit ad locum ubi præcúrrens Zachæus sycómorum conscénderat; quia missis per mundum sui verbi præcónibus, in quibus ipse nimirum et loquebátur et ibat, venit ad pópulum nationum, qui passiónis ejus fide jam sublimis existens, étiam divinitátis ejus ardébat ágnita fácie beári. Suspiciens vidit illum; quia per grátiam fidei a terrenis cupiditatibus elevátum, turbisque infidélibus præeminéntem elégit. Vidére enim Dei, eligere vel amáre est. Unde est illud: óculi Dómini super justos. Nam et nos quæ amámus vidére; ab his quæ execrámur intúitum festinámus avértere.

R. Domus mea domus orationis vocábitur, dicit Dóminus; in ea omnis qui pe-

tit accipit, et qui quærit invenit, \* et pulsanti aperiétur.

Ÿ. Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis.

Et pulsanti aperiétur.

LECTIO VIII.

VIDIT ergo Jesus vidéntem se, quia elégit eligéntem se, et amávit amántem. Hunc sane órđinem proficiéndi, hoc est per fidem Domínicæ incarnationis ad cognitióem divinitátis perveniéndi, quasi per sycómorum Jesu fáciem speculándi, Doctor egrégus osténdit, cum ait: Non enim judicávi scire me áliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum. Itémque áliis éxprobrans: Facti estis, inquit, quibus lacte opus sit, non sólido cibo. Lac infirma temporáriæ dispensatióis, sólido cibum árdua perpétuæ majestátis appellans.

R. Lápides pretiósí omnes muri tui: \* Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

Ÿ. Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pretiósio omnis circúitus muri ejus.

Et turres Jerúsalem.

Glória Patri.

Et turres Jerúsalem.

LECTIO IX.

ET dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, quia

hódie in domo tua opórtet me manére. Et festinans descendit, et excépit illum gaudens. Manébat aliquándó Dóminus in domo principis Pharisæórum, hoc est in Judæórum synagóga docebat; sed quia non baptizátum ante prándium, sabbato curántem, publicános et peccatóres recipiéntem, contra avaritiam disputántem, et cétera digna Deo geréntem, lingua venenata carpébant; pertæsus eórum facinora, discéssit et aufúgit, dicens: Relinquétur vobis domus vestra desérta. Hódie autem in domo pusilli Zachæi opórtet illum manére: hoc est novæ lucis grátia coruscánte, in húmili credéntium natiónum corde quiéscere.

Te Deum laudámus, 18.

SEPTIMA DIE

INFRA OCTAVAM.

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

LECTIO IV.

[Ex Homil. 33, in c. 9 Matth.]

COMMUNIS ómnium domus est Ecclésia, in quam, vobis prius ingressis, nos intrámus, discipulórum formam retinéntes: ideóque commúnter ómnibus statim atque ingressi fuérimus, ut illis datam legem sequámur, pacem offe-

rimus. Nemo igitur socórdia tórpeat, nemo sæculáribus rebus suspensum ánimum hábeat, cum jam ad prædicándum sacerdótes intráverint. Non enim parva huic rei imminet pœna. Equidem millies pótius malim in domum alicújus vestrum ingressus destitui quam hic prædicans non audiri. Hoc mihi moléstius esset quam illud : quandóquidem magis própria hæc est quam illa.

R. Orántibus in loco isto  
\* Dímítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto.

Y. Qui regis Israel, inténde; qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim.

Dímítte peccáta.

## LECTIO V.

NAM hic magnæ illæ nostræ opes pósitæ sunt, hic spes nostra omnis. Quid enim hoc loco non magnum est et admirándum ? Nam hæc mensa longe pretiósior est atque jucúndior, et lucérna hæc quam illa, ut norunt qui cum fide óleo perúnti, a morte liberáti sunt. Arca étiam hæc multo mélior magisque necessária. Non enim vestes, sed misericórdiam inclúsam cóntinet ; quamvis pauci sunt, qui eam possideant. Hic et léctulus

est valde illo præstántior, divinárum enim Scripturárum réquies quovis lecto suávior est.

R. Oh! quam metuéndus est locus iste, vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Y. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

Vere non est.

## LECTIO VI.

ET quidem si concórdia perfécte servarétur a nobis, nullam áliam domum præter hanc haberémus. Hoc autem quod dixi, non esse durum, testántur illa tria millia et quinque millia hóminum, quibus et domus una, et mensa una, et ánima una erat. Multitúdinis enim cre-déntium, inquit, unum erat cor et ánima una. Sed quia longe ab illórum virtúte ábsumus, et per domos dis-júnti sumus, saltem quando huc convenímus, id omni stúdio faciámus. Nam etsi in áliis rebus páuperes et inopes sumus, hoc loco saltem cum huc ad vos intrámus, cum charitáte nos suscipite : cumque Pax vobis dico, et cum spíritu tuo, non voce solum, sed ánimo quoque respondéte.

R. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in titulum, fundens óleum désuper, ve-

tum vovit Dómino : \* Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam.

✠. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait.

Vere locus iste.

Glória Patri.

Vere locus iste.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII.

[Cap. 19.]

IN illo tempore, Ingressus Jesus perambulabat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus; et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et reliqua.

De Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

[Paulo post prædicta.]

ET cum vidèrent omnes, murmurabant, dicentes, quod ad hóminem peccatórem divertisset. Manifestum est Judæos semper géntium odisse salutem. Scriptum est enim: Sequenti vero sabbato pene universa civitas convénit audire verbum Dómini. Vidéntes autem turbas Judæi, repléti sunt zelo, et contradicébant iis quæ a Paulo dicebantur. Et álibi fidèles étiam fratres adversus Apostolorum príncipem disceptábant, dicentes: Quare introisti ad viros præpútium habéntes, et mandeducásti cum illis?

R. Domus mea domus ora-

tiónis vocábitur, dicit Dóminus; in ea omnis qui petit áccipit, et qui quærit invenit, \* Et pulsánti aperiétur.

✠. Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis.

Et pulsánti aperiétur.

LECTIO VIII.

STANS autem Zachæus dixit ad Dóminum: Ecce dimidium bonórum meórum, Dómine, do paupéribus: et si quid áliquem defraudávi, reddo quádruplum. Áliis calumniántibus hóminem peccatórem, ipse Zachæus stans, id est in ea quam ceperat fidei veritate persistens, non solum se ex peccatóre convérsus, sed étiam inter perfectos probat esse conversátum. Dicente enim Dómino: Si vis perfectus esse, vade, vende ómnia quæ habes, et da paupéribus: quisquis ante conversionem innocénter vixit, ómnia convérsus potest dare paupéribus.

R. Lápides pretiósi omnes muri tui: \* Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

✠. Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pretioso omnis circúitus muri ejus.

Et turres Jerúsalem.

Glória Patri.

Et turres Jerúsalem.

LECTIO IX.

AT qui áliqua fraude sustulit, primo hæc juxta legem



reddere, deinde quod sibi remanserit, debet dare pauperibus. Ac sic et ipse, quia sibi nil retinet, omnia sua dispertit, dat pauperibus, iustitia ejus manet in sæculum sæculi. Et hæc est sapiens illa stultitia, quam de sycómoro publicanus quasi fructum vitæ légerat: rapta videlicet reddere, propria relinquere, visibilia contemnere, pro invisibilibus étiam mori desiderare, seipsum abnegare, et ejus qui necdum videatur Dómini vestigia sequi concupiscere.

Te Deum laudamus, 18.

## IN OCTAVA

DEDICATIONIS ECCLESIE.

(DUPLEX.)

*Omnia ut in die, præter  
Lectiones secundi Nocturni.*

Ex Epístola prima sancti  
Felicis Papæ quarti.

### LECTIO IV.

[De Consecrat. dist. 1, cap. 2]

**T**ABERNACULUM Móysen, Dómino præcipiente, fecisse et sacrasse, cum mensa et altári ejus, et céteris vasis et utensilibus ad divinum cultum expléndum, légimus: et non solum divinis præcibus ea sacrasse, sed étiam sancti ólei unctióne, Dómino jubente, perlinisse nóvimus. Quáliter autem hæc facta sint, et quómodo ipsa sacra non alii quam sacerdotes sacra unctióne delibúti, Domi-

nóque cum véslibus sanctis sacráti, et Levítæ tractábant, ferébant, erigébant, et deponébant; in ipsis institutionibus, quæ jubente Dómino conscriptæ sunt per Móysen, in lege Dómini reperitur.

R. Orántibus in loco isto  
\* Dimitte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto.

R. Qui regis Israel, inténde; qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim.

Dimítte peccáta.

### LECTIO V.

**Q**UALITER ergo David regum piíssimus amplificáverit cultum Dei, et templum Dómino ædificáre volúerit, sed propter multum ságuinem quem effúderat prohibitus est, et ipse collégerat expénsas: Sálomon quoque filius ejus, idípsum quod ipse fácere optáverat, jubente et auxiliánte Deo, perfécit, et templum cum altári, et reliqua ad divinum cultum peragéndum consecrávit, in libro Regum légitur. Fecit ergo Sálomon in témpore illo festivitátem célebrem, et omnis Israel cum eo, multitúdo magna ab intróitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Dómino Deo nostro septem diébus et septem diébus,

id est quatuórdecim diébus, et in die octáva dimisit pópulos.

℣. Oh! quam metuéndus est locus iste, \* Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

℣. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

Vere non est.

LECTIO VI.

[De Consecrat. dist. 1, cap. 17.]

**S**OLEMNITATES dedicatiónum Ecclesiárum et sacerdotum, per singulos annos solémniter sunt celebrándæ, ipso Dómino exemplum dante, qui ad festum dedicatiónis templi, ómnibus id faciéndi dans formam,

cum réliquis pópulis eádem festivitátem celebráturus venit, sicut scriptum est : Facta sunt encænía in Jerosólymis, et hiems erat, et ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Quod autem octo diébus encænía sint celebránda, in libro Regum perácta dedicatióne templi reperiétis.

℣. Mane surgens Jacoberigébat lápidem in titulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino : \* Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam.

℣. Cumque evigiláset Jacob de somno, ait.

Vere locus iste.

Glória Patri.

Vere locus iste.



# OFFICIUM BEATÆ MARIÆ

## IN SABBATO.

*Omnibus Sabbatis a Dominica in Albis, nisi Festum novem Lectionum occurrat, fit Officium de sancta Maria modo infrascripto.*

*In Vesperis Feriæ sextæ dicuntur Psalmi feriales in Psalterio positi, nisi fuerit Festum novem Lectionum : quia tunc de sancta Maria fit tantum Commemoratio in dictis Vesperis cum Antiphona, Versiculo et Oratione ut infra.*

### CAPITULUM.

[Eccli., 24.]

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi

### HYMNUS.

Ave, maris stella,  
Dei mater alma,  
Atque semper virgo,  
Felix cœli porta.

Sumens illud Ave  
Gabrielis ore,  
Funda nos in pace,  
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,  
Vern.

Profer lumen cæcis,  
Mala nostra pelle,  
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,  
Sumat per te preces,  
Qui pro nobis natus  
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,  
Inter omnes mitis,  
Nos culpis solutos  
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,  
Iter para tutum,  
Ut videntes Jesum  
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,  
Summo Christo decus,  
Spirítui Sancto,  
Tribus honor unus.

Amen.

✠. Diffusa est grátia in lá-  
biis tuis.

℞. Propterea benedixit te  
Deus in ætérnum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Regína cœli, lætâre. Alle-  
lúia. Quia quem meruísti  
portâre. Allelúia. Resurrexit,  
sicut dixit. Allelúia. Ora pro  
nobis Deum. Allelúia.

℣. Dóminus vobíscum.

℞. Et cum spírítu tuo.

ORATIO.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére, et gloriósa beátæ Mariæ semper virginis intercessióne, a præsentí liberári tristítia, et æténa pèrfrui lætítia. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

*Non fiunt Commemorationes consuetæ, sed tantum de Cruce.*

*Antiphona.*

Crucem sanctam súbiit qui inférnum confrégit, accinctus est poténtia, surréxit die tértia. Allelúia.

℣. Dícite in natió nibus. Allelúia.

℞. Quia Dóminus regnávít a ligno. Allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui pro nobis Fílium tuum crucis patibulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem, concede nobis fámulis tuis ut resurrectionis grátiam consequámur. Per eúndem Dóminum.

*Si autem occurrat Festum simplex, de eo fit Commemoratio ante Commemorationem de Cruce.*

*Completorium ut in Psalterio; et in fine Hymni Te*

lucis ante términum dicitur Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Virgine, *etiamsi in Vesperis facta sit tantum Commemoratio de beata Maria.*

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Ave, Maria, grátia plena : \* Dóminus tecum. Allelúia.

*Psalmus* Venite, exultemus, 2.

HYMNUS.

QUEM terra, pontus, sídera Colunt, adórant, prædicant, Trinam regéntem máchinam, Clastrum Mariæ bájulat.

Cui luna, sol et ómnia Deserviunt per témpora, Perfúsa cœli grátia, Gestant puellæ viscera.

Beáta Mater, múnere Cujus supérnus Artifex Mundum pugíllo cóntinens, Ventrís sub arca clausus est.

Beáta cœli núntio, Fœcúnda Sancto Spírítu, Desiderátus géntibus Cujus per alvum fusus est.

Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Virgine, Cum Patre, et almo Spírítu, In sempitérna sæcula.

Amen.

*Nocturnum Sabbati, ut in Psalterio, 117; et in fine* ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Allelúia.

℞. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum. Allelúia.

Pater noster.



## ABSOLUTIO.

**P**RECIBUS et méritis beátæ Mariæ semper virginis, et ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dóminus ad regna coelórum.

R. Amen.

✠. Jube, Domne, benedicere.

*Pro prima Lectione Benedictio.* — Nos cum prole pia benedicat virgo Maria.

R. Amen.

*Primæ duæ Lectiones de Scriptura libri occurrentis : tertia, una ex inferius positis per ordinem.*

R. 1. Sancta et immaculáta virginitas, quibus te laudibus éfferam nescio : \* Quia quem cœli cāpere non póterant tuo grémio contulisti. Allelúia.

✠. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Allelúia.

Quia quem cœli.

*Pro secunda Lectione Benedictio.* — Ipsa Virgo virginum intercédât pro nobis ad Dóminum.

R. Amen.

R. 2. Felix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude digníssima : \* Quia ex te ortus est sol justitiæ, \* Christus Deus noster. Allelúia.

✠. Ora pro pópulo, interveni pro clero, intercède pro devóto femíneo sexu : sentiant omnes tuum juvāmen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratióem.

Quia ex te.

Glória Patri.

Christus.

*Pro tertia Lectione Benedictio.* — Per Virginem matrem concédât nobis Dóminus salutem et pacem.

R. Amen.

*Post tertiam Lectionem dicitur Te Deum laudamus, 18.*

~~~~~

## AD LAUDES,

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Dum esset Rex\* in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Allelúia.

*Psalmus Dóminus regnávít, cum reliquis de Dominica, ut in Psalterio, 19.*

*Antiphona.*

Læva ejus\* sub cāpite meo, et dextera illius amplexábitur me. Allelúia.

*Antiphona.*

Nigra sum, \* sed formósa, filiæ Jerusalem, ídeo diléxit me Rex, et introduxit me in cubículum suum. Allelúia.

*Antiphona.*

Jam hiems tránsiit, \* imber ábiit, et recéssit : surge, amíca mea, et veni. Allelúia.

*Antiphona.*

Speciósa facta es, \* et suávis in deliciis tuis, sancta Dei gé-nitrix. Allelúia.

## CAPITULUM.

[Eccli., 24.]

**A**B inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam,

et in habitatiōne sancta coram ipso ministravi.

## HYMNUS.

**O** GLORIOSA Virginum,  
Sublimis inter sidera,  
Qui te creavit parvulum  
Lactente nutris ubere.

Quod Heva tristis abstulit  
Tu reddis almo germine;  
Intrent ut astra flébiles,  
Cœli reclúdis cárdines.

Tu regis alti jánuā,  
Et aula lucis fúlgida:  
Vitam datam per Virginem,  
Gentes redemptæ, pláudite.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre, et almo Spíritu,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

Ÿ. Benedicta tu in mulié-  
ribus. Allelúia.

℞. Et benedictus fructus  
ventris tui. Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Regína cœli, lætare. Alle-  
lúia. Quia quem meruisti por-  
tare. Allelúia. Resurrexit, si-  
cut dixit. Allelúia. Ora pro  
nobis Deum. Allelúia.

## ORATIO.

**C**ONCEDE nos fámulos tuos,  
quæsumus, Dómine Deus,  
perpétua mentis et córporis  
sanitáte gaudere, et gloriósa  
beátæ Mariæ semper Virginis  
intercessióne a præsentí li-  
berári tristitia, et æténa  
pérfrui lætitia. Per Dóminum  
nostrum Jesum Christum, Fi-  
lium tuum, qui tecum vivit.

*Deinde fit commemoratio  
de Cruce.*

*Antiphona.*

Crucifixus surrexit a mór-  
tuis, et redémit nos. Allelúia,  
allelúia.

Ÿ. Dícite in natióibus. Al-  
lelúia.

℞. Quia Dóminus regnávít  
a ligno. Allelúia.

*Oratio* Deus, qui pro no-  
bis, *ut supra*, clxx.

*Ad Horas, Hymni et Psal-  
mi ut in Psalterio; sed in  
fine Hymnorum dicitur* Jesu,  
tibi sit glória, Qui natus es  
de Virgine.

*Ad Primam, Antiphona*  
Dum esset rex.

*Capitulum* Regi sæculó-  
rum.

*In responsorio brevi* Ÿ. Qui  
natus es de Maria Virgine.  
*Alia ut in Psalterio, 29.*

*Ad Absolutionem Capituli,*  
In pláteis, *ut infra ad Nonam.*

*Ad Tertiam, Antiphona*  
Læva ejus.

*Capitulum* Ab initio, clxxj.

℞. *breve.* Spécie tua, et  
pulchritúdine tua. \* Allelúia,  
allelúia. Spécie tua.

Ÿ. Inténde, prósperè pro-  
céde, et regna.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Spécie tua.

Ÿ. Adjuvábít eam Deus  
vultu suo. Allelúia.

℞. Deus, in médio ejus,  
non commovébitur. Allelúia.

*Ad Sextam, Antiphona*  
Nigra sum.

## CAPITULUM.

[Eecli., 24.]

**E**T sic in Sion firmáta sum, et in civitatē sanctificáta similiter requiēvi, et in Jerúsalem potestas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illius, et in plenitúdine sanctorum detentio mea.

R. *breve.* Adjuvabit eam Deus vultu suo. \* Allelúia, allelúia. Adjuvabit eam.

✠. Deus, in médio ejus, non commovēbitur.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Adjuvabit eam.

✠. Elégit eam Deus, et prælégit eam. Allelúia.

R. In tabernáculo suo habitare facit eam. Allelúia.

*Ad Nonam, Antiphona Speciosa.*

## CAPITULUM.

[Eecli., 24.]

**I**N pláteis sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitatem odóris

R. *breve.* Elégit eam Deus, et prælégit eam. \* Allelúia, allelúia. Elégit.

✠. In tabernáculo suo habitare facit eam.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Elégit.

✠. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Allelúia.

R. Propterea benedixit te Deus in ætérnum. Allelúia.

*Ad Vesperas, Antiphonæ et Psalmi feriales, Capitulum et reliqua omnia, si non occurrat Festum Duplex, de Dominica.*

*Lectiones sequentes dicuntur singulis mensibus in Officio B. Mariæ in Sabbato, ordine subscripto.*

## MENSE APRILI.

De Expositione S. Hierónymi Presbyteri in Ezechielem Prophétam.

## LECTIO III.

[Lib. 13, in cap. 44.]

**P**ORTA hæc clausa erit, et non aperiétur. Pulchre quidam portam clausam, per quam solus Dóminus Deus Israel ingreditur, et dux cui porta clausa est, Mariam Virginem intélligunt: quæ et ante partum, et post partum virgo permánsit. Etenim témpore, quo Angelus loquebátur: Spiritus Sanctus véniet super te, et virtus Altissimi obumbrábit te; quod autem nascétur ex te Sanctum vocábitur Filius Dei: et quando natus est, virgo permánsit ætérna: ad confundéndos eos, qui arbitrántur eam post nativitatem Salvatóris habuisse de Joseph filios, ex occasióne fratrum ejus, qui vocántur in Evangélio.

Te Deum laudámus, 18.

## MENSE MAIO.

Ex Tractátu S. Augustíni

Episcopi de Symbolo ad Catechúmenos.

## LECTIO III.

[Lib. 3, cap. 4.]

**P**ER fœminam mors, per fœminam vita: per Hevam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem; hæc integra péperit Salvatorem. Illa póculum a serpente propinatum libenter accepit, et viro tradidit, ex quo simul mererentur occidi: hæc, grátia cœlesti désuper infusa, vitam protulit, per quam caro mórtua possit resuscitari. Quis est qui hæc operatus est, nisi Virginis filius, et Virginum sponsus? qui áttulit matri fœcunditatem, sed non ábstulit integritatem?

Te Deum laudamus, 18.

*Ad Laudes et per horas omnia ut supra, clxxj.*

~~~~~

## OFFICIUM PARVUM

BEATÆ MARIE.

*Hoc Officium non dicitur quando fit Officium novem Lectionum, nec in Feriis majoris Hebdomadæ, nec infra Octavas Paschæ et Pentecostes, nec in Sabbatis, quando fit Officium de Sancta Maria. Quibus diebus omittitur a primis Vesperis. Cum dicitur in Choro, in Matutinis et in Vesperis præponitur Officio diei, in aliis Horis postponitur. Prima dicitur post Benedicamus Dómino, ante-*

*quam legatur Martyrologium. Extra Chorum potest dici pro temporis opportunitate.*

## OFFICIUM B. MARIE

EXTRA ADVENTUM.

*Ad Vesperas, Ave, Maria, secreto: quæ dicitur semper in principio omnium horarum B. Mariæ, quando non conjunguntur cum Officio diei.*

Ÿ. Deus, in adiutorium meum intende.

Ŗ. Dómine, ad adiuvantum me festina.

Glória Patri, et Filio. Sicut erat.

*In fine Allelúia ad omnes horas per totum annum præterquam a Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum, cujus loco tunc dicitur Laus tibi, Dómine, Rex æternæ.*

*Antiphona Dum esset Rex.*

PSALMUS 109.

**D**IXIT Dóminus Dómino meo: \* Sede a dextris meis:

Donec ponam inimicos tuos, \* scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dóminus ex Sion: \* dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: \* ex útero ante luciferum genui te.

Juravit Dóminus, et non pœnitēbit eum: \* Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.



Dóminus a dextris tuis , \*  
confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natióibus ,  
implébit ruínas : \* conquassá-  
bit cápita in terra multórum.

De torrén-te in via bibet : \*  
proptérea exaltábit caput.

Glória Patri.

*Antiphona.*

Dum esset Rex in accúbitu  
tuo, nardus mea dedit odó-  
rem suavitátis.

*Antiphona* Læva ejus.

PSALMUS 112.

**L**AUDATE, púeri, Dóminum  
\* laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini bene-  
dictum , \* ex hoc nunc , et  
usque in sæculum.

A solis ortu usque ad oc-  
cásum , \* laudábile nomen  
Dómini.

Excélsus super omnes gen-  
tes Dóminus , \* et super cœlos  
glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus  
noster, qui in altis hábitat , \*  
et humília réspicit in cœlo et  
in terra?

Súscitans a terra inopem ,  
\* et de stércore érigens páu-  
perem :

Ut cóllocet eum cum prin-  
cípibus , \* cum princípibus pó-  
puli sui.

Qui habitáre facit stérilem  
in domo , \* matrem filiórum  
lætántem.

Glória Patri.

*Antiphona.*

Læva ejus sub cápite meo,

et dextera illius amplexábitur  
me.

*Antiphona* Nigra sum.

PSALMUS 121.

**L**ETATUS sum in his quæ  
dicta sunt mihi : \* in domum  
Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri \*  
in átriis tuis , Jerúsalem.

Jerúsalem , quæ ædificátur  
ut civitas , \* cujus participá-  
tio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt  
tribus , tribus Dómini : \* tes-  
timónium Israel ad confitén-  
dum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes  
in judício , \* sedes super do-  
mum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt  
Jerúsalem , \* et abundántia  
diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua : \* et  
abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et  
próximos meos , \* loquébar  
pacem de te.

Propter domum Dómini  
Dei nostri , \* quæsívi bona  
tibi.

Glória Patri, et Fílio.

*Antiphona.*

Nigra sum , sed formósa ,  
filia Jerúsalem : ídeo diléxit  
me Rex , et introdúxit me in  
cubículum suum.

*Antiphona* Jam hiemstrán-  
siit.

PSALMUS 126.

**N**ISI Dóminus ædificáverit  
domum , \* in vanum labora-  
vérunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodierit civitatem, \* frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: \* surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum, \* ecce hæreditas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, \* ita filii excussorum.

Beátus vir qui implévit desiderium suum ex ipsis: \* non confundetur cum loquétur inimicis suis in porta.

Glória Patri.

*Antiphona.*

Jam hiems tránsiit, imber abiit et recessit, surge, amica mea, et veni.

*Antiphona* Speciosa facta es.

PSALMUS 147.

LAUDA, Jerúsalem, Dóminus: \* lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portarum tuarum: \* benedixit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, \* et ádipe fruménti satiát te.

Qui emittit elóquium suum terræ: \* velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: \* nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: \* ante faciém

frigoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: \* flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, \* justitias et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: \* et judicia sua non manifestávit eis.

Glória Patri, et Filio.

*Antiphona.*

Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, sancta Dei génitrix.

CAPITULUM.

[Ecclesi., 24.]

Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

Ave, maris stella,  
Dei mater alma,  
Atque semper virgo,  
Felix cœli porta.

Sumens illud Ave  
Gabrielis ore,  
Funda nos in pace,  
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,  
Profer lumen cæcis,  
Mala nostra pelle,  
Bona cuncta posce.

Monstra te esse Matrem,  
Sumat per te preces,  
Qui pro nobis natus  
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,  
Inter omnes mitis,

Nos culpis solutos  
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,  
Iter para tutum,  
Ut videntes Jesum  
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,  
Summo Christo decus,  
Spiritus Sancto,  
Tribus honor unus.

Amen.

Ÿ. Diffusa est grátia in lá-  
biis tuis.

℞. Propterea benedixit te  
Deus in ætérnum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Beáta Mater, et intácta  
Virgo, gloriósa Regina mun-  
di, intercède pro nobis ad  
Dóminum.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Ÿ. Dóminus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

CONCEDE nos fámulos tuos,  
quæsumus Dómine Deus,  
perpétua mentis et córporis  
sanitáte gaudere, et gloriósa  
beátæ Mariæ semper Vírginis  
intercessióne a præsentí li-  
berári tristitia, et æténa  
pérfrui lætítia. Per Dóminum  
nostrum.

℞. Amen

*Sequens Commemoratio  
pro Sanctis fit tantum ad  
Vesperas et Laudes in Officio  
sanctæ Mariæ.*

*Antiphona.*

Sancti Dei omnes, intercède

dere dignémini pro nostra  
omniúmque salute.

Ÿ. Lætámini in Dómino  
et exultáte, justi.

℞. Et gloriámini, omnes  
recti corde.

ORATIO.

PROTEGE, Dómine, pópulum  
tuum, et Apostolórum tuó-  
rum Petri et Pauli, et aliórum  
Apostolórum patrocínio con-  
fidéntem, perpétua defen-  
sióne consérva.

OMNES Sancti tui, quæsu-  
mus, Dómine, nos ubique  
áduvent, ut dum eórum mé-  
rita recólimus, patrocínia  
sentíamus; et pacem tuam  
nostris concède tempóribus,  
et ab Ecclesiá tua cunctam  
repélle nequítiam: iter, ac-  
tus, et voluntátes nostras, et  
ómnium famulórum tuórum,  
in salutis tuæ prosperitáte  
dispóne: benefactóribus nos-  
tris sempiterna bona retrí-  
bue, et ómnibus fidélibus  
defúntis réquiem ætéram  
concède. Per Dóminum nos-  
trum.

AD COMPLETORIUM.

Ave, María, *ut supra.*

Ÿ. Convérte nos, Deus sa-  
lutáris noster.

℞. Et avérte iram tuam a  
nobis.

Ÿ. Deus, in adjutórium.

Glória Patri. Allelúia.

PSALMUS 128.

SÆPE expugnáverunt me a

h\*

juventute mea, \* dicat nunc Israel.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, \* etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: \* prolongaverunt iniquitatem suam.

Dominus justus concidit cervices peccatorum: \* confundantur et convertantur retrorsum omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum, \* quod priusquam evelatur exaruit:

De quo non implévit manum suam qui metit, \* et sinum suum qui manipulos colligit.

Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini super vos, \* benediximus vobis in nomine Domini.

Glória Patri.

PSALMUS 129.

**D**E profundis clamavi ad te, Domine; \* Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes \* in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observáveris, Domine; \* Domine, quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est, \* et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: \* speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem \* speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, \* et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel \* ex omnibus iniquitatibus ejus.

Glória Patri.

PSALMUS 130.

**D**OMINE, non est exaltatum cor meum: \* neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis, \* neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam: \* sed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua, \* ita retributio in anima mea.

Speret Israel in Domino, \* ex hoc nunc et usque in sæculum.

Glória Patri.

HYMNUS.

**M**EMENTO, rerum Conditor,  
Nostri quod olim corporis,  
Sacra ab alvo Virginis  
Nascendo, formam sumpseris.

Maria, mater gratiæ,  
Dulcis parens clementiæ,  
Tu nos ab hoste protege,  
Et mortis hora suscipe.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre, et almo Spiritu,  
In sempiterna sæcula.

Amen.



## CAPITULUM.

[Ecclesi., 24.]

Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.

R. Deo grátias.

Ÿ. Ora pro nobis, sancta Dei génitrix.

R. Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

*Ad Nunc dimittis, Antiphona.*

Sub tuum præsidium confúgimus, sancta Dei génitrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriósa et benedicta.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Ÿ. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

## ORATIO.

BEATÆ et gloriósæ semper Virginis Mariæ, quæsumus, Dómine, intercèssio gloriósa nos protégat, et ad vitam perducát ætérnam. Per Dóminum nostrum.

## AD MATUTINUM

DE BEATA MARIA.

Ave, Mariá, ut supra.

Ÿ. Dómine, lábia mea apéries.

R. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

Ÿ. Deus, in adjutórium.

Glória Patri. Allelúia.

*Invitatorium. — Ave, Ma-*

ria, grátia plena: \* Dóminus tecum.

*Psalmus Veníte, exultémus, 2.*

## HYMNUS.

QUEM terra, pontus, sídera Colunt, adórant, prædicant, Trinam regéntem máchinam, Claustum Mariæ bájulat.

Cui luna, sol et ómnia Deserviunt per témpora, Perfúsa cœli grátia, Gestant puellæ viscera.

Beáta Mater, múnere Cujus supérnus Artifex Mundum pugillo cóntinens, Ventris sub arca clausus est.

Beáta cœli núntio, Fœcúnda Sancto Spíritu, Desiderátus géntibus Cujus per alvum fusus est.

Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine, Cum Patre et almo Spíritu, In sempitérna sæcula.

Amen.

*Quando fit Officium novem Lectionum S. Mariæ, dicuntur tres sequentes Nocturni, cum suis Psalmis et Antiphonis, nisi aliæ Antiphonæ assignentur: Absolutiones vero et Benedictiones, ut in principio Breviarii ante Psalterium.*

*Tres Psalmi sequentes dicuntur Feria secunda et quinta ad Nocturnum.*

*Antiphona Benedicta tu.*

## PSALMUS 8.

DÓMINE Dóminus noster, \* quam admirábile est nomen

tuum in univérſa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, \* super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecisti laudem propter inimicostuos, \* ut déstruas inimicum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum, \* lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? \* aut filius hóminis, quóniam visitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum, \* et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, \* oves et boves univérſas, insuper et pécora campi;

Vólucres cœli, et pisces maris, \* qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, \* quam admirábile est nomen tuum in univérſa terra!

Glória Patri.

*Antiphona.*

Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

*Antiphona* Sicut myrrha.

PSALMUS 18.

COELI enarrant glóriam Dei, \* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, \* et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, \* quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, \* et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum; \* et ipse tanquam sponsus procedens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; \* a summo cœlo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus; \* nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: \* testimoniúm Dómini fidèle, sapiéntiam-præstans párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: \* præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: \* judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lápidem pretiósium multum, \* et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea: \* in custodiéndis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occúltis meis munda me, \* et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domínati, tunc immaculátus ero, \* et emundábor a delicto máximo.

Et erunt ut compláceant  
elóquia oris mei, \* et medi-  
tatio cordis mei in conspéctu  
tuo semper.

Dómine, adjutor meus, \*  
et redemptor meus.

Glória Patri.

• *Antiphona.*

Sicut myrrha elécta odó-  
rem dedisti suavitátis, sancta  
Dei génitrix.

*Antiphona* Ante torum.

PSALMUS 23.

**D**OMINI est terra et pleni-  
túdo ejus, \* orbis terrárum  
et univérsti qui hábitant in eo.

Quia ipse súper mária fun-  
dávít eum, \* et super flú-  
mina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem  
Dómini? \* aut quis stabit in  
loco sancto ejus?

Innocens mábinus et mun-  
do corde, \* qui non accépit  
in vano ánimam suam, nec  
jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedicti-  
onem a Dómino, \* et miseri-  
córdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quærén-  
tium eum, \* quæréntium fá-  
ciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes,  
vestras, et elevámini, portæ  
æternáles, \* et introíbit rex  
glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \*  
Dóminus fortis et potens,  
Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes,  
vestras, et elevámini, portæ

æternáles: \* et introíbit rex  
glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? \*  
Dóminus virtútum ipse est  
rex glóriæ.

Glória Patri, et Filio.

*Antiphona.*

Ante torum hujus Vírginis  
frequentátenobis dúlcia cán-  
tica drámatis.

✠. Diffúsa est grátia in lá-  
biis tuis.

R). Proptérea benedixit te  
Deus in ætérnum.

Pater noster *cum Lectio-  
nibus et reliquis, ut in-  
fra, clxx.*

*Sed in Officio novem Lec-  
tionum dicitur:*

✠. Spécie tua et pulchri-  
túdine tua.

R). Inténde, próspere pro-  
céde, et regna.

*Tres Psalmi sequentes di-  
cuntur Feria tertia et sexta  
ad Nocturnum.*

*Antiphona* Spécie tua.

PSALMUS 44.

**E**RUCAVIT cor meum ver-  
bum bonum: \* dico ego ópera  
mea Regi.

Lingua mea cálamus scri-  
bæ \* velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ filiis  
hóminum, diffúsa est grátia  
in lábiis tuis: \* proptérea  
benedixit te Deus in ætér-  
num.

Accingere gládio tuo su-  
per femur tuum, \* potentis-  
sime.

Spécie tua et pulchritúdine

tua \* intēde, prospere procéde, et regna,

Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam : \* et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, pópuli sub te cadent , \* in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : \* virga directiónis virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : \* propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : \* ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestitu deauráto , \* circumdata varietáte.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : \* et obliviscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decórem tuum : \* quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus, \* vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ Regis ab intus, \* in fimbriis aureis circumamicta varietátibus.

Adducéntur Regi virgines post eam : \* próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætitia et exultatióne : \* adducéntur in cemplum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii : \* constitues eos principes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui \* in omni generatióne et generatióne.

Propterea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, \* et in sæculum sæculi.

Glória Patri.

*Antiphona.*

Spécie tua et pulchritudine tua intēde, prospere procéde, et regna.

*Antiphona* Adjuvábite eam.

PSALMUS 45.

DEUS, noster refúgium et virtus : \* adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timébimur dum turbábitur terra : \* et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : \* conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis impetus lætificat civitátem Dei : \* sanctificávit tabernáculum suum Altissimus.

Deus, in médio ejus, non commovébitur : \* adjuvábite eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : \* dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobis-



cum : \* suscep̃tor noster Deus Jacob.

Venite, et videte op̃era Dómini, quæ p̃osuit prodigia super terram : \* áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confringet arma : \* et scuta combúret igni.

Vacate, et videte quóniam ego sum Deus ; \* exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiscum : \* suscep̃tor noster Deus Jacob.

Glória Patri.

*Antiphona.*

Adjuvabit eam Deus vultu suo : Deus, in médio ejus, non commovébitur.

*Antiphona* Sicut lætántium.

PSALMUS 86.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : \* diligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, \* civitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babilónis \* sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthiopum, \* hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : \* et ipse fundávit eam Altissimus ?

Dóminus narrábit inscriptúris populórum et princi-

pum, \* horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium : \* habitatio est in te.

Glória Patri, et Filio.

*Antiphona.*

Sicut lætántium ómnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei génitrix.

℣. Diffusa est grátia in lábiis tuis.

℞. Propterea benedixit te Deus in ætérnum.

Pater noster, cum *Lectionibus et reliquis, ut infra, clxxxv.*

*Sed in Officio novem Lectionum dicitur :*

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℞. Deus, in médio ejus, non commovébitur.

*Tres Psalmi sequentes dicuntur feria quarta et Sabbato ad Nocturnum.*

*Antiphona* Gaude, María Virgo.

PSALMUS 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : \* cantate Dómino, omnis terra.

Cantate Dómino, et benedicite nómini ejus : \* annuntiáte de die in diem salutare ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, \* in ómnibus pópulis mirabilia ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis, \* terribilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii gén-

tium dæmónia : \* Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus, \* sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem, \* afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : \* adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commovéatur a fácie ejus univérsa terra : \* dicite in géntibus quia Dóminus regnávít.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébítur : \* judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra : commoveáthur mare et plenitúdo ejus : \* gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : \* quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, et \* pópulos in veritáte sua.

Glória Patri, et Fílio.

*Antiphona.*

Gaude, María virgo, cunctas hæreses sola interemísti in univérsa mundo.

*Antiphona* Dignáre me.

PSALMUS 96.

Dóminus regnávít, exúltet

terra : \* læténtur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circúitu ejus : \* justitia et judicium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, \* et inflammábit in circúitu inimicos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : \* vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini, \* a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justitiam ejus, \* et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptilia, \* et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : \* audivit, et lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ, \* propter judicia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram, \* nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui diligitis Dóminum, odíte malum : \* custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, \* et rectis corde lætitia.

Lætámini, justi, in Dómino : \* et confitémini memoriæ sanctificatiónis ejus.

Glória Patri.

*Antiphona.*

Dignāre me laudāre te,  
Virgo sacrāta, da mihi virtū-  
tem contra hostes tuos.

*Antiphona Post partum.*

PSALMUS 97.

**C**ANTATE Dómino cánticum  
novum, \* quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus,\*  
et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus sa-  
lutare suum : \* in conspéctu  
géntium revelávit justítiam  
suam.

Récordátus est misericór-  
diæ suæ, \* et veritátis suæ  
dómui Israel.

Viderunt omnes términi  
terræ \* salutāre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : \*  
cantáte, et exultáte, et psál-  
lite.

Psállite Dómino in cíthara,  
in cíthara, et voce psalmi : \*  
in tubis ductilibus et voce  
tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Re-  
gis Dómini : \* moveátur  
mare et plenitúdo ejus, or-  
bis terrárum, et qui hábitant  
in eo.

Flúmina plaudent manu :  
simul montes exultábunt a  
conspéctu Dómini : \* quón-  
iam venit judicāre terram.

Judicábit orbem terrárum  
in justitia, \* et pópulos  
in æquitáte.

Glória Patri, et Fílio.

*Antiphona.*

Post partum, virgo, invio-

lata, permansisti; Dei geni-  
trix, intercède pro nobis.

Ÿ. Diffúsa est grátia in lá-  
biis tuis.

R). Proptérea benedixit te  
Deus in ætérnum.

*Sed in Officio novem Lec-  
tionum dicitur :*

Ÿ. Elégit eam Deus, et  
præelégit eam.

R). In tabernáculo suo ha-  
bitāre facit eam.

Pater noster *secreto*.

Ÿ. Et ne nos inducas in ten-  
tationem.

R). Sed libera nos a malo.

## ABSOLUTIO.

**P**RECIBUS et méritis beátæ  
Mariæ semper Virginis, et óm-  
nium Sanctórum, perducát  
nos Dóminus ad regna cœló-  
rum.

R). Amen.

Ÿ. Jube, Domne, benedi-  
cere.

*Benedictio.*—Nos cum prole  
pia benedicat virgo María.

R). Amen.

## LECTIO I.

[Eccli., 24.]

**I**N ómnibus réquiem quæ-  
sivi, et in hæreditáte Dómini  
morábor. Tunc præcépit, et  
dixit mihi Créator ómnium :  
et qui creávit me requiévít in  
tabernáculo meo, et dixit  
mihi : In Jacob inhábita, et  
in Israel hæreditāre, et in  
eléctis meis mitte radices.  
Tu autem, Dómine, miserére  
nobis.

R). Deo grátias.

R. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus éfferam nescio, \* Quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti.

Ÿ. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Quia quem.

Ÿ. Jube, Domine, benedicere.

*Benedictio.* — Ipsa Virgo virginum intercédât pro nobis ad Dóminum.

R. Amen.

#### LECTIO II.

ET sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Tu autem, Domine.

R. Beata es, virgo Maria, quæ Dóminum portasti Creatorem mundi : \* Genuisti qui te fecit, et in ætérnum perma-  
nes virgo.

Ÿ. Ave, Maria, grátia plena: Dóminus tecum.

Genuisti qui.

Ÿ. Jube, Domine, benedicere.

*Benedictio.* — Per Virginem matrem concédât nobis Dóminus salutem et pacem.

R. Amen.

#### LECTIO III.

QUASI cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypres-

sus in monte Sion : quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Tu autem, Domine.

R. Felix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima : \* Quia ex te ortus est sol justitiæ, \* Christus Deus noster.

Ÿ. Ora pro populo, interveni pro clero, intercède pro devoto femineo sexu : sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

Quia ex te.

Glória Patri.

Christus Deus.

#### AD LAUDES.

Ÿ. Deus, in adiutorium meum intende.

R. Domine, ad adjuvandum me festina.

Glória Patri. Alleluia.

*Antiphona.*

Assumpta est \* Maria in cœlum; gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dóminum.

*Psalmus* Dóminus regnavit, cum reliquis de Dominica ut in Psalterio, 19.



*Antiphona.*

Maria virgo\* assumpta est  
ad æthereum thalamum, in  
quo Rex regum stellato se-  
det solio.

*Antiphona.*

In odorem\* unguentorum  
tuorum currimus: adoles-  
centulæ dilexerunt te nimis.

*Antiphona.*

Benedicta\* filia tua Dó-  
mino, quia per te fructum  
vitæ communicávimus.

*Antiphona.*

Pulchra es\* et decóra, filia  
Jerúsalem, terribilis ut cas-  
trorum ácies ordináta.

## CAPITULUM.

[ Cant., 6. ]

**V**IDERUNT eam filiæ Sion, et  
beatissimam prædicaverunt,  
et reginæ laudaverunt eam.

R. Deo grátias.

## HYMNUS.

**O** GLORIOSA Virginum,  
Sublimis inter sidera,  
Qui te creávit párvulum  
Lactente nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstulit  
Tu reddis almo gérmine,  
Intrent ut astra flébiles,  
Cœli reclúdis cárdines.

Tu regis alti jánuā,  
Et aula lucis fúlgida:  
Vitā datam per Virginem,  
Gentes redemptæ, pláudite.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre et almo Spíritu,  
In sempitérna sæcula.

Amen,

✠. Benedícta tu in mulié-  
ribus.

R. Et benedíctus fructus  
ventris tui.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Beáta Dei génitrix María,  
virgo perpétua, templum  
Dómini, Sacrárium Spíritus  
Sancti, sola sine exémplo  
placuisti Dómino nostro Jesu  
Christo: ora pro pópulo,  
intéveni pro clero, intercède  
pro devóto femíneo sexu.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

✠. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

## ORATIO.

**D**EUS, qui de beátæ Mariæ  
Virginis útero Verbum tuum,  
Angelo nuntiánte, carnem  
suscipere voluisti, præsta  
supplícibus tuis, ut qui vere  
eam genitricem Dei crédi-  
mus, ejus apud te interces-  
sionibus adjuvémur. Per  
eúndem Christum Dómi-  
num nostrum.

R. Amen.

*Pro sanctis, Antiphona.*

Sancti Dei omnes, intercède-  
dere dignémini pro nostra  
omniúmque salúte.

✠. Lætámini in Dómino,  
et exultáte, justí.

R. Et gloriámini, omnes  
recti corde.

## ORATIO.

**P**ROTEGE, Dómine, póp-  
ulum tuum, et Apostolórum  
tuórum Petri et Pauli, et

aliórum Apostolórum patrocinio confidentem, perpétua defensione conserva.

**O**MNES sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubique adjuvent, ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus, et pacem tuam nostris concéde temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam: iter, actus, et voluntates nostras, et ómnium famulórum tuórum, in salutis tuæ prosperitate dispóne: benefactóribus nostris sempiterna bona retribue: et ómnibus fidélibus defúnetis réquiem ætérnam concéde. Per Dóminum.

~~~~~

#### AD PRIMAM.

Ave, María, etc.

Deus, in adiutorium.

#### HYMNUS.

**M**EMENTO, rerum Cónditor,  
Nostri quod olim córporis,  
Sacrata ab alvo Virginitis  
Nascendo, formam sumpseris.

María, mater grátiae,  
Dulcis parens cleméntiae,  
Tu nos ab hoste prótege,  
Et mortis hora súscipe.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Vírgine,  
Cum Patre, et almo Spíritu,  
In sempiterna sæcula.

Amen.

*Antiphona* Assúpta est.

#### PSALMUS 53.

**D**EUS, in nómine tuo salvum

me fac: \* et in virtute tua júdica me.

Deus, exáudi orationem meam: \* áuribus pécipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam, et non proposuerunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus áduvat me, \* et Dóminus suscepitor est animæ meæ.

Avérte mala inimicis meis, \* et in veritate tua dispérde illos.

Voluntarie sacrificábotibi, \* et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatione eripuisti me: \* et super inimicos meos despéxit óculus meus.

Glória Patri.

#### PSALMUS 84.

**B**ENEDIXISTI, Dómine, terram tuam: \* avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: \* operuisti ómnia peccata eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: \* avertisti ab ira indignationis tuæ.

Convérte nos, Deus salutaris noster, \* et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? \* aut extédes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos : \* et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam : \* et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dóminus Deus : \* quóniam loquétur pacem in plebem suam ;

Et super sanctos suos, \* et in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutare ipsíus : \* ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi : \* justitia et pax osculatæ sunt.

Véritas de terra orta est : \* et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitatem : \* et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulábit : \* et ponet in via gressus suos.

Glória Patri.

PSALMUS 116.

LAUDATE DÓMINUM, omnes gentes : \* laudáte eum, omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : \* et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri.

*Antiphona.*

Assúpta est María in cœlum ; gaudent Angeli, lau-

dantes benedicunt Dóminum.

CAPITULUM.

[ Cant., 6. ]

QUE est ista quæ progreditur quasi auróra consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrórum ácies ordináta ?

R. Deo grátias.

Y. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.

R. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Y. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

ORATIO.

DEUS, qui virginálem aulam beátæ Mariæ, in qua habitáres, eligere dignátus es, da, quæsumus, ut sua nos defensióne munitos, jucúndos fácias suæ interésse commemoratióni. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

~~~~~

AD TERTIAM.

Ave, María, etc.

Y. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

MEMENTO, rerum Cónditor,  
Nostri quod olim córporis,  
Sacráta ab alvo Virginis  
Nascéndo, formam sumpseris.

María, mater grátiae,  
Dulcis parens cleméntiae,  
Tu nos ab hoste prótege,  
Et mortis hora súscipe.

Jesu, tibi sit glória,

Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre, et almo Spiritu,  
In sempiterna sæcula.

Amen.

*Antiphona* Maria virgo.

PSALMUS 119.

**A**D Dóminum cum tribulá-  
rer clamávi; \* et exaudivit me.

Dómine, libera ánimam  
meam a lábiis iniquis, \* et a  
lingua dolósa.

Quid detur tibi aut quid  
apponátur tibi \* ad linguam  
dolósam?

Sagittæ poténtis acútæ, \*  
cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus  
meus prolongátus est; habi-  
távi cum habitántibus Cedar:  
\* multum íncola fuit ánima  
mea.

Cum his qui odérunt pa-  
cem eram pacíficus: \* cum  
loquébar illis, impugnábant  
me gratis.

Glória Patri.

PSALMUS 120.

**L**EVAVI óculos meos in  
montes, \* unde véniet auxi-  
lium mihi.

Auxílium meum a Dómino,  
\* qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotiónem  
pedem tuum, \* neque dor-  
mitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque  
dórmiet, \* qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dó-  
minus protéctio tua, \* super  
manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te:  
\* neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab  
omni malo: \* custódiat áni-  
mam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intrói-  
tum tuum et éxitum tuum  
ex hoc nunc, et usque in sæ-  
culum.

Glória Patri.

PSALMUS 121

**L**ETATUS sum in his quæ  
dicta sunt mihi: \* in domum  
Dómini ibimus.

Stantes erant pedes nos-  
tri \* in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur  
ut civitas, \* cujus participá-  
tio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt  
tribus, tribus Dómini: \* tes-  
timónium Israel ad confitén-  
dum nómini Dómini.

Quia illic sederunt sedes  
in iudicio, \* sedes super do-  
mum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt  
Jerúsalem: \* et abundantia  
diligéntibus te:

Fiat pax in virtúte tua, \* et  
abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et  
próximos meos, \* loquébar  
pacem de te.

Propter dómum Dómini  
Dei nostri, \* quæsivi bona tibi.

Glória Patri.

*Antiphona.*

Maria virgo assúpta est  
ad æthéreum thálamum, in  
quo Rex regum stelláto sedet  
sólio.



## CAPITULUM.

[Eccli. , 24.]

ET sic in Sion firmata sum,  
et in civitate sanctificata si-  
militer requievi, et in Jeru-  
salem potestas mea.

℞. Deo gratias.

℣. Diffusa est gratia in la-  
biis tuis.

℞. Propterea benedixit te  
Deus in æternum.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

## ORATIO.

DEUS, qui salutis æternæ,  
beatæ Mariæ virginitate fœ-  
cunda, humano generi præ-  
mia præstitisti, tribue, quæ-  
sumus, ut ipsam pro nobis  
intercedere sentiamus, per  
quam meruimus auctorem  
vitæ suscipere Dominum nos-  
trum Jesum Christum, Filium  
tuum: Qui tecum vivit.

~~~~~

## AD SEXTAM.

Ave, Mariâ, etc.

℣. Deus, in adiutorium.

## HYMNUS.

MEmento, rerum Cõditor,  
Nostri quod olim corporis,  
Sacratâ ab alvo Virginis  
Nascendo, formam sumpse-  
ris.

Mariâ, mater gratiæ.

Dulcis parens clementiæ,  
Tu nos ab hoste protege,  
Et mortis hora suscipe.

Jesu, tibi sit glória,

Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre, et almo Spíritu,  
In sempiterna sæcula.

Amen.

*Antiphona* In odorem.

## PSALMUS 122.

AD te levavi oculos meos, \*  
qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum  
\* in manibus dominorum suorum;

Sicut oculi ancillæ in ma-  
nibus dominæ suæ: \* ita oculi  
nostri ad Dominum Deum  
nostrum, donec misereatur  
nostri.

Miserere nostri, Domine,  
miserere nostri, \* quia multum  
replati sumus despectione;

Quia multum replata est  
ánima nostra, \* opprobrium  
abundantibus, et despèctio  
superbis.

Glória Patri.

## PSALMUS 123.

NI si quia Dominus erat in  
nobis, dicat nunc Israel: \* nisi  
quia Dominus erat in nobis.

Cum exurgerent homines  
in nos, \* forte vivos deglu-  
tissent nos.

Cum irasceretur furor eo-  
rum in nos, \* forsitan aqua  
absorbisset nos.

Torrentem pertransivit áni-  
ma nostra: \* forsitan pertrans-  
isset ánima nostra aquam in-  
tolerabilem.

Benedictus Dominus, \* qui  
non dedit nos in captiónem  
dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer

erépta est \* de láqueo venántium.

Láqueus contritus est, \* et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, \* qui fecit cœlum et terram.

Glória Patri.

PSALMUS 124.

**Q**UI confidunt in Dómino, sicut mons Sion : \* non commovébitur in ætérnum qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus : \* et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum : \* ut non exténdant justí ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, \* et rectis corde.

Declinántes autem in obligationes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : \* pax super Israel.

Glória Patri.

*Antiphona.*

In odórem unguentórum tuórum-cúrrimus; adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

CAPITULUM.

[ Eccli. , 24. ]

**E**T radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illius, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

R). Deo grátias.

Ÿ. Benedicta tu in mulieribus.

R). Et benedictus fructus ventris tui.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

R). Et cum spíritu tuo.

ORATIO.

**C**ONCEDE, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsidium, ut qui sanctæ Dei genitricis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxilio, a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúndem Dóminum nostrum.

AD NONAM.

Ave, María, etc.

Ÿ. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

**M**EMENTO, ferum Córditor. Nostri quod olim córporis, Sacráta ab alvo Virginis Nascéndo, formam sumpseris.

María, mater grátiae, Dulcis parens cleméntiae, Tu nos ab hoste prótege, Et mortis hora súscipe.

Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Virgine, Cum Patre, et almo Spíritu, In sempitérna sæcula.

Amen.

*Antiphona Pulchra es.*

PSALMUS 125.

**I**N converténdo Dóminus captivitátem Sion, \* facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio  
os nostrum,\* et lingua nostra  
exultatióne.

Tunc dicent inter gentes:\*  
Magnificávit Dóminus fácere  
cum eis.

Magnificávit Dóminus fá-  
cere nobiscum : \* facti sumus  
lætántes.

Convérte, Dómine, capti-  
vitátem nostram,\* sicut tor-  
rens in Austro.

Qui séminant in lácrymis  
\* in exultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant,\*  
mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient  
cum exultatióne,\* portántes  
manípulos suos.

Glória Patri.

PSALMUS 126.

Nisi Dóminus ædificáverit  
domum,\* in vanum labora-  
vérunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodierit  
civitátem,\* frustra vigilat  
qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lu-  
cem súrgere : \* súrgite post-  
quam sedéritis, qui mandu-  
cátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis  
somnum : \* ecce hæreditas  
Dómini, filii; merces, fructus  
ventris.

Sicut sagittæ in manu po-  
téntis : \* ita filii excussó-  
rum.

Beátus vir qui implévit de-  
sidérium suum ex ipsis : \* non

*Vern.*

confundétur cum loquétur  
inimícis suis in porta.

Glória Patri.

PSALMUS 127.

BEATI omnes qui timent  
Dóminum,\* qui ámbulant in  
viis ejus.

Labóres mánuum tuárum  
quia manducábis : \* beátus  
es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abún-  
dans,\* in latéribus domus  
tuæ.

Filii tui sicut novellæ oli-  
várum \* in circúitu mensæ  
tuæ.

Ecce sic benedicétur homo  
\* qui timet Dóminum.

Benedicat tibi Dóminus ex  
Sion : \* et vídeas bona Jerú-  
salem ómnibus diébus vitæ  
tuæ.

Et vídeas filios filiórum tuó-  
rum,\* pacem super Israel.

Glória Patri.

*Antiphona.*

Pulchra es, et decóra,  
filia Jerúsalem : terribilis ut  
castrórum ácies ordináta.

CAPITULUM.

[Eccli., 24]

IN platéis sicut cinnamómum  
et bálsamum aromatizans  
odórem dedi : quasi myrrha  
elécta dedi suavitátem odó-  
ris.

R). Deo grátias.

Ÿ). Post partum, virgo, in-  
violáta permansisti.

R). Dei génitrix, intercède  
pro nobis.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

✠. Dóminus vobíscum.

R). Et cum spírítu tuo.

ORATIO.

**F**AMULORUM tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignósce, ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus.

# TEMPORE PASCHALI.

*Officium Beatæ Mariæ dicitur sicut ante Adventum; sed ad Benedictus, et ad Magnificat, et ad Nunc dimittis, dicitur sequens Antiphona:*

Regina cœli, lætare. Allelúia. Quia quem meruisti portare. Allelúia. Resurrexit, sicut dixit. Allelúia. Ora pro nobis Deum. Allelúia.

*Antiphonis autem, Versibus, et Responsoriis non additur in fine Allelúia.*





# OFFICIUM DEFUNCTORUM.

*Dicitur extra tempus Paschale prima cujusque mensis die, non impedita Festo novem Lectionum; alioquin alia sequenti die similiter non impedita. In Adventu autem et Quadragesima, Feria secunda cujuslibet Hebdomadæ similiter non impedita, præterquam in majori Hebdomada. In Choro dicitur post Officium diei, id est Vesperæ post Vesperas, et Matutinum post Laudes diei, nisi alia sit consuetudo Ecclesiarum; extra Chorum vero pro opportunitate temporis.*

## AD VESPERAS.

*Absolutè incipitur ab Antiphona Placébo Dómino.*

PSALMUS 114.

**D**ILEXI quóniam exáudiet Dóminus \* vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi : \* et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : \* et pericula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem

invéni : \* et nomen Dómini invocávi.

O Dómine, libera ánimam meam : \* miséricors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : \* humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, \* quia Dóminus benefécit tibi.

Quia eripuit ánimam meam de morte, \* óculos meos a lácrymis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino \* in regione vivórum.

*In fine omnium Psalmorum dicitur :*

Réquiem ætérnam \* dona eis, Dómine.

Et lux perpétua \* luceat eis.

*Antiphona.*

Placébo Dómino in regione vivórum.

*Antiphona* Hei mihi ! Dómine.

PSALMUS 119.

**A**D Dóminum cum tribulárer clamávi; \* et exaudivit me.

Dómine, libera ánimam

meam a lábiis iníquis, \* et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi \* ad linguam dolósam?

Sagittæ poténtis acútæ, \* cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi! quia incolátus meus prolongátus est, habitávi cum habitántibus Cedar: \* multum incola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus: \* cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Hei mihi, Dómine, quia incolátus meus prolongátus est.

*Antiphona* Dóminus custódit te.

PSALMUS 120.

**L**EVAVI óculos meos in montes, \* unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, \* qui fecit cœlum et et terram.

Non det in commotióem pedem tuum: \* neque dormitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet \* qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua \* super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, \* neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: \* custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum et éxitum tuum, \* ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Dóminus custódit te ab omni malo: custódiat ánimam tuam Dóminus.

*Antiphona* Si iniquitátes

PSALMUS 129.

**D**E profúndis clamávi ad te, Dómine: \* Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes \* in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: \* Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiatio est: \* et propter legem tuam sustinui te, Dómine.

Sustinuit ánima mea in verbo ejus: \* sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutina usque ad noctem: \* speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, \* et copiósa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel \* ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Si iniquitátes observáveris,

Dómine, Dómine, quis sustinebit?

*Antiphona Opera.*

PSALMUS 137.

**C**ONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo: \* quóniam audisti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: \* adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua et veritate tua: \* quóniam magnificásti super omne nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: \* multiplicábis in ánima mea virtutem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ, \* quia audierunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini, \* quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus et humília respicit: \* et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: \* et super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dóminus retribuet pro me: \* Dómine, misericórdia tua in sæculum: ópera mánuum tuárum ne despicias.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despicias.

✠. Audivi vocem de cœlo dicentem mihi.

℟. Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Omne \* quod dat mihi Pater ad me véniet; et eum qui venit ad me non ejiciam foras.

*Preces infrascriptæ dicuntur flexis genibus, similiter et ad Laudes.*

Pater noster secreto.

✠. Et ne nos indúcas in tentatióem.

℟. Sed libera nos a malo.

PSALMUS 145.

**L**AUDA, ánima mea, Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea: \* psallam Deo meo quándiu fuero.

Nolite confidere in principibus, \* in filiis hóminum, in quibus non est salus.

Exibit spíritus ejus, et revertétur in terram suam: \* in illa die peribunt omnes cogitatióes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsius, \* qui fecit cœlum et terram, mare et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritatem in sæculum, facit judicium injúriam patientibus: \* dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compeditos: \* Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elisos, \* Dóminus diligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupillum et víduam suscipiet, \* et vias peccatórum dispérdet.

Regnabit Dóminus in sæcula Deus tuus, Sion, \* in generatióem et generatióem.

*Cujus loco ad Laudes dicitur Psalmus De profúndis ut supra, clxxxvij. Qui Psalmi non dicuntur in die omnium Fidelium defunctorum.*

*In fine Psalmi Réquiem ætérnam \* dona eis, Dómine.*

Et lux perpétua \* lúceat eis.

*Deinde ✠. A porta inferi.*

R. Erue, Dómine, ánimas eórum.

✠. Requiéscant in pace.

R. Amen.

✠. Dómine, exáudi oratióem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

✠. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spíritu tuo.

#### ORATIO

DEUS, qui inter Apostólicos sacerdótes fámulos tuos Pontificáli, seu sacerdotáli fecisti dignitáte vigére, præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio.

DEUS, véniæ largitor et humanæ salútis amátor, quæsumus cleméntiam tuam ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos, et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María sem-

per vírgine, intercédente, cum ómnibus Sanctis tuis ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

FIDELIUM Deus ómnium Cónditor et Redemptor animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tribue peccatórum, ut indulgéntiam quam semper optavérunt piis supplicatióibus consequántur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

R. Amen.

*In die vero Commemorationis omnium fidelium defunctorum quando dicitur hæc ultima tantum Oratio, dicitur Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spiritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula.*

*In die depositionis defuncti.*

#### ORATIO.

ABSOLVE, quæsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N. ut defúctus sæculo tibi vivat, et quæ per fragilitátem carnis humana conversátione commisit, tu vénia misericordissimæ pietátis abstérge. Per Dóminum.

*Si fuerit femina, dicatur ánimam fámulæ tuæ N. ut defuncta.*

*In anniversario die.*

#### ORATIO.

DEUS, indulgentiárum Dómine, da animábus famulorum famularúmque tuárum,



quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per Dóminum.

*Si pro uno tantum fit Anniversarium, dicitur in singulari numero.*

*Pro uno Episcopo defuncto.*

ORATIO.

**D**EUS, qui inter Apostólicos sacerdotes famulum tuum N. Pontificáli fecisti dignitate vigere, præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpétuo aggregetur consórtio. Per Dóminum nostrum.

*Si fuerit Sacerdos, dicatur Sacerdotáli fecisti.*

*Pro fratribus vero et familiaribus, vel benefactoribus, dicitur Oratio Deus veniæ largitor et humanæ, ut supra, clxxxix.*

*Pro Patre et Matre.*

ORATIO.

**D**EUS, qui nos patrem et matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus patris ac matris meæ, eorumque peccata dimitte: meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dóminum.

*Si fit pro pluribus, dicatur animabus paréntum nostrorum; et ubi dicitur meque dicatur nosque.*

*Si pro patre tantum, dicatur animæ patris mei vel nostri.*

*Si pro matre tantum, di-*

*catur animæ matris meæ, vel nostræ.*

*Pro uno Defuncto.*

ORATIO.

**I**NCLINA, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam supplices deprecámur ut animam famuli tui, quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consórtiem. Per Dóminum.

*Pro una Defuncta.*

ORATIO.

**Q**UÆSUMUS, Dómine, pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ; et a contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis partem restitue. Per Dóminum.

✠. Réquiem æternam dona eis, Dómine.

℞. Et lux perpétua luceat eis.

✠. Requiéscant in pace.

℞. Amen.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.*—Regem, cui omnia vivunt,\* Venite, adoremus.

*Hymnus* Venite, exultemus, 2.

*Et in fine*, Réquiem æternam dona eis, Dómine, et lux perpétua luceat eis.

*Hoc Invitatorium dicitur tantum in die Commemorationis omnium fidelium de-*

*functorum, et in die depositionis Defuncti, quibus diebus dicuntur tres infrascripti Nocturni, et Antiphonæ duplicantur. Aliis temporibus dicitur tantum unum Nocturnum cum Laudibus, hoc ordine: Feria secunda et quinta primum Nocturnum, Feria tertia et sexta secundum Nocturnum, Feria quarta et Sabbato tertium Nocturnum.*

## IN PRIMO NOCTURNO.

*Pro Feria secunda et quinta, Antiphona Dirige.*

## PSALMUS 5.

**V**ERBA mea auribus percipe, Dómine, \* intéllege clamórem meum.

Inténde voci orationis meæ, \* Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : \* Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, et vidébo : \* quóniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus : \* neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odisti omnes qui operántur iniquitatem : \* perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinem et dolósum abominábitur Dóminus : \* ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introibo in domum tuam : \* adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justitia tua : \* propter inimicos meos dirige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas, \* cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant : \* júdica illos, Deus.

Décidant a cogitátionibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, \* quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, \* in ætérnum exultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, \* quóniam tu benedices justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ \* coronásti nos.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Dirige, Dómine Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

*Antiphona Convertere.*

## PSALMUS 6.

**D**OMINE, ne in furóre tuo árguas me : \* neque in ira tua corripias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infirmus sum : \* sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : \* sed tu, Dómine, úsquequo

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : \* sal-  
vum me fac propter miseri-  
córdiam tuam,

Quóniam non est in morte  
qui memor sit tui : \* in inférno  
autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo,  
lavábo per singulas noctes  
lectum meum : \* lácrymis  
meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre ócu-  
lus meus : \* inveterávi inter  
omnes inimícos meos.

Discédite a me, omnes qui  
operámini iniquitatem : \* quón-  
iam exaudivit Dóminus vo-  
cem fletus mei.

Exaudivit Dóminus depre-  
cationem meam, \* Dóminus  
orationem meam suscepit.

Erubéscant et conturbén-  
tur veheménter omnes ini-  
míci mei : \* convertántur et  
erubéscant valde velóciter.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Convertére, Dómine, et  
éripe ánimam meam : quón-  
iam non est in morte qui  
memor sit tui.

*Antiphona* Nequándo.

PSALMUS 7.

**D**OMINE Deus meus, in te  
sperávi : \* saluum me fac  
ex ómnibus persecuéntibus  
me, et libera me.

Nequándo rápiat ut leo  
ánimam meam ; \* dum non  
est qui rédimat, neque qui  
saluum fáciat.

Dómine Deus meus, si  
feci istud, \* si est iniquitas  
in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus  
mihi mala, \* decídám mé-  
rito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus áni-  
mam meam, et comprehén-  
dat, et concúlcet in terra  
vitam meam, \* et glóriam  
meam in púlverem dedúcat.

Exúrge, Dómine, in ira  
tua : \* et exaltáre in finibus  
inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus  
meus, in præcépto quod  
mandásti : \* et synagóga po-  
pulórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum  
regrédere : \* Dóminus júdi-  
cat pópulos.

Júdica me, Dómine, se-  
cúndum justítiam meam, \*  
et secúndum innocéntiam  
meam super me.

Consumétur nequítia pec-  
catórum, et diriges justum,  
\* scrutans corda et renes,  
Deus.

Justum adjutórium meum  
a Dómino, \* qui salvos facit  
rectos corde.

Deus iudex justus, fortis,  
et pátiens : \* numquid irás-  
citur per singulos dies ?

Nisi convérsi fuéritis, glá-  
dium suum vibrábit : \* arcum  
suum teténdit, et parávit il-  
lum.

Et in eo parávit vasa mor-

tis, \* sagittas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam, \* concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum, \* et incidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caputejus: \* et in vérticem ipsius iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus: \* et psallam nómini Dómini Altíssimi.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat neque qui sal-  
vum fáciat.

Ÿ. A porta inferi.

Ŗ. Erue, Dómine, ánimas eórum.

Pater noster *secreto.*

*Lectiones leguntur sine  
absolutione, Benedictionibus  
et titulo.*

LECTIO I.

[Job., 7.]

**P**ARCE mihi, Dómine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo et súbito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glútiam salivam meam? Peccávi, quid fáciam tibi, o custos hóminum? quare posuisti me contrárium tibi, et factus

sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, et quare non aufers iniquitátem meam? ecce nunc in pulvere dórmiam: et si mane me quæsieris, non subsistam.

*Lectiones terminantur sine  
Tu autem, vel alia conclu-  
sione.*

Ŗ. Credo quod Redemptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum: \* Et in carne mea videbo Deum Salvatórem meum.

Ÿ. Quem visúrus sum ego ipse, et non álius, et oculi mei conspectúri sunt.

Et in carne.

LECTIO II.

[Job., 10.]

**T**ÆDET ánimam meam víz meæ, dimittam advérsus me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre: índica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, et ópprimas me opus mánuum tuárum, et consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt aut sicut videt homo, et tu vidébis? Numquid sicut de hóminis dies tui, et anni tu sicut humana sunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, et peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil impium fécerim, cum sit nemo qui de manu tua possit erúere.



R. Qui Lázarus resuscitasti a monumento foetidum :  
\* Tu eis, Dómine, dona réquiem, et locum indulgentiæ.

Ÿ. Qui ventúrus es iudicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

Tu eis, Dómine.

LECTIO III.

[Job., 10.]

MANUS tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circúitu : et sic repente præcipitas me? Meménto, quæso, quod sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut cáseum me coagulásti? pelle et cárnibus vestisti me : óssibus et nervis compegisti me. Vitam et misericórdiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodívit spíritum meum.

R. Dómine, quando véneris iudicáre terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ? \* Quia peccávi nimis in vita mea.

Ÿ. Commíssa mea pavésco, et ante te erubésco : dum véneris iudicáre, noli me condemnáre.

Quia peccávi.

Ÿ. Réquiem ætérrnam dona eis, Dómine : et lux perpétua luceat eis.

Quia peccávi.

*Postea ad Laudes, ut infra, ccij, quando dicitur unum tantum Nocturnum.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Pro Feria tertia et sexta*  
*Antiphona In loco páscae.*

PSALMUS 22.

Dominus regit me, et nihil mihi déerit : \* in loco páscae ibi me collocávit.

Super aquam refectionis educávit me : \* ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justitiæ, \* propter nomen suum.

Nam et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : \* quóniam tu mecum es.

Virga tua et báculo tuus \* ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, \* advérsus eos qui tribulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : \* et calix meus inebrians quam præclárus est !

Et misericórdia tua subsequétur me \* ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, \* in longitudínem diérum.

Réquiem ætérrnam.

*Antiphona.*

In loco páscae ibi me collocávit.

*Antiphona Delicta.*

PSALMUS 24.

Ad te, Dómine, levávi ánimam meam : \* Deus meus, in te confido, non erubéscam :

Neque irrídeant me inimici

mei : \* étenim universi qui sustinent te non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes \* supervacue.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi : \* et semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, et doce me : \* quia tu es, Deus, salvator meus, et te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine, \* et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ \* et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu, \* propter bonitatem tuam, Domine.

Dulcis et rectus Dominus : \* propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in iudicio : \* docebit mites vias suas.

Universæ viæ Domini, misericordia et veritas, \* requiruntibus testamentum ejus et testimonia ejus.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo : \* multum est enim.

Quis est homo qui timet Dominum? \* legem statuit ei in via quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur : \* et semen ejus hæreditabit terram.

Firmamentum est Dominus timéntibus eum : \* et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum : \* quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserere mei : \* quia unicus et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : \* de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam et laborem meum, \* et dimitte universa delicta mea.

Réspice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, \* et odio iniquo odérunt me.

Custodi animam meam, et erue me : \* non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes et recti adhæserunt mihi : \* quia sustinui te.

Libera, Deus, Israel \* ex omnibus tribulationibus suis.

Réquiem æternam.

*Antiphona.*

Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, Domine.

*Antiphona* Credo videre.

PSALMUS 26.

**D**ominus illuminatio mea et salus mea, \* quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ, \* a quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, \* ut edant carnes meas :

Qui tribulant me inimici

mei, \* ipsi infirmáti sunt, et ceciderunt.

Si consistant advérsus me castra, \* non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsus me prælium, \* in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, \* ut inhábitem in domo Dómini, ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini, \* et vísitem templum ejus.

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo: \* in die malórum protéxit me in abscondito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: \* et nunc exaltávit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: \* cantábo, et psallum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam qua clamávi ad te: \* miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea: \* fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me: \* ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto: \* ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus et mater mea dereliquerunt me:

\* Dóminus autem assúpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in vja tua: \* et dirige me in sémitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in ánnimas tribulántium me: \* quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini, \* in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age; \* et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

✠. Cóllocet eos Dóminus cum princípibus.

R). Cum princípibus pópuli sui.

Pater noster *secreto.*

LECTIO IV.

[Job, 13.]

**R**ESPONDE mihi: Quantas hábeo iniquitátes et peccáta, scélera mea et delicta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscondis, et arbitráris me inimicum tuum? Contra fólium, quod vento rápitur, ostédis poténtiam tuam, et stipulam siccam perséqueris: Scribis enim contra me amaritúdines, et consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, et observásti

omnes sémitas meas, et vestigia pedum meórum considerásti : Qui quasi putrédo consuméndus sum, et quasi vestímentum quod coméditur a tínea.

R). Meménto mei, Deus, quia ventus est vita mea, \* Nec aspíciat me visus hóminis.

Ÿ. De profúndis clamávi ad te, Dómine, Dómine, exáudi vocem meam.

Nec aspíciat.

LECTIO V.

[Job., 14.]

**H**omo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur, et contéritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eódem statu pérmannet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperire óculos tuos, et addúcere eum tecum in iudícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat sicut mercenárii dies ejus.

R). Hei mihi, Dómine, quia peccávi nimis in vita mea. Quid fáciam miser? ubi fúgiam, nisi ad te, Deus

meus? \* Miserére mei, dum véneris in nóvissimo die.

Ÿ. Anima mea turbáta est valde; sed tu, Dómine, succúrre ei.

Miserére mei.

LECTIO VI.

[Job., 14.]

**Q**uis mihi hoc tríbuat ut in inférno prótegas me, et abscondas me, donec pertráns eat furor tuus, et constituas mihi témpus, in quo recordéris mei? Putásne mórtuus homo rursum vivat? cunctis diébus, quibus nunc milito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, et ego respondébo tibi: óperi manuum tuárum pórriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti, sed parce peccátis meis.

R). Ne recordéris peccáta mea, Dómine, \* Dum véneris iudicáre sæculum per ignem.

Ÿ. Dírige, Dómine Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Dum véneris.

Réquiem ætérnam.

Dum véneris.

*Postea ad Laudes, ut infra, ccij, quando dicitur unum tantum Nocturnum.*

IN TERTIO NOCTURNO.

*Pro Feria quarta et Sabbato, Antiphona Complacent.*



## PSALMUS 39.

**EXPECTANS** expectávi Dóminum, \* et inténdit mihi.

Et exaudivit preces meas : \* et edúxit me de lacu misériæ, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos : \* et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, \* carmen Deo nostro.

Vidébunt multi et timébunt, \* et sperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus, \* et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirábilia tua : \* et cogitatióibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum : \* multiplicáti sunt super númerum.

Sacrificium et oblatiõem noluísti : \* aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti : \* tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam : \* Deus meus, voluí, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, \* ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scísti.

Justítiam tuam non abscón-

di in corde meo : \* veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam \* a concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longe fácias miseratiónes tuas a me : \* misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus : \* comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei : \* et cor meum dereliquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me : \* Dómine, ad adjuvándum me respice.

Confundántur et revereántur simul qui quærunt ánimam meam, \* ut áuferant eam.

Convertántur retrórsus et revereántur \* qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiõem suam \* qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent et læténtur super te omnes quæréntes te : \* et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui diligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum et pauper : \* Dóminus sollicitus est mei.

Adjutor meus et protéctor meus es tu : \* Deus meus, ne tardáveris.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Compláceat tibi, Dómine, ut erípias me : Dómine, ad adjuvándum me respice.

*Antiphona* Sana, Dómine.

PSALMUS 40.

**B**EATUS qui intélligit super egénium et páuperem : \* in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra : \* et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : \* univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi, Dómine, misérére mei : \* sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi : \* quando moriétur, et peribit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur, \* cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, \* et loquebátur in idipsum.

Advérsus me susurrábant omnes inimici mei : \* advérsus me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsus me : \* Numquid qui dormit, non adjiciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi : \* qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatióem.

Tu autem, Dómine, misérére mei, et resúscita me : \* et retribuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluisti me : \* quóniam non gaudébit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti : \* et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedictus Dóminus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum : \* fiat, fiat.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Sana, Dómine, ánimam meam, quia peccávi tibi.

*Antiphona* Sitivit.

PSALMUS 41.

**Q**UEMADMODUM desiderat cervus ad fontes aquárum : \* ita desiderat ánima mea ad te, Deus.

Sitivit ánima mea ad Deum fortem vivum : \* quando véniam et apparebo ante faciém Dei.

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte : \* dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam, \* quóniam transibo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei :

In voce exultatiónis, et confessiόnis : \* sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? \* et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : \* salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : \* proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniū a monte módico.

Abyssus abyssum invocát, \* in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui \* super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : \* et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, \* dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? \* et quare contristátus incédo, dum affligit me inimicus?

Dum confringúntur ossa mea, \* exprobravérunt mihi qui tribulant me inimici mei :

Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus? \* quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : \* salutáre vultus mei, et Deus meus.

Réquiem ætérrnam.

*Antiphona.*

Sitívit ánima mea ad Deum vivum : quando véniam et apparébo ante fáciem Dómini?

℣. Ne trádas béstiis ánimas confiténtes tibi.

℞. Et ánimas páuperum

tuórum ne obliviscáris in finem.

Pater noster *secreto.*

LECTIO VII.

[Job, 17.]

SPIRITUS meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, et solum mihi súperest sepúlcrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Libera me, Dómine, et pone me juxta te, et cuiúsvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, et rursum post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, et in ténebris stravi lectulum meum. Putrédini dixi : Pater meus es; mater mea, et soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea, et patiéntiam meam quis considerat?

℞. Peccántem me quotidie, et non me pœniténtem, timor mortis contúrbat me, \* Quia in inférno nulla est redemptio, miserére mei, Deus, et salva me.

℣. Deus, in nómine tuo salvum me fac, et in virtúte tua libera me.

Quia in inférno.

LECTIO VIII.

[Job, 19.]

PELLI meæ, consúptis cáribus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantúmmodo

lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos amici mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequimini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini? Quis mihi tribuat ut scribántur sermónes mei? quis mihi det ut exaréntur in libro stylo férreo, et plumbi lámína, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum? Et rursum circúmdabor pelle mea, et in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius: repósita est hæc spes mea in sinu meo.

R. Dómine, secúndum actum meum noli me iudicáre: nihil dignum in conspéctu tuo egi: ideo deprecor majestátem tuam, \* ut tu, Deus, deleas iniquitátem meam.

Ÿ. Amplius lava me, Dómine, ab injustitia mea, et a delicto meo munda me.

Ut tu Deus.

#### LECTIO IX.

[Job, 10.]

QUARE de vulva eduxisti me? qui útinam consúptus essem ne óculus me vidéret. Fuissem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum fi-

niétur brevi? dimitte ergo me, ut plangam páululum dolórem meum: ántequam vadam et non revértar, ad terram tenebrósam et opértam mortis caligine: terram misériæ et tenebrárum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempitérnus horror inhábitat.

R. Líbera me, Dómine, de viis inférni, qui portas áreas confregisti: et visitásti inférnum, et dedisti eis lumen, ut vidérent te, \* Qui erant in pœnis tenebrárum.

Ÿ. Clamántes et dicéntes Advenisti, Redémptor noster.

Qui erant.

Réquiem ætérnam.

Qui erant.

*Sequens Responsorium dicitur solummodo in die Commemorationis omnium Defunctorum, et quodcumque pro Defunctis dicuntur novem Lectiones.*

R. Líbera me, Dómine, de morte ætérna, in die treménda: \* Quando cœli movéndi sunt et terra: Dum véneris iudicáre sæculum per ignem.

Ÿ. Tremens factus sum ego, et timeo dum discusso vénerit, atque ventúra in Quando cœli.

Ÿ. Dies illa, dies iræ, calamitátis et misériæ, di magna et amára valde.

Dum véneris.



Réquiem ætérnam.

Libera me *usque ad primum Versum.*

~~~~~

### AD LAUDES.

*Absolute incipitur ab Antiphona Exultábunt Dómino.*

PSALMUS 50.

**M**ISERERE mei, Deus, \* secundum magnam misericórdiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, \* dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea, \* et a peccato neo munda me.

Quóniam iniquitatem meam ego cognosco: \* et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: \* ut iustificeris in sermonibus tuis, et incas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitatibus concéptus sum: \* et in peccatis concépit me mater mea.

Ecce enim veritatem dixisti: \* incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérget me hyssópo, et mundabor: \* lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gáulum et lætítiam, \* et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte faciém tuam a peccatis meis, \* et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: \* et spíritum rectum innova in viscéribus meis.

Ne projicias me a fácie tua: \* et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutaris tui; \* et spíritu principalí confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, \* et impii ad te converténtur.

Libera me de sanguinibus: Deus, Deus salutis meæ, \* et exultábit lingua mea justitiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: \* et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrificium, dedissem útique: \* holocáustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spíritus contribulátus: \* cor contritum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benigne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: \* ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrificium justitiæ, oblationes et holocáusta: \* tunc impónent super altáre tuum vitulos.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Exultábunt Dómino ossa humiliáta.

*Antiphona* Exáudi, Dómine.

PSALMUS 64.

**T**E decet hymnus, Deus, in

Sion : \* et tibi reddetur votum in Jerúsalem.

Exáudi orationem meam : \* ad te omnis caro veniet :

Verba iniquorum prævaluerunt super nos : \* et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beátus quem elegisti , et assumpsisti : \* inhabitabit in atriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : \* sanctum est templum tuum , mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus salutáris noster, \* spes ómnium finium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtia : \* qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, et timebunt qui hábitant términos a signis tuis : \* éxitus matutíni et vespere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam : \* multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis , parásti cibum illórum : \* quóniam ita est præparatio ejus.

Rivos ejus inébria, multiplica genimina ejus : \* in stillicidiis ejus lætábitur gérmians.

Benedices coronæ anni benignitátis tuæ : \* et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósá de-

sérti : \* et exultatióne collæ accingéntur.

Indúti sunt arietes óvium, et valles abundábunt frumento : \* clamábunt, etenim hymnum dicent.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

Exáudi, Dómine, orationem meam ; ad te omnis caro veniet.

*Antiphona* Me suscepit.

PSALMUS 62.

DEUS, Deus meus, \* ad te de luce vigilo.

Sitivit in te ánima mea, \* quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et in via, et inaquósa : \* sic in sancto apparui tibi, ut vidérem virtutem tuam et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : \* lábia mea laudábunt te.

Sic benedicam te in vita mea : \* et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : \* et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te : \* quia fuisti adjutor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo : adhæsit ánima mea post te : \* me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quasiérunt ánimam meam, in-

roibunt in inferiöra terræ,  
tradentur in manus gládi,  
partes vülpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo,  
audabuntur omnes qui ju-  
rant in eo : \* quia obstrüctum  
est os loquentium iniqua.

*Hic non dicitur Réquiem.*

PSALMUS 66.

**D**EUS misereatur nostri, et  
benedicat nobis : \* illüminet  
vultum suum super nos, et  
misereatur nöstri.

Ut cognoscamus in terra  
viam tuam : \* in ómnibus  
géntibus salutäre tuum.

Confiteantur tibi pópuli,  
Deus : \* confiteantur tibi pó-  
puli omnes.

Lætentur et exúltent gen-  
tes : \* quóniam júdicas pó-  
pulos in æquitáte, et gentes  
in terra dirigis.

Confiteantur tibi pópuli,  
Deus : confiteantur tibi pó-  
puli omnes : \* terra dedit  
fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus  
noster, benedicat nos Deus :  
\* et métuant eum omnes fines  
terræ.

*Réquiem ætérnam.*

*Antiphona.*

Me suscepit dextera tua,  
Dómine.

*Antiphona A porta inferi.*

CANTICUM EZECHIE.

[Isaie 58.]

**E**GO dixi : In dimidio dié-  
rum meórum \* vadam ad  
portas inferi.

Quæsiui residuum annó-  
rum meórum. \* Dixi : Non  
vidébo Dóminum Deum in  
terra vivéntium.

Non aspiciam hóminem ul-  
tra \* et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est,  
et convoluta est a me, \*  
quasi tabernáculum pastó-  
rum.

Præcisa est velut a texénte  
vita mea : dum adhuc or-  
direr, succidit me : \* de  
mane usque ad vésperam fi-  
nies me.

Sperábam usque ad mane,  
\* quasi leo sic contrivit  
ómnia ossa mea.

De mane usque ad véspe-  
ram finies me : \* sicut pullus  
hirúndinis sic clamábo, me-  
ditabor ut colúmba.

Attenuáti sunt óculi mei,  
\* suspiciéntes in excélsum.

Dómine, vim pátor, res-  
pónde pro me. \* Quid di-  
cam, aut quid respondébit  
mihi cum ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes  
annos meos \* in amaritúdine  
ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, et  
in talibus vita spíritus mei,  
corrípies me, et vivificábis  
me. \* Ecce in pace amari-  
túdo mea amaríssima.

Tu autem eruisti ánimam  
meam ut non períret, \* pro-  
jecisti post tergum tuum  
ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confi-  
tébitur tibi, neque mors

laudabit te : \* non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam.

Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie : \* pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Dómine, salvum me fac, \* et psalmos nostros cantabimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Réquiem ætérnam.

*Antiphona.*

A porta inferi érue, Dómine, ánimam meam.

*Antiphona* Omnis spíritus.

PSALMUS 148.

LAUDATE Dóminum de cœlis : \* laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes ángeli ejus : \* laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol et luna : \* laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum : \* et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini;

Quia ipse dixit, et facta sunt : \* ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum et in sæculum sæculi : \* præcéptum pósuit, et non præteribit.

Laudáte Dóminum de terra, \* dracones, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spíritus procellárum, \* quæ faciunt verbum ejus;

Montes, et omnes colles; \* ligna fructífera, et omnes cedri;

Béstiae et univérsa pécora; \* serpéntes, et volúcre pennátæ;

Reges terræ, et omnes populi; \* príncipes et omnes iudices terræ;

Júvenes et vírgines; senes cum junióribus laudent nomen Dómini : \* quia exaltátum est nomen ejus solius.

Conféssio ejus super cœlum et terram : \* et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : \* filiis Israel, pópulo appropinquánti sibi.

*Hic non dicitur Réquiem.*

PSALMUS 149.

CANTATE Dómino cánticum novum : \* laus ejus in ecclesiá sanctórum.

Lætétur Israel in eo, qui fecit eum : \* et filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : \* in tympano et psalterio psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : \* et exaltábit mansuétos in salutem.

Exultábunt sancti in glória, \* lætabúntur in cubilibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : \* et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindictam in natióibus : \* increpatiões in pópulis :



Ad alligandos reges eorum  
in compédibus : \* et nobiles  
eorum in manibus ferreis ;

Ut faciant in eis iudicium  
conscriptum : \* gloria hæc  
est omnibus sanctis ejus.

*Hic non dicitur Réquiem.*

PSALMUS 150.

**L**AUDATE Dóminum in sanc-  
tis ejus : \* laudate eum in fir-  
mamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus  
ejus : \* laudate eum secun-  
dam multitudinem magnitú-  
dinis ejus.

Laudate eum in sono tu-  
bæ : \* laudate eum in psalté-  
rio et cithara.

Laudate eum in tympano  
et choro : \* laudate eum in  
chordis et órgano.

Laudate eum in cymbalis  
benesonantibus : laudate eum  
in cymbalis jubilationis : \*  
omnis spiritus laudet Dó-  
minum.

Réquiem æternam.

*Antiphona.*

Omnis spiritus laudet Dó-  
minum.

℣. Audivi vocem de cælo  
dicentem mihi.

℟. Beati mórtui qui in  
Dómino moriúntur.

*Antiphona* Ego sum.

CANTICUM ZACHARIÆ.

[Lucæ 1.]

**B**ENEDICTUS Dóminus Deus  
Israel, \* quia visitávit, et  
fecit redemptionem plebis  
sue.

Et eréxit cornu salutis no-  
bis : \* in domo David púeri  
sui.

Sicut locutus est per os  
sanctorum, \* qui a sæculo  
sunt, prophetarum ejus :

Salutem ex inimicis nos-  
tris, \* et de manu omnium  
qui odérunt nos :

Ad faciendam misericór-  
diam cum pátribus nostris :  
\* et memorári testaménti sui  
sancti.

Jusjurandum, quod ju-  
rávit ad Abraham patrem  
nostrum, \* datúrum se  
nobis :

Ut sine timóre, de manu  
inimicorum nostrorum libe-  
ráti, \* serviámus illi.

In sanctitate et justitia co-  
ram ipso, \* omnibus diébus  
nostris.

Et tu puer, Prophéta Al-  
tissimi vocáberis : \* præibis  
enim ante faciém Dómini  
paráre vias ejus :

Ad dandam sciéntiam sa-  
lútis plebi ejus : \* in remis-  
sionem peccatorum eorum :

Per viscera misericórdiæ  
Dei nostri : \* in quibus vi-  
sitávit nos oriens ex alto :

Illumináre his, qui in  
ténébris et in umbra mortis  
sedent, \* ad dirigéndos pe-  
des nostros in viam pacis.

Réquiem æternam.

*Antiphona.*

Ego sum resurrectio, et  
vita : qui credit in me, étiam  
si mórtuus fúerit, vivet ; et

omnis qui vivit, et credit  
in me, non moriétur in  
æternum.

*Deinde Pater noster.*

*Psalmus De profundis,  
clxxxvij, cum Precibus et Ora-  
tionibus, ut supra in Ves-  
peris, clxxxix.*

~~~~~

### PSALMI GRADUALES.

*Dicuntur in Quadrage-  
sima, Feria quarta cujuslibet  
Hebdomadæ non impedita  
aliquo Festo novem Lectio-  
num, in Choro ante Matu-  
tinum diei, extra Chorum  
pro opportunitate temporis.  
Primi quinque Psalmi di-  
cuntur sine Glória Patri;  
Sed in fine ultimi dicitur Ré-  
quiem æternam.*

*Incipit absolute sine An-  
tiphona.*

#### PSALMUS 119.

**Ad** Dóminum cum tribu-  
lárer clamávi, \* et exaudivit  
me.

Dómine, libera ánimam  
meam a lábiis iníquis, \* et a  
lingua dolósa.

Quid detur tibi aut quid  
apponátur tibi \* ad linguam  
dolósam?

Sagittæ poténtis acútæ, \*  
cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus  
meus prolongátus est, ha-  
bitávi cum habitántibus Ce-  
dar : \* multum incola fuit  
ánima mea.

Cum his qui odérunt pa-

cem eram pacíficus : \* cum  
loquébar illis, impugnábant  
me gratis.

#### PSALMUS 120.

**L**EVAVI óculos meos in  
montes, \* unde véniet auxi-  
lium mihi.

Auxilium meum a Dó-  
mino, \* qui fecit cœlum et  
terram.

Non det in commotiõnem  
pedem tuum : \* neque dor-  
mitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit ne-  
que dórmiet, \* qui custódit  
Israel.

Dóminus custódit te, Dó-  
minus protéctio tua, \* super  
manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te :  
\* neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab  
omni malo : \* custódiat ani-  
mam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intrõ-  
tum tuum et éxítum tuum,  
\* ex hoc nunc et usque in  
sæculum.

#### PSALMUS 121.

**L**ÆTATUS SUM in his quæ dicta  
sunt mihi : \* in domum Dó-  
mini ibimus.

Stantes erant pedes nostrí  
\* in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur  
ut civitas, \* cujus participa-  
tio ejus in idípsum.

Illuc enim ascenderunt  
tribus, tribus Dómini : \* tes-  
timónium Israel ad confiten-  
dum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes

in iudicio : \* sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, \* et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua , \* et abundantia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, \* loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, \* quæsi vi bona tibi.

## PSALMUS 122.

**A**d te levávi óculos meos, \* qui hábitas in cœlis.

Eccesicut óculi servórum, \* in mánibus dominórum suórum.

Sicut óculi ancillæ in mánibus dómínæ suæ : \* ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri, Dómine, miserére nostri : \*, quia multum repléti sumus despectiône :

Quia multum repléta est ánima nostra : \* oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

## PSALMUS 123.

**N**isi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel, \* nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cum exúrgerent hómines in nos, \* forte vivos deglutissent nos :

Cum irascerétur furor eó-  
*Vern.*

rum in nos, \* fórsitan aqua absorbuisset nos.

Torréntempertransívit ánima nostra : \* fórsitan pertransisset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, \* qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est \* de láqueo venántium.

Láqueus contritus est, \* et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, \* qui fecit cœlum et terram.

Réquiém ætérnam \* dona eis, Dómine.

Et lux perpétua \* húceat eis.

*Deinde dicitur flexis genibus, Pater noster secreto.*

Ÿ. Et ne nos indúcas in tentatióem.

R). Sed libera nos a malo.

Ÿ. A porta inferi.

R). Erue, Dómine, ánimas eórum.

Ÿ. Requiéscant in pace.

R). Amen.

Ÿ. Dómine, exáudi oratióem meam.

R). Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dóminus vobiscum.

R). Et cum spíritu tuo.

Orémus.

## ORATIO.

**A**BSOLVE, quæsumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum, et óm-

nium fidélium defunctorum ab omni vínculo delictorum, ut in resurrectionis glória inter sanctos et electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

*Post Orationem statim dicuntur alii Psalmi Graduales qui sequuntur; et in fine cujuslibet Psalmi dicitur Glória Patri, et Filio.*

PSALMUS 124.

**Q**UI confidunt in Dómino, sicut mons Sion : \* non commovébitur in ætérnum qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus : \* et Dóminus in circúitu populi sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatorum super sortem justorum : \* ut non exténdant justi ad iniquitatem manus suas.

Bénéfac, Dómine, bonis, \* et rectis corde.

Declinántes autem in obligationes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitatem : \* pax super Israel.

Glória Patri, et Filio.

PSALMUS 125.

**I**N converténdo Dóminus captivitatem Sion, \* facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, \* et lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes : \*

Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiscum : \* facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitatem nostram, \* sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis \* in exultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, \* mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem venient cum exultatióne, \* portantes manipulos suos.

Glória Patri.

PSALMUS 126.

**N**ISI Dóminus ædificáverit domum, \* in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodiérat civitatem, \* frustra vigilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante læcem súrgere : \* súrgite postquam sedéritis, qui mandacátis panem dolóris.

Cum déderit dilectis suis somnum : \* ecce hæredes Dómini, filii ; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu poténtis : \* ita filii excussorum.

Beátus vir qui implet desiderium suum ex ipsis non confundétur cum loquitur inimicis suis in porta.

Glória Patri, et Filio.

PSALMUS 127.

**B**EATI omnes qui timent Dóminum, \* qui ámbulant : vñs ejus.



Labóres mánuum tuárum  
quia manducábis : \* beátus  
es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abún-  
dans, \* in latéribus domus  
tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivá-  
rum \* in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo,  
qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex  
Sion : \* et videas bona Jerú-  
salem ómnibus diébus vitæ  
tuæ.

Et videas filios filiórum  
tuórum, \* pacem super Is-  
rael.

Glória Patri, et Filio.

PSALMUS 128.

Sæpe expugnávérunt me a  
juventúte mea, \* dicat nunc  
Israel.

Sæpe expugnávérunt me a  
juventúte mea : \* etenim non  
obtuérunt mihi.

Supra dorsum meum fa-  
ricavérunt peccatóres : \*  
prolongavérunt iniquitatem  
meam.

Dóminus justus concidit  
services peccatórum : \* con-  
fundántur et convertántur  
 retrórsus omnes qui odé-  
runt Sion.

Fiant sicut fœnum tectó-  
rum, \* quod priúsqvam evel-  
tur exáruit.

De quo non implévit ma-  
num suam qui metit, \* et  
brachium suum qui manipulos  
colligit.

Et non dixerunt qui præ-  
teribant : Benedictio Dómini  
super vos : \* benediximus vo-  
bis in nómine Dómini.

Glória Patri, et Filio.

*Postea dicitur flexis geni-  
bus* : Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Pater noster *secreto*.

✠. Et ne nos indúcas in  
tentatióem.

R). Sed libera nos a malo.

✠. Meménto congregatió-  
nis tuæ.

R). Quam possedisti ab ini-  
tio.

✠. Dómine, exáudi oratió-  
nem meam.

R). Et clamor meus ad te  
véniat.

✠. Dóminus vobíscum.

R). Et cum spíritu tuo.

Orémus.

ORATIO.

**D**EUS, cui próprium est mi-  
seréri semper et párcere,  
súscipe deprecationem nos-  
tram, ut nos et omnes fá-  
mulos tuos, quos delictórum  
caténa constríngit, mise-  
rátió tuæ pietátis cleméner  
absólvat. Per Christum Dó-  
minum nostrum.

R). Amen.

*Post Orationem statim di-  
cuntur alii Psalmi Gradua-  
les qui sequuntur ; et in fine  
cujuslibet Psalmi dicitur*  
Glória Patri, et Filio.

PSALMUS 129.

**D**E profúndis clamávi ad te,

Dómine, \* Dómine, exáudi  
vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes,  
\* in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observáveris,  
Dómine: \* Dómine, quis sus-  
tinébit?

Quia apud te propitiatio  
est, \* et propter legem tuam  
sustinui te, Dómine.

Sustinuit ánima mea in  
verbo ejus: \* sperávit ánima  
mea in Dómino.

A custódia matutína usque  
ad noctem, \* speret Israel  
in Dómino,

Quia apud Dóminum mi-  
sericórdia, \* et copiósa apud  
eum redemptio.

Et ipse redimet Israel \* ex  
ómnibus iniquitatibus ejus.

Glória Patri, et Filio.

PSALMUS 130.

Dómine non est exaltátum  
cor meum: \* neque eláti sunt  
óculi mei.

Neque ambulávi in mag-  
nis, \* neque in mirábilibus  
super me.

Si non humíliter sentié-  
bam: \* sed exaltávi ánimam  
meam.

Sicut ablactátus est super  
matre sua, \* ita retribútió in  
ánima mea.

Speret Israel in Dómino, \*  
ex hoc nunc et usque in sæ-  
culum.

Glória Patri.

PSALMUS 131.

Memento, Dómine, David, \*  
et omnis mansuetúdinis ejus:

Sicut jurávit Dómino, \*  
votum vovit Deo Jacob:

Si introiero in tabernácu-  
lum domus meæ: \* si ascen-  
dero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis  
meis, \* et pálpebris meis dor-  
mitatióem,

Et réquiem tempóribus  
meis, donec invéniam locum  
Dómino, \* tabernáculum Deo  
Jacob.

Ecce audívimus eam in  
Ephrata: \* invénimus eam in  
campis silvæ.

Introibimus in tabernácu-  
lum ejus: \* adorábimus in  
loco, ubi steterunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem  
tuam, \* tu et arca sanctifica-  
tiónis tuæ.

Sacerdotes tui induántur  
justitiam, \* et sancti tui ex-  
tent.

Propter David servus  
tuus, \* non avértas faciem  
Christi tui.

Jurávit Dóminus David  
veritatem, et non frustra-  
bitur eam: \* de fructu ventris  
tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui te-  
taméntum meum, \* et tes-  
timónia mea hæc quæ docui  
eos.

Et filii eórum usque in sæ-  
culum, \* sedébunt super se-  
dem tuam.

Quóniam elégit Dóminus  
Sion, \* elégit eam in habi-  
tatióem sibi.

Hæc réquies mea in sæ-  
culum.

lum sæculi : \* hic habitábo, quóniam elégi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam : \* páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus induam salutári : \* et sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc producam cornu David, \* parávi lucérnam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusióne : \* super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Glória Patri.

PSALMUS 132.

**ECCE** quam bonum et quam jucúndum \* habitáre fratres in unum :

Sicut unguéntum in cápite, \* quòd descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestiménti ejus : \* sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, \* et vítam usque in sæculum.

Glória Patri.

PSALMUS 133.

**ECCE** nunc benedicite Dóminum, \* omnes servi Dónini,

Qui statis in domo Dónini, \* in átriis domus Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, \* et benedicite Dóminum.

Benedicat te Dóminus ex

Sion, \* qui fecit cœlum et terram.

Glória Patri.

*Deinde dicitur flexis genibus :*

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Pater noster *secreto*.

✠. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

R). Sed libera nos a malo.

✠. Salvos fac servos tuos.

R). Deus meus, sperántes in te.

✠. Dómine, exáudi oratió-nem meam.

R). Et clamor meus ad te véniat.

✠. Dóminus vobíscum.

R). Et cum spíritu tuo.

Orémus.

ORATIO.

**P**RÆTENDE, Dómine, fámulis et famulábus tuis dexteram cœlestis auxilií, ut te toto corde perquirant, et quæ digne póstulant cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum.

R). Amen.

SEPTEM PSALMI

POENITENTIALES,

CUM LITANIIS.

*Dicuntur flexis genibus in omnibus sextis Feriis Quadragesimæ, quando Officium fit de Feria : Litanie autem, omissis Septem Psalmis, dicuntur in Litiis majoribus, in festo sancti Mar-*

*ci, et in tribus diebus Rogationum.*

*Dicuntur autem in quadragesima in Choro post Matutinum et Laudes diei, dicto Benedicamus Dómino; extra Chorum pro opportunitate temporis.*

*Antiphona Ne reminiscaris.*

## PSALMUS 6.

**D**OMINE, ne in furóre tuo árguas me, \* neque in ira tua corripas me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infirmus sum : \* sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : \* sed tu, Dómine, úsquequo ?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : \* salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : \* in inférno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per singulas noctes lectum meum : \* lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : \* inveterávi inter omnes inimicos meos.

Discédite a me, omnes qui operámini iniquitatem : \* quóniam exaudivit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudivit Dóminus deprecationem meam : \* Dóminus orationem meam suscepit.

Erubéscant et conturbentur vehementer omnes inimici mei : \* convertántur et erubéscant valde velóciter.

Glória Patri.

## PSALMUS 31.

**B**EATI quorum remissæ sunt iniquitátes : \* et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, \* nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácuí, inveteráverunt ossa mea, \* dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : \* convérsus sum in ærúmma mea, dum configitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci : \* et injustitiam meam non abscondi.

Dixi : Confitébor adversum me injustitiam meam Dómino : \* et tu remisisti impietatem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, \* in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum \* ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne quæ circumdedit me : \* exultatio mea, erue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et instruam te in via hac quæ gradiéris : \* firmábo super te óculos meos.

Nolite fieri sicut equus et



mulus, \* quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eorum constringe, \* qui non appropinquamus ad te.

Multa flagella peccatoris, \* sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætâmini in Domino, et exultate, justî, \* et gloriâmini, omnes recti corde.

Glória Patri.

PSALMUS 37.

**D**OMINE, ne in furóre tuo arguas me, \* neque in ira tua corripas me.

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi : \* et confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ : \* non est pax óssibus meis a fácie peccatorum meorum.

Quóniam iniquitatés meæ supergressæ sunt caput meum : \* et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruérunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, \* a fácie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem : \* tota die contristatus ingrediebar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusionibus : \* et non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis : \* rugiebam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desiderium meum : \* et gémi-

tus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea : \* et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei et próximos mei \* adversum me appropinquerunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant de longe steterunt : \* et vim faciébant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitátes : \* et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam, \* et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, \* et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : \* tu exáudies me, Dómine, Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergaudeant mihi inimici mei : \* et dum commovéntur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quóniam ego in flagella paratus sum : \* et dolor meus in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitatem meam annuntiábo : \* et cogitábo pro peccáto meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, \* et multiplicati sunt qui odérunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahébant mihi : \* quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine, Deus meus : \* ne discesseris a me.

Inténde in adiutorium meum, \* Dómine, Deus salutis meæ.

Glória Patri.

PSALMUS 50.

**M**ISERERE mei, Deus, \* secundum magnam misericórdiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, \* dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea, \* et a peccato meo munda me.

Quóniam iniquitatem meam ego cognosco : \* et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci, \* ut justificeris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitatibus concéptus sum, \* et in peccatis concépit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : \* incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérget me hyssópo, et mundabor : \* lavábis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætítiam : \* et exultábunt ossa humiliata.

Avérte faciém tuam a pec-

catis meis : \* et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, \* et spíritum rectum innova in viscéribus meis.

Ne projicias me a fácie tua : \* et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutaris tui, \* et spiritu principali confirma me.

Docébo iníquos vias tuas : \* et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ : \* et exultábit lingua mea justitiam tuam.

Dómine, lábia mea aperies, \* et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : \* holocáustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spíritus contribulátus : \* cor contritum et humiliátum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, \* ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptábis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocáusta : \* tunc impónent super altáre tuum vitulos.

Glória Patri et Filio.

PSALMUS 101.

**D**OMINE, exáudi orationem meam : \* et clamor meus ad te veniat.

Non avértas faciém tuam a me : \* in quacúmque de-

tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, \* velóciter exáudi me :

Quia defecerunt sicut fumus dies mei : \* et ossa mea sicut crémium aruerunt.

Percússus sum ut fœnum, et áruit cor meum, \* quia oblitus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei, \* adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pelli-cáno solitúdinis : \* factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilávi, \* et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei : \* et qui laudábant me advérsus me jurábant :

Quia cinerem tanquam panem manducábam, \* et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ et indignationis tuæ : \* quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt, \* et ego sicut fœnum áruí.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes : \* et memoriále tuum in generationem et generationem.

Tu exúrgens miseréberis sion : \* quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuerunt ser-

vis tuis lápidés ejus : \* et terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt géntes nomen tuum, Dómine, \* et omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion, et vidébitur in glória sua.

Respéxit in orationem humílium, \* et non sprexit precem eórum.

Scribántur hæc in generatione áltera : \* et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum :

Quia prospéxit de excélso sancto suo : \* Dóminus de cœlo in terram aspéxit,

Ut audíret gémitus compeditórum : \* ut sólveret filios interemptórum :

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : \* et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndó pópulos in unum, \* et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ : \* Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoques me in dimidio diérum meórum, \* in generationem et generationem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti : \* et ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : \* et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur, \* tu

autem idem ipse es, et anni  
tui non deficient.

Filii servórum tuórum ha-  
bitábunt : \* et semen eórum  
in sæculum dirigétur.

Glória Patri.

PSALMUS 129.

**D**E profúndis clamávi ad te,  
Dómine : \* Dómine, exáudi  
vocem meam.

Fiant aures tuæ intendén-  
tes \* in vocem deprecationis  
meæ.

Si iniquitátes observáveris,  
Dómine, \* Dómine, quis sus-  
tinébit?

Quia apud te propitiatio  
est, \* et propter legem tuam  
sustinui te, Dómine.

Sustinuit ánima mea in  
verbo ejus : \* sperávit ánima  
mea in Dómino.

A custódia matutina usque  
ad noctem, \* speret Israel  
in Dómino.

Quia apud Dóminum mi-  
sericórdia, \* et copiósa apud  
eum redemptio.

Et ipse rédimet Israel \* ex  
ómnibus iniquitatibus ejus.

Glória Patri, et Filio.

PSALMUS 142.

**D**OMINE, exáudi orationem  
neam : áuribus pécipe obse-  
crationem meam in veritate  
tua : \* exáudi me in tua jus-  
titia.

Et non intres in iudicium  
cum servo tuo : \* quia non  
justificábitur in conspéctu  
tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimi-

cus ánimam meam : \* humi-  
liávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscuris  
sicut mórtuos sæculi : \* et  
anxiátus est super me spíri-  
tus meus, in me turbátum est  
cor meum.

Memor fui diérum anti-  
quórum, meditátus sum in  
ómnibus opéribus tuis, \* in  
factis mánuum tuárum me-  
ditábar.

Expándi manus meas ad  
te : \* ánima mea sicut terra  
sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dó-  
mine : \* defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam  
a me : \* et similis ero descen-  
déntibus in lacum.

Auditam fac mihi mane  
misericórdiam tuam, \* quia  
in te sperávi.

Notam fac mihi viam in  
qua ámbulem, \* quia ad te  
levávi ánimam meam.

Eripe me de inimicis meis.  
Dómine, ad te confúgi : \*  
doce me fácere voluntatem  
tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus deducet  
me in terram rectam : \*  
propter nomen tuum. Dó-  
mine, vivificábis me, in veritate  
tua.

Educes de tribulatione ani-  
mam meam, et in misericór-  
dia tua dispérdes inimicos  
meos.

Et perdes omnes qui tur-  
bulant ánimam meam : \* quia  
inimicus ego servus tuus sum.



Glória Patri.

*Antiphona.*

Ne reminiscáris , Dómine,  
delicta nostra vel paréntum  
nostrórum, neque vindictam  
sumas de peccátis nostris.

LITANIÆ.

**K**YRIE , eléison.

Christe , eléison.

Kyrie , eléison.

Christe , audi nos.

Christe , exáudi nos.

Pater de cœlis, Deus, mi-  
serére nobis.

Fili Redemptor mundi ,  
Deus , miserére nobis.

Spiritus Sancte, Deus, mi-  
serére nobis.

Sancta Trinitas, unus Deus,  
miserére nobis.

Sancta María, ora pro no-  
bis.

Sancta Dei génitrix , ora.

Sancta Virgo Vírginum ,  
ora pro nobis.

Sancte Michael , ora pro.

Sancte Gábríel , ora pro.

Sancte Ráphael , ora pro.

Omnes sancti Angeli et Ar-  
chángeli, oráte pro nobis.

Omnes sancti beatórum  
Spirítuum órdines, oráte pro.

Sancte Joáñnes Baptista ,  
ora pro nobis.

Sancte Joseph , ora pro.

Omnes sancti Patriárchæ  
et Prophétæ , oráte pro.

Sancte Petre , ora pro.

Sancte Paule , ora pro

Sancte Andréa , ora pro.

Sancte Jacóbe , ora pro.

Sancte Joáñnes , ora pro.

Sancte Thoma , ora pro

Sancte Jacóbe , ora pro.

Sancte Philíppe , ora pro.

Sancte Bartholomæe , ora.

Sancte Matthæe , ora pro.

Sancte Simon , ora pro.

Sancte Thaddæe , ora pro.

Sancte Mathía , ora pro.

Sancte Bárnaba , ora pro.

Sancte Luca , ora pro.

Sancte Marce , ora pro.

Omnes sancti Apóstoli et  
Evangelistæ, oráte pro nobis.

Omnes sancti Discípuli Dó-  
mini , oráte pro nobis.

Omnes sancti Innocéntes ,  
oráte pro nobis.

Sancte Stéphane , ora pro.

Sancte Lauréti , ora pro.

Sancte Vincéti , ora pro.

Sancti Fabiáne et Sebas-  
tiáne , oráte pro nobis.

Sancti Joáñnes et Paule ,  
oráte pro nobis.

Sancti Cosma et Damiáne ,  
oráte pro nobis.

Sancti Gervási et Protási ,  
oráte pro nobis.

Omnes sancti Mártyres ,  
oráte pro nobis.

Sancte Silvéster , ora pro.

Sancte Gregóri , ora pro.

Sancte Ambrósi , ora pro.

Sancte Augustine , ora pro.

Sancte Hierónyme , ora  
pro nobis.

Sancte Martíne , ora pro.

Sancte Nicolæe , ora pro.

Omnes sancti Pontífices et  
Confessóres , oráte pro.

Omnes sancti Doctóres ,  
oráte pro nobis.

Sancte Antóni , ora pro.

Sancte Benedicte , ora pro.

Sancte Bernárde , ora pro.

Sancte Domínice , ora pro.

Sancte Francisce , ora pro.

Omnes sancti Sacerdótes  
et Levítæ , oráte pro nobis.

Omnes sancti Mónachi et  
Eremitæ , oráte pro nobis.

Sancta María Magdaléna ,  
ora pro nobis.

Sancta Agatha , ora pro.

Sancta Lúcia , ora pro.

Sancta Agnes , ora pro.

Sancta Cæcília , ora pro.

Sancta Catharina , ora pro.

Sancta Anastásia , ora pro.

Omnes sanctæ Virgines  
et Viduæ , oráte pro nobis.

Omnes Sancti et Sanctæ  
Dei , intercédite pro nobis.

Propítius esto , parce nobis,  
Dómine.

Propítius esto , exáudi nos,  
Dómine.

Ab omni malo , libera nos ,  
Dómine.

Ab omni peccáto , libera  
nos , Dómine.

Ab ira tua , libera nos.

A flagéllo terræmótus , lí-  
bera nos , Dómine.

A subitánea et improvisa  
morte , libera nos.

Ab insidiis diaboli , libera  
nos , Dómine.

Ab ira et ódio et omni  
mala voluntáte , libera nos.

A spíritu fornicatiónis , lí-  
bera nos , Dómine.

A fúlgure et tempestáte ,  
libera nos , Dómine.

A morte perpétua , libera  
nos , Dómine.

Per mystérium sanctæ in-  
carnatiónis tuæ , libera nos.

Per advéntum tuum , lí-  
bera nos , Dómine.

Per nativitátem tuam , lí-  
bera nos , Dómine.

Per baptismum et sanctum  
jejúnium tuum , libera nos.

Per crucem et passióem  
tuam , libera nos.

Per mortem et sepultúram  
tuam , libera nos.

Per sanctam resurrecti-  
onem tuam , libera nos.

Per admirábilem ascensio-  
nem tuam , libera nos.

Per advéntum Spíritus  
Sancti Parácliti , libera nos.

In die iudicii , libera nos.

Peccatóres , te rogámus ,  
audi nos.

Ut nobis parcas , te roga-  
mus , audi nos.

Ut nobis indulgeas , te ro-  
gámus , audi nos.

Ut ad veram pœniténtiam  
nos perdúcere dignéris , te  
rogámus , audi nos.

Ut Ecclesiám tuam sanc-  
tam régere et conserváre di-  
gnéris , te rogámus , audi nos.

Ut domnum Apostólicum  
et omnes Ecclesiásticos or-  
dines in sancta religióne con-  
serváre dignéris , te rogámus  
audi nos.

Ut inimicos sanctæ Eccl-

sia humiliare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris, te rogamus, audi nos.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut mentes nostras ad celestia desideria erigas, te rogamus, audi nos.

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus, audi nos.

Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias, te rogamus, audi nos.

Ut fructus terrae dare et conservare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.

Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie, eleison.

Christe, eleison.

Kyrie, eleison.

Pater noster *secreto*.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos a malo.

PSALMUS 69.

DEUS, in adiutorium meum intende: \* Domine, ad adiuvandum me festina.

Confundantur, et reverentur \* qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, \* qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes \* qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et laetentur in te omnes qui quaerunt te, \* et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: \* Deus, adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu: \* Domine, ne moreris.

Glória Patri.

Sicut erat.

℣. Salvos fac servos tuos.

℞. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℞. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis.

℞. Neque secúndum iniquitátes nostras retribuas nobis.

℣. Orémus pro Pontífice nostro N.

℞. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

℣. Orémus pro benefactoribus nostris.

℞. Retribuere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam.

Amen.

℣. Orémus pro fidélibus defúctis.

℞. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.

℞. Amen.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus.

℞. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.

℞. Et de Sion tuére eos.

℣. Dómine, exáudi oratiómem meam.

℞. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℞. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

#### ORATIO.

**D**EUS, cui próprium est misereri semper, et párcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes fámulos tuos, quos delictórum cátena constringit, miserátio tuæ pietátis cleménte absólvat.

**E**XAUDI, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis, ut páriter nobis indulgéntiam tribuas benignus et pacem.

**I**NEFFABILEM nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménte osténde, ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis quas pro his merémur erípias.

**D**EUS, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris, preces pópuli tui supplicántis propítius réspice, et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

**O**MNIPOTENS sempitérne Deus, miserére fámulo tuæ Pontífici nostro N., et dirige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ, ut te donánte tibi plácita cupiat, et tota virtúte perficiat.

**D**EUS, a quo sancta desi-



léria , recta consília , et iusta sunt ópera , da servis tuis illam quam mundus habere non potest pacem , ut et corda nostra , mandátis tuis dédita , et hóstium subláta formidine , témpora sint tua protectióne tranquilla.

**U**RE igne Sancti Spíritus renes nostros et cor nostrum , Dómine , ut tibi casto córpore serviámus , et mundo corde placeámus.

**F**IDELIUM Deus ómnium Cónditor et Redémptor , animábus famulórum famulárumque tuárum remissionem cunctórum tribue peccatórum , ut indulgéntiam , quam semper optavérunt , piis supplicatió nibus consequántur.

**A**CTIONES nostras , quæsumus , Dómine , aspirándo præveni , et adjuvándo proséquere , ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat , et per te cœpta finiátur.

**O**MNIPOTENS sempitérne Deus , qui vivórum domináris simul et mortuórum , omniúmque miseréris quos tuos fide et ópere futúros esse prænúscis , te súpplices exorámus ut pro quibus effúndere preces decrevimus , quosque vel præsens sæculum adhuc in carne réti-

net , vel futúrum jam exútos córpore suscepit , intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis , pietátis tuæ cleméntia , ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Exáudiat nos omnipotens et miséricors Dóminus.

℟. Amen.

℣. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

~~~~~

## ORDO

### COMMENDATIONIS ANIMÆ.

*Primum dicuntur Litaníæ breves in hunc modum.*

**K**YRIE , eléison.

Christe , eléison.

Kyrie , eléison.

Sancta María , ora pro eo.

Omnes sancti Angeli et Archángeli , oráte pro eo.

Sancte Abel , ora pro eo.

Omnis chorus Justórum , ora pro eo.

Sancte Abraham , ora pro.

Sancte Joánnes Baptista , ora pro eo.

Sancte Joseph , ora pro.

Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ , oráte pro eo.

Sancte Petre , ora pro eo.

Sancte Paule , ora pro eo.

Sancte Andréa , ora pro eo.

Sancte Joánnes , ora pro eo.

Omnes sancti Apóstoli et Evangelistæ, oráte pro eo.

Omnes sancti Discipuli Dómini, oráte pro eo.

Omnes sancti Innocéntes, oráte pro eo.

Sancte Stéphané, ora pro.

Sancte Lauréti, ora pro.

Omnes sancti Mártyres, oráte pro eo.

Sancte Silvéster, ora pro.

Sancte Gregóri, ora pro.

Sancte Augustine, ora pro.

Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte pro eo.

Sancte Benedicte, ora pro.

Sancte Francíscæ, ora pro.

Omnes sancti Mónachi et Eremitæ, ora te pro eo.

Sancta María Magdaléna, ora pro eo.

Sancta Lúcia, ora pro eo.

Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte pro eo.

Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro eo.

Propítius esto, parce ei, Dómine.

Propítius esto, exáudie eum, Dómine.

Propítius esto, libera eum, Dómine.

Ab ira tua, libera eum.

A periculo mortis, libera.

A mala morte, libera eum.

A pœnis inférni, libera.

Ab omni malo, libera eum.

A potestáte diaboli, libera.

Per nativitátem tuam, libera eum, Dómine.

Per Crucem et passióem tuam, libera eum.

Per mortem et sepultúram tuam, libera eum.

Per gloriósam resurrecciónem tuam, libera eum.

Per admirábilem ascensiónem tuam, libera eum.

Per grátiam Spíritus Sancti Parácliti, libera eum.

In die iudicii, libera eum.

Peccatóres, te rogámus, audi nos.

Ut ei parcas te rogámus, audi nos.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

*Deinde cum in agone sui exitus anima anxietur, dicantur sequentes Orationes.*

#### ORATIO.

**P**ROFICISCERE, ánima christiána de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipotentis, qui te creávit, in nómine Jesu Christi, Filii Dei vivi, qui pro te passus est, in nómine Spíritus Sancti, qui in te effusus est, in nómine Angelórum et Archangelórum, in nómine Thronórum et Dominationum, in nómine Principátuum et Potestátum, in nómine Chérubim et Seráphim, in nómine Patriarchárum et Prophetárum, in nómine sanctórum Apostolórum et Evangelistárum, in nómine sanctórum Mártyrum et Confessórum, in nómine sanctórum Monachórum et Eremitárum, in nómine sanctárum Virgínium

t ómnium Sanctórum et  
anctárum Dei ; hódie sit in  
ace locus tuus, et habitatio  
ua in sancta Sion. Per eúm-  
em Christum Dóminum nos-  
rum.

R). Amen.

## ORATIO.

DEUS miséricors, Deus cle-  
mens, Deus, qui secúndum  
multitúdinem miseratiónum  
uárum peccátum poenitén-  
ium deles, et præteritórum  
riminum culpas vénia re-  
missiós evácuas ; respice  
propítius super hunc fámum  
tuum N. et remissiónem  
omnium peccátorum suórum  
ota cordis confessiós pos-  
éntem deprecátus exáudi.  
ténova in eo, piíssime Pater,  
quidquid terréna fragilitate  
corruptum, vel quidquid  
diabólica fraude violátum  
est ; et unitáti córporis Ec-  
lésiæ membrum redemptiós-  
is annécte. Miserére, Dó-  
mine, gemituum, miserére  
lacrymárum ejus, et non ha-  
béntem fidúciám nisi in tua  
misericórdia, ad tuæ sacra-  
méntum reconciliatiós ad-  
mítte. Per Christum Dómi-  
num nostrum.

R). Amen.

COMMENDO te omnipoténti  
Deo, charíssime frater, et ei,  
cujus es creatúra, commítto :  
ut cum humanitátis débítum  
norte interveniéntem persól-  
veris, ad auctórem tuum,

qui te de limo terræ formá-  
verat, revertáris. Egrediénti  
itaque animæ tuæ de córpore,  
spléndidus Angelórum cœtus  
occurrat : judex Apostolórum  
tibi senátus advéniat : can-  
didatórum tibi Mártyrum  
triumphátor exércitus ób-  
viet : liliáta rutilántium te  
confessorum turma circúm-  
det : jubilántium te Virgínum  
chorus excípiat : et beátæ  
quiétis in sinu Patriarchárum  
te compléxus adstringat :  
mitis atque festívus Christi  
Jesu tibi aspéctus appáreat,  
qui te inter assisténtes sibi  
júgiter interésse decérnat.  
Ignóres omne quod horret  
in ténebris, quod stridet in  
flammis, quod crúciat in tor-  
méntis. Cedat tibi tetérrimus  
Sátanas cum satellítibus suis :  
in advéntu tuo te comitánti-  
bus Angelis contremíscat,  
atque in æternæ noctis chaos  
immáne diffúgiat. Exúrgat  
Deus, et dissipéntur inimíci  
ejus : et fúgiant qui odérunt  
eum a fácie ejus. Sicut défi-  
cit fumus, deficiant, sicut  
fluit cera a fácie ignis, sic  
pereant peccatóres a fácie  
Dei : et justí epuléntur, et  
exúltent in conspéctu Dei.  
Confundántur ígitur et eru-  
bescant omnes tartáreæ le-  
giónes, et ministri Sátanæ  
iter tuum impedire non áu-  
deant. Liberet te a cruciátu  
Christus, qui pro te cruci-  
fixus est. Liberet te ab æterna

morte Christus, qui pro te  
mori dignatus est. Constituat  
te Christus, Filius Dei vivi,  
intra paradisi sui semper  
amœna viréntia, et inter oves  
suas te verus ille pastor ag-  
nóscat. Ille ab ómnibus pec-  
cátis tuis te absólvat; atque  
ad dexteram suam in electó-  
rum suórum te sorte consti-  
tuat. Redemptórem tuum  
fácie ad fáciem vídeas, et  
præsens semper assistens,  
manifestíssimam beátis ócu-  
lis aspicias veritátem. Con-  
stitútus igitur inter ágmina  
beatórum, contemplationis  
divinæ dulcédine potiáris in  
sæcula sæculórum.

R. Amen.

ORATIO.

**S**USCIPE, Dómine, servum  
tuum in locum sperándæ sibi  
salvationis a misericórdia  
tua.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam  
servi tui ex ómnibus pericu-  
lis inférni, et de láqueis pœ-  
nárum, et ex ómnibus tribu-  
lationibus.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam  
servi tui, sicut liberásti He-  
noch et Eliam de commúni  
morte mundi.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam  
servi tui, sicut liberásti Noe  
de dilúvio.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam

servi tui, sicut liberásti Abra-  
ham de Ur Chaldæórum.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam  
servi tui, sicut liberásti Job  
de passionibus suis.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam  
servi tui, sicut liberásti Isaac  
de hóstia et de manu patris  
sui Abrahæ.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam  
servi tui, sicut liberásti Lot  
de Sódomis et de flamma  
ignis.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam  
servi tui, sicut liberásti Mói-  
sen de manu Pharaónis, regis  
Ægyptiórum.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam  
servi tui, sicut liberásti Da-  
niélem de lacu leónum.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam  
servi tui, sicut liberásti tres  
púeros de camíno ignis ar-  
déntis, et de manu regis  
iniqui.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam  
servi tui, sicut liberásti Su-  
sánnam de falso crimine.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam  
servi tui, sicut liberásti David  
de manu regis Saul, et de  
manu Golíæ.

R. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam



servi tui, sicut liberásti Petrum et Paulum de carcéribus.

R). Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam virginem et mártirem tuam de tribus atrocíssimis torméntis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus servi tui, et tecum fácias in bonis congaudére cœlestibus.

R). Amen.

ORATIO.

**C**OMMENDAMUS tibi, Dómine, ánimam fámuli tui N. precamúrque te, Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendisti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce, Dómine, creatúram tuam, non a diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo et vero, quia non est álius Deus præter te, et non est secúndum ópera tua. Lætifica, Dómine, ánimam ejus in conspéctu tuo, et ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, et ebrietátum quas suscitávit furor sive fervor mali desidérii. Licet enim peccáverit, tamen Patrem, et Fílium, et Spíritum Sanctum non negávit, sed crédidit, et zelum Dei in se hábuit, et Deum, qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

ORATIO.

**DELICTA** juventútis et igno-

rántias ejus, quæsumus, ne memíneris, Dómine: sed secúndum magnam misericórdiam tuam memor esto illius in glória claritátis tuæ. Aperíantur ei cœli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, servum tuum súscipe. Suscípiat eum sanctus Michael Archángelus Dei, qui militiæ cœlestis méruit principátum. Véniant illi óbviám sancti Angeli Dei, et perdúcant eum in civitátem cœlestem Jerúsalem. Suscípiat eum beátus Petrus Apóstolus, cui a Deo claves regni cœlestis tráditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédant pro eo sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cœlestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus a Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo omnes sancti et elécti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc sæculo sustinuerunt: ut vînculis carnis exútus, pervenire mereátur ad góriam regni cœlestis: præstánte Dómino nostro Jesu Christo; Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum.

*Si anxíatur adhuc anima, dicuntur hi Psalmi, videlicet Confitémini Dómino, 25, et totus Psalmus Beáti imma-*

culati, *per Horas distributus*, 26.

*Egressa autem anima, dicitur hoc R.* Subvenite, Sancti Dei; occurrere, Angeli Dómini, \* Suscipientes animam ejus, \* Offerentes eam in conspectu Altissimi.

✠. Suscipiat te Christus qui vocavit te, et in sinum Abrahæ Angeli deducant te.

Suscipientes animam.

✠. Réquiem æternam dona ei, Dómine, et lux perpétua luceat ei.

Offerentes eam.

*Deinde* Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

*Postea* Pater noster *secreto*.

✠. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

✠. Réquiem æternam dona ei, Dómine.

R. Et lux perpétua luceat ei.

✠. A porta inferi.

R. Erue, Dómine, animam ejus.

✠. Requiéscat in pace.

R. Amen.

✠. Dómine, exáudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

✠. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

ORATIO.

**T**IBI, Dómine, commendamus animam famuli tui N.

ut defunctus sæculo tibi vivat, et quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit, tu vénia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dóminum nostrum.

Amen.

## BENEDICTIO MENSÆ.

*Ante prandium Sacerdos benedicturus mensam incipit, Benedicite, et alii repetunt Benedicite. Deinde dicit* ✠. Oculi ómnium, *et alii prosequuntur* In te sperant, Dómine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.

Glória Patri.

Sicut erat.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Pater noster *secreto*.

✠. Et ne nos.

R. Sed libera.

*Postea Sacerdos dicit:*

Orémus

**B**ENEDIC, Dómine, nos et hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

*Deinde Lector* Jube, Domne, benedicere.

*Benedictio.—Mensæ cœles-*

tis participes fáciat nos Rex  
æternæ glóriæ.

R). Amen.

*Post prandium aguntur  
gratiæ hoc modo dicto a  
Lectore, Tu autem, Dó-  
mine, miserere nobis.*

R). Deo grátias. *Omnes sur-  
gunt.*

*Sacerdos incipit, V. Con-  
fiteántur tibi, Dómine, óm-  
nia ópera tua.*

R). Et sancti tui benedi-  
cant tibi.

V. Glória Patri.

R). Sicut erat in principio.

*Postea Sacerdos absolute  
dicat :*

**A**GIMUS tibi grátias, omnípo-  
tens Deus, pro univér-  
sis beneficiis tuis : Qui vivis et reg-  
nas in sæcula sæculórum.

R). Amen.

*Deinde alternatim dicitur  
Psalmus Miserere mei, Deus,  
61, vel Psalmus 116.*

**L**AUDATE Dóminum, omnes  
gentes : \* laudáte eum, omnes  
pópuli :

*Quóniam confirmáta est  
super nos misericórdia ejus : \*  
et véritas Dómini manet in  
eternum.*

Glória Patri.

Sicut erat.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

*Sacerdos dicit Pater nos-*

tr.

V. Et ne nos inducas in  
tentatióem.

R). Sed libera nos a malo.

V. Dispérsit, dedit pau-  
péribus.

R). Justitia ejus manet in  
sæculum sæculi.

V. Benedicam Dóminum  
in omni témpore.

R). Semper laus ejus in  
ore meo.

V. In Dómino laudábitur  
ánima mea.

R). Audiant mansuétí, et  
læténtur.

V. Magnificáte Dóminum  
mecum.

R). Et exáltémus nomen  
ejus in idípsum.

V. Sit nomen Dómini be-  
neditum.

R). Ex hoc nunc et usque  
in sæculum.

*Deinde sine Orémus.*

**R**ETRIBUERE dignáre, Dó-  
mine, ómnibus nobis bona  
faciéntibus propter nomen  
tuum vitam æternam.

R). Amen.

V. Benedicámus Dómino.

R). Deo grátias.

V. Fidélium ánimæ per  
misericórdiam Dei requiés-  
cant in pace.

R). Amen.

*Pater noster secreto*

*Quo finito dicit Sacerdos*

*Deus det nobis suam pacem.*

R). Amen.

*Ante cœnam Sacerdos be-  
nediturus mensam, incipit*

Benedicite , et alii repetunt  
Benedicite.

*Deinde Sacerdos incipit  
versum, et alii prosequuntur.*

**B**EDENT páuperes , et satura-  
búntur , et laudábunt Dómi-  
num qui requirunt eum :  
vivent corda eórum in sæcu-  
lum sæculi.

Glória Patri.

Sicut erat.

Kyrie , eléison.

Christe , eléison.

Kyrie , eléison.

Pater noster *secreto*.

Et ne nos.

Orémus.

Benedic , Dómine , ut *su-  
pra in prandio* , CCXXXVj.

Jube , Domne.

*Benedictio.* — Ad coenam  
vitæ æternæ perdúcat nos  
Rex æternæ glóriæ.

R. Amen.

*In fine cœnæ dicitur* : Me-  
móriam fecit mirabilium suó-  
rum miséricors et miserátor  
Dóminus ; escam dedit ti-  
méntibus se.

Glória Patri.

Sicut erat.

*Sacerdos dicat.*

**B**ENEDICTUS Deus in donis  
suis , et sanctus in ómnibus  
opéribus suis : qui vivit et  
regnat in sæcula sæculórum.

R. Amen.

*Deinde alternatim dicitur  
Psalmus , Laudáte Dómi-*

num , omnes gentes , et re-  
liqua ut *supra* , CCXXXvij.

*Quando semel comeditur  
omnia dicuntur ut in Cœna.*

*Prædictus modus benedi-  
cendi mensam , et agendi  
gratias , servatur omni tem-  
pore hujus partis Vernæ .  
præterquam diebus infra-  
scriptis , quibus Versiculi et  
Psalmi tantum variantur.*

*Feria quinta in Cœna Do-  
mini dicitur absolute et sine  
nota* ✕ . Christus factus est  
pro nobis obédiens usque ad  
mortem.

*Deinde Pater noster to-  
tum secreto.*

*Quo dicto , sine pronun-  
tiatione aliqua Sacerdos sig-  
no Crucis benedicit mensam :  
nec dicitur Jube , Domne , nec  
Tu autem . In fine repetitur* ✕ . Christus factus est , *ut su-  
pra . Postea Psalmus Misi-  
rere mei , Deus , 63.*

*Quo finito sine* ✕ . Glória  
Patri , *secreto dicitur Pater*  
noster.

*Deinde Sacerdos dicit ab-  
solute Orationem.*

#### ORATIO.

**R**ESPICE , quæsumus , Dó-  
mine , super hanc familiam  
tuam , pro qua Dóminus  
noster Jesus Christus nos  
dubitávit mánibus tradi no-  
céntium , et crucis subire  
torméntum.

*Et non pronuntiatur* Quæ-  
tecum , nec Fidélium ánimæ ,  
*sed secreto dicitur ; Pater nos-*



er; *nec additur* Deus det nobis suam pacem.

*In Parasceve eodem modo fit sicut in Cœna Domini, sed additur ad* ✠. Christus factus est, Mortem autem Crucis.

*Sabbato Sancto ad benedicendum mensam dicitur* Benedicite.

℞. Benedicite.

✠. Vespere autem Sábbatī quæ lucēscit in prima Sábbatī. Allelúia. Venit María Magdaléne, et áltera María vidére sepúlcrum. Allelúia.

Glória Patri. Sicut erat.

*In fine repetitur* ✠. Vespere autem, *ut supra cum* Glória Patri.

*Psalmus* Laudáte Dóminum, omnes gentes, ccxxxvij, *cum* Glória Patri.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

*Et alia ut supra in prima Benedictione.*

*In die Paschæ, et deinceps usque ad Cœnam sequentis Sabbati, ad benedicendum mensam dicitur :*

✠. Hæc dies quam fecit Dóminus. Allelúia. Exultémus et lætémur in ea. Allelúia.

Glória Patri.

*In fine repetitur* Hæc dies quam fecit, *cum* Glória Patri.

*Psalmus* Confitémini, 25.

*In Ascensione Domini usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive, ✠. Ascéndit Deus in jubilatione. Allelúia. Et*

Dóminus in voce tubæ. Allelúia.

Glória Patri.

*In fine dicitur* ✠. Ascéndens Christus in altum. Allelúia. Captivam duxit captivitatem. Allelúia.

Glória Patri.

*Psalmus* Omnes gentes, pláudite, 73, *vel* Laudáte Dóminum, omnes, ccxxxvij.

*In Pentecoste, a Vigilia ejusdem inclusive usque ad Cœnam sequentis Sabbati exclusive, ✠. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum. Allelúia. Et hoc quod cótinnet ómnia sciéntiam habet vocis. Allelúia.*

Glória Patri.

*In fine dicitur* ✠. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto. Allelúia. Et cœpérunt loqui. Allelúia.

Glória Patri.

*Psalmus* Magnus Dóminus et laudábilis, 73, *vel* Laudáte Dóminum, omnes gentes, ccxxxvij.

# ITINERARIUM.

*Clericus in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari, si cum sociis in plurali.*

*Antiphona* In viam pacis.

CANTICUM ZACHARIÆ.

[ Lucæ 1. ]

**B**ENEDICTUS Dóminus Deus Israel, \* quia visitávit, et fecit redemptionem plebis suæ :  
Et eréxit cornu salutis no-

bis \* in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, \* qui a sæculo sunt, prophetarum ejus:

Salutem ex inimicis nostris: \* et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: \* et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem nostrum, \* datum se nobis.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, \* serviámus illi.

In sanctitate, et justitia coram ipso, \* omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: \* præbis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: \* in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri: \* in quibus visitavit nos, oriens ex alto:

Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, \* ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri, et Filio.

*Antiphona.*

In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Dominus: et Angelus Raphaël comitetur nobiscum in via, ut cum pace,

salute et gaudio revertamur ad propria.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Pater noster *secreto.*

✠. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo

✠. Salvos fac servos tuos

R. Deus meus, sperantes in te.

✠. Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere nos.

✠. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

✠. Nihil proficiat inimicus in nobis.

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

✠. Benedictus Dominus die quotidie.

R. Prósperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.

✠. Vias tuas, Domine, demonstra nobis.

R. Et sémitas tuas edoce nos.

✠. Utinam dirigantur viæ nostræ.

R. Ad custodiendas justificationes tuas.

✠. Erunt prava in directa.

R. Et áspera in vias planas.

✠. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

V. Dómine, exáudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

## ORATIO.

**D**EUS, qui filios Israel per maris médium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti, tribue nobis, quæsumus, iter prósperum tempúsque tranquillum, ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pèrgimus locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeámus.

**D**EUS, qui Abraham púerum unum de Ur Chaldæorum ductum per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti, quæsumus ut nos ámulos tuos custodire digneris: esto nobis, Dómine, in rocinctu suffrágium, in via plátium, in æstu umbráculum, in plúvia et frigore te-

gumentum, in lassitúdine velículum, in adversitaté præsidium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus: ut te duce quo téndimus prósperè perveniámus, et demum incólumes ad própria redeámus.

**A**DESTO, quæsumus, Dómine, supplicatióibus nostris, et viam famulórum tuórum in salutis tuæ prosperitaté dispóne, ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates, tuo semper protegámur auxilio.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incédât, et beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectándo, ad eum quem prædixit secúra perveniat, Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

R. Amen.

V. Procedámus in pace.

R. In nómine Dómini.

Amen.

## PRÆPARATIO

# AD MISSAM

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA.

### *Antiphona.*

Ne reminiscáris, \* Dómine, delicta nostra vel paréntum nostrórum, neque vindictam sumas de peccátis nostris.

*Quæ Antiphona in Festis duplicibus tantum duplicatur.*

*Deinde dicuntur sequentes Psalmi* Quam dilécta tabernácula, 107; Benedixisti, Dómine, 107; Inclina, Dómine, 108; Crédidi, propter quod, 139; De profundis, 143.

*Postea repetitur Antiphona* Ne reminiscáris, Dómine, delicta nostra vel paréntum nostrórum; neque vindictam sumas de peccátis nostris.

*Deinde Sacerdos dicit :*

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Pater noster.

✠. Et ne nos indúcas in tentatióncm.

℟. Sed libera nos a malo.

✠. Ego dixi, Dómine, miserére mei.

℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

✠. Convértere, Dómine, aliquántulum.

℟. Et deprecáre super servos tuos.

✠. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos.

℟. Quemádmódum sperávimus in te.

✠. Sacerdótes tui induántur justitiam.

℟. Et Sancti tui exúltent.

✠. Ab occúltis meis munda me, Dómine.

℟. Et ab aliénis parceservo tuo.

✠. Dómine, exáudi oratióncm meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

✠. Dóminus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

AURESTUÆ pietátis, mitissime



Deus, inclina precibus nostris, et gratia Sancti Spiritus illumina cor nostrum; ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

DEUS, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri; ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur.

URE igne Sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

MENTES nostras, quæsumus, Domine, Paráclitus, qui a te procedit, illuminet; et inducat in omnem, sicut tuus pronisit Filius, veritatem.

ADSIT nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus Sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus neatur adversis.

DEUS, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione occuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, et deus semper consolatione iudicare.

CONSCIENCIAS nostras, quæ-

sumus, Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus paratam sibi in nobis inveniat mansionem: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Amen.

~~~~~

## ORATIONES

*pro opportunitate Sacerdotis ante Celebrationem et Communionem dicendæ.*

ORATIO

SANCTI AMBROSII

EPISCOPI.

DIE DOMINICA.

SUMME Sacerdos, et vere Póntifex, Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara Crucis pro nobis miseris peccatoribus, et qui dedisti nobis Carnem tuam ad manducandum, et Sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus Sancti tui, dicens: Hæc quotiescúmque feceritis, in mei memoriam faciétis. Rogo per eúndem Sanguinem tuum, magnum salutis nostræ prætium: rogo per hanc miram et ineffabilem charitatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in Sanguine tuo; doce me servum tuum indignum, quem inter

cetera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae: doce me, quaeso, per Spiritum Sanctum tuum tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere, et cogitare, quod tibi placet, et expedit animae meae. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solennia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia ac tutela fortissima, ut hostes operum bonorum confusi discendant. Per virtutem tanti mysterii, et per manum sancti Angeli tui, repelle a me et a cunctis servis tuis durissimum spiritum superbiae, et cenodoxiae, invidiae et blasphemiae, fornicationis et immunditiae, dubitatis et diffidentiae. Confun-

dantur qui nos persequuntur: paveant illi qui nos perdere festinant.

## FERIA II.

Rex virginum et amator castitatis et integritatis, coelestis rore benedictionis tuae extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animae. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum ceteris donis tuis, quae tibi placeant in veritate: ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animae puritate istud divinum et coeleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi immis summis, terrena divinis iunguntur, ubi adest sanctorum Angelorum praesentia, ubi tu es Sacrificium et Sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus!

## FERIA III.

Quis digne hoc celebraverit, nisi tu Deus omnipotens.

potens, offerentem féceris dignum? Scio, Dómine, et vere scio, et idípsum pietáti tuæ confiteor, quia non sum dignus accédere ad tantum mystérium, propter nimia peccáta mea et infinitas negligéntias meas. Sed scio, et veráciter ex toto corde meo credo et ore confiteor, quia tu potes me fácere dignum, qui solus potes fácere mundum de immúndo conceptum sémíne, et de peccatóribus justos et sanctos. Per hanc omnipoténtiam tuam te rogo, Deus meus, ut concédas mihi peccatóri hoc Sacrificium celebráre cum timóre et tremóre, cum cordis puritáte et lacrymárum fonte, cum lætítia spiritali et cœlesti gáudio. Séntiat mens dulcedinem beatissimæ præsentíæ tuæ, et excúbias sanctorum Angelórum tuórum in circúitu meo.

## FERIA IV.

Ego enim, Dómine, me-  
nor venerándæ Passiónis  
uæ accédo ad altáre tuum  
icet peccátor, ut ófferam  
ibi Sacrificium, quod tu in-  
stituísti et offérri præcepísti  
in commemoratióne tui,  
pro salúte nostra, Deus, pro  
Ecclésia sancta tua et pro  
pópulo quem acquisivísti  
sanguine tuo. Et quóniam me  
peccatórem inter te et eúm-

dem pópulum tuum médium  
esse voluísti, licet in me ali-  
quod boni óperis testimó-  
nium non agnóscas, officium  
saltem dispensatiónis credi-  
tæ non recúses: nec per me  
indignum eórum salútis pé-  
reat prétium, pro quibus  
víctima salutáris dignátus es  
essere rédemptio. Prófero étiam,  
Dómine, (si digneris propí-  
tius intuéri) tribulatiónes  
plébium, perícula populó-  
rum, captivórum gémitus,  
misérias orphanórum, neces-  
sitates peregrinórum, inó-  
piam debílium, desperatiónes  
languéntium, deféctus se-  
num, suspíria júvenum, vota  
vírginum, láménta viduá-  
rum.

## FERIA V.

Tu enim miseréris óm-  
nium, Dómine, et nihil  
odísti eórum quæ fecísti. Me-  
moráre quæ sit nostra sub-  
stántia; quia tu Pater noster  
es; quia tu Deus noster es,  
ne irascáris satis, neque mul-  
titudinem víscerum tuórum  
super nos contíneas. Non  
enim in justificatiónebus nos-  
tris prostérnimus preces ante  
fáciem tuam, sed in misera-  
tiónebus tuis multis. Aufer a  
nobis iniquitátes nostras; et  
ignem Sancti Spíritus in no-  
bis cleménter accénde. Au-  
fer cor lapídeum de carne  
nostra; et da nobis cor cár-  
neum, quod te amet, te dí-

ligat, te delectétur, te sequátur, te perfruátur. Orámus, Dómine, cleméntiam tuam ut seréno vultu familiam tuam, sacri tui nóminis officia præstolántem, aspícere dignéris : et ut nullius sit irritum vótum, nullius vácuá postulátio, tu nobis preces súggere, quas ipse própítius audíre et exaudíre delectéris.

### FERIA VI.

Rogámus étiam te, Dómine sancte Pater, et pro spirítibus fidélium defunctorum, ut sit illis salus, sánitas, gáudium, et refrigerium, hoc magnum pietátis sacraméntum. Dómine Deus meus, sit illis hódie magnum et plenum convívium de te pane vivo, qui de cœlo descendísti, et das vitam mundo de tua carne sancta et benedicta, Agni vidélicet immaculáti, qui tollis peccáta mundi, quæ de sancto et glorióso beátæ vírginis Mariæ útero est assúpta, et de Spíritu Sancto concépta; ac de illo pietátis fonte, qui per lanceam militis ex suo sacratíssimo látere emanávit : ut exínde refécti et satiáti, refrigeráti et consoláti, exúltent in laude et glória tua. Peto cleméntiam tuam, Dómine, ut descendat super panem tibi sacrificándum plenitúdo tuæ benedictiónis

et sanctificátio tuæ divinitátis. Descéndat étiam, Dómine, illa Sancti Spíritus tui invisibilis incomprehensibilisque majéstas, sicut quondam in Patrum hóstias descendébat, qui et oblatiónes nostras corpus et Sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem dóceat tantum tractáre mystérium cum cordis puritáte et lacrymarum devotióné, cum reveréntia et tremóre; ita ut plácide ac benigne suscipias sacrificium de mánibus meis ad salutem ómnium tam vivórum quam defunctorum.

### SABBATO.

Rogo étiam te, Dómine, per ipsum sacrosáctum mystérium Córporis et Sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua páscimur et potámur, abluimur et sanctificámur, atque unius summæ divinitátis participes effici-mur : da mihi virtútes tuas sanctas, quibus replétus bona consciéntia ad Altáre tuum accédam; ita ut hæc coeléstia sacraménta efficiántur mihi salus et vita. Tu enim dixísti ore tuo sancto et benedicto : Panis quem ego dabo caro mea est, pro mundi vita : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descénderé : Si quis manducáverit



ex hoc pane, vivet in ætérnum. Panis dulcissime, sana palátum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languóre, ut nullam præter te sentiam dulcédinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum et omnem sapórem, qui nos semper réficis, et nunquam in te déficit; cómedat te cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur viscera ánimæ meæ. Mandúcat te Angelus ore pleno: mandúcet te peregrinus homo pro módulo suo, ne deficere possit in via tali recreátus viático. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de cœlo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinaménto carnis et spíritus. Intra in ánimam meam: sana et munda me intérius et extérius. Esto tutámen, et continua salus ánimæ et córporis mei. Repelle a me insidiántes mihi hostes; recédant procul a præsentia poténtiæ tuæ, ut foris et intus per te munitus, recto trámite ad tuum regnum pervéniam: ubi non in mystériis, sicut in hoc tēpore ágitur, sed fácie ad fáciem te vidébimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et eris Deus ómnia in ómnibus. Tunc enim me de te satiábis satietáte mirífica,

ita ut nec esúriam, nec sitiám in ætérnum: Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum.

Amen.

ALIA ORATIO

ANTE MISSAM.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Dómine Jesu Christe, ego peccátor, de propriis méritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericórdia et bonitáte accédere véreor et contremisco. Nam cor et corpus hábeo multis criminibus maculátum, mentem et linguam non caute custodítam. Ergo, o pia Déitas, o treménda Majéstas, ego miser, inter angústias deprehensus, ad te fontem misericórdiæ recúrro, ad te festino sanándus; sub tuam protectionem fúgio, et quem júdicem sustinére néqueo, Salvatórem habére suspiro. Tibi, Dómine, plagas meas osténdo, tibi verecúndiam meam détego. Scio peccáta mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericórdias tuas, quarum non est numérus. Réspice ergo in me óculis misericórdiæ tuæ, Dómine, Jesu Christe, Rex ætérne, Deus et homo, crucifixus propter hóminem. Exáudi me sperántem in te, miserere

mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose Sanguis de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi ablans. Recordare, Domine, creaturæ tuæ, quam tuo Sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore digne degustare merear Sancta Sanctorum; et concede ut hæc sancta prælibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpius cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animæ quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tutio.

Amen.

#### ORATIO

S. THOMAS DE AQUINO.

OMNIPOTENS sempiternus Deus, ecce accedo ad Sacra-

mentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper et egenus ad Dominum cœli et terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, ut panem Angelorum, Regem regum et Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit salutis animæ meæ. Da mihi, quæso, Domini Corporis et Sanguinis non solum suscipere Sacramentum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. Omitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus.

per ómnia sæcula sæculórum.

Amen.

### ORATIO.

*Gregorius XIII, Pontifex Maximus, concessit cuilibet dicenti quæ sequuntur quinquaginta annorum Indulgentiam.*

Ego volo celebrare Missam, et conficere Corpus et Sanguinem Dómini nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctæ Románæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei totiúsque Cúriæ triumphántis, utilitatem meam totiúsque cúriæ

militántis, pro ómnibus qui se commendavérunt orationibus meis in génere et in spécie, et pro felici statu sanctæ Románæ Ecclesiæ.

Amen.

**G**AUDIUM cum pace, emendationem vitæ, spátium veræ poenitentiæ, grátiam et consolationem Sancti Spíritus, perseverántiam in bonis opéribus, cor contritum et humiliátum, atque felicem vitæ meæ consummationem, tribuat mihi omnipotens et misericors Dóminus.

Amen.

*Quia Sacerdos, aut tacita mentis cogitatione, aut submissa vocis expressione, debet recitare singulatim nomina pro quibus in illa celebratione vult singulariter orare (ut insinuat per illas litteras N. N. in Canone contentas), et ne hujusmodi determinatarum personarum nominatio, ob multitudinem aut incertum ordinem, ingerat Sacerdoti celebranti confusionem, non inutile erit sequentem servare ordinem ex vigesima quæstione Quodlibeti Doctoris Subtilis, et ex aliorum gravissimorum Doctorum scriptis excerptum.*

Meménto, Dómine, si tibi placet,

### VIVORUM.

1. Mei, Paréntum, Cognatórum, Fratrum, Sorórum et amicórum meórum ómnium.

2. Cœtus Cardinálium, ac ómnium superiorum Ordinis, atque Sacédotum, et sanctæ Ecclesiæ ministrórum.

### MORTUORUM.

1. Animárum Paréntum, Fratrum, Sorórum, Cognatórum, atque amicórum ómnium.

2. Animárum ómnium benefactorum, tam Spirituálium quam corporálium.

#### VIVORUM.

3. Omnium meæ curæ sub-  
jectórum, tanquam spirituá-  
lium filiórú, et ómnium  
fundatórum, patronórum, et  
benefactórum spirituálium et  
temporálium.

4. Omnium Príncipum  
Christianórum, Dominatió-  
num, et rerum publicárum  
temporálium.

5. Omnium peccántium,  
inimicorúque meórum, at-  
que conversiónis ómnium  
hæreticórum et infidélium.

6. Et ómnium pro quibus  
scis et vis me debére oráre.

#### MORTUORUM.

3. Animárum ómnium *mibi*  
in génere et in spécie com-  
missárum.

4. Animárum Prælatórum,  
Sacerdotum, et ómnium mi-  
nistrórum sanctæ Románæ  
Ecclesiæ Dei et Apostólicæ.

5. Animárum morte impro-  
visa corpóribus exutárum,  
atque eárum quarum non  
est speciális memória.

6. Animárum quæ mei oc-  
casióne in Purgatório purgán-  
tur: eárum quoque misérime  
in Purgatório existéntium.

7. Et eárum ómnium pro  
quibus scis et vis me debére  
oráre.





# GRATIARUM ACTIO

## POST MISSAM.

### *Antiphona.*

Trium puerorum \* canté-  
us hymnum, quem cantá-  
unt Sancti in camíno ignis,  
benedicéntes Dóminum.

*Quæ Antiphona in festis  
multiplicibus tantum duplica-  
r.*

*Canticum Benedícite, óm-  
nia ópera, 20.*

*Psalmus Laudáte Dómi-  
num in sanctis ejus, 21.*

*Et in fine dicitur Glória  
tri.*

*Deinde repetitur Anti-  
phona.*

*Postea Sacerdos dicit :*

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Pater noster.

*℣. Et ne nos indúcas in  
tatiónem.*

*℟. Sed libera nos a malo.*

*℣. Confiteántur tibi, Dó-  
mine, ómnia ópera tua.*

*℟. Et Sancti tui benedi-  
cant tibi.*

*℣. Exultábunt Sancti in  
glória.*

*℟. Lætabúntur in cubíli-  
bus suis.*

*℣. Non nobis, Dómine,  
non nobis.*

*℟. Sed nómini tuo da gló-  
riam.*

*℣. Dómine, exáudi ora-  
tiónem meam.*

*℟. Et clamor meus ad te  
véniat.*

*℣. Dóminus vobíscum.*

*℟. Et cum spíritu tuo.*

*Orémus.*

**D**EUS, qui tribus púeris mi-  
tigásti flammam ignium, con-  
céde propítius ut nos fámu-  
los tuos non exúrat flamma  
vitiórum.

**A**CTIONES nostras, quæsu-  
mus, Dómine, aspirádo  
præveni, et adjuvándo pro-  
séquare, ut cuncta nostra  
oratio et operatio a te semper  
incipiat, et per te cœpta fi-  
niatur.

**D**A nobis, quæsumus, Dó-  
mine, vitiórum nostrórum

flammas extingueret; qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum.

Amen.

## ORATIONES

*post Celebrationem et Communionem dicendæ.*

### ORATIO

S. THOMÆ DE AQUINO.

GRATIAS tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æternæ Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et precor ut hæc sancta Communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam; sit mihi armatura fidei et scutum bonæ voluntatis; sit vitiis meorum evacuatio, concupiscentiæ et libidinis exterminatio, charitatis et patientiæ, humilitatis et obedienciæ, omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium tam visibilium quam invisibilium firma defensio; motuum meorum tam carnalium quam spiritalium perfecta quietatio; in te uno ac

vero Deo firma adhesio; atque finis mei felix consummatio. Et precor te ut illud ineffabile convivium peccatorem perducere cerneris, ubi tu cum Filio tu et Spiritu Sancto Sanctis tu es lux vera, satietas plena gaudium sempiternum, cunctitas consummata, et licitas perfecta. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Amen.

### ALIA ORATIO

S. BONAVENTURÆ

TRANSFIGE, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animæ meæ suavissimis ac saluberrimo amoris vultu, vera serenâque Apostolica sanctissima caritate, ut langueat et liqueat anima mea solo semper amore et desiderio tui: concupiscat, et deficiat atriis tuis; cupiat dissolvere esse tecum. Da ut anima mea te esuriat panem Angelorum, refectionem angelicam, panem spirituum sanctarum, panem spirituum quotidianum substantialem, habentem odorem dulcedinem et saporem et omne delectamentum spiritualis: te in quem desiderat Angeli prospicere, seipsum esuriat et comedat cor meum et dulcedine saporis tui.

leántur viscera ánimæ meæ: semper sitiát fontem vitæ, fontem sapiéntiæ et sciéntiæ, fontem ætérni lúminis, torrentem voluptátis, ubertátem domus Dei: te semper ambiat, te quærat, te invéntiat, ad te tendat, ad te perveniát, te meditétur, te loquátur, et ómnia operétur in laudem et glóriam nóminis tui, cum humilitáte et discretiónem, cum dilectiónem et electatióem, cum facilitáte et afféctu, cum perseverántia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divítiæ meæ, electatió mea, jucúnditas mea, gáudium meum, quies mea, tranquillitas mea, pax mea, caritas mea, odor meus, ulcédo mea, cibus meus, refectio mea, refúgium meum, auxílium meum, scientia mea, pórtio mea, possessio mea, thesáurus meus, in quo fixa et firma immobiliter semper sit indicata mens mea et cor meum.

## ORATIO

AD BEATISSIMAM VIRGINEM  
MARIAM.

SACRATISSIMA, O serenissima et inclyta, gloriósa virgo María, quæ Creatórem ómni-um creaturárum in tuo sacratissimo útero fuísti digna portáre, soláque virgíneo

úbere lactáre; cujus veracissimum sacrúmque Corpus et Sánguinem ego indignus peccátor modo súmerem præsumpsi, tuam humiliter deprecor misericórdiam, ut apud ipsum pro me peccatóre intercédere dignéris, ut, quidquid in hoc tam ineffábili ac digníssimo Sacrificio per me indignum ignoránter vel negligénter aut accíden-ter seu irreverénter, scilicet in tractándo et suméndo ac ministrándo actum est, commissum vel omísum, tuis sacratíssimis précibus indulgére dignétur idem Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus; Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum.

Amen.

## RHYTHMUS

## S. THOMÆ

AD SACRAM EUCHARISTIAM.

ADORO te devóte, latens Deítas,

Quæ sub his figúris vere latitas:

Tibi se cor meum totum súbjicit,

Quia te contéplans totum déficit.

Visus, tactus, gustus in te fállitur,

Sed auditu solo tuto créditur.  
Credo quidquid dixit Dei Fílius;

Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latébat sola Déi-  
tas ;

At hic latet simul et humáni-  
tas ;

Ambo tamen credens atque  
cónfitens ,

Peto quod petivit latro pœ-  
nitens.

Plagas, sicut Thomas, non  
intúeor,

Deum tamen meum te confi-  
teor.

Fac me tibi semper magis cré-  
dere ,

In te spem habére, te diligere.

O memoriále mortis Dó-  
mini ,

Panis vivus, vitam præstans  
hómini ,

Præsta meæ menti de te ví-  
vere ,

Et te illi semper dulce sápere.

Pie Pelicáne Jesu Dómine,

Me immúndum munda tuo  
sáanguine ,

Cujus una stilla salvum fácere

Totum mundum quit ab omni  
scélere.

Jesu, quem velátum nunc  
aspício ,

Oro fiat illud quod tam sitio :

Ut te reveláta cernens fácie,

Visu sim beátus tuæ glóriæ.

Amen.

## ALLÆ ORATIONES

DICENDÆ POST CELEBRATIONEM

MISSÆ.

ALIA ORATIO

*post Communionem.*

**A**NIMA Christi, sanctifica me.  
Corpus Christi, salva me.  
Sáanguis Christi, inébria me, ac-  
láteris Christi, munda me.  
bone Jesu, exáudi me, et v-  
me permittas separáre te, a  
hoste máligno defénde me.  
hora mortis meæ voca me, et  
pone me juxta te, ut cum  
Angelis tuis laudem te in sa-  
cula sæculórum.

Amen.

ALIA ORATIO

**O**BSEURO te, dulcissime Do-  
mine Jesu Christe, ut panis  
tua sit mihi virtus qua vi-  
viam, prótegar atque delecter.  
Vúlnera tua sint mihi remedia,  
bus potúsque quibus panis  
inébrier et delécter. Aspersio  
Sáanguinis tui sit mihi ablutio  
ómnium peccatórum meo-  
rum. Mors tua sit mihi gloria  
sempitérna, et nunc, et  
perpétuum.

Amen.



# ORATIO

## A PAPA URBANO VIII

EDITA.

ANTE oculos tuos, Dómine, culpas nostras férimus, et lagas quas accépimus contrimus.

Si pensámus malum quod fecimus, minus est quod pámur, majus est quod meréur.

Grávius est quod commimus, lévius est quod tolemus.

Peccáti pœnam sentimus, peccáandi pertináciam non tãmus.

In flagéllis tuis infirmitas nostra téritur, et iníquitas non mutátur.

Mens ægra torquétur, et rix non fléctitur.

Vita in dolore suspirat, et ópere non se émendat.

Si expéctas, non corrígir; si vindicas, non dunus.

Confitémur in correctióne quod égimus; obliviscimur quod visitatióem quod flévis.

Si exténderis manum, fanda promíttimus; si sus-

penderis gládium, promissa non sólvimus.

Si férias, clamámus ut parcas; si pepérceris, iterum provocámus ut férias.

Habes, Dómine, confiténtes reos; nóvimus quod, nisi dimíttas, recte nos périmas.

Præsta, Pater omnipotens, sine mérito quod rogámus, qui fecisti ex níhilo qui te rogárent.

Per Christum Dóminum nostrum.

Amen.

Ÿ. Gregem tuum, Pastor ætérne, non déseras.

R. Sed per beátos Apóstolos tuos perpétua defensióne custódias.

Ÿ. Prótege, Dómine, pópulum tuum ad te clamántem, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem.

R. Perpétua defensióne custódias.

Ÿ. Oráte pro nobis, sancti Apóstoli Dei.

R. Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

## ORATIO.

**P**RESTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbaciónibus concuti, quos in Apostólica confessionis petra solidasti. Per Dóminum.

Amen.

**I**MPLORET, clementissime Dómine, nostris opportúnam necessitatibus opem devóte a nobis prolata meditatio, qua sanctus olim Joánes Chrysóstomus, in hac Basilica cónditus, tecum beatissimis Apóstolis Petro et Paulo repræsentávit sic colloquéntem; Circúmdate hanc

novam Sion, et circumvaláte eam; hoc est custodite munite, précibus firmáte ut quando iráscor in tempore, et orbem terræ concutio, aspiciens sepúlcrum vestrum numquam desitúrur et quæ libénter propter me géritis stigmata, iram misericórdia vincam, et ob hanc percipiam vestram intercessiónem: étiam quando Sacerdótium et Regnum video lacrymári, statim quasi compátiens ad commiseratióem flector, et illius meæ voci reminiscor: Prótegam urbem hanc propter David servum meum, et Aaron sanctum meum: Dómine, fiat, fiat.

Amen, amen.



# OFFICIA PROPRIA SANCTORUM

A SANCTA SEDE APOSTOLICA  
PRO ALIQUIBUS LOCIS CONCESSA.

## PARS VERNA.

DIE V FEBRUARII.

BEATORUM MARTYRUM JAPONUM  
PAULI, JOANNIS ET JACOBI,  
societatis Jesu.

(DUPLEX MAJUS.)

*Omnia de Communi plurimorum martyrum primo loco, præter sequentia.*

ORATIO.

DEUS, qui primitias fidei  
pud Japoniæ gentes beató-  
rum mártýrum tuórum Pauli,  
Joánnis et Jacóbi sáanguine  
confirmásti, concéde propí-  
us ut ad tui nóminis con-  
sisióem, quorum excitá-  
ur exemplis, eórum préci-  
is adjuvémur. Per Dómi-  
um nostrum.

*Lectiones primi Nocturni  
patres debitores, etc., de  
dem Communi.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

TAICOSAMA Japoniæ Impera-  
tore in Christianos sæviénte,  
tres e societate Jesu Japo-  
nes, Paulus Miki, Joánnes  
de Goto, et Jacóbus Kisai,  
fidem, quam ibi Sanctus  
Franciscus Xavérius magnis  
sudóribus plantáverat, ipsi  
suo étiam sáanguine irrigá-  
runt. Paulus claro génere or-  
tus, ac tum profánis, tum  
sacris litteris excúltus, an-  
num agébat tértium ac trigé-  
simum, jamque Sacerdótio  
iniándus: qua voce, qua  
scriptis libris plúrimos e po-  
pularibus suis partim ab er-  
róre ad veritátem, partim a  
vitíis ad virtútem tradúxerat.  
Joánnes annos tantum un-

deviginti natus, litterarum studiis operam dabat: ac divinæ legis elementa populo explicans, obeundis olim Evangelicis ministeriis proludēbat. Iacobus quarto supra sexagesimum anno jam explēto, quanquam et ipse catechista, rem tamen etiam domesticam curabat humilitate ac patientia singulari: quas ad virtutes quotidiana Christi patientis meditatione mirum in modum excitabatur.

R. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, serviētes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: \* Terra apparuit arida, et in mari Rubro via sine impedimento.

Y. Quoniam percussit petram: et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt.

Terra apparuit.

#### LECTIO V.

ERGO comprehēsi, atque extrema sinistræ auris parte in Meacēsi foro publice mulctati, revinctis post tergum manibus, vili in plastro per vicos primum hujus, tum aliarum Japoniæ urbium, sexcentorum milliarium itinere terrestri, quo ignominia, et terror latius spargeretur, summa hieme circumducuntur; præeunte lictore, ad sententiam crucis in eos scriptam præferente, quod vetitam a tyranno

Christi legem prædicassent. Sed cum illi ærumnas inter et ludibria læti semper atque alacres, quod verbis adstruebant, exemplo quoque confirmarent: Paulus vero etiam in Meacēsi carcere duos e custodibus, sexque alios in Ozacēsi, atque alicubi Gubernatorem ipsum Christo adjunxisset: triumphus ille fidei non probrum fuit; iratis palam Taicósamæ Bónziis, quod homines istos per Japoniam circumveheret, ad Christi sectam disseminandam scilicet, non extirpandam.

R. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: \* Ut hæredes fierent in domo Domini.

Y. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia.

Ut hæredes.

#### LECTIO VI.

TANDEM Nangasáchium perducti, paratis in colle crucibus, quas ipsi antea venerabundi salutaverunt, affiguntur. Aderat Joánni pius ac fortis Génitor; nec satis patuit, uter supplicium lætius ille ne tulerit, an iste spectarit. Nec minor in Iacóbo, devéxa licet ætate, animi vigor eminēbat. At Paulus, triumpháli illo crucis pulpito, nativam hominis eloquentiam stimulante Dei chari-



ite, ad circumfúsam multi-  
túdinem pro Christiána Re-  
gióne perorávit: illud pa-  
m sibi gratulátus, quod in  
tuce, ut Christus Dóminus,  
démque, atque ille, ætáte  
orerétur. Donec singuli ab  
his latéribus ad húmeros bi-  
s lanceis transfixi victrices  
imbas cœlo inferéndas emi-  
re, nonis februárii, anno  
Mllesimo quingétesimo no-  
gésimo séptimo. Pendéntes  
temporum exúvias Episcopus  
Póniæ, ad collem mox vé-  
ns, pósito humi génibus  
police est venerátus; atque  
illo cœpit locus esse óm-  
nis veneratióni. Id vero  
gratum extitisse váriis  
his osténdit signis: inter  
illud præcipuum, quod  
quis Mártyrum semen fuit  
Christianórum. Quibus rite  
obátis, Urbánus Octávus,  
Pátrifex Máximus, eos bea-  
tissimorum Mártyrum fastis ad-  
scripsit.

Tanquam aurum in for-  
probávit eléctos Dómi-  
et quasi holocáusti hós-  
accepit illos: et in tém-  
erit respectus illórum:  
omniam donum et pax est  
s Dei.

Qui confidunt in illum  
gent veritatem: et fidé-  
dilectione acquiescent

omniam donum.

ria Patri.

omniam donum.

DIE XI FEBRUARII.

festum

BB. SEPTEM FUNDOTORUM

ORDINIS

SERVORUM B. MARIE VIRGINIS.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Con-  
fessoris non Pontificis, præ-  
ter ea quæ sequuntur.*

*In Hymno Iste Confessor  
dicitur Méruit suprémos.*

ORATIO.

**D**OMINE Jesu Christe, qui in  
jugem memóriam Dolórum  
sanctissimæ tuæ Genitrícis,  
per Septem Beátos Patres  
nova Servórum ejus familia  
Ecclésiám tuam fœcundásti,  
concede nobis fámulis tuis  
in hac lacrymárum valle de-  
géntibus, ita ejúsdem mœs-  
tissimæ Matris sócios cum  
ipsis esse passiónum in ter-  
ris, ut perpétuæ consolatió-  
nis consórtes fieri mereámur  
in cœlis. Qui vivis.

*Lectioes primi Nocturni  
de Communi Confessoris Pon-  
tificis secundo loco, Laudé-  
mus viros gloriósos, lxxxj.*

LECTIO IV.

**D**ECIMOTERTIO Christiáni  
nóminis sæculo, inter álios  
Florentínos patricios septem  
erant avórum ságuine opi-  
búsque illústres, ac virtúti-  
bus spectátis suis longe illus-  
trióres, nuncupáti (ut Reli-  
gióni nomen dedére) Bonfi

lius Monáldius, Bonajúcta Manétti, Manéttus Antellén-sis, Amidéus de Amidéis, Ugúccio Ugucciónius, Sosténeus de Sosténeis, demum Aléxius de Falconériis. Cum hi trigésimo tértio supra mil-lésimum ac bis centésimum annum, auspicatíssimo As-súmpptæ Virginis festo, in sodalitio quodam, cui titu-lus Laudénsium erat, augus-tissimæ Dei Genitrícis, prout par erat, laudēs exsólve-  
rent, ab eádem dulcissime iis apparénte, inopíne monéri se séntiunt ad sublimiór-  
is vitæ genus, posthábito mundo amplecténdum: ab-solutisque idcirco, quibus dabant óperam láudibus, conféstim pérciti in unum, collatisque mútuo consíliis, supérni Dei vocantisque Dei-paræ oráculis parére mox de-crevérunt. Quod et sédulo factum est ab iisdem: nam, consúlto statim matúre urbis Epíscopo, post fortúnæ ab-dicátis bonis erogatisque am-ple in egénos, ciliciis carni obstrictis, vilióribus detritis-que véstibus cinérei colóris indúti, in rurálem parvam ædiculam secessérunt natali-tio die amantissimæ ipsórum Paréntis, ut vitæ sanctiór-  
is primórdia óptime inírent, qua die mortálibus orta sa-crátissimam vitam ipsa in-choáverat.

R. Honéstum fecit illum

Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam.

Y. Justum dedúxit Dómi-nus per vias rectas, et ostén-dit illi regnum Dei.

Et dedit.

#### LECTIO V.

Sic septem beáti viri chari-tátis fœdere devincti, eádem in domo semet unierant: cum ecce per urbem visos, statim (Dómino sic dispo-nénte, movén-teque infanti-les voces Deipara) ex in-fántium ore ac lacténtium, inter quos tum puer erat sanctus Philippus Benitus vix quintum mensem in-gréssus, se Mariæ clamári Servos insperáto est audi-tum. Quanta tunc et exinde amóris flamma in Dóminam suam, cujus, ignáris ipsis, declaráti Servi erant, exci-tátis stúdiis exárserint, non fá-cile est explicátu. Illud so-lum scitur, quod sic ei se de-didérunt, ut véluti Matrem suam veneráti, maximóque honóre habére, morem ei gérere in ómnibus, et ob-temperáre propter eam cunc-tis summópere studúerint. Hinc etiam ádeo jucúndi grá-tique ei fuére, ut, cum vita-túri pópuli plausum in Sena-rium Montem ab ipsa is præosténsus habitatúri te-téndérunt, ibique Crucifixum Jesum mœstissimámque Ma-

trem doléntes assidue recólerent, apparuit illa eis, habitúque lúgubri assignáto in memóriam Dolórum suórum, ut compateréntur istis, eos consecrávit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum : \* Et ad portas paradísi coronávit eum.

Y. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

#### LECTIO VI.

[TA cinericiis véslibus, inlulgente etiám Episcopo, in nigras mutátis, post nonnullos annos fortunátis quidem uspíciis claríssimum illud Prædicatórum Ordinis decus sanctus Petrus martyr Florentiam accéssit, et audita respectaque simul non fucáta sanctimónia ipsórum, ita Dei míci se cœpérunt mútuo digere, ut familiarissime veraréntur invicem secum, seque altérne fovérunt. Inter étera porro illud áccidit, quod ( speránte inclyto Mártre, honórem Deo non módicum, magnum terris cómodum próditum iri, si protia Virgine longe latéque propagaréntur : et una cum sis impénse eam exoránte, argumento áliquo voluntatem suam patefáceret ) invocáta Virgo amans in visione ei revelávit, se Viros septem et qui ventúri ant post eos, inter mundi

hómínes omnes ad singuláre servítium suum selegisse, et commiserándis pœnis jam latis suis amaríssimis construéndum Ordinem esse, ad sui honórem et glóriam. Hoc prodigióso Virgíneo decreto animáti humíllimi Patres, non quia suæ mentis fuisset successóres pósteros gígnere, sed ut jussa reseráta fácerent suprémae eórum Regínæ, quæ nómine suo duratúram sibi familiam fundári volúerat, institúere deinceps sacrum Servórum Ordinem decrevérunt, non tam ut primi ejus Fundatóres, quam ut cœléstis suæ Fundatrícis ministri obsequéntes. Quos proinde Dóminus, ut Servos bonos et fidéles suos ac Matris, in vita multis virtútibus, in morte multis prodigiis, post tránsitum multis miraculis adornávit. Novíssime vero Benedictus Decimustértius ejus institúti proféssor, cujus sanctus Petrus erat, ejus quoque in eos hæres amoris, Póntifex renunciátus, eórum miram institutió-nem, ut inclaresceret Orbi, lectiónibus his recenséri peramánter consúluit ac mandávit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam, \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

✠. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

*In tertio Nocturno Homilia in Evangelium Nólite timere, de Communi Confessoris non Pontificis, secundo loco, xc.*

~~~~~

DIE XIII FEBRUARII.

S. CATHARINÆ DE RICCIIS,

virginis.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Virginum præter sequentia.*

ORATIO.

DOMINE Jesu Christe, qui beatam Catharinam Virginem tui amore succensam Passiõnis contemplatione clarescere voluisti, ejus intercessionẽ concẽde ut, Passiõnis mystéria devõte recolentes, ejus fructum percipere mereamur. Qui vivis et regnas.

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

CATHARINA nobili familia de Ricciis Florentiæ nata, vel ab ineunte ætate piam indolem præmatũre ostendit. In suburbano monasterio sancti Petri de Monticellis, ubi morum disciplina imbueretur,

collocata, quotidie ad Christum Crucifixi imaginem orans, non sine lacrymis, horis etiam animi relaxationi addictis, ejus Passiõnem meditabatur. Ad monasterium postea sancti Vincẽntii Ordinis sancti Dominici in Civitate Prati translata, paternos lares ad tempus repetere nisi certa spe rẽditus habita, constanter recusavit. Tandem anno decimotertio, sæculi deliciis contẽptis, ibidem religiõsum institutum professsa est.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua.

Y. Spécie tua et pulchritudine tua intẽde, prospere procẽde, et regna.

Et deducet.

LECTIO V.

CHARITATE in Deum servens, orationi fere assidue vacabat, quidquid tẽporis necessariis occupationibus et mõdica quieti supererat in ea insumens; utque corpus in servitutem redigeret, ferrea catena et flagellis illud macerabat. Cibi parcissima, octo supra quadraginta annos carnibus abstinuit, leguminibus plerumque et herbis vescens, interdum verò solo pane et aqua contenta. Proximorum æternam salutem exoptans, ardentissimas ad Deum pro peccatorum con-



versione preces fundebat. Tanto etiam commiserationis ensu erga purgantem animam commota est, ut acerrimos dolores sibi divinius inflictos in poenarum illi lebitarum expiationem perulisse visa sit. Eximia prudentia et regularis observantiae zelo moniales diu rexit, eas non minus exemplo, quam adhortationibus ad omnem sanctimoniam informans; quo in officio humilitatem adeo coluit, ut abjectissima quæque opera sponte baret, ac infirmis præcipua caritate et summo studio perserviret.

R. Dilexisti justitiam, et disti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.

V. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

## LECTIO VI.

SUPERIORUM charismatum copia singularis in ea enituit, annulo desponsationis, sacrisque stigmatibus, quæ non semel spectanda se exhibuerunt, acceptis. Plurimum annorum spatium, quinta et sexta feria in altissimam contemplationem rapta, singulos Remptoris cruciatus in Passione toleratos ex ordine in corpore mirabiliter sentire consuevit. Præter degen, sanctum Philippum Neri, Romanæ commorantem videre

promeruit, ejusque colloquio frui. Extasum, raptum, ecclestium visionum, ac prophæti luminis dono illustris, futura prædixit, ac simul occulta revelavit. Gravibus denique morbis decumbens, Ecclesiæ Sacramentis munita, anno a Christo nato millésimo quingentesimo nonagesimo, ætatis sexagesimo nono, quarto nonas februarii in cælum migravit. Eam subinde Clemens Duodécimus beatarum Virginum número, Benedictus vero Decimus-quartus, Pontifex Máximus, solènni ritu sanctarum Virginum fastis adscripsit, anno salutis millésimo septingentesimo quadragésimo sexto.

R. Afferentur Regi virgines post eam, proximæ ejus \* Afferentur tibi in lætitia et exultatione.

V. Spécie tua et pulchritudine tua intènde, prospere procéde, et regna.

Afferentur.

Glória Patri.

Afferentur.

~~~~~

DIE XXIII FEBRUARII.

IN FESTO

S. MARGARITÆ DE CORTONA.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi non Virginum, præter ea quæ hic assignantur.*



## ORATIO.

**D**EUS, qui famulam tuam Margaritam de perditionis via ad salutis tramitem misericorditer deduxisti, eadem nobis miseratione concede, ut quam prius errantem sectari non erubuius, mox poenitentem impigre sequi gloriemur. Per Dominum.

*Ante Quadragesimam in primo Nocturno Lectiones dicuntur de Scriptura occurrente.*

*In Quadragesima de Comuni non Virginum Mulierem fortem, cxxxj.*

## IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

**M**ARGARITA, a loco dormitionis Cortonensis appellata, Laviáni in Thyrcia ortum habuit. Primis adolescentiæ suæ annis, mundi voluptatibus capta, in Montis Politiani Civitate vanam et lubricam vitam duxit: sed cum amasium ab hostibus fæde transfossum indicio canis in fovea sub strue lignorum tumultum fortuito reperisset, illico facta est manus Domini super eam; quæ magno culparum suarum mœrore tacta, exiit foras, et flevit amare. Itaque Laviánium reversa, crine detonso, neglecto capite, pullaque veste contacta, erroribus suis, mundique illecebris nuntium misit, inque ædibus Deo sacris, fune ad

collum alligato, humi procumbens, ab omnibus, quos antea moribus suis palam offenderat, veniam exoravit. Mox Cortonam profecta, in cinere ac cilicio ab se læsam Dei majestatem placare studuit: donec post triennale virtutum experimentum a Fratribus Minoribus spiritalis vitæ ducibus Tertii Ordinis habitum impetravit. Uberes exinde lacrymæ ei familiæres fuerunt, atque ima suspiria tanta animi contritione ducta, ut diu elinguis consisteret. Lectulus nuda humus, cervical lapis aut lignum porrexit; atque ita noctes insomnes in cœlestium meditatione trahere consuevit; nullum amplius pravum desiderium perpessa, dum bonus spiritus promptior infirmam carnem ad subeundos labores erigebat.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam:  
\* Et deducet te mirabiliter dextera tua.

Y. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

Et deducet.

## LECTIO V.

**A**d dæmone insidiis funestisque conatibus lacerata, mulier fortis hostem ex verbis detectum semel atque iterum invicta repulit. Ad eludendum vanæ gloriæ lenocinium



quo a malo spiritu petebatur, præteritos mores suos per vicos et plateas alta voce accusare non destitit; omni supplicio se ream inclamans: nec nisi a confessario deterrita in speciosam faciem olim impuri amoris causam sævire abstinuit; ægre ferens suam formam longa carnis maceratione non aboleri. Quibus aliisque magnæ poenitentiae argumentis suorum criminum labe expiata, atque ita de se triumphatrix, ut sensus plane omnes a mundi illécebris custodiret, digna facta est quæ sæpe Domini consuetudine frueretur. Ejusdem quoque Christi, et Virginis Matris dolorum, quod ipsa ardenter expetierat, particeps facta, cunctis sensibus destituta, et vere mortua interdum visa est. Ad eam proinde veluti ad perfectionis magistratam ex dissitis etiam regionibus plurimi conveniebant: ipsa vero cœlesti quo erat perfusa lumine, cordium secreta, conscientias hominum, imo et peccata in remotis licet partibus Deum offendentium cum dolore et lacrymis detegens, summæque in Deum et proximum charitate fervens, ingentem animarum fructum operata est. Ægris ad se venientibus salutem, obsessis a dæmone liberationem impetravit. Puerum defunctum lugente ma-

tre ad vitam reduxit. Imminentes bellorum tumultus assiduus orationibus sedavit. Denique summæ pietatis operibus vivos et mortuos sibi demeruit.

¶. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.

¶. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea unxit.

## LECTIO VI.

Tot sanctis operibus occupata, de rigore, quo assidue corpus suum exercébat, nihil remisit, neque a studio cœlestia meditandi se avelli passa est, in utroque vitæ genere plane admiranda, utramque sororem Magdalénam et Martham referens. Tandem pro se Dominum orans, ut ex hac valle lacrymarum sursum in cœlestem Patriam evocarétur, exaudita est oratio ejus, die atque hora dormitionis ei patefactis. Méritis itaque et laboribus plena, ac cœlestibus donis cumulata, coepit corporis viribus destitui, perque dies decem et septem nullo cibo, sed divinis tantum colloquiis refecta est: tum sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis rites susceptis, vultu hilari, atque oculis in cœlum conversis, octavo kalendas martias, anno ætatis quinquagésimo, suæ conversionis vigésimo tertio, humanæ vero

salútis millésimo ducentésimo nonagésimo séptimo, felix migrávit ad sponsum. Corpus in hanc usque diem végetum, incorruptum, illæsum, et suáriter olens, summa religióne cólitur in ecclesiá Fratrum Minórum, quæ jam ab eádem Margaríta appellátur. Miráculis continuo flóruit: quibus permóti romání pontífices ad augéndum ejus cultum plúrima liberáliter indulserunt. Benedictus vero Decimustértius in Festo Pentecóstes, die sextadécima máii anni millésimi septingentésimi vigésimi octávi solémnem ejus canonisatiónem religiosíssime celebrávit.

R. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: \* Múlier timens Deum ipsa laudábitur.

Y. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Múlier timens.

Glória Patri.

Múlier timens.

*In tertio Nocturno Homíliæ sancti Gregórii Papæ in Evangelium Simile est regnum ecclórum thesauro, etc., cxxxiv.*

*Extra Quadragesimam, in anno non bissextili, Lectio nona legítur de vigilia sancti Mathiæ, Homíliæ in Evangelium Hoc est præceptum meum, ut in vigilia Apostolorum, j.*

*In Laudibus, ad Benedictus, Antiphona.*

Ut cognóvit, resipuit Seráphici Ordinis Magdaléna: dimissa sunt ei peccáta multa, quia diléxit multum.

*Si occurrat fieri commemoratio Vigiliæ sancti Mathiæ, Antiphona et Versiculus de Feria occurrente, ut in Psalterio.*

ORATIO.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beáti Mathiæ Apóstoli tui, quam prævenimus, veneránda solémnitas et devotióne nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum.

*Vesperæ de sancto Mathia Apostolo, cum commemoratione præcedentis.*

*Si annus fuerit bissextilis, in secundis Vesperis sanctæ Margaritæ, ad Magnificat Antiphona.*

Ego dilécto meo, et ad me conversio ejus: invéni quem diligit ánima mea, ténui eum, nec dimittam.

*In anno bissextili Festum sancti Mathiæ celebratur die 25, ideoque de ejus Vigilia (extra Quadragesimam) fit die 24, nisi prædictum Festum incidat in Feriam secundam. Officium fit de Feria; et tres Lectiones leguntur de Homíliæ in Evangelium Hoc est præceptum meum, ut in Vigilia Apostolorum, j.*



*Oratio* Da, quæsumus, ut  
*supra.*

## FESTA MARTII.

DIE VI MARTII.

IN FESTO S. COLETÆ,  
virginis.

ORATIO.

**DOMINE** Jesu Christe, qui  
beátam Colétam, vírginem  
tuam, cœlestibus donis cu-  
mulásti, tríbe, quæsumus,  
ut ejus virtútes æmulánte in  
terris, ætérnis gándiis cum  
ipsa perfruámur in cœlis. Qui  
vivis.

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**P**ICARDIÆ civitas Corbéia,  
Diœcésis Ambianénsis, sanc-  
tæ Colætæ natalibus ex matre  
stérili et sexagenária, illústris  
effécta est. Hæc ab ineúnte  
ætáte cœpit ardéntius cólere  
officia charitátis, ita ut quid-  
quid habére póterat, hilári-  
ter paupéribus largirétur.  
Oratióni assidue vacans, so-  
litária loca quærébat, tene-  
rum ibi corpúsculum affli-  
gens jejúniis, carnem spiri-  
tui subjiciens, caténa férrea,  
cilicióque nunquam aut raro  
depósitis, humi cubans, cum  
eam necessariis somnus oc-  
cupábat. Quartumdecimum  
etátis annum agens, oratió-  
nibus impetrávit a Dómino,  
ut corpus suum, quod exi-  
guum remanébat, súbito ad  
ustam magnitudinem excre-  
verit, ac vultus venústas, ne

forte alicui occasiódinem præ-  
béret deliquéndi, in térreum  
colórem mutarétur. A dæmó-  
nibus frequénter laccessita,  
diversisque apparitióibus  
exagitáta, vulneribúisque toto  
córpoze laceráta, ab oratióne  
tamen nunquam recedébat,  
in qua sæpe in éxtasim rapta,  
Angelórum visióne et colló-  
quio potiebátur.

R. Propter veritátem, et  
mansuetúdinem, et justítiam:  
\* Et dedúcet te mirabiliter  
délixtera tua.

Y. Spécie tua, et pulchritú-  
dine tua inténde. prospere  
procéde, et regna.

Et dedúcet.

LECTIO V.

**F**ACULTATIBUS paupéribus  
distribútis, tértii Ordinis  
sancti Francisci régulam pro-  
fessa, novas præcedéntibus  
austeritátes superáddens, vi-  
tam plane cœlestem aggréssa  
est, nudis semper pédibus,  
étiam hiemis témpore incé-  
dens, et continuis jejúniis  
corpus suum pene conficiens.  
Tum se ad restaurándam Mo-  
niálium Sanctæ Clæræ plúri-  
bus in locis collápsam disci-  
plinam a Deo várie admónita  
destinári cognóvit; cui humí-  
liter diu relúctans, linguæ,  
oculorúmque usu depérdito,  
tandem voluntáti divínæ sese  
subjicere coácta est. Utróque  
autem sensu mox in íntegrum  
restituto divíno Spíritu af-  
fláta, Apostólicæ Sedis adíre



præsentiam decrevit, ut a Summo Pontifice prædictum opus executioni mandandi facultatem expósceret. A quo benedictione accepta, susceptoque prædictæ reformationis mandato, in pátriam rediens, tantum opus alacriter inchoavit.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ.

V. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam.

Propterea unxit.

LECTIO VI.

CUM autem summo studio tam antiquis Monasteriis reformandis quam novis extruendis incumberet, ingruentes difficultates admirabili constantia superavit. Paupertatis semper studiosissima fuit, única túnica eaque districta contenta, angustissimam cellam in ángulo habens, nulla supellètili instructam, præter stramineum saccum, qui ei pro lectulo erat. Charitate, patientia, humilitate, mansuetudine, ceterisque virtutibus decorata, dono etiam prophetiæ illustris, ábdita fidei mystéria divinitus edócta ita penetravit, ut de his altissime disséreret. Multis tandem et máximis patratis miraculis, morte sua ante biennium præcognita, ómnibus Sacraméntis munita, hortatisque Soróribus ad re-

gularem disciplinam, obdormivit in Dómino pridie nonas mártii, anno millésimo quadragintésimo quadragésimo séptimo, Gandávi in Flándria, in Monasterio a se ædificato, in quo sacra ejus Reliquiæ assidua fidélium veneratione coluntur. Eam denique Pius Séptimus Póntifex Máximus, nono kalendas júni anno octingentésimo séptimo supra millésimum, novis ritèque probátis miraculis coruscantem, solémni pompa Sanctárum albo recensuit.

R. Afférentur regi virgines post eam: próximæ ejus \* Afférentur tibi in lætitia et exultatione.

V. Spécie tua, et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna.

Afferéntur.

Glória Patri.

Afferéntur.

*Missa de Sancta Coleta Vultum tuum, de Comuni Virginis.*

*Oratio ut supra.*

*Evangelium* Simile erit regnum cœlórú, ex *Missa* Dilexisti.

DIE XVIII MARTII.

IN FESTO S. GABRIELIS,  
archangeli.

(DUPLEX MAJUS.)

*Si celebratur post Pascha, additur Alleluia, et Psalmus*



*eternorum dicuntur sub  
ima Antiphona illius Noc-  
ni.*

## AD VESPERAS.

*Antiphona Ingresso Za-  
aria, cum reliquis de Lau-  
bus, cclxxv.*

*Psalmus Dixit Dominus,  
in reliquis de Dominica,  
34, et loco ultimi, psalmus  
audate Dominum, omnes  
gentes, 139.*

## CAPITULUM.

[ Dan. c. 9. ]

Ecce vir Gábriel, quem  
videram in visione a prin-  
cipio, cito volans tetigit me  
in tempore sacrificii vespér-  
ini. Et docuit me, et locú-  
us est mihi, dixitque: Da-  
niel, nunc egressus sum ut  
locérem te, et intelligeres.

## HYMNUS.

CHRISTE, sanctórum decus  
Angelórum,  
gentis humanæ Sator, et  
Redemptor,  
celitum nobis tribuas beátas  
Scándere sedes.

Angelus pacis Michael in  
ædes  
celitus nostras véniat se-  
renæ  
uctor ut pacis, lacrymósa  
in orcum  
Bella reléget.  
Angelus fortis Gábriel, ut  
hostes  
pellat antiquos, et amica  
cœlo,

Quæ triumphátor stáruit per  
orbem,

Templa revisat.

Angelus nostræ médicus  
salútis.

Adsit e cœlo Ráphael, ut  
omnes

Sanet ægrótos, dubiósque  
vitæ

Dirigat actus.

Virgo dux pacis, Geni-  
trixque lucis,

Et sacer nobis Chorus An-  
gelórum,

Semper assistat, simul et  
micántis

Régia cœli.

Præstet hoc nobis Déitas  
beáta

Patris, ac Nati, paritérque  
Sancti

Spiritus, cujus résonat per  
omnem

Glória mundum.

Amen.

℣. Stetit Angelus juxta  
aram templi.

℞. Habens thuribulum áu-  
reum in manu sua.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Ingressus Gábriel Angelus  
ad Mariam virginem, dixit:  
Ave, grátia plena, Dominus  
tecum: benedicta tu in mu-  
liéribus.

## ORATIO.

DEUS, qui inter céteros  
Angelos ad annuntiándum  
Incarnatiónis tuæ mystérium  
Gabriélem Archángelum ele-  
gisti, concéde propítius ut,

qui festum ejus celebrámus in terris, ipsius patronícium sentiámus in cœlis. Qui vivis et regnas.

*Et fit commemoratio S. Patritii : postea Feriæ, si celebretur in Quadragesima.*

#### AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Regem Archangelórum Dóminum, \* Veníte, adorémus.

*Psalmus* Veníte, exultémus, 2.

*Hymnus* Christe, sanctorum, ut supra, cclxix.

IN PRIMO NOCTURNO.

#### *Antiphona.*

Dixit Angelus Gábriel ad Daniélem : Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis implébitur visio.

*Psalmus* Dómine, Dóminus noster, ut in Apparitione S. Michaelis Archangeli, 619.

#### *Antiphona.*

Ecce vir Gábriel, quem videram in visione, cito volans tétigit me in témpore sacrificii vespertini, et dócuit me.

*Psalmus* In Dómino confido, 620.

#### *Antiphona.*

Cumque Gábriel loqueretur ad me, collápsus sum pronus in terram, et tétigit me, et státuit me in gradu meo.

*Psalmus* Dómine, quis habitábit, 620.

Ÿ. Stetit Angelus juxta aram templi.

R. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ex Daniéle Prophéta.

#### LECTIO I.

[Cap. 11.]

Ego Dániel, cum adhuc loquerer, et orárem, et confitérer peccáta mea et peccáta pópuli mei Israel, et prostérnerem preces meas in conspéctu Dei mei, pro monte sancto Dei mei : adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gábriel, quem videram in visione a principio, cito volans, tétigit me in témpore sacrificii vespertini. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixitque : Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, et intelligeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo : ego autem veni, ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es : tu ergo animadverte sermónem, et intéllige visionem.

R. Cum oráret Dániel, et confiteretur peccáta sua, et peccáta pópuli sui, \* Ecce Archángelus Gábriel cito volans tétigit eum in témpore sacrificii vespertini.

Ÿ. Cumque prostérneret preces suas in conspéctu Dei sui.

Ecce Archángelus.

#### LECTIO II.

SEPTUAGINTA hebdomades abbreviátæ sunt super pópu-



lum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummētur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo et animadverte, ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerúsalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursum ædificabitur placea, et muri in angustia temporum.

R. Locutus est Gábriel Daniéli, et dixit: Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: \* Ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.

Ÿ. Tu autem animadverte sermonem, et intèllige visionem.

Ego autem veni.

### LECTIO III.

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, nisi cum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce enturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabitur autem actum multis hebdomada: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium: et erit in templo

abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

R. Ecce vir Gábriel, quem videram, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me, et dixit: \* Dániel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres.

Ÿ. Gábriel, fac me intelligere istam visionem: et venit, et stetit juxta ubi ego stabam, et ait ad me.

Dániel.

Glória Patri.

Dániel.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Gábriel Angelus apparuit Zachariæ, dicens: Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.

*Psalmus* Cœli enarrant, 622.

*Antiphona.*

Et dixit Zachariás ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.

*Psalmus* Dómini est terra, 622.

*Antiphona.*

Respondens autem Angelus, dixit ei: Ego sum Gábriel, qui adsto ante Deum: et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare.

*Psalmus* Benedicam Dóminum, 623.

Ÿ. Ascendit fumus aróma-

tum in conspéctu Dómini.

R. De manu Angeli.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

LECTIO IV.

[Ex Hom. de Laud. Virg.]

**M**issus est Angelus Gábriel a Deo. Non árbitor hunc Angelum de minóribus esse, qui quálibet ex causa crebra sóleant ad terras fungi legátione. Quod ex ejus nómine palam intélligi datur, quod interpretátum, Fortitúdo Dei dicitur: et quia non ab áliquo álio forte excellentióre se ( ut ássolet ) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibétur. Propter hoc ergo pósitum est, a Deo, vel ideo dictum est, a Deo, ne cui, vel beatórum spirítuum, suum Deus ántequam Virgini revelásse putétur consílium, excépto duntáxat Archángelo Gabriéle. Qui útique tantæ inter suos invenire potúerit excellentiæ, ut tali et nómine dignus haberétur, et núntio.

R. Factum est, cum sacerdotio fungerétur Zacharias in órdine vicis suæ ante Deum, \* Appáruit ei Angelus Gábriel, stans a dextris altáris incénsi.

✠. Cumque ingrédessus in templum Dómini incénsus póneret secúndum consuetúdinem sacerdotii sui

Appáruit.

LECTIO V.

**N**ec discórdat nomen a

núntio: Dei quippe virtutem Christum, quem melius nuntiáre decébat, quam hunc, quem simile nomen honórat? Numquid est áliud fortitúdo, quam virtus? Non autem dédecens, aut incóngruum videátur, Dóminum et núntium commúni censéri vocábulo, cum similis in utróque appellatiónis, non sit tamen utriúsque similis causa. Aliter quippe Christus fortitúdo, vel virtus Dei dicitur, áliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupative, Christus autem étiam substantíve.

R. Descéndit Gábriel Angelus ad Zachariam, dicens:

\* Ne timeas, quóniam exaudita est deprecátio tua, et uxor tua Elisabeth páriet tibi filium, et vocábis nomen ejus Joánnem.

✠. Et Zacharias turbátus est videns, et timor irruit super eum: ait autem ad illum Angelus.

Ne timeas.

LECTIO VI.

**C**HRISTUS Dei virtus et dicitur, et est: qui forti armáto, qui suum átrium in pace custodire solébat, fórtior superveniens, ipsum suo brachio debellávit: et sic ei vasa captivitátis poténter eripuit. Angelus vero Fortitúdo Dei appellátus est, vel quod hujuscémodi merúerit prerogativam officii, quo ejus-

em nuntiáret advéntum vir-  
tutis : vel quia Virginem,  
pávidam, simplicem,  
erecúndam, ne miráculi no-  
ritáte expavésceret, confor-  
mare debéret : quod et fe-  
cit, ne timeas, inquiens,  
María : invenisti enim grá-  
iam apud Deum. Convenién-  
ter itaque Gábriel ad hoc  
opus eligitur : imo quia tale  
illi negótium injúngi tur,  
recte tali nómine de signá-  
tur.

R. Ego sum Gábriel, qui  
sto ante Deum : et missus  
sum loqui ad te, et hæc  
evangelizáre : \* Ecce eris ta-  
rens, et non póteris loqui us-  
que in diem quo hæc fiant.

†. Pro eo quod non cre-  
lidisti verbis meis, quæ im-  
plebúntur témpore suo.

Ecce eris.

Glória Patri.

Ecce eris.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Missus est Gábriel Ange-  
lus ad Mariam virginem des-  
ponsátam Joseph.

*Psalmus* Cantáte Dómino,  
625.

*Antiphona.*

Gábriel Angelus Mariæ  
dixit : Ecce Elisabeth cognáta  
tua, et ipsa concépit filium  
in senectúte sua.

*Psalmus* Dóminus regná-  
vit, exúltet, 626.

*Antiphona.*

Súscipe verbum, virgo  
María, quod tibi a Dómino  
per Angelum Gabriélem  
transmissum est.

*Psalmus* Bénedic, ánima  
mea, Dómino, 627.

†. In conspéctu Angeló-  
rum psallam tibi, Deus meus.

R. Adorábo ad templum  
sanctum tuum, et confitébor  
nómini tuo.

Léctio sancti Evangélii se-  
cúndum Lucam.

LECTIO VII.

[Cap. 1.]

IN illo témpore, Missus est  
Angelus Gábriel a Deo in  
civitátem Galilææ, cui nomen  
Názareth, ad Virginem des-  
ponsátam viro cui nomen  
erat Joseph, de domo Da-  
vid, et nomen Virginis Ma-  
ría. Et réliqua.

Homília sancti Juliáni Ar-  
chiepiscopi Tolétani.

[Lib. 2, contra Jud.]

SACRAMENTUM illud septua-  
ginta hebdomadárum de  
Christi nativité Dániel per  
Angelum didicit : similiter  
et Zacharías, apparénte sibi  
Angelo, Joánnem filium de  
se generándum audivit : et  
María, Angelo sibi prædi-  
cénti Christum ex se nas-  
céndum, et crédidit, et as-  
sénsit. Hæc tria per Ange-  
lum dicta et compléta vidé-  
mus. Jam ergo solícite in-

tuendum est utrum Angelus iste qui Zachariæ et Mariæ apparuit, ipsi quoque Daniéli illa prædixerit.

R. Missus est Gábríel Angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph, nuntians ei Verbum: et expavescit Virgo de lumine. \* Ne timeas, Maria: invenisti enim grátiam apud Dóminum: ecce concípies, et páries, et vocábitur Altíssimi Filius.

Ÿ. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio: et ait Angelus ei.

Ne timeas.

LECTIO VIII.

**E**QUIDEM ipse Dániel in prophetiæ suæ volúmine, quando illa sacramenta hebdomadarum de Christi nativitate per Angelum futura cognóvit, sic ipsius Angeli nomen evidenter expresseit. Dicit enim: Ecce vir Gábríel, quem videram in principio, cito volans tetigit me, et dixit: Dániel, animadverte sermonem, et reliqua, quæ ibi commemorantur. Item his temporibus secundum Evangelium, Angeli ipsius nomen mirificum sic invenitur expressum. Dixit enim idem Angelus Zachariæ: Ego sum Gábríel, qui adsto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi Evangelizare.

R. Gaude, Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti: \* Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidisti, dum Virgo Deum et hominem genuisti, et post partum Virgo inviolata permansisti.

Ÿ. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Quæ Gabriélis.

Glória Patri.

Quæ Gabriélis.

*Nona Lectio de Feria occurrente, nisi transferatur post Octavam Paschæ, quia tunc dicitur sequens.*

LECTIO IX.

**Q**UOD etiam de beatæ Mariæ virginis partu sic in eodem Evangelio légitur, Missus est, inquit, Angelus Gábríel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Názareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Jam ergo manifestum est, quod unus idemque Angelus Gábríel fuerit, qui et præfixa illa tempora Daniéli de Christi nativitate aperuit, et partum Virginis præsentem esse monstravit. Ad tempus itaque præfinitum occurrat, et olim a se dicta, operis efficiéntia completa esse convincit: et illic fidélis in prophetia hebdomadarum, et hic fidélis per mystérium revelatum.



Te Deum laudamus, 18.

## AD LAUDES

ET PER HORAS.

### *Antiphona.*

Ingresso Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel Angelus stans a dextris altaris incensi.

*Psalmus* Dominus regnavit, decorem, cum reliquis, 19.

### *Antiphona.*

Ait autem Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.

### *Antiphona.*

Ego sum Gabriel Angelus, qui adsto ante Deum, et missus sum loqui ad te.

### *Antiphona.*

Gabriel Angelus locutus est Mariae, dicens: Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.

### *Antiphona.*

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Gabriel Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

## CAPITULUM.

[ Dan, c. 9. ]

**E**cce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vesper-

tini: et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres.

## HYMNUS.

**P**LACARE, Christe, servulis,  
Quibus Patris clementiam  
Tuæ ad Tribunal gratiæ  
Patrona Virgo postulat.

Et vos beata, per novem  
Distincta gyros agmina:  
Antiqua cum presentibus,  
Futura damna pellite.

Auferte gentem perfidam  
Credientium de finibus;  
Ut unus omnes unicum  
Ovile nos Pater regat.

Deo Patri sit gloria,  
Natōque Patris unico,  
Sancto simul Paraclyto  
In sempiterna sæcula.

Amen.

✠. Stetit Angelus juxta  
aram templi.

℞. Habens thuribulum aureum  
in manu sua.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Gabriel Angelus descendit  
ad Zachariam, et ait illi: Uxor  
tua pariet tibi filium, et vocabis  
nomen ejus Joannem,  
et multi in nativitate ejus  
gaudēbunt: ipse enim præi-  
bit ante faciem Domini pa-  
rare vias ejus.

## ORATIO.

**D**EUS, qui inter ceteros An-  
gelos, ad annuntiandum In-  
carnationis tuæ mysterium,  
Gabrielem Archangelum ele-  
gisti, concede propitius ut

qui festum ejus celebrámus  
in terris, ipsius patrocínium  
sentiamus in cœlis.

Qui vivis et regnas.

*Et fit commemoratio Fe-  
riæ, si celebretur in Quadra-  
gesima.*

### AD TERTIAM.

*Antiphona* Ait autem.

*Capitulum* Ecce vir Ga-  
briel, ut supra, cclxxv.

R. breve. Stetit Angelus  
\* Juxta aram templi. Stetit.

Ÿ. Habens thuribulum  
áureum in manu sua.

R. Juxta.

Glória Patri. Stetit.

Ÿ. Ascéndit fumus aró-  
matum in conspéctu Dó-  
mini.

R. De manu Angeli.

### AD SEXTAM.

*Antiphona* Ego sum Gá-  
briel.

#### CAPITULUM.

[Dan. c. 9.]

Ego autem veni ut indi-  
cárem tibi quia vir desi-  
deriórum es: septuaginta  
hebdómades abbreviátæ sunt  
ut finem accípiat peccátum,  
et impleátur visio, et pro-  
phetia, et ungátur Sanctus  
sanctórum.

R. breve. Ascéndit fumus  
arómatum \* In conspéctu  
Dómini. Ascéndit fumus.

Ÿ. De manu Angeli.

R. In conspéctu.

Glória Patri.

Ascéndit.

Ÿ. In conspéctu Ange-  
lórum psallam tibi, Deus  
meus.

R. Adorábo ad templum  
sanctum tuum, et confitebor  
nómini tuo.

### AD NONAM.

*Antiphona* Dixit autem  
María.

#### CAPITULUM.

[Dan. c. 6.]

Scito ergo, et animadvér-  
te: ab éxitu sermónis, ut  
iterum ædificétur Jerúsalem,  
usque ad Christum ducem  
hebdómades septem, et heb-  
dómades sexaginta duæ  
erunt.

R. breve. In conspéctu An-  
gelórum, \* Psallam tibi, Deus  
meus. In conspéctu.

Ÿ. Adorábo ad templum  
sanctum tuum, et confitebor  
nómini tuo.

R. Psallam tibi, Deus meus.

Glória Patri. In conspéctu.

Ÿ. Adoráte Deum.

R. Omnes Angeli ejus.

*Vesperæ de S. Joseph  
Confessore, duplex secundæ  
Classis, sine commemora-  
tione S. Gabrielis.*

*Si festum S. Joseph trans-  
feratur, in secundis Vesperis  
S. Gabrielis omnia, ut in  
primis cclxviii, et loco ul-  
timi, psalmus Confitebor*

tibi, Dómine, in toto corde meo, \* quóniam, 147.

✠. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

R). Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Archángelus Gábriel ait ad Mariám: Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancilla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. Et discéssit ab ea Angelus.

*Oratio* Deus, qui inter céteros, *ut supra*, cclxxv.

\* *Et fit commemoratio Ferie, si celebretur in Quadragesima.*

~~~~~

DIE XXII MARTII.

in festo

**B. NICOLAI DE FLUE,**

confessoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Confessorum non Pontificum præter ea quæ hic assignantur propria.*

ORATIO.

**D**EUS, qui Beátum Nicoláum Eremítam Angelórum esca mirábiliter nutrire, et Sanctissimæ Trinitátis visione illustráre voluisti, concede quæsumus, ut ejus intercessióne Domínicum corpus et ságuinem digne sú-

mere in terris, et gloriósum conspícere mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

*Deinde fit commemoratio præcedentis et Ferie occurrentis si celebratur in Quadragesima.*

*Lectiones primi Nocturni de Communi Confessoris non Pontificis, primo loco Justus si morte, si celebretur in Quadragesima, alias si contingeret transferri post octavam Paschæ, tunc legerentur de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**N**ICOLAUS de Flue Helvétius, in Sachslénsi Cantónis Subsylvaniae pago Constantiënsis Diocesis honéstis paréntibus procreátus, quanta sanctitate et miráculis orbem illustráturus esset, adhuc in angústo matris útero indicávit, dum latum cœlum suis luminibus distinctum vidit, stellámque unam præ céteris ita coruscántem, ut rádii per totum mundum sese diffúnderent. Vix natus pari prodigio matrem, atque obstetricem, deinde patrinos, ac alios baptismo suo assisténtes agnóvit. Puerítiam exímia morum innocéntia, et sine ulla mendácii labe exégit. Adoléscens terna sibi per hebdómadam jejúnia ad Sanctórum Nicolái Myrén-

sis, et Tolentinátis indíxit. Rebus porro divínis contemplándis diu noctúque sic erat inténtus, ut ad solitúdinem ardentíssime aspiráret. Obstantibus vero paréntum et cognatórum votis cessit invítus; dum ad cœlibem vitam Sanctórum exémplo raptus matrimónio se alligávit, ex quo filios quinque, totidémque filias procreávit. Inde militiam aliquándiu secútus, innátam pietátem numquam desérui. Cumque ex ea rediret, supréum pátriæ magistrátum sæpius oblátum constánter respuit, et præcipue, dum luce divína præventus ex corrupto Júdicum ore sulphúreas erumpere flammās vidéret.

β. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérrnam.

γ. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

#### LECTIO V.

CUM interim Deus non desíneret illius pectus altiórís vitæ desidériis succéndere, bona dénique cónjugis vénia relictis ómnibus, in vicinam Erémum secéssit, ubi prope viginti annos inusitáta vitæ austeritáte tradúxit, priscórum Anachoretárum mirá-

cula et virtútes ita ad vivum éxprimens, ut ejus sanctitátis fama longe latéque exciti pópuli ad eum velut ad humanæ natúræ porténtum sæpe conflúxerint. Eisdem annis sine corporáli cibo, potúque vitam egit, solo sanctíssimo Christi corpóre quot ménsibus saltem semel refectus. Cujus inédiæ nunquam visæ Constantiénsi Pro-Episcopo mirábile experiméntum fuit; dum ab eódem virtúte obediéntiæ coáctus vir Dei, panis fragméntum, et vini guttam súmeré, tam ægre deglútiit, ut iis præ ingénti dolore statim rejéctis ánimam effláre viderétur. Inter hæc assíduo virtútum stúdio, et pérpeti Domínicæ passiónis meditatióne dæmonum furórem in se vehementíssime concitávit: illos tamen fugátos a Beatíssima Dei Matre, quam sine labe origináli concéptam præcipue venerabátur, non raro fassus est. Has inter pugnas et victóriás multis cœléstibus visiónibus recreátus est. Illústrior illa fuit, quando sanctíssima Trinitas in rotæ fulgéntis spécie sese ei objécit, et tanta divínorum radiórum arcanæque sapiéntiæ cópia in eum est profúsa, ut in vultu ipsius insólitus splendor usque ad mortem hæréret: ostentúmque illud delineári curátum pro libro suo habéret,



ex quo sine alio litterarum  
adjuvamento cuncta perdisce-  
ret.

R. Amavit eum Dominus,  
et ornavit eum : stolam  
gloriæ induit eum, \* Et ad  
portas paradisi coronavit  
eum.

Y. Induit eum Dominus  
oricam fidei, et ornavit  
eum.

Et ad portas.

## LECTIO VI.

DEI igitur magisterio sedulo  
sus, charitatem proximi  
ummæ contemplationi con-  
iunxit; nam accedentes ad  
e populares, maxime suos,  
multis salutaribus monitis  
rudivit: potissimum eos  
exhortans ad sanctæ sedis  
postolicæ, et Cleri obser-  
vantiam, Fidei Romanæ in-  
tegritatem, constantiamque  
cuius amoris, ac demum ad  
ignos fructus poenitentiae,  
quam vultu et corpore pror-  
us emaciato, rudi insuper  
inica, et nudo semper cæ-  
te, et pedibus, efficacissime  
cædicabat. Prophetiæ dono  
minuit: futura, et occultas  
ominum cogitationes sæpe-  
rimero perspexit. Sarnam  
æcipuum Sylvæ superioris  
regum gravi incendio con-  
gratantem crucis signo il-  
lo exemit. Demum anno  
post Christum natum octo-  
simo septimo supra mil-  
simum quadringentesimum

octiduano morbo gravissi-  
me cruciatus, ut pridem di-  
vinitus edoctus erat, in asse-  
rem, quo toto eremi tempore  
pro lectulo utebatur, cor-  
pus suum protendit, et inter  
divinas laudes vitam angé-  
licam placidissime claudens  
spiritum Deo reddidit vigé-  
simo primo Martii die, ipso  
Festo sancti Benedicti, nata-  
litio suo, ac septuagesimo  
ætatis anno. Sacrum corpus  
in Saxlensi Parochia condi-  
tum magno Helvetiorum et  
exterorum accursu colitur:  
Quod etiam cum sanctus  
Carolus Borromæus invise-  
ret, Nicolæum eximium sanc-  
tum esse pronuntiavit. Ad  
ejus sepulcrum claudus,  
qui Compostellæ pedis inco-  
lunitatem a sancto Jacôbo  
exorare non potuit recipit.  
Infans autem a dormientibus  
oppressus, et penitus suffo-  
catus, ejus meritis revixit.  
Miraculis in vita, et post mor-  
tem clarum Clemens Decimus  
Officio et Missa decoravit in  
Ecclesia, ubi corpus ejus re-  
quiescit. Clemens vero Nonus  
eam gratiam ad totam Helvé-  
tiam atque Constantiensem  
Diocësim extendit.

R. Iste homo perfecit om-  
nia quæ locutus est ei  
Deus, et dixit ad eum: In-  
grédere in requiem meam, \*  
Quia te vidi justum coram  
me ex omnibus gentibus.

Y. Iste est qui contempsit

vitam mundi, et pervénit ad  
cœlestia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

*In tertio Nocturno leguntur Lectiones de Communi Abbatum in Evangelio Ecce nos reliquimus omnia, et Homilia Grandis fidúcia. Nona Lectio legitur de Feria occurrente, et de ea fit commemoratio in Laudibus et Missa, quæ est Os justi, de Communi Confessorum primo loco, Evangelium vero de communi Abbatum, Orationes, seu Secreta, et Postcommunio ut hic sequitur, propria.*

SECRETA.

**D**EUS, qui Beátum Nicoláum in terris venerári fecisti, da nobis ejus intercessióne a peccatórum nexibus absolutis in cœlis étiam de ejusdem societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

POSTCOMMUNIO.

**P**RETIOSI cõporis et sanguinis tui, Dómine, refecti salutaribus alimentis, concede nobis ut méritis et precibus Beáti Nicolái, in cœlestis, panis dulcédine, qua eum in terris satiáre dignátus es, ad æterna gáudia transire mereámur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

*In fine legitur Evangelium Feriæ occurrentis.*

FESTA APRILIS.

DIE III APRILIS.

IN FESTO

S. BENEDICTI A S. PHILADELPHO  
confessoris.

( DUPLEX. )

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter sequentia.*

*In Hymno Iste confessor dicatur Méruit suprémos.*

ORATIO.

**D**EUS, qui Beátum Benedictum Confessórem tuum cœlestibus donis locupletásti, eúmque in Ecclesiá tua signis et virtútibus clarére fecisti, præsta, quæsumus, ut ejus méritis et precibus tua beneficia capiámus. Per Dóminum.

*In Quadragesima Lectiones primi Nocturni Beátus vir, de Communi Confessoris non Pontificis secundo loco. Extra Quadragesimam Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**B**ENEDICTUS a cõporis nigredine Sanctus Niger vulgo appellátus, in pago Sancti Philadelphi Messanénsis Diocesis, ex paréntibus Mauris quidem génere, Religiónē tamen Cathólicis ortus est. Ab ipsa puerítia Deum timére cœpit, et mandáta ejus cus-

odire, corpus suum inedia ac laboribus castigans, et in spiritus servitutem redigens. Ferventiori in Deum pietate accensus, in ipso juventutis flore, re familiari vendita, ac pauperibus distributa, solitariam vitam, quam in temporis pii aliquot viri sub Regula Sancti Patris Francisci ex concessione Apostolica agebant, ad quadragesimum isque ætatis suæ annum in omnium virtutum et asperitatum exercitatione servavit. Verum mandante Pio Quarto, ut iidem solitarii Beati Francisci Institutum am professi, in unam ex propriis Religionibus sese reciperent, Benedictus divino instinctu Panormum profectus, ad Fratres Minores Observantes Sanctæ Mariæ de Jesu statim se contulit.

## LECTIO V.

RELIGIONEM ingressus, virtutum omnium exercitium, asperissimumque vitæ genus, quod in Erêmo inchoarat, ita persecutus est, ut ab omnibus tamquam perfectionis exemplar haberetur. In humili namque Conversorum gradu constitutus, vilissima quæque, ac laboriosa Cœnobia munera alacriter obire semper est visus. Septem annuas Quadragesimas a Seraphico Patre institutas, et absinentiam fere perpetuam pie inviolatæque servavit. Lectus

Vern.

illi nuda humus, somnus brevissimus, vestis hispida ac vilis, paupertas summa, illibata castitas: Dei vero amor tam ardens, ut in lacrymas, et suspiria frequentissime erumperet. Sæpe etiam in Divinarum rerum contemplatione defixus, supernorum charismatum dono ornatus, dignus propterea, qui in eodem Cœnobio Sanctæ Mariæ de Jesu, cujus reformatio tunc coeperat, Fratrum regimini, licet Laicus plane rudis, præficeretur.

## LECTIO VI.

IN Præsidem electus, reformationem illic institutam suis exemplis, prudentique administratione firmavit; pusillum gregem ad paupertatis, poenitentiae, ac severioris disciplinae studium modis omnibus incendens. Annum denique cum ægeret sexagesimum tertium extremo morbo correptus, et Sacramentis munitus, prænuntiato dormitionis suæ tempore, die quarta Aprilis, anno millesimo quingentesimo octogesimo nono, spiritum Deo reddidit. Ejus corpus, quod integrum adhuc suavique fragrans odore permanet, singulari veneratione in urbe Panormitana statim coli coeptum est. Quem quidem cultum non per Siciliam solum, verum etiam ad Hispanos, Lusitanos, Brasiliën-



ses, Mexicános, et Peruános, inde propagátum, Decréto suo approbávit Sedes Apostólica anno millésimo septingentésimo quadragésimo tertio, ejúsque festum, cum officio et Missa, die tertia Aprilis celebrári indúlsit. Novis póstmodum fulgéntem signis Pius Papa Séptimus, solémni ritu anno millésimo octingentésimo séptimo Sanctorum catálogo adscripsit.

*In tertio Nocturno Homilia in Evangelium Nolite, timere, de Communi Confessoris non pontificis.*

*Missa Justus, de eodem Communi, Oratio ut supra.*

DIE XI MAII.

IN FESTO

B. FRANCISCI DE HIERONYMO

SOCIETATIS JESU,

confessoris.

(DUPLIX.)

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, primo loco, præter ea quæ sequuntur.*

ORATIO.

**D**EUS, qui Beátum Franciscum ad animárum salutem eximium verbi tui præcónem effecisti, ejus nobis intercessióne concède, ut legis tuæ mandáta et júgiter scrutémur in corde, et fideliter opéribus exequámur. Per Dóminum, etc.

*In primo Nocturno Lectio-*

*nes de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**F**RANCISCUS de Hierónimo in Tarentini agri oppido, cui Cryptáleæ nomen, honesto loco natus, pia parentum cura institutus, ac cœli benedictione præventus, pueritiam egit innocentissimis moribus præstantem, et futuræ sanctitatis indicis conspicuam. Duodécimo ætatis anno in quorúmdam Evangelicórum operariórum contubérnium admissus, in catechizándis rúribus adhuc adlescens diligéntem óperam pósuit, et Apostólico ministerio, ad quod Deus illum destináverat, jam tum præludere visus est. Theológica stúdia Neápoli aggréssus, et Sacerdótio initiátus, ita vitæ suæ ratiónes ad Evangélica consilia accommodávit, ut Sacerdotis Sancti nomen adéptus fúerit. Societátem Jesu ingressus, jactis in Tirocinio religiósæ perfectiónis, ardentissimæ in Deum et próximos charitátis, insignis patientiæ, aliarúmque virtutum fundaméntis, quæ majus in dies singulos incrementum accipiébant. Theologiæ curriculum confécit, et solémni quátuor votórum professione sese obstringens, eximium reguláris observántiæ exémplar evásit. Pro sacra expeditióne ad Ja-



póniam, quam martyrii cupidus in votis hábuit, Neápoli reténtus, præfectúram Missiónum jussu Præsulum accépit, quod non sine Dei númine factum événtus comprobávit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus: et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam. Alleluia.

Y. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

#### LECTIO V.

ETSI enim corpore erat grá-cili, neque satis firma valetú-dine, ac prætérea carnem assiduís jejúniis, vigiliis, verberibúsq; macerábat, tamen tot ónera in se susci-piens, quot feréndis plures simul vix pares essent, incredibile dictu est, quanta pro glória Dei, quam únice quæ-rébat, égerit non solum Neápoli, sed in áliis quoque ejúdem regni provinciis, quot labóres, et ærúmnae túlerit, quanto cum fructu in agro Domínico excoléndo plus quadraginta annis desudáverit. Frequéntes et sæpius plures eódem die habébat conciónes per vicos, cómpita, et pláteas, ad carcéribus deténtos, ad régiis trirémibus man-cipátos, ad milites, contra circulatóres impudéntes, con-

tra públicos quosvis peccatóres, contra famæ prostitútæ muliérculas. Accedébant mirabilia signa, treménda divínæ ultiónis advérsus pervicáces documénta, scrutátio córdium, prædictio rerum futurárum, ejus córporis divérsis in locis replicátio, grátia sanitárum, annóna divínitus multiplicáta, vox étiam ex ore meretrícis súbita morte corréptæ extórta, quæ se apud inferos esse palam denuntiávit. Ex quo fiébat, vix ut unquam e superióri loco ad pópulum diceret, quin insígnem áliquem peccatórem Christo lucrifáceret. Intérdum étiam decem, non-núnquam quíndecim meretrículæ simul sua crimina defléntes in concióne ad pœniténtiam confugérunt.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronávit eum. Alleluia.

Y. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum Et ad portas.

#### LECTIO VI.

ASSIDUA ejus ópera fuit in ægrótiis inviséndis, in moribúndis ad mortem rite præparándis, in concórdia animórum dissidéntium conciliándá, in pauperibus ope, ac solátio sublevándis. Communióne, quam dicunt generálem, singulis cujúslibet

mensis tértiis diébus Domí-  
cis usque ádeo promóvit, ut  
sæpe quindecim millia fidé-  
lium, aliquándo viginti millia,  
aut eo ámplius ad Eucharis-  
ticam mensam convénierint.  
Exercitiis spirituálibus ex  
Sancti Ignátii institutóris  
præscripto Sacerdotum cœ-  
tus, virórum religiosórum, et  
Virginum Deo devotárum  
monastéria, puellárum cœnó-  
bia, studéntium júvenum  
collégia, et seminária, atque  
omne hóminum genus mirí-  
fice excóluit. Gravíssimas  
difficultátes, et moléstias,  
quas illi dæmon excitábat,  
invicta patientia superávit:  
nec semel maxíllam percu-  
tiéntibus submísso ánimo ál-  
teram præbuit: quin et acer-  
bissimos dolóres bráchio  
captivi Mahometáni, qui eum  
percússerat, a Deo ultóre  
inflictos signo crucis repén-  
te cessáre fecit, hominémque  
ad Christiánam religióne  
addúxit. Demum, in cœlum  
a Deo evocátus, plácide ef-  
flávit ánimam in Neapolitána  
Professorum domo die un-  
décima máii, anno millésimo  
septingentésimo décimo sex-  
to, ætátis vero suæ septuagé-  
simo quarto. Quem méritis,  
ac miráculis clarum, Pius  
séptimus Póntifex Máximus  
in Beatórum númerum rétu-  
lit.

R. Iste homo perfécit om-  
nia quæ locútus est ei Deus,

et dixit ad eum: Ingrédere in  
réquiem meam, \* Quia te  
vidi justum coram me et  
ómnibus géntibus. Alleluia.

Ÿ. Iste est qui contempsit  
vitam mundi, et pervénit ad  
cœléstia regna.

Quia te.

Glória Patri.

Quia te vidi.

DIE XV MAII.

IN FESTO

S. ISIDORI AGRICOLÆ,

confessoris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Comuni Con-  
fessoris non Pontificis, præ-  
ter ea quæ sequuntur.*

ORATIO.

DA nobis, quæsumus, mi-  
séricors Deus, beáto Isidoro  
Agricola Confessóre tuo in-  
tercedénte, supérbe non sá-  
pere, sed ejus méritis et  
exémplis plácita tibi semper  
humilitáte deservire. Per Dó-  
minum.

*Lectiones primi Nocturni  
de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

ISIDORUS Agricola prope  
Matritum Hispániæ urbem,  
in qua natus fúerat, mercède  
coléndis agris conductus,  
brevis magnárum sibi virtu-  
tum eo in exercitio ubérri-  
mam ségetem parávit. Admi-  
rábilis enim Christi ac  
Sanctórum imitátor, nun-

quam ad opus mane se conferébat, nisi prius Dei regnum studiósé quæreret, Ecclesiásque in ipsius ac Deiparæ honórem dicátas visitáret. Quare cum illius moram agri dóminus grávier ferret, atque ex editióre loco quadam die, ut eum libérius increpáret, agricolam opperrirétur, binos Angelos cándida veste, dúplici boum iugo arántes, mediúmque inter illos Isidórum conspéxit. Quomiráculo vulgáto, magno deinceps in honóre tam apud herum, quam apud céteros hómines habéri cœpit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem æternam. Allelúia.

†. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

## LECTIO V.

CHARITATE in páuperes ádeo flagrávit, ut mercédem quam laboribus parábat egéntibus erogáret. Quin étiam cum aliquándo ad commúne cum reliquis confrátribus pránlium plúrimos páuperes adluxisset, nihilque áliud, orándio scilicet finito, quam vulménti partem sibi reserátam reperisset; illam vir Dei, fide singulári fretus, ta distribuit, ut mirábiliter

aucta iis ómnibus aléndis saturandisque sufficeret. Illud étiam inter cétera mirándum, quod per æstivos calóres, ad extinguéndam iu agro sitim, aquæ potum hero flagitánte, cum nulloibi scatéret, Isidórus stímulo quem gerébat humo percússa, úberem ex ea et perénnem ad hæc usque témpora fontem elicit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronávit eum. Allelúia.

†. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. Et ad portas.

## LECTIO VI.

IGITUR sanctitáte clarus, cum ad últimam senectútem pervénisset, obdormívit in Dómino, et in cœmetério sancti Andréæ sepúltus, támdiu ibi jácuit, quoad cives de ipsius córpore honéstius in Ecclesiá collocándo divinitus móniti illud in lóculo integrum, atque ádeo incorruptum invenérunt, ut ex eo suavíssimus odor, qui hac étiam tempestáte perdúrat, effláret. Sanctum corpus in Ecclesiám translátum, et in editióre loco situm, máximis Deus miráculis illustrávit. Quorum beneficéntiam non semel tam ipsa Matrití civitas, quam étiam cétera Hispániæ loca, ope ipsius

implorata, persenserunt. Quem postrémo post annos fere quadringentos fama sanctitatis et miraculis illustrem Gregorius Décimus quintus in Sanctórum númerum rétulit.

R. Iste homo perfécit omnia quæ locutús est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam,\* Quia te vidi justum coram me ex omnibus géntibus. Alleluia.

Y. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.

Quia te.

Glória Patri.

Quia te.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri, de Communi confessoris non pontificis primo loco, xcvij.*

DIE XVI MAII.

IN FESTO

S. JOANNIS NEPOMUCENI,

Presbyteri et Martyris.

(DUPLEX.)

*Omnia de Communi Martyrum tempore Paschali, præter sequentia.*

ORATIO.

DEUS, qui ob invictum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova Ecclesiám tuam martyrii coróná decorásti; da nobis, ejus intercessióne et exémplo, línguam caute

custodíre, ac ómnia potius mala quam ánimæ detríméntum in hoc sæculo toleráre. Per Dóminum.

*In primo Nocturno Lektionen de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

JOANNES Nepomúci Bohemiæ oppido, unde Nepomaceni cognómen duxit, a paréntibus ætáte provéctis non sine futúre sanctitátis præságio, flammis supra nascéntis domum mirabiliter collucentibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidisset, Beátæ Virginis ope, cui natum paréntes referébant accéptum, e vitæ periculo evásit incólumis. Egrégia índole piáque institutióne coeléstibus índiciis obsequente, inter sanctas religiosasque exercitatiónes pueritiam egit. Nam Ecclesiám fréquenter adíre, ac sacerdotibus ad aras operántibus ministráre in deliciis habebat. Zatécii politióribus litteris ad humanitátem informatus; Pragæ vero gravióribus [disciplinis excultus, Philosophiæ, Theologiæ, sacrorúmque Cánónum magistérium et láuream emeruit. Sacerdótio initiátus, atque a sciéntia sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addixit.



Cum igitur in vitiis extirpandis, et revocandis in viam salutis errantibus, eloquentiæ et pietatis uberes ederet fructus, inter Canonicos Metropolitane Ecclesiæ Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelii coram Rege Wenceslao Quarto prædicandi provinciam suscepit, eo successu, ut Joannis suasu multa Rex faceret, magnoque in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit dignitates, Dei Servus, ne a divini verbi præconio avocarètur, constantissime recusavit.

R. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, \* Et æternitas téporum. Allelúia, allelúia.

✠. Lætitia sempiterna erit super capita eorum: gáudium et exultationem obtinébunt.

Et æternitas

#### LECTIO V.

REGIS illum eleemósynis in páuperes erogandis prædictum Joánna Regina consientiæ sibi moderatórem discivit. Cum autem Wenceslaus ab officio institutóque recessisset, atque in vitia præceps abriperètur, piæ ero Cónjugis obtestationes et mónita gravate ferret; conténdere ausus est, ut in sacramentali judicio Sacerdoti crédita Reginae arcana bi a Joanne panderentur.

At Dei minister blanditiis primum, torméntis deinde, et cárceris squallóre tentátus, nefariæ Regis cupiditati fortiter óbstitit. Furéntem tamen Wenceslai ánimum cum ab execrándo propósito nec humana nec divina jura deterrèrent: suprénum agónem, quem instáre sibi Athléta Christi nóverat, pópulo in concióné de impendéntibus étiam Regni calamitatibus admónito, non obscuré prænuntiávit. Mox Bolesláviam profectus ad Beátæ Virginiis Imáginem antiquo cultu célebrem, cæléste præsidium ad certándum bonum certámen effúsis precibus implorávit. Inde vespéri reverténtem in pervigilio Dominicæ Ascensionis Rex e fénestra conspicátus accessit: cumque vehementius urgéret, et próximam in aquis, si obluctári pérgeret, submersiónem intentáret, Joánnes invicta constántia terróres minásque refutávit. Itaque Regis império in Moldávam flumen Pragam interfluens noctu dejéctus, illústrem Martyrii corónam est consecútus.

R. In servis suis. Allelúia.  
\* Consolábitur Deus. Allelúia.

✠. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis.

Consolábitur.

## LECTIO VI.

**S**ACRILEGUM fácinus clam patrátum et Mártiris glóriam insigne prodigium divinitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi cœpit, ardentes faces aquis supernatantes et discurrétes apparuerunt. Quamóbrem ex aréna postridie mane corpus elátum, Canónici deinde, Regis iram nihil timéntes, in Metropolitánam Ecclesiám solémni pompa intulérunt, et sepultúræ mandárunt. Cum autem in dies invicti Sacerdótis memória miráculis et máxima fidélium, eórum præcipue qui fama periclitántur, veneratióne crésceret; post annos demum ámplius trecéntos in jurídica recognitióne Córporis, quod sub humo tándiu jacúerat, lingua ejus incorrupta et vívida repérta est, quæ sexto post anno Judicibus a Sede Apostólica delegátis exhibita, novo prodigio repénite intúmuit, et subobscúrum rubórem in purpúream commutávit. His itaque aliisque signis rite probátis, Benedictus Décimus tertius Póntifex Máximus die decimanóna mensis Mártii anno salutis millésimo septingésimo vigésimo nono primum hunc Sacramentális sigilli Assertórem, arcáni fidem ságuine obsignántem, Sánctorum

Mátyrum catálogo adscripsit.

R. Fíliæ Jerúsalem, venite et vidéte Mátyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus, \* In die sollemnitétis et lætitiæ. Allelúia.

Y. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedixit filios tuos in te.

In die.

Glória Patri.

In die.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

IN TERTIO NOCTURNO.

## LECTIO VII.

[Cap. 10.]

**I**N illo témpore, Dixit Jesus discíplis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur: et occúltum quod non sciétur. Et reliqua.

Homília S. Hilárii Episcopi.

[Comment. in Matth. cap. 10.]

**D**OMINUS diem judicii osténdit, quæ abstrúsam voluntátis nostræ consciéntiam prodet, et ea, quæ nunc occulta existimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consilia, non potestátes insectántium monet esse metuédas; quia dies judicii nulla hæc fuisse atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris dicite in lúmine, et quod in aure auditis, prædicáte super tecta. Non légimus, Dóminum sólitum fuisse nóc-

tibus sermocinári, et doctrinam in ténebris tradidisse; sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebræ sunt; et verbum ejus infidelibus nox est.

R). Ego sum vitis vera, et vos pálmities: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Alleluia, alleluia.

✠. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos.

Qui manet.

## LECTIO VIII.

ITAQUE id quod a se dictum est, cum libertáte fidei et confessionis vult esse loquendum: Idcirco quæ in ténebris dicta sunt, prædicári jussit in lúmine: ut quæ secreto áurium commissa sunt, super tecta, id est excélso loquentium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, et profundum doctrinæ Evangélicæ secrétum in lúmine prædicatiónis Apostólicæ revelándum: non timéntes eos; quibus cum sit licéntia in cörpera, tamen in ánimam jus nullum est: sed timéntes pótius Deum cui perdéndæ in gehénna et ánimæ et cörperis sit potéstas.

R). Cándidi facti sunt Nazaræi ejus. Alleluia. Splendórem Deo dedérunt. Alleluia.

\* Et sicut lac coaguláti sunt. Alleluia, alleluia.

✠. Cándidióres nive, niti-

dióres lacté, rubicundióres ébore antiquo, sapphíro pulchrióres.

Et sicut lac.

Glória Patri.

Et sicut lac.

## LECTIO IX.

NOLITE timére eos qui occidunt corpus. Nullus igitur cörperum nostrórum casus est pertimescendus, neque ullus interiméndæ carnis admittendus est dolor: quando pro natúræ suæ atque originis conditione resoluta, in substantiam spirituális ánimæ refundátur. Et quia doctrinis talibus confirmátos opórtet liberam confitendi Dei habére constántiam, étiam conditionem, qua tenerémur, adjécit, negatúrum se eum Patri in cœlis, qui se homínibus in terra negásset: eum porro, qui confessus coram homínibus se fuisset, a se in cœlis confitendum; qualésque nos nóminis sui testes homínibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimonio ejus usúros.

Te Deum laudámus, 18.

## DIE XXI MAII.

IN FESTO

S. FELICIS A CANTALICIO,  
confessoris.

( SEMIDUPLEX. )

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, lxxxviij, præterea quæ sequuntur.*

## ORATIO.

**F**AC nos, Dómine Jesu, in simplicitate et innocentia cordis nostri ambulare, quarum amore de sinu Matris inter Beáti Felicis confessoris tui bráchia descendisti.

Qui vivis.

*Et fit commemoratio sancti Bernardini.*

*Antiphona* Hic vir despicens.

✠. Justum deduxit.

*Oratio, Dómine Jesu, ut in Breviario, 65o.*

*In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.*

## IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

**F**ELIX, a Cantalicio in Sabinis, humilibus, sed piis paréntibus natus, a púero pascendis grégibus, mox et agro colendo addíctus, multo impénsius, rerum cœlestium meditatióne ánimum nutrire, et corpus assiduis vigiliis ac jejúniis domare cœpit, eremíticam agens vitam pótius quam rústicam. Ferventióre autem in Deum pietate incensus, cum non posset quotidie, ut optábat, sacris Mystériis interesse, grege ad loca solitaria compúlso, ipse ante Crucem arborum corticibus incisam diu orare, seque ácritér flagellare consuéverat; sed et ali-quándo glebas in agro vér-

tere, simulque sacris in Templo adesse visus est. Alias inter arándum furéntibus, quos júnxerat, indómitis javéncis, humi stratus et aratro superducto plane procindendus, lacerata duntaxat veste, surrexit illæsus. Quo periculo, ut ad tutiorem reguláris disciplinæ palæstram vocánti jampridem Deo pareret, admónitus, rústica supelléctili pauperibus distribui jussa, ad Fratres Minóres, quos Capucinos vocant, própere se contulit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductiónibus tutávit illum: \* Et dedit illi claritatem ætérnam. Alleluia.

✠. Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et extendit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

## LECTIO V.

**A**DHUC tyro, necdum vix solémnia professus, reigisæ perfectiónis ápicem per attigisse videbátur. Obedientiæ sédulus cultor, ad præpiéntis non modo verbum sed étiam nutum præsto esse seque Cœnóbii jumentis dictitans, vilissima quæ ministéria semper arripe ac ludibria et contumeliosi hilari vultu excipiebat. Perpetúis quam esset studiis illústri documentó Deo se declaravit. Ostiátum e



per vicos, et pláneas aléndis  
frátribus mendicans (quod  
le munus per annos qua-  
raginta nudis fere semper  
édibus obivit) cum die  
quadam inusitáto póndere  
e ópprimi sentíret, mánti-  
am scrutátus inyéctum clam  
nummum deprehéndit: quo  
proyécto, nec sine indigna-  
tione proculá acto, álacer, et  
evis inde ábiit. Castitátem,  
quam usque ad óbitum ser-  
uávit illibátam, sanctus cór-  
pore et Spíritu a Paulo Quinto  
proptérea appellátus, vigili  
oculórum custódia, et volun-  
tário córporis cruciátu com-  
munívit; aspérrimo flagéllo  
e quotidie cruéntans, ac  
érreo cilicio constrictus,  
septem étiam Urbis Basilicas  
déntidem invisens; jejúnia  
Ordinis inédia quandóque  
cumulávit. Lectus ejus doló-  
ris pótius quam quiétis erat;  
breve quippe somnum  
lexis nuda super tábula gé-  
nibus, ac fasce sarméntorum  
capiti supposito, carpébat.

R. Amavit eum Dóminus,  
et ornávit eum, stólam glóriæ  
induit eum: Et ad portas pa-  
radísi coronávit eum. Alle-  
luia.

Y. Induit eum Dóminus  
oricam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

LECTIO VI.

VITE austeritáte sibi asper,  
ilíus charus, acceptúsque  
sanctis præsertim Cárolo et

Philippo Nérió, simplicitáte  
atque innocéntia semper fuit.  
In orátione pernóctans, dul-  
císsimam frequénter éxtasim  
est passus: et aliquándo in  
ulnis suis reclinátum a Vir-  
gine Matre Púerum Jesum  
suavíssime complécti mérui-  
t, prophetiæ grátia et miraculó-  
rum clarus, demórtuum étiam  
filium matri vivum restituit.  
Mériti tandem in bona senec-  
tute cumulátus, secúnda (ut  
prædixerat) féria Pentecós-  
tes, ad coeléstem Pátriam,  
Deipara invitánte, lætus ábiit.  
Ejus Corpus in Ecclesiá sui  
Ordinis summa Urbis vene-  
ratione cólitur; Dómino cre-  
bris miráculis Servi sui sanc-  
titátem illustránte, quem pro-  
ptérea Urbánus Papa octavus  
Beatórum, Clemens vero un-  
decimus Sanctórum fástis ad-  
scripsit.

R. Iste homo perfécit óm-  
nia quæ locútus est ei Deus,  
et dixit ad eum: Ingrédere  
in réquiem meam; \* Quia  
te vidi justum coram me ex  
ómnibus géntibus.

Y. Iste est qui contémpsít  
vitam mundi, et pervénit ad  
coeléstia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangélii se-  
cúndum Matthæum.

In illo témpore, Respóndens

Jesus dixit : Confiteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

## LECTIO VII.

[Serm. de verb. Dom.]

**O**MNIA sæva, et immânia prorsus facilia, et prope nulla efficit amor. Quanto ergo cœtius, ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum pótuit, cupiditas fecit! quam fáciie tolerátur quælibet advérsitas temporális, ut ætérna pœna vitétur, et ætérna réquies comparétur? Non immérito ille vas electiónis cum ingénti lætítia dixit : Non sunt condigné passióes hujus témporis ad superventúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Ecce unde illud jugum suáve est, et sarcina levis, et si angústa est paucis eligéntibus, fáciis tamen ómnibus diligéntibus: dixit Psalmísta: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum.

Y. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, absti-

nens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocentia sua.

Ipse intercédát.

## LECTIO VIII.

**S**ED quæ dura sunt laborántibus, eisdem ipsis mitescunt amántibus. Propter quod ita divinæ pietátis dispensatióne actum est, ut intérior homo, qui renovátur de die in diem, non adhuc sub lege pósitus, sed jam sub grátia exonerátus sarcinis innumerabilium observatiónum, quod erat revera grave jugum, sed duræ cervici convenienter impósitum, facilitáte simplicis fidei et bonæ spei, et sanctæ charitátis, quidquid molestiarum exterióri hómini forinsecus intulisset ille Princeps, qui missus est foras, interiori gáudio leve fieret.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : \* Et vos símiles hominibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a nuptiis.

Y. Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.

Et vos símiles.

Glória Patri.

Et vos símiles.

## LECTIO IX.

**N**IHIL enim tam fáciie est bonæ voluntáti quam ips-

sibi : et hæc sufficit Deo. Quantumlibet ergo sæviat iste mundus, verissime Angeli, nato in carne Dómino, clamaverunt: Glória in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntátis: quia ejus, qui natus erat, suáve jugum est, et sarcina levis. Et sicut dicit Apóstolus: Fidélis Deus, qui nos non sinit tentári supra id quod pòssumus ferre: sed facit cum tentatióne étiam exitum, ut pòssimus sustinere.

Te Deum laudámus, 18.

DIE XXIII MAII.

FESTUM

SANCTI DESIDERII,

episcopi et martyris.

( DUPLEX. )

*Pro Cathedrali Pistoriensi.*

*Omnia de Communi unius Martyris primo loco, vel de Communi Martyrum tempore Paschali, item primo loco.*

ORATIO.

INFIRMITATEM nostram révice, omnipotens Deus, et grávia pondus propriæ aciónis gravat, beáti Desiderii Mátyris tui atque Pontificis intercessio gloriósa nos protégat. Per Dóminum.

DIE XXIV MAII.

in festo

B. MARIE VIRGINIS

TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM

ex rescripto 8 januarii 1822.

( DUPLEX MAJUS. )

AD VESPERAS.

*Antiphona Dum esse rex, cum reliquis ut in Laudibus, ccc.*

*Psalmi et in officio parvo Beatæ Mariæ Virginis, clxxiv.*

CAPITULUM.

[ Eccl. c. 24. ]

AB initio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futurum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

R. Deo grátias.

HYMNUS.

SÆPE dum Christi pópulus cruéntis,

Hostis infénsi premerétur armis,

Venit adjútrix pia Virgo cœlo

Lapsa seréno:

Prisca sic Patrum monumenta narrant.

Templa testántur spóliis opímis

Clara: votivo repetita cultu Festa quotánnis.

En novi grates liceat Mariæ

Cántici lætis módulis reférre

Pro novis donis, resonante  
plausu

Urbis et Orbis.

O dies felix memoranda  
fastis

Qua Petri Sedes Fidei Ma-  
gistrum

Triste post lustrum reducem  
beata

Sorte recepit.

Virgines castæ, puerique  
puri,

Géstiens clerus, populúsque  
grato

Corde, Regina celebrare  
cœli.

Mûnera certent.

Virginum Virgo benedic-  
ta Jesu

Mater, hæc auge bona : fac,  
precâmur,

Ut gregem Pastor Pius  
ad salutis

Pâscua ducat.

Te per æternos venerémur  
annos,

Trinitas, summo celebranda  
plausu,

Te fide mentes, resonóque  
linguæ

Cármine laudent.

Ÿ. Dignâre me laudâre te,  
Virgo sacrata.

Ÿ. Da mihi virtutem con-  
tra hostes tuos.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Ecce Maria erat spes nos-  
tra, ad quam confúgimus in  
auxílium, ut liberâret nos,  
et venit in adjutórium nobis.

ORATIO.

OMNIPOTENS et miséricors

Deus, qui ad defensionem  
pópuli Christiáni in Beatis-  
sima Virgine Maria perpé-  
tuum Auxilium mirabiliter  
constituisti, concède propi-  
tius, ut tali præsidio muniti  
certâtes in vita, victóriam  
de hóste maligno cónsequi  
valeámus in morte. Per Dó-  
minum.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Sancta  
Maria, Dei Génitrix Virgo,  
intercede pro nobis.

*Psalmus* Venite, exulte-  
mus, 2.

*Hymnus* Sæpe, ut supra.

*Antiphona et Psalmi trium*  
*Nocturnorum ut in Officio*  
*parvo Beatæ Mariæ Virgi-*  
*nis.*

IN PRIMO NOCTURNO.

Ÿ. Spécie tua, et pulchri-  
túdine tua.

Ÿ. Inténde, prospere pro-  
céde, et regna.

De Parábolis Salomónis.

LECTIO I.

[Cap. 8 et 9.]

Ego sapiéntia, hábito in con-  
silio, et eruditis intésum co-  
gitaciónibus. Timor Dómini  
odit malum : arrogántiam, et  
supérbiam, et viam pravam,  
et os bilingue detéstor. Meum  
est consilium, et æquitas,  
mea est prudéntia, mea est  
fortitúdo. Per me reges reg-  
nant, et legum conditóre  
justa decérnunt. Per me pri-



ipes imperant, et potentes  
lecernunt justitiam. Ego di-  
ligentes me diligo: et qui  
nane vigilant ad me, invé-  
nient me.

R. Sancta et immaculata  
virginitas, quibus te laudi-  
bus éfferam nescio, \* Quia  
quem cœli capere non pó-  
erant, tuo grémio contu-  
isti.

Ÿ. Benedicta tu in mulié-  
ribus, et benedictus fructus  
ventris tui.

Quia quem cœli.

## LECTIO II.

**M**ECUM sunt divitiæ, et  
glória, opes superbæ, et  
justitia. Mélior est enim fruc-  
tus meus auro, et lapide  
pretioso, et genimina mea  
argento electo. In viis justi-  
tiæ ambulo, in medio semi-  
arum judicii, ut ditem dili-  
gentes me, et thesauros eó-  
rum répleam. Dóminus pos-  
sedit me in initio viarum  
tuarum, antequam quidquam  
faceret a principio. Ab ætér-  
no ordinata sum, et ex an-  
tiquis antequam terra fieret.  
Nondum erant abyssi, et  
ego jam concépta eram:  
necdum fontes aquarum erú-  
perant: necdum montes gra-  
vi mole constiterant: ante  
colles ego parturiébar.

R. Congratulámini mihi  
omnes, qui diligitis Dómi-  
num, quia cum essem pár-  
vula, placui Altissimo: \* Et

de meis viscéribus genui  
Deum et hóminem.

Ÿ. Beátam me dicent om-  
nes generatiónes, quia an-  
cillam húmitem respéxit  
Deus.

Et de meis.

## LECTIO III.

**B**EATUS homo qui audit me  
et qui vigilat ad fores meas  
quotidie, et observat ad por-  
tas ostii mei. Qui me invé-  
nerit, invéniet vitam, et háu-  
riet salutem a Dómino: qui  
autem in me peccáverit, læ-  
det ánimam suam. Omnes,  
qui me odérunt diligunt  
mortem. Sapiéntia ædificávit  
sibi domum, excidit colúm-  
nas septem. Immolávit vic-  
timas suas, miscuit vinum,  
et propósuit mensam suam.  
Misit ancillas suas ut vocá-  
rent ad arcem, et ad mœnia  
civitátis: Si quis est párvu-  
lus, véniat ad me. Et insipién-  
tibus locúta est: Veníte, comé-  
dite panem meum, et bibite  
vinum quod miscui vobis.

R. Beata es, virgo Maria,  
quæ Dóminum portásti Crea-  
tórem mundi: \* Genuísti qui  
te fecit, et in ætérnum pér-  
manes virgo.

Ÿ. Ave, María, grátia ple-  
na, Dóminus tecum.

Genuísti.

Glória Patri.

Genuísti.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ÿ. Adjuvábít eam Deus  
vultu suo.

R. Deus in medio ejus,  
non commovébitur.

Sermo Sancti Bernárdi  
Abbatis.

## LECTIO IV.

[Ex serm. de 12 Stellis.]

**V**EHEMENTER quidem nobis, dilectissimi, vir unus, et mulier una nocuere: sed grátias Deo per unum nihilominus virum, et mulierem unam, omnia restaurántur, nec sine magno fœnore gratiarum. Et quidem sufficere póterat Christus, siquidem et nunc omnis sufficiéntia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hóminem solum. Cóngruum magis, ut adéset nostræ reparatióni sexus utérque. Jam itaque nec ipsa Múlier benedicta in mulieribus vidébitur otíosa: inveniétur équidem locus ejus in hac reconciliatíone. Opus est enim mediátore ad mediátorem Christum: nec alter nobis utilior quam Maria. Crudélis nímium mediátrix Eva, per quam serpens antiquus pestíferum étiam ipsi viro virus infúdit: sed fidélis Maria, quæ salútis antídoto et viris, et mulieribus propinávit. Illa enim mínistra seductiónis, hæc propitiatiónis; illa suggéssit prævaricatiónem; hæc ingéssit redemptionem. Quid ad Mariam accédere trépidet humana fragilitas? Nihil austérum in ea, nihil terribile,

fota suávis est, omnibus offerens lac et lanam. Revólve diligéntius Evangélicæ históriæ sériem universam: et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod déni- que signum vel levis indignatiónis occurrerit in Maria, de cétero suspéctam hábeas, et accédere vereáris.

R. Sicut cedrus exaltáta sum in Libano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, \* Dedi suavitatem odóris.

†. Et sicut cinnamórum et bálsamum aromatizans.

Dedi suavitatem odóris.

## LECTIO V.

**Q**UOD si, ut vere sunt, plena magis omnia pietátis, et grátiae, mansuetúdinis et misericórdiae, quæ ad eam pertinent invéneris, age grátias ei qui talem mediatricem benigníssima miseratíone provídit, in qua nihil possit esse suspéctum. Déni- que omnibus omnia facta est sapiéntibus, et insipientibus copiosíssima claritate debitrice se fecit. Omnibus misericórdiae sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curatíonem, tristis consolatíonem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam, ipsa præterita non discutit mérita, sed omnibus sese exorá- bilem, omnibus clementissi-

am præbet, omnium de-  
queneccitatē amplissimo  
modum miseratur affectu.  
Ista est quondam a Deo  
comissa mulier serpentis  
atque caput virtutis pede  
contritura; ejus plane cal-  
neo in multis versutis insi-  
atus est, sed sine causa.  
Illa enim contrivit univer-  
sam hæreticam pravitatem.  
Contriti sunt insidiantes,  
inculcati supplantatores,  
infutati derogatores, et  
atam eam dicunt omnes  
generationes. Jam si Ecclesia  
næ intelligenda videtur  
cubulo, habes mediatri-  
ci evidentem expressam:  
Mulier, inquit, amicta sole;  
luna sub pedibus ejus.  
Implectamur Mariæ vestigia  
devotissima supplicatione  
illis illius pedibus provol-  
vuntur. Teneamus eam, nec  
mittamus, donec benedixe-  
rit nobis: potens est enim.

Quæ est ista quæ pro-  
nit sicut sol, et formosa  
quam Jerusalelem? \* Vide-  
t eam Filia Sion, et bea-  
dixerunt, et Regina lau-  
derunt eam.

Et sicut dies Verni  
umidabant eam flores Ro-  
mæ, et lilia convallium.  
viderunt.

## LECTIO VI.

[Ex pub. Monum.]

ESSENTISSIMUM Deiparæ  
lium ad Religionis hostes  
ligandos sæpe populus

Christianus mirum in mo-  
dum expertus est: ex quo  
factum ut SS. Pontifex  
Pius Quintus, post insignem  
victoriam, intercedente Bea-  
tissima Virgine, a Christianis  
de Turcarum Tyranno apud  
Echinadas Insulas reportatam,  
in Litaniis Lauretanis  
eamdem Reginam cælorum  
inter alia præconia Auxilium  
Christianorum appellari con-  
stituerit. Sed illud in primis  
memorabile est, atque explo-  
rati Miraculi loco habendum,  
quod cum Romanus Ponti-  
fex Pius Septimus, impiorum  
consiliis et armis ex Aposto-  
lica Petri sede exturbatus,  
et arcta custodia, præsertim  
Savonæ per annos quinque,  
eoque amplius fuisset de-  
tensus, viis omnibus penitus  
interclusis, ne Dei Ecclesiam  
regere posset, nullo similis  
persecutionis in priscis an-  
nalibus exemplo, inopinato,  
et præter omnium expecta-  
tionem contigit, ut ingenti  
plausu, ac veluti universi  
orbis manibus Pontificio Sól-  
lio restitueretur. Quod et  
secundo accidit, dum ite-  
rum commoto turbine, ab  
Urbe discédens Sacro comi-  
tante Cardinalium Collégio,  
Liguriam conténdit. Verum  
præsentissimo Dei beneficio,  
cessante procélla, quæ grave  
minabatur excidium, Ro-  
mam, plaudéntibus præ no-  
vo gaudio populis, reversus

est. Antea tamen, quod in votis habuerat et captivitate detentus exequi nequiverat, aurea Corona insignem Savonæ imaginem Deiparæ virginis sub titulo Matris Misericordiæ solènni ritu, propriisque manibus decoravit. Quam mirabilem rerum vicissitudinem idem Pontifex Máximus Pius Septimus, totius eventus intime cónscius, cum intercessiõni Sanctæ Dei Genitricis, cujus poténtem opem, et ipse impense imploraverat, et ab omnibus Christi fidelibus implorari curaverat, acceptam mérito reférret, in ejusdem Virginis Matris honorem sub appellatiõne Auxilium Christianórum solèmnè festum indixit perpétuo celebrandum die mensis Máii vigésimo quarto, faustissimi sui in Urbem réditus anniversário, approbato etiam Officio próprio, ut tanti beneficii distincta, et perennis extet memória, et gratiarum actio.

R. Ornátam monilibus filiam Jerúsalem Dóminus concupivit: \* Et vidéntes Filiæ Sion beatissimam prædicaverunt, dicéntes: \* Unguéntum effúsum nomen tuum.

†. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Et vidéntes.

Glória Patri.

Unguéntum.

IN TERTIO NOCTURNO.

†. Elégit eam Deus, et præelégit eam.

R. In tabernáculo suo habitare facit eam.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII.

[Cap. 11.]

In illo tempore, Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbátis.

[In Nativitate B. M. V.]

INTUEBE, O Homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore arenam rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium universam contulit in Mariam. Altius ergo intuemini quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea novemus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Tote ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos



ihére vóluit per Mariam. æc, inquam, volúntas ejus t, sed pro nobis.

R. Felix námque es, sacra irgo María, et omni laude ignissima, \* Quia ex te oris est sol justitiæ, Christus eus noster.

Y. Ora pro pópulo, intéreni pro Clero, intercède ro devóto fœmíneo sexu: intiant omnes tuum juvâen quicúmque tuum sanctum implórant auxiliium.

Quia ex te.

#### LECTIO VIII.

N omnibus síquidem, et per omnia próvidens míseris, epidatióem nostram solum, fidem éxcitat, spem óborat, diffidéntiam ábigit, rigit pusillanimitátem. Ad atrem verebáris accédere, olo auditu térritus, ad fóa fugiébas: Jesum tibi edit mediatórem. Quid on apud talem Patrem Fíus talis obtíneat? Exaudíetur útique pro reveréntia; Pater enim diligit Fíum. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre Divínam, uod licet factus sit homo, ánsarit tamen Deus. Adocátum habére vis et ad osum? Ad Mariám recurre. pura síquidem humanitas in laria, non modo pura ab omni contaminatióne, sed pura singularitáte natúræ. Nec dúbius díxerim exau-

diétur et ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique Matrem Fílius, et exáudiet Fílium Pater.

R. Beátam me dicent omnes generatióes, \* Quia fecit mihi magna qui potens est, sanctum nomen ejus.

Y. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Quia fecit.

Glória Patri.

Quia fecit.

#### LECTIO IX.

FILIOLI, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ. Quid enim? Potéstne Fílius aut repéllere, aut sustinére repúlsam? Non audire; aut non audíri Fílius potest? Neutrum plane. Invenísti, ait Angelus, grátiam apud Deum: feliciter. Semper hæc invéniet grátiam, et sola est grátia, qua egémus: nimirum sola est grátia, qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus, Fratres? Quærámus grátiam, et per Mariám quærámus, quia quod quærit invenit, et frustrári non potest. Quærámus grátiam, sed grátiam apud Deum: nam apud hómínes grátia fallax. Quærant álii méritum, nos invenire grátiam studeámus. Quid enim? Non grátia est quod hic sumus? Profécto misericórdia

Dómini est, quod non sumus  
consumpti nos.

Te Deum laudamus, 18.

### AD LAUDES

ET PER HORAS.

#### *Antiphona.*

Dum esset rex in accúbitu  
suo, nardus mea dedit odó-  
rem suavitátis. Allelúia.

*Psalmus* Dóminus regná-  
vit, cum reliquis de Domi-  
nica; ut in *Psalterio*, 19.

#### *Antiphona.*

Læva ejus sub cápite meo,  
et dextera illius amplexábi-  
tur me. Allelúia.

#### *Antiphona.*

Nigra sum, sed formósa,  
filix Jerúsalem: ideo diléxit  
me Rex, et introduxit me in  
cubiculum suum. Allelúia.

#### *Antiphona.*

Jam hiems tránsiit, imber  
abiit, et recéssit: surge,  
amíca mea, et veni. Alle-  
lúia.

#### *Antiphona.*

Speciósa facta es, suavis  
in deliciis tuis, sancta Dei  
génitrix. Allelúia.

#### CAPITULUM.

[Ecli. c. 4.]

**A**b initio et ante sæcula  
creáta sum, et usque ad fu-  
túrum sæculum non désinam,  
et in habitatione sancta co-  
ram ipso ministrávi.

#### HYMNUS.

**T**e Redemptóris, Domini-  
que Nostri

Dicimus matrem, speciósa

Virgo,

Christianórum decus, et le-  
vamen

Rebus in arctis.

Sæviant portæ licet infe-  
rórurur,

Hostis antiquus fremat, et  
mináces,

Ut Deo sacrum populétur ag-  
men,

Súscitet iras.

Nil truces possunt fúria  
nocére

Méntibus castis, prece quas  
vocáta

Annuens Virgo fovet, et su-  
pérno

Róbore firmat.

Tanta si nobis fáveat Pa-  
tróna

Béllici cessat scéleris tumul-  
tus,

Mille sternúntur, fugiúntve  
turmæ,

Mille cohórtes.

Tollit ut sancta caput in  
Sióné

Turris, arx firmo fabricáta  
muro,

Cívitas David, clypeis, et  
aeri

Milite tuta.

Virgo sie fortes Dóminas  
poténti

Déxtera, cœli cumuláta de-  
nis,

A piis longe fámulis repel-  
lit

Dæmonis ictus.

Te per ætérnos venerémur  
annos

rinitas, summo celebranda  
plausu,  
e fide mentes resonóque  
linguæ  
Cármine laudent.

✠. Diffúsa est grátia in lá-  
is tuis.

R. Propterea benedixit te  
eius in ætérnum.

*1. Benedictus, Antiphona.*

Ad te, o sancta Dei Geni-  
x, clamávimus, et per te  
nit Dómini auxílium no-  
3.

## ORATIO.

IMPOTENS, et miséricors  
eius, qui ad defensiónem  
puli Christiáni in Beatissi-  
Virgine María perpétuum  
auxílium mirábiliter cons-  
isti, concéde propítius,  
tali præsidio muniti certán-  
in vita, victóriam de hoste  
ligno cónsequi valeámus  
morte. Per Dóminum.

*Ad Horas, Hymni, et  
almi ut in Psalterio, sed  
fine Hymnorum dicitur,  
u, tibi sit glória, Qui natus  
de Virgine.*

## AD PRIMAM.

*Antiphona Dum esset Rex.  
Capitulum Regi sæculó-  
n.*

R. *breve.*

R. Qui natus es de María  
gine.

*Alia ut in Psalterio, 29.*

*Ad Absolutionem Capituli  
pláteis.*

## AD TERTIAM.

*Antiphona Læva ejus.*

*Capitulum. Ab initio.*

R. *breve.* Spécie tua, et  
pulchritúdine tua. \* Allelúia,  
allelúia. Spécie tua.

✠. Inténde, prospere pro-  
céde, et regna.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Spécie tua.

✠. Adjuvabit eam Deus  
vultu suo. Allelúia.

R. Deus in médio ejus,  
non commovébitur. Alle-  
lúia.

## AD SEXTAM.

*Antiphona Nigra sum.*

## CAPITULUM.

[Eccl. c. 24.]

ET sic in Sion firmáta sum,  
et in civitaté sanctificáta si-  
míliter requiévi, et in Jerú-  
salem potéstas mea. Et radi-  
cávi in pópulo honorificáto,  
et in parte Dei mei hæréditas  
illius, et in plenitúdine sanc-  
tórúm deténtio mea.

R. *breve.* Adjuvabit eam  
Deus vultu suo. Allelúia, al-  
lelúia. Adjuvabit.

✠. Deus, in médio ejus,  
non commovébitur.

R. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Adjuvabit.

✠. Elégit eam Deus, et  
prælégit eam. Allelúia.

R. In tabernáculo suo ha-  
bitare facit eam. Allelúia.

## AD NONAM.

*Antiphona Speciôsa.*

## CAPITULUM.

[Eccel. cap. 24.]

**I**n plâteis, sicut cinnamó-  
mum et bálsamum aroma-  
tizans odórem dedi: quasi  
myrrha elécta dedi suavitá-  
tem odóris.

℞. *breve.* Elégit eam Deus,  
et præelégit eam. \* Allelúia,  
allelúia. Elégit.

℣. In tabernáculo suo ha-  
bitáre facit eam.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lá-  
biis tuis. Allelúia.

℞. Propterea benedixit  
te Deus in ætérnum. Alle-  
lúia.

*In secundis Vesperis, om-  
nia ut in primis. Commemo-  
ratio sequentis et S. Urbani  
papæ et martyris ut infra,  
cccij.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Sancta Maria, succúrre  
miseris, juva pusillánimes, ré-  
fove flébiles, ora pro pópulo,  
intervéni pro Clero, inter-  
cède pro devóto fœmineo  
sexu: sentiant omnes tuum  
juvâmen, quicumque sanc-  
tum tuum implórant auxi-  
lium.

*Oratio ut ad Laudes.*

DIE XXIV MAII,

IN FESTO S. IVONIS,

presbyteri et confessoris.

*Omnia de Comuni Con-  
fessoris non Pontificis, præter  
orationem sequentem.*

ORATIO.

**D**EUS qui ad animárum sa-  
lútem, et páuperum defen-  
sionem, beátum Ivónem,  
confessórem tuum insignem  
ministрум elegisti; quæse-  
mus, ut ejúsdem nos tribus  
et charitátem imitári, et apud  
te patrociniis communiri.

*Lectiones tertii nocturni de  
Homilia S. Gregorü Papæ  
in Evangelium Sint lum.  
vestri præcincti, de Com-  
muni Confessoris non Pont-  
ficis primo loco.*

DIE XXV MAII.

IN FESTO

S. GREGORII SEPTIMI.

papæ et confessoris.

(DEPLEX.)

*Omnia de Comuni Con-  
fessoris Pontificis, præter  
quentia.*

ORATIO.

**D**EUS in te sperántium fort-  
túdo, qui beátum Gregóri-  
um Confessórem tuum al-  
tissimæ Pontificem, pro tuenda Ec-  
clesiæ libertate, virtúte con-  
stantiæ roborásti, da nobis



ejus exemplo et intercessi-  
one, omnia adversantia forti-  
ter superare. Per Dóminum  
nostrum.

*Deinde fit commemoratio  
sancti Urbani, Papæ et mar-  
tyris.*

*Antiphona.*

Lux perpétua lucébit Sanc-  
tis tuis, Dómine, \* Et ætér-  
nitas téporum. Alleluia.

✠. Sancti et justi, in Dó-  
mino gaudete. Alleluia.

℟. Vos elégit Deus in hæ-  
reditatem sibi. Alleluia.

ORATIO.

**D**A, quæsumus, omnipotens  
Deus, ut qui beáti Urbáni  
Martyris tui atque Pontifi-  
cis solémnia cólimus, ejus  
pud te intercessiónibus ad-  
juvémur. Per Dóminum nos-  
trum.

*Lectiones primi Nocturni  
de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**G**REGORIUS, Papa Séptimus,  
antea Hildebrándus, Soánæ  
in Etrúria natus, doctrína,  
incontáctitate, omnique virtú-  
um génere cum primis nó-  
bilis, mirífice univérsam Dei  
lustrávit Ecclesiám. Cum  
árvulus ad fabri ligna edo-  
antis pedes jam litterárum  
nescius lúderet, ex rejéctis  
men segmentis illa Daví-

*Vern.\**

diei elementa oráculi : Do-  
minábitur a mari usque ad  
mare, casu formásse narrá-  
tur, manum púeri ductánte  
Númine : quo significarétur  
ejus fore amplissimam in  
mundo auctoritatem. Ro-  
mam deinde proféctus, sub  
protectiône sancti Petri édu-  
cátus est. Júvenis Ecclesiæ  
libertatem a láicis opprés-  
sam, ac depravátos Eccle-  
siasticórum mores vehemén-  
tius dolens, in Cluniacénsi  
Monastério, ubi sub Régula  
sancti Benedicti austeriórís  
vitæ observántia eo tempore  
máxime vigébat, Mónaci  
hábitum induens, tanto pie-  
tátis ardóre divinæ Majes-  
táti deserviébat, ut a Sanc-  
tis ejúsdem Cœnóbii Patri-  
bus Prior sit eléctus. Sed,  
divína Providéntia majóra  
de eo disponénte in salutem  
plurimórum, Cluniaco educ-  
tus Hildebrándus, Abbas  
primum Monastérii Sancti,  
Pauli extra muros Urbis élec-  
tus, ac póstmodum Románæ  
Ecclesiæ Cardinális créatus,  
sub Summis Pontificibus Leó-  
ne Nono, Victore Secúndo,  
Stepháno Nono, Nicoláo  
Secúndo, et Alexándro Se-  
cúndo, præcipuis munéri-  
bus et légatióibus perfúnc-  
tus est : sanctíssimi et purís-  
simi consilii Vir a beáto Pe-  
tro Damiáni nuncupátus, A  
Victore Papa Secúndo Le-  
gatus a latere in Gálliam

missus, Lugdúni Episcopum, simoniaca nube infectum, ad sui criminis confessionem miraculo adégit. Berengárium in concilio Turonénsi ad iterátam hæresis abjuraciónem cómpulit. Cadolái quoque schisma sua virtúte compréssit.

R. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : \* Manus enim mea auxiliábitur ei. Allelúia.

†. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei.

Manus enim.

## LECTIO V.

MORTUO Alexándro Secúndo, invítus et mœrens unánimi ómnium consénsu, décimo kaléndas máii, anno Christi millésimo septuagésimo tértio, Summus Póntifex électus, sicut sol effúlsit in domo Dei : nam potens ópere et sermóne, Ecclesiástica disciplínæ reparándæ, fidei propagándæ, libertáti Ecclesiæ restituéndæ, extirpándis erróribus et corruptélis tanto stúdio incúbuit, ut ex Apostolórum ætate nullus Pontíficum fuisse tradátur qui majóres pro Ecclesiá Dei labóres, molestiasque pertúlerit, aut qui pro ejus libertáte ácrius pugnáverit. Aliquot provin-

cias a simoniaca labe expurgávit.

R. Pósuí adjutórium super poténtem et exaltávi électum de plebe mea : \* Manus enim mea auxiliábitur ei. Allelúia.

†. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim.

## LECTIO VI.

CUM Missarum solémnia pérágeret, visa est viris pius colúmba e cœlo delápsa humero ejus dextro insidens alis exténsis caput ejus veláre, quo significátum est, Spiritus Sancti afflátu, non humánæ prudéntiæ ratióibus, ipsum duci in Ecclesiæ regímine. Cum ab Henrici exercitu Romæ gravi obsidióne premerétur, excitatum ab hóstibus incéndium signo Crucis extínxit. De ejus manu tandem a Roberto Guiscárdo Duce Northmáno eréptus, Cassínus se contúlit; atque inde Salérnum ad dedicándam Ecclesiám sancti Matthæi Apóstoli conténdit. Cum aliquándo in ea civitate sermónem habuisset ad pópulum, ærúmnis confectus in morbum incidit, quo se interitúrum præscivit. Postrema moriéntis Gregórii verba fuére : Diléxi justitiam, et ódivi iniquitatem, prop-

térea mórior in exilio. Innumeraabilia sunt quæ vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter constituit: vir vere sanctus, criminum vindex, et acerrimus Ecclesiæ defensor. Exactis itaque in Pontificatu annis duodecim, migravit in cælum, anno salutis millésimo octogésimo quinto, pluribus in vita et post mortem miraculis clarus, ejusque sacrum corpus in Cathedrâli Basilica Salernitana est honorifice conditum.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

V. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna.

Ipse intercedat.

Glória Patri.

Ipse intercedat.

*In tertio Nocturno Homilia in Evangelium Vigilare, de eodem Communi secundo loco, lxxxiiij.*

*Pro S. Urbano Papa et Martyre.*

#### LECTIO IX.

URBANUS, Românus, Alexandro Severo Imperatore, doctrina et vitæ sanctitate multos ad Christi fidem convertit: in illis Valerianum, beatæ Cæciliæ sponsum, Vern.

et Tiburtium, Valeriani fratrem, qui postea martyrium forti animo subiérunt. Hic de bonis Ecclesiæ attributis scripsit his verbis: Ipsæ res fidélium, quæ Dómino offeruntur, non debent in álios usus, quam Ecclesiásticos et Christianórum fratrum, vel indigéntium converti: quia vota sunt fidélium, et prætia peccatórum. Sedit annos sex, menses septem, dies quátuor, ac martyrio coronátus sepúltus est in cœmetério Prætextati, octávo kaléndas júni, Ordinatióibus quinque hábitis mense decémbri, creávit Presbyteros novem, Diáconos quinque, Episcopos per diversa loca octo.

Te Deum laudámus, 18.

*In Laudibus fit commemoratio S. Urbani, Papæ et martyris.*

#### Antiphona.

Filiæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætitiæ. Allelúia, allelúia.

V. Pretiósâ in conspéctu Dómini. Allelúia.

R. Mors Sanctórum ejus. Allelúia.

*In Secundis Vesperis a capitulo fit de S. Philippo confessore, cum commemoratione præcedentis, et sancti Eleutherii Papæ et Martyris.*



DIE XXXI MAIL.

FESTUM

S. ANGELÆ MERICIAE,  
societatis S. Ursulae fundatricis, virginis.

(DUPLEX.)

*Pro toto Statu Ecclesiastico, et aliis locis.**Omnia de Communi Virginum, præter sequentia.*

ORATIO.

DEUS, qui novum per beatam Angelam sacrarum Virginum Collégium in Ecclesia tua florere voluisti, da nobis ejus intercessione angelicis moribus vivere, ut, terrenis omnibus abdicatis, gaudiis perfrui mereamur æternis. Per Dóminum.

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

ANGELA Mericia Decentiáni, Veronénsis Diocesis oppido ad Lacum Benácum in Ditione Véneta, piis orta parentibus, a prima ætate virginitatis lilium, quod perpetuo servare statuerat, sedula sepsit. Ab omni muliebri ornatu abhorrrens, egrégiam vultus formam, pulchrámque cæsariem studiose sædavit, ut coelésti dumtaxat animarum sponso placeret. In ipso autem adolescentiæ flore parentibus orbata, austerioris vitæ desiderio, in desertum locum aufugere tentavit:

sed ab avínculo prohibita, novit præstare domi quod in solitudine non licuit. Cilicio ac flagellis frequenter usque carnes non nisi infirma valetudine, vinum in Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ tantum celebritate, complures vero dies nihil omnino degustavit. Orationi dedita brevissimum humi carpebat somnum: Dæmonem vero sub lucéntis Angeli forma sibi illudere conantem agnovit protinus, et conjecit in fugam. Tandem patènis bonis abdicatis, et habitum ac regulam tertii Ordinis Sancti Francisci amplèxa, evangelicam paupertatem virginitatis laudi conjunxit.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam,  
\* Et deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluia.

V. Spécie tua intende, prospere procede, et regna.  
Et deducet.

LECTIO V.

NULLUM pietatis officium erga próximos omittens, pauperibus quidquid sibi ex emendicato victu superesset, largiebatur, libenter ministrabat ægrótis, pluraque cum magna sanctitatis fama peragravit loca, vel ut solatio esset afflictis, vel reis veniam impetraret, vel infensos invicem reconciliaret animos, vel e vitiorum cœno scelerosos revocaret. Angelorum



pane, quem únice esuriébat, frequentissime refécta, tanta charitátis vi ferebátur in Deum, ut sæpius extra sensus raperétur. Sacra Palæstinæ loca summa cum religiône obívit : quo itinere et visum, quem ad Cydónias appúlisa oras amiserat, eódem regressa recuperávit, et barbarórum captivitátem ac naufrágium imminens divinitus evásit. Romam dénique firmam Ecclesiæ Petram veneratúra, et amplíssimæ Jubilæi vénia percúpida, sedénte Cléménte Séptimo, accéssit; quam Summus Póntifex allocútus, ejúsdem sanctimóniam suspéxit, et commendávit summópere; nec ab Urbe ipsam abire ante permisit, quam álio cœlitus vocátam agnóvit.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : \* Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ. Allelúia.

Ÿ. Propter veritatem, et mansuetúdinem, et justitiam.

Proptérea.

#### LECTIO VI.

**B**RIXIAM itaque, sub domum ad sanctæ Aphræ templum condúxit, revérsa, novam ibi Virginum Societátem sicut cœlésti voce ac visiône mandátum sibi fúerat, sub certa disciplina, sanctisque vivéndi Régulis constituit, quem sanctæ Ursulæ invic-

tæ Virginum ducis patrocínio ac nómine insignívit : eam vero perénnem futúram morti próximam prædixit. Tandem prope septuagenária, dives méritis evolávit in cœlum sexto kaléndas februárias anni millésimi quingentésimi et quadragésimi. Cujus cadáver per ipsos triginta dies inhumátum flexibile, ac vivo simillimum perseverávit. Demum, in sanctæ Aphræ templo inter céteras, quibus illud abúndat Sanctórum Reliquias, repósito, plúrima ad ejus sepúlcrum agi statim cœpere mirácula : quorum fama late diffúsa, non Bríxiæ modo et Decentiáni, sed álibi étiam vulgo cœpit nuncupári Beáta, ejúsque imágo aris impóni : imo sanctus ipse Cárolus Borromæus non multis post annis dignam, quæ ab Apostólica Sede in sanctárum Virginum album referretur, Bríxiæ palam asséruiť. Cultum vero illi jámdiu a pópulis exhibitum, et tum locórum Ordináriis probátum, tum plúribus étiam summórum Pontíficum Indúltis munítum, Clemens Papa Décimústértius solémni Decréto ratum hábuit, et confirmávit.

R. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus \* Afferéntur tibi in lætitia et exultatióne. Allelúia.

Ÿ. Spécie tua, et pulchri-

túidine tua inténde, prósperere  
procéde, et regna.

Afferéntur.

Glória Patri.

Afferéntur.

*In tertio Nocturno Homi-  
lia in Evangelium*, Simile erit  
regnum coelórum decem Vir-  
ginibus, cxx.

## FESTA MOBILIA.

### FERIA SEXTA

POST DOMINICAM PRIMAM

QUADRAGESIMÆ.

officium

SACRATISSIMI SINDONIS  
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

(DUPLEX MAJUS.)

AD VESPERAS.

*Antiphona.*

Joseph, nóbilis Decúrio,  
*cum reliquis de Laudibus*,  
cccxiv.

*Psalmus* Dixit Dóminus,  
*cum reliquis de Dominica*,  
134, *et loco ultimi* Laudáte  
Dóminum, omnes gentes,  
139.

CAPITULUM.

[Isaie c. 63.]

QUIS est iste qui venit de  
Edom, tinctis véstibus de  
Bosra? Iste formósus in stola  
sua grádiens in multitúidine  
fortitúdinis suæ. Ego, qui lo-  
quor justitiam, et propugná-  
tor sum ad salvándum.

HYMNUS.

GLORIAM sacræ celebrémus  
omnes

Sindonis : lætis recolámus  
hymnis,

Et piis votis monuménta nos-  
træ

Certa salútis.

Quæ refert semper vene-  
ránda Sindon,

Sáanguine impréssis decoráta  
signis,

Dum Cruce ex alta tulit invo-  
lútum

Corpus Iesu.

Reddit hæc sævos ánimo  
dolóres

Quos tulit, casum miserátus  
Adæ,

Christus, humáni géneris Re-  
demptor,

Morte perémpta.

Sáucium ferro latus, atque  
palmas,

Et pedes clavis, laceráta fla-  
gris

Membra, et infixam cápiti  
corónam

Monstrat Imágo.

Quis pius siccis óculis, et  
absque

Intimi cordis gémitu no-  
táta,

Vivaque indignæ simulácra  
mortis

Cérnere possit?

Nostra cum solum tibi,  
Christe, culpa

Causa tantórum fúerit maló-  
rum;

Nostra debétur tibi vita : vi-  
tam

Dédimus ipsam.

Sit tibi, Fili, decus atque  
virtus,

Qui tuo mundum redimís  
cruóre,  
Quique cum summo Genitó-  
re, et almo  
Flámine regnas.

Amen.

✠. Tuam Síndonem vene-  
rámur, Dómine.

℞. Tuam recólimus passió-  
nem.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Joseph, vir bonus, et jus-  
tus, accéssit ad Pilátum, et  
pétiit corpus Jesu, quo accép-  
to invólvit illud in Sídone  
munda.

ORATIO.

DEUS, qui nobis in sancta  
Sídone, qua Corpus tuum  
sacratissimum e cruce depó-  
situm a Joseph involútum  
fuit, passiónis tuæ vestigia  
reliquisti, concéde propítius  
ut per mortem et sepultúram  
tuam ad resurrectionis gló-  
riam perducámur. Qui vivis,  
et regnas.

*Pro commemoratione fe-  
riæ.*

*Antiphona.*

O múlter, magna est fides  
tua; fiat tibi sicut petísti.

✠. Angelis suis Deus man-  
dávít de te.

℞. Ut custódiánt te in óm-  
nibus viis tuis.

ORATIO.

DA, quæsumus, Dómine,  
pópulis Christiánis, et quæ  
profiténtur agnóscere, et cœ-  
léste munus diligere, quod  
frequéntant. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Christum  
Dóminum, qui passiónis suæ  
memóriam in sacra Sído-  
ne rénovat, \* Veníte, adoré-  
mus.

*Psalmus* Veníte, exulté-  
mus, 2.

HYMNUS.

MYSTERIUM mirábile,  
Hac luce nobis pánditur,  
Verus Dei cum Filius  
Mortem cruéntam sústinet.

Causam tuéndo sérvuli,  
Reíque formam véstiens,  
Pro servo herus suspéñdi-  
tur,

Pro sonte justus pléctitur.

Necis manent insignia  
Impréssa sacra in Sídone,  
Quæ post triúmphum nóbí-  
lem

Corpus cruéntum invólverat,

Sunt mortis hæc et tártari,  
Mundique victi insígnia,  
Trophæa sunt hæc ínclýta  
Ductóris invictíssimi.

Debémus ergo hanc grá-  
tiam

Nostræ salútis vándici,  
Ut dæmonis contra dolos  
Hac militémus téssera.

Vitæ vetústæ mórtui,  
Surgámus in vitam novam,  
Christum secúti per crucem  
Christi fruémur glória.

Præsta, Pater piíssime,  
Patrique compar únice,  
Cum Spiritu Paráclito  
Regnans per omne sæculum.  
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.

*Psalmus* Cum invocarem, 156.

*Antiphona.*

Aspersus est sanguis super vestimenta mea, omnia indumenta mea inquinavi.

*Psalmus* Conserva me, 111.

*Antiphona.*

Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestimenta mea miserunt sortem.

*Psalmus* Domine, quis habitabit, 10.

✠. Tuam Sindonem veneramus, Domine.

℞. Tuam recolimus passionem.

De Isaia Propheta.

LECTIO I.

[ Cap. 50. ]

Quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiēti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum. Despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit:

et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

℞. Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Aspectus in eo non est. Hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolet: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, Cujus livore sanati sumus.

✠. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Cujus livore.

LECTIO II.

OMNES nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia et de judicio sublatus est generacionem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium propter scelus populi mei percussus est. Et dabit impios pro sepultura et divitem pro morte sua: quod iniquitatem non fecerit neque dolus fuerit in ore ejus.



℟. Quid sunt plagæ istæ in médio mānuum tuārum? \*  
Et dicet : his plagātus sum in domo eōrum qui diligēbant me.

✠. Frāmea suscitāre super pastōrem meum et super virum cohærentem mihi.

Et dicet.

### LECTIO III.

ET Dóminus voluit contē-  
rere eum in infirmitate : si  
posuerit pro peccāto ani-  
mam suam, vidēbit semen  
longævum, et volūtas Dó-  
mini in manu ejus dirigētur.  
Pro eo quod laborāvit ani-  
ma ejus, vidēbit et saturābi-  
tur : in sciētia sua justifi-  
cābit ipse justus servus meus  
multos, et iniquitates eōrum  
ipse portābit. Ideo dispertiam  
ei plūrimos, et fórtium divi-  
det spólia pro eo quod trá-  
didit in mortem animam  
suam, et cum scelerátis re-  
putātus est : et ipse peccāta  
multórum tulit, et pro trans-  
gressóribus rogāvit.

℟. Tuum Síndonem vene-  
rámur, Dómine, tuam glo-  
riósum recólimus passióem.  
\* Miserére nobis, qui passus  
es pro nobis.

✠. Salva præséntem catér-  
vam, in tuis hódie láudibus  
congregátam.

Miserére.

Glória Patri.

Miserére.

### IN SECUNDO NOCTURNO.

#### Antiphona.

Quasi abscónditus vultus  
ejus, et despéctus, unde nec  
reputávimus eum.

*Psalmus* Dómini est terra,  
33.

#### Antiphona.

Omnes vidētes me deri-  
sérunt me, locúti sunt lábiis,  
et movérunt caput.

*Psalmus* Dóminus illumi-  
natio mea, 52.

#### Antiphona.

Trádidit in mortem ani-  
mam suam, et ipse peccāta  
multórum tulit.

*Psalmus* Exaltábo te, Dó-  
mine, 54.

✠. Adorámus te, Christe,  
et benedicimus tibi.

℟. Quia per Crucem tuam  
redemísti mundum.

Sermo Sancti Ambrósii  
Episcopi.

### LECTIO IV.

[Luc. c. 23.]

QUID sibi vult, quod non  
Apóstoli, sed Joseph, et  
Nicodémus, ut Joánnes di-  
cit, Christum sepéliunt? Unus  
justus et constans, alter qui  
erat Magister in Israel. Talis  
enim Christi est sepultúra,  
quæ justitiam magisteriúm-  
que hábeat. Obstrúitur igitur  
tergiversándi locus, et do-  
méstico Judæi testimonio  
revincúntur : nam si Apóstoli  
sepelissent, dicerent útique  
non sepúltum, quem sepúl-  
tum raptum esse dixerunt.

Justus autem Christi Corpus  
óperit Síndone , innocens  
unguit unguénto. Namque  
hæc non otiose distincta  
reperimus : quia justitia vés-  
tit Ecclesiám ; innocentia  
grátiam subministrat.

R. O admirábilis Sindon ,  
in qua involútus est thesau-  
rus noster, \* Redemptio cap-  
tivórum.

Y. Gaudet totus mundus,  
qui redemptus est Sáanguine  
Dómini sui.

Redemptio.

LECTIO V.

VESTI ergo et tu Dómini  
corpus glória sua , ut et ipse  
sis justus. Et si mórtuum  
credis, óperi tamen divinitá-  
tis próprie plenitúdine ; un-  
ge illud myrrha , et áloe , ut  
bonus odor Christi sis. Bo-  
num linteum misit Joseph ,  
ille vir justus , et fortásse  
illud , quod Petrus vidit e  
cælo ad se esse demissum , in  
quo erant génera quadrúpe-  
dum , et ferárum , et vólucrum  
ad similitúdinem gentilium  
figuráta. Mystico igitur un-  
guénto illo pístico consepe-  
liétur Ecclesiá , quæ diversi-  
tátem populórum fidei suæ  
communióne sociávit.

R. Tulérunt túnica[m] Jo-  
seph fratres ejus , et in sán-  
guine hædi quem occidérunt ,  
tinxérunt , mitténtes , qui  
ferrent ad Patrem , et dice-  
rent : \* Hanc invénimus ,

vide num túnica filii tui sit.  
an non.

Y. Quam cum agnovisset  
Pater , ait : Túnica filii mei  
est : fera péssima devorávit  
eum.

Hanc invénimus.

LECTIO VI.

HUNC Joseph justum Lucas  
dixit , Matthæus divitem : et  
mérito dives hoc loco dicitur ,  
ubi Corpus súscipit Christi :  
suscipiéndó enim divitem  
nescivit fidei paupertátem.  
Dives est ergo , qui justus est.  
Justus igitur Síndone invol-  
vit : Israelita vero et diversos  
miscet virtútum odóres , et  
áloes mittit quasi libras cen-  
tum ; hoc est perfectæ fidei  
quantitatem. Et ligavérunt  
Corpus Jesu , juxta consue-  
túdinem speciálem Judæó-  
rum : non útique nodis per-  
fidie , sed fidei ligatúris. Et  
posuérunt in horto , cui  
frequéter Ecclesiá compará-  
tur , quæ diversórum habet  
poma meritórum , florésque  
virtútum.

R. Christus passus est pro  
nobis , vobis relinquens exem-  
plum ut sequámini vestigia  
ejus : \* Qui peccátum non  
fecit , nec invéntus est dolus  
in ore ejus.

Y. Qui cum maledicerétur ,  
non maledicébat , cum pate-  
rétur , non comminabátur.

Qui peccátum.

Glória Patri.

Qui peccátum.

## IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Caro mea requiescet in spe,  
quia non dabis sanctum tuum  
videre corruptionem.

*Psalmus* Deus, in nómine  
tuo, 24.

*Antiphona.*

Convertisti planctum meum  
in gáudium mihi: conscidisti  
saccum meum, et circumde-  
disti me lætitia.

*Psalmus* Notus in Judæa,  
Deus, 96.

*Antiphona.*

Factus sum sicut homo  
sine adjutório inter mórtuos  
liber.

*Psalmus* Dómine, Deus  
salútis meæ, 109.

✠. Omnis terra adóret te,  
et psallat tibi.

℞. Psalmum dicat nómini  
tuo, Dómine.

Lectio sancti Evangelii se-  
cúndum Marcum.

## LECTIO VII.

[Cap. 15.]

IN illo témpore, Cum jam  
sero esset factum (quia erat  
Parascève, quod erat ante  
sábbatum) venit Joseph ab  
Arimathæa nóbilis Decúrio,  
qui et ipse erat expéctans  
Regnum Dei. Et réliqua.

Homilia Venerábilis Bedæ  
Presbyteri.

[In fer. 3 Palmar.]

PARASCÈVE græce, latine  
præparatio dicitur, quo nó-

mine Judæi, qui inter Græcos  
morabántur, sextam Sábbati  
appellábant, eo quod in illo  
ea, quæ requiúi Sábbati ne-  
cessária essent, præparáre  
solérent; juxta hoc, quod de  
manna quondam præcéptum  
est: Sexta autem die colligé-  
tis duplum. Quia ergo sexta  
die factus est homo, et tota  
est mundi creatúra perfécta;  
séptima autem Cónditor ab  
ópere suo requiévít: unde  
et hanc Sábbatum, hoc est  
réquiem vóluit appellári:  
recte Salvátor eádem sexta  
die crucifixus humánæ res-  
tauratiónis implévit arcánium.  
Unde et hanc Sábbatum,  
hoc est, réquiem vóluit ap-  
pellári: recte Salvátor eá-  
dem sexta die crucifixus hu-  
mánæ restauratiónis implévit  
arcánium: ideóque cum ac-  
cepisset acétum, dixit: Con-  
summátum est; hoc est,  
sextæ diéi, quod pro mundi  
refectiône suscepí, jam to-  
tum est opus explétum. Sá-  
bato autem in sepúlcro re-  
quiéscens, résurrectiόνis,  
quæ octáva die ventúra erat,  
expectábat evéntum.

℞. Mercátus est Joseph  
Síndonem mundam, ut in-  
vólveret in ea Corpus Dó-  
mini: \* Venit ergo, et tulit  
Corpus ejus.

✠. Rogávit Pilátum Joseph  
ab Arimathæa, ut tólleret  
Corpus Jesu.

Venit ergo.

LECTIO VIII.

**V**ENIT, inquit, Joseph ab Arimathæa, nóbilis Decúrio, qui et ipse erat expéctans Regnum Dei, et audácter introívit ad Pilátum, et pétiit Corpus Jesu. Magnæ quidem Joseph iste dignitátis ad sæculum, sed majóris apud Deum mériti fuisse laudátur. Talem namque existere decébat eum, qui Corpus Dómini sepeliret, qui, et per justitiam meritórum tali ministério dignus esset, et per nobilitátem poténtiæ sæcularis facultátem posset obtinére ministrándi; non enim quilibet ignótus aut mediócris ad præsidem accédere, crucifixi corpus póterat impetráre.

¶. Hæc est Sindon digníssima \* In qua salutis auctor de cruce depósitus invólvi dignátus est.

✠. Ut nos consepúliti cum eo, vétëris hóminis exúviis depósitis, innocéntiæ Sindone regenerémur.

In qua.

Glória Patri.

In qua.

*Lectio nona de Homilia Feriæ.*

Te Deum laudámus, 18.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Joseph, nóbilis Decúrio, vir bonus et justus, et ipse

dives erat, expéctans regnum Dei.

*Psalmus Dóminus regnávít, cum reliquis de Dominica, 19.*

*Antiphona.*

Hic audácter introívit ad Pilatum, et pétiit Corpus Jesu.

*Antiphona.*

Cum cognovisset Pilátus a centurióne, quod jam mórtuus esset, donávit Corpus Jesu.

*Antiphona.*

Joseph autem mercátus Sindonem, et depónens eum invólvi Sindone.

*Antiphona.*

Pósuit eam in monumento, in quo nondum quisquam pósitus fúerat.

CAPITULUM.

[ Isaïæ c. 63. ]

**Q**UIS est iste qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitudíne fortitúdinis suæ. Ego, qui loquor justitiam, et propugnátor sum ad salvándum.

HYMNUS.

**J**ESU, dulcis amor meus, Ac si præsens sis, accédo, Te compléctor cum afféctu, Tuórum memor vúlnerum.

O quam nudum hic te cerno,

Vulnerátum, et disténtum, Inquinátum, involútum In hoc sacro tégmíne!



Salve caput cruentatum  
Spinis, cujus dulcis vultus  
Immutavit suum florem,  
Quem Cœli tremit curia.

Salve, latus Salvatoris,  
Salve, mitis apertura,  
Super rosam rubicunda,  
Medela salutifera.

Manus sanctæ, vos avête,  
Diris clavis perforatæ:  
Ne repellas me, Salvator,  
De tuis sanctis pedibus.

Amen.

✠. Dominus regnavit, de-  
corem induit.

R. Induit Dominus forti-  
tudinem, et præcinxit se vir-  
tute.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Joseph, nobilis Decurio,  
expectans et ipse regnum  
Dei, mercatus est Sindonem,  
et depónens Corpus Jesu,  
involvit illud in Sídone.

ORATIO.

DEUS, qui nobis in Sancta  
Sídone, qua Corpus tuum  
aceratissimum e Cruce de-  
positum a Joseph involutum  
fuit, passionis tuæ vestigia  
eliquisti, concède propitius,  
ut per mortem, et sepultu-  
ram tuam, ad resurrectionis  
gloriam perducámur. Qui  
vivis, et regnas.

*Pro commemoratione Fe-  
licæ.*

*Antiphona.*

Angelus Domini descen-  
debat de cœlo, et movebá-  
tur aqua, et sanabatur unus.

✠. Angelis suis Deus man-  
davit de te.

R. Ut custodiant te in  
omnibus viis tuis.

ORATIO.

ESTO, Domine, propitius  
plebi tuæ, et quam tibi fa-  
cis esse devotam, benigno  
refove miseratus auxilio. Per  
Dominum.

AD TERTIAM.

*Antiphona* Hic audacter,  
*Capitulum* Quis est iste,  
*ut supra.*

R. Tuam Sídonem \* Ve-  
nerámur, Domine. Tuam Sí-  
donem.

✠. Tuam recólimus pas-  
sionem.

R. Venerámur, Domine.  
Glória Patri. Tuam Sí-  
donem.

✠. Adorámus te, Christe,  
et benedicimus tibi.

R. Quia per mortem tuam  
redemisti mundum.

AD SEXTAM.

*Antiphona* Cum cogno-  
visset.

CAPITULUM.

[Isaie c. 63.]

QUARE ergo rubrum est  
vestimentum tuum, et vesti-  
menta tua, sicut calcantium  
in torculari? Torcular cal-  
cavi solus, et de gentibus  
non est vir mecum.

R. Adorámus te, Christe,  
\* Et benedicimus tibi. Ado-  
rámus te.

✠. Quia per mortem tuam redemisti mundum.

℞. Et benedicimus.

Glória Patri. Adorámus te.

✠. Omnis terra adóret te,

\* Et psallat tibi.

℞. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

### AD NONAM.

*Antiphona* Pósuít eum.

#### CAPITULUM.

[ Isaiæ c. 53. ]

**C**IRCUMSPEXI, et non erat auxiliátor; quæsiui, et non fuit qui adjuvaret: et salvávit mihi bráchium meum, et indignatio mea ipsa auxiliáta est mihi.

℞. Omnis terra adóret te,

\* Et psallat tibi. Omnis terra.

✠. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

℞. Et psallat tibi.

Glória Patri. Omnis.

✠. Dóminus regnávit, decórem induit.

℞. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcinxit se virtúte.

### IN SECUNDIS VESPERIS.

*Antiphona* Joseph, nóbilis, cum reliquis de *Laudibus*, cccxiv.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de *Dominica*, 134, et loco ultimi *Psalmus* Voce mea ad Dóminum clamávi, ut in *Vesperis Feriæ sextæ*, 150.

*Capitulum et Hymnus ut*

*supra in primis Vesperis*, cccviiij.

*Ad Magnificat, Antiphona*

Homo quidam dives, ab Arimathæa, nómine Joseph, accépto corpore, invólvit illud in síndone munda.

*Oratio* Deus, qui nobis in sancta Síndone, ut *supra*.

*Pro commemoratione Feriæ.*

#### *Antiphona.*

Qui me sanum fecit, ille mihi præcépit: Tolle grabátum tuum, et ámbula.

\* ✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

℞. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

#### ORATIO.

**E**XAUDINOS, miséricors Deus, et méntibus nostris grátia tuæ lumen osténde. Per Dóminum nostrum.

### FERIA SEXTA

POST DOMINICAM SECUNDAM  
QUADRAGESIMÆ.

officium

PRETIOSISSIMI SANGUINIS

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

( DUPLEX MAJUS. )

AD VESPERAS.

#### *Antiphona.*

Quis est iste qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua.

*Psalmus* Dixit Dóminus, cum reliquis de *Dominica*,

134, et loco ultimi Psalmus  
Laudáte Dóminum, omnes  
gentes, 139.

*Antiphona.*

Ego qui loquor justítiam  
et propugnátor sum ad sal-  
vándum.

*Antiphona.*

Vestítus erat veste aspér-  
sa ságuine, et vocátur nomen  
ejus Verbum Dei.

*Antiphona.*

Quare ergo rubrum est  
indumentum tuum, et vesti-  
ménta tua, sicut calcántium  
in torculári?

*Antiphona.*

Tórcular calcávi solus et  
de géntibus non est vir me-  
cum.

#### CAPITULUM.

[Hebr. c. 9.]

**F**RATRES, Christus assistens  
Póntifex futurórum bonórum  
per ámplius et perféctius ta-  
bernáculum non manufác-  
tum, id est non hujus crea-  
tiónis, neque per ságuinem  
hircórum aut vitulórum, sed  
per próprium ságuinem in-  
troívit semel in Sancta, ætér-  
na redemptióne invénta.

#### HYMNUS.

**F**ESTIVIS resónent cómpita  
vócibus

Cives lætítiam fróntibus éx-  
plicent,

Tædis flammíferis órdine  
pródeant

Instrúcti púeri et senes.

Quem dura móriens Chris-  
tus in árbore

Fudit multiplici vúlneré Sán-  
guinem,

Nos facti mémores dum có-  
limus, decet

Saltem fúndere lácry-  
mas.

Humáno géneri pernícies  
gravis

Adámi vétéris crimine cón-  
tigit,

Adámi intégritas et pietas  
novi

Vitam réddidit ómnibus.

Clamórem válidum sum-  
mus ab æthere

Languéntis Géniti si Pater  
áudiit,

Placári pótius Sanguine dé-  
buit,

Et nobis véniam dare.

Hoc quicúmque stolam

Sanguine próluit,

Abstérgit máculas, et ró-  
seum decus.

Quo fiat símilis prótinus  
Angelis,

Et Regi pláceat, capit.

A recto instábilis trámite  
póstmodum

Se nullus retrahat; meta sed  
última

Tangátur, tribuet nóbile  
præmium,

Qui cursum Deus ádjú-  
vat.

Nobis propítius sit Géni-  
tor potens,

Ut quos Unigenæ Sanguine  
Fílii

Emísti, et plácido Flámine  
récreas,

Coeli ad cúlmina tráns-  
feras.

Amen.

✠. Redemisti nos, Dómine,  
in Sanguine tuo.

R. Effecisti nos Deo nostro  
Regnum.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Accessistis ad Sion, montem et civitatem Dei vivéntis, Jerúsalem coeléstem, et testaménti novi mediatórem Jesum, et Sanguinis aspersiónem, mélius loquéntem quam Abel.

ORATIO.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui Unigénitum Filium tuum mundi Redemptórem constituisti, ac ejus Sanguine placári voluisti, concede, quæsumus, salutis nostræ pretium solémni cultu ita venerári, atque a præséntis vitæ malis ejus virtúte deféndi in terris, ut fructu perpétuo lætémur in coelis. Qui tecum vivit et regnat.

*Pro commemoratione Feriæ.*

*Antiphona.*

Dives ille guttam aquæ pétiit, qui micas panis Lázaro negávit.

✠. Angelis suis Deus mán-  
dávít de te.

R. Ut custódiánt te in ómnibus viis tuis.

ORATIO.

ADESTO, Dómine, fámulis tuis, et perpétuam benigni-

tátem largíre poscéntibus; ut iis, qui te auctóre et gubernatóre gloriántur, et congregáta restáures, et restauráta consérves. Per Dóminum nostrum.

## AD MATUTINUM

*Invitatorium.* — Christum Dei Filium, qui suo nos redémit Sanguine, \* Venite, adorémus.

*Psalmus* Venite, exultémus, 2.

HYMNUS.

IRA justa Conditóris,  
Imbre aquárum vindice,  
Criminósum mersit Orbem,  
Noe in Arca sóspite:  
Mira tandem vis amoris  
Lavít Orbem Sanguine.

Tam salúbri terra felix  
Irrigáta plúvia,  
Ante spinis quæ scatébat,  
Germinávit flósculos;  
Inque nectaris sapórem  
Transiére absynthia.

Triste prótinus venénúm  
Dirus anguis pósuit,  
Et cruénta belluárum  
Désiit ferócia:  
Mitis Agni vulneráti  
Hæc fuit victória.

O sciéntiæ supérnæ  
Altitúdo impérvia!  
O suávitás benigni  
Prædicánda pectoris!  
Servus erat morte dignus,  
Rex luit pœnam óptimus.

Quando culpis provocá-  
mus  
Ultiónem Júdicis,



Tunc loquentis protegámus  
 Sanguinis præséntia ;  
 Ingruentium malórum  
 Tunc recédant ágmina.

Te redemptus laudet Or-  
 bis ,  
 Gratia servans múnera ,  
 O salutis sempiternæ  
 Dux et auctor inclyte ,  
 Qui tenes beáta regna  
 Cum Parénte et Spíritu.

Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Postquam consummáti  
 sunt dies octo , ut circumci-  
 lerétur puer , vocátum est  
 nomen ejus Jesus.

*Psalmus* Quare fremué-  
 runt Gentes , ut in *Psalte-*  
*rio* , 4.

*Antiphona.*

Factus in agónia prolixius  
 orábat , et factus est sudor  
 ejus , sicut guttæ sanguinis  
 decurréntis in terram.

*Psalmus* Dómine , quid  
 multiplicáti sunt , 5.

*Antiphona.*

Judas , qui eum trádedit ,  
 poeniténtia ductus , rétulit  
 triginta argénteos , dicens :  
 Peccávi , tradens Sanguinem  
 justum.

*Psalmus* Consérva me ,  
 Dómine , 11.

✠. Redemísti nos , Dómi-  
 ne.

℞. In Sanguine tuo.

De Epístola beáti Pauli  
 Apóstoli ad Hebræos.

LECTIO I.

[Hebr. c. 9.]

CHRISTUS assistens Póntifex  
 futurórum bonórum per ám-  
 plius et perféctius taberná-  
 culum non manufactum ,  
 id est , non hujus creatiónis ,  
 neque per sanguinem hircó-  
 rum aut vitulórum , sed  
 per próprium Sanguinem ,  
 introivit semel in sancta ,  
 æterna redemptione invénta.  
 Si enim sanguis hircórum et  
 taurórum , et cinis vitulæ as-  
 persus inquinátos sanctificat  
 ad emundatióem carnis :  
 quanto magis Sanguis Chris-  
 ti , qui per Spíritum Sanc-  
 tum semetipsum obtulit im-  
 maculátum Deo , emundábit  
 consciéntiam nostram ab  
 opéribus mórtuis , ad servién-  
 dum Deo vivénti ? Et ideo  
 novi testaménti mediátor  
 est ; ut , morte intercedénte ,  
 in redemptionem carum præ-  
 varicatiónum , quæ erant sub  
 prióri testaménto , repromis-  
 sióem accípiant qui vocáti  
 sunt æternæ hæreditátis.

℞. Jesus , ut sanctificáret  
 per suum Sanguinem pópu-  
 lum , extra portam passus  
 est : \* Exeámus igitur ad  
 eum extra castra , impropé-  
 rium ejus portántes.

✠. Nondum enim usque ad  
 Sanguinem restitistis advér-  
 sus peccátum repugnántes.

Exeámus igitur.

LECTIO II.

UBI enim testaméntum est :

mors necesse est intercédât testatōris. Testamētum enim in mórtuis confirmátum est: alióquin nondum valet, dum vivit qui testátus est. Unde nec primum quidem sine ságuine dedicátum est. Lecto enim omni mandáto Legis a Móyse univérso pópulo, accipiens ságuinem vitulórum et hircórum, cum aqua, et lana coccinea, et hyssópo, ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit, dicens: Hic sanguis testamēti, quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum, et ómnia vasa ministerii ságuine similiter aspérsit. Et ómnia pene in ságuine secúndum legem mundántur et sine ságuinis effusióne non fit remissio.

R. Móyses sumptum ságuinem respérsit in pópulum, \* Et ait: Hic est sanguis fœderis, quod pépigit Dóminus vobiscum.

Y. Fide celebrávit Pascha et ságuinis effusióne; ne qui vastábat primitiva, tangeret eos.

Et ait.

LECTIO III.

**H**ABENTES itaque, fratres, fidúciā in intróitu Sanctórum in Sanguine Christi, quam initiávit nobis viā novā, et vivéntem per vélāmen, id est Carnem suā, et Sacerdotē magnum super Domum Dei: accedāmus

cum vero corde in plenitudine fidei, aspérsi corda: consciéntia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessiōnem indeclinábilem, (fideis enim est qui promisit,) et considerémus invicem in provocatiōnem charitatis et bonórum óperum.

R. Vos, qui aliquādo erātis longe, facti estis prope in Sanguine Christi: \* Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum.

Y. Complácuit per eam reconciliāre ómnia in ipsum, pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in celo sunt.

Ipse enim.

Glória Patri.

Ipse enim.

IN SECUNDO NOCTURNO

*Antiphona.*

Pilátus volens pópulo satisfácere, trádedit illis Jesum flagéllis cæsum.

*Psalmus* Dominus respice me, 35.

*Antiphona.*

Videns autem quia nihil proficeret, accépta aqua lavit manus coram pópulo dicens: Innocens ego sum Sanguine justī hujus.

*Psalmus* Exaltábo te, Domine, quóniam suscepisti me, 54.

*Antiphona.*

Et respóndens universis

spulus, dixit: Sanguis ejus per nos, et super filios nostros.

*Psalmus* Exáudi, Deus, orationem meam, cum decore, 84.

✠. Sanguis Jesu Christi filii Dei.

R. Emúndat nos ab omni peccato.

Sermo S. Joánnis Chrysostomi.

## LECTIO IV.

ULTIS Sanguinis Christi adire virtutem? redeamus ad ejus exemplum, et primum typum recordemur, et istinam scripturam narremus. In Ægypto, nocte mea, Ægyptiis Deus plagam æcimam minabatur, ut eorum primogénita deperirent, et anima primogénitum ejus potulum detinebant. Sed ne nata plebs Judæorum una cum illis periclitaretur, quia aus locus continebat universos, remedium discretionis inventum est. Proinde templum mirabile, ut discis in veritate virtutem: Ira divinae indignationis speratur, et domos singulas fortiter circuibat. Quid igitur Moyses? Occidite, inquit, agnum anniculum, et sanguine ejus linite januas. Quid respondit Moyses? Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuevit? Valde, inquit; non eo quod sanguis est,

sed quia Domínici Sanguinis per eum demonstratur exemplum.

R. In timóre incolátus vestri conversámini: \* Sciéntes quod non corruptibílibus auro vel argénto rédempti estis.

✠. Sed pretíoso Sanguine quasiagni immaculáti Christi.

Sciéntes quod.

## LECTIO V.

NAM sicut Regnantium statuae quæ sine causa sunt, et sermone, nonnunquam ad se confugientibus hominibus, anima et ratione decoratis, subvenire consueverunt, non quia sunt ære confectæ, sed quia retinent imaginem principalem; ita et sanguis ille, qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberavit: non quia sanguis fuit, sed quia hujus Sanguinis ostendebat adventum. Et tunc Angelus ille vastator, cum linitos postes atque aditus pervideret, transjécit gressus, et non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus, non postibus impostum sanguinem Typi, sed fidelium ore lucentem Sanguinem veritatis Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto magis terébitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem? Vis et aliam

hujus Sanguinis scrutare virtutem? Volo; unde primum cucurrit inspicias, et de quo fonte manavit. De ipsa primum Cruce processit: Latus illud Dominicum initium fuit. Mortuo enim, ait, Jesu, et adhuc in Cruce pendente, appropinquat miles, latus lancea percussit, et exinde aqua fluxit et Sanguis. Unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ideo non ait: Exiit Sanguis et aqua; sed, exiit aqua primum et Sanguis: quia primum baptismo diluimur, et postea mysterio dedicamur.

R. Empti estis pretio magno: \* Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

Y. Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum.

Glorificate.

#### LECTIO VI.

LATUS miles aperuit, et templi sancti parietem patefecit. Et ego thesaurum preclarum inveni, et fulgentes divitias me gratulor reperire. Sic et de illo agno factum est. Judæi ovem occiderunt, et ego fructum de sacramento cognovi. De latere Sanguis et aqua. Nolo tam facile, auditor, transeas tanti secreta mysterii. Restat enim mihi mystica atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum et mysteriorum aquam illam et Sanguinem

nem demonstrare. Ex his enim sancta fundata est Ecclesia per lavacri regenerationem, et renovationem Spiritus Sancti. Per baptismum, inquam, et mysteria, quæ ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus ædificavit Ecclesiam, sicut de latere Adam ejus conjux Eva prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque testatur, dicens: De corpore ejus et de ossibus ejus sumus, latus videlicet illud significans. Nam sicut de illo latere Deus fecit foeminam procreantem, sic et de suo latere Christus aquam nobis et Sanguinem dedit, unde repararetur Ecclesia.

R. Commendat charitatem suam Deus in nobis: \* Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.

Y. Multo igitur magis nunc justificati in Sanguine ipsius, salvi erimus ab omni per ipsum.

Quoniam.

Glória Patri.

Quoniam.

#### IN TERTIO NOCTURNO

##### Antiphona.

Exivit ergo Jesus post coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicens: Ecce Homo.



*salvus* Ut quid Deus  
alisti in finem, 95.

*Antiphona.*

t bájulans sibi Crucem  
it in eum, qui dicitur  
rariæ, locum: ubi cru-  
erunt eum.

*Psalmus* Dómine, Deus  
tis meæ, 109.

*Antiphona.*

Ut viderunt eum jam mór-  
m, non fregérunt ejus  
ra, sed unus militum  
cea latus ejus aperuit,  
continuo exivit Sanguis  
aqua.

*Psalmus* Deus ultiónum  
minus, 112.

†. Christus diléxit nos.

†. Et lavit nos a peccátis  
stris in Sanguine suo.

Lectio sancti Evangélii se-  
ndum Joánnem.

LECTIO VII.

[Cap. 19.]

illo témpore, Cum acce-  
set Jesus acétum, dixit:  
onsummátum est. Et incli-  
to cápite, trádedit spiritum.  
réliqua.

Homília sancti Augustíni  
píscopi.

[Tract. 120 in Joan.]

IGILANTI verbo Evange-  
ta usus est, non diceret:  
tus ejus percússit, aut vul-  
rávit, aut quid áliud, sed  
eruit: ut illic quodam  
odo vitæ óstium pan-  
eretur, unde Sacraménta  
eclésiæ manavérunt, sine

quibus ad vitam, quæ vera  
vita est, non intrátur. Ille  
Sanguis in remissionem fusus  
est peccatórum. Aqua illa  
salutare témporat póculum,  
hæc et lavácrum præstat et  
potum. Hoc prænuntiábat  
quod Noe in látere Arcæ  
óstium fácere jussus est, qua  
intrárent animália, quæ non  
erant dilúvio peritúra, qui-  
bus præfigurabátur Ecclésia.  
Propter hoc prima múlter  
facta est de látere viri dor-  
miéntis, et appelláta est vita,  
matérque vivórum. Magnum  
quippe significávit bonum,  
ante magnum prævaricatió-  
nis malum Hic. secúndus  
Adam inclináto cápite in  
Cruce dormívit; ut inde  
formarétur ei conjux, quæ  
de látere dormiéntis efflúxit.  
Omors, unde mórtui revivís-  
cunt! Quid isto ságuine  
múndius, quid vúlneris isto  
salúbrius?

†. Hic est qui venit per  
aquam et Sanguinem: Jesus  
Christus, \* Non in aqua so-  
lum, sed in aqua et Sán-  
guine.

†. In die illa erit fons pa-  
tens dómui David et habi-  
tántibus Jerúsalem, in ablu-  
tiónem peccatóris.

Non in aqua.

LECTIO VIII.

TENEBANTUR hómines cap-  
tivi sub diábolo, et dæmóni-  
bus serviébant. Sed redempti

sunt a captivitate : vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, et dedit pretium. Fudit Sanguinem suum, et emit orbem terrarum. Quæritis, quid emerit? Videte, quid dederit, et invenietis quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum esse, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos esse, quibus solis illud sit datum. Non ergo exultent, non superbiant. Pro toto dedit, quantum dedit.

*R.* Prædestinavit nos Deus in adoptionem Filiorum per Jesum Christum : \* In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus.

*V.* Remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis.

In quo habemus.

Glória Patri.

In quo habemus.

*Lectio nona de Homilia feriæ.*

Te Deum laudamus, 18.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Hi qui amicti sunt sto-

lis albis, qui sunt, et venerunt?

*Psalmus* Dominus regnavit, cum reliquis, 19.

*Antiphona.*

Hi sunt qui venerunt a tribulatione magna, et laverunt stolas suas in Sanguine Agni.

*Antiphona.*

Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die et nocte.

*Antiphona.*

Et ipsi vicerunt dracones propter Sanguinem Agni, et propter testamentum Verbi sui.

CAPITULUM.

[Hebr. c. 9.]

**F**RATRES, Christus assidue Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manifestum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.

*Antiphona*

Beati qui lavant stolas suas in Sanguine Agni.

HYMNUS.

**S**ALVETE, Christi vulnere  
Immensi amoris pignora  
Quibus perennes rivuli  
Manant rubentis Sanguinis  
Nitore stellas vincitis.  
Rosas odore et balsamo  
Pretio lapillos indicos.

illis favos dulcedine.

Per vos patet gratissimum  
vobis asyllum mentibus ;  
non huc furor minantium  
quam penetrat hostium.

Quot Jesus in Prætorio  
agella nudus excipit !  
quot scissa pellis undique  
illat cruoris guttulas.

Frontem venustam , pro  
dolor !

corona pungit Spinea :

lavi retusa cuspide

pedes manusque perforant.

Postquam sed ille tradidit

mans volensque spiritum ,

actus feritur lancea ,

eminusque liquor exilit.

Ut plena sit redemptio ,

sub torculari stringitur :

unde Jesus immemor ,

ibi nil reservat Sanguinis.

Venite quotquot criminum

omnes labes inficit :

in hoc salutis balneo ,

ubi se lavat , mundabitur.

Summi ad Parentis dexte-  
ram

cedenti habenda est gratia ,

qui nos redemit Sanguine ,

sanctoque firmat Spiritu.

Amen.

✠. Justificati in Sanguine  
Christi.

℟. Salvi erimus ab ira per  
Christum.

*Ad Benedictus , Antiphona.*

Erit Sanguis Agni vobis in  
signum , dicit Dominus : Et  
non bibo Sanguinem , et tran-  
sibo vos , nec erit in vobis  
flagellum disperdens.

## ORATIO.

**O**MNIPOTENS sempiternus  
Deus , qui Unigenitum Fi-  
lium tuum mundi Redempto-  
rem constituisti , ac ejus San-  
guine placari voluisti ; con-  
cede , quæsumus , salutis  
nostræ pretium solenni cultu  
ita venerari , atque a præsen-  
tis vitæ malis ejus virtute  
defendi in terris , ut fructu  
perpetuo lætemur in cœlis.  
Qui tecum vivit et regnat in.

*Pro commemoratione Feriæ.*

*Antiphona.*

Malos male perdet , et vi-  
neam suam locabit aliis agri-  
colis , qui reddant ei fructum  
in temporibus suis.

✠. Angelis suis Deus man-  
davit de te.

℟. Ut custodiant te in  
omnibus viis tuis.

## ORATIO.

**D**A , quæsumus , omnipotens  
Deus , ut , sacro nos purifi-  
cante jejunio , sinceris men-  
tibus ad sancta ventura facias  
pervenire. Per Dominum.

## AD PRIMAM.

*In Responsorio brevi dici-  
tur ✠. Qui tuo nos Sanguine  
redemisti.*

## AD TERTIAM.

*Antiphona* Hi sunt , qui  
venerunt.

*Capitulum* Fratres , Chris-  
tus , ut supra , cccxxiv.

℟. breve. Redemisti nos ,  
Domine , \* In Sanguine tuo.  
Redemisti.

✠. Ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natione.

R). In Sanguine tuo.

Glória Patri. Redemisti.

✠. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.

R). Emúndat nos ab omni peccáto.

### AD SEXTAM.

*Antiphona* Ideo sunt.

CAPITULUM.

[Hebr. c. 9.]

**S**I sanguis hircórum et taurórum, et cinis vitulæ aspérsus, inquinátos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti!

R). *breve*. Sanguis Jesu Christi Filii Dei \* Emúndat nos. Sanguis.

✠. Ab omni peccáto.

R). Emúndat nos.

Glória Patri. Sanguis Jesu.

✠. Christus diléxit nos.

R). Et lavávit nos in sanguine suo.

### AD NONAM.

*Antiphona* Beáti.

CAPITULUM.

[Hebr. c. 9.]

**A**CCIPIENS Móyses sanguinem vitulórum et hircórum, cum aqua, et lana coccínea, et hyssópo, ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit, dicens: Hic sanguis

testaménti, quod mandávi ad vos Deus.

R). *breve*. Christus diléxit nos, et lavit nos \* In Sanguine suo. Christus.

✠. Et fecit nos regnum et Sacerdótes Deo et Patri.

R). In Sanguine suo.

Glória Patri. Christus diléxit.

✠. Justificáti in Sanguine Christi.

R). Salvi érimus ab ira per ipsum.

*In secundis Vesperis, Antiphona, Psalmi, et Hymnus, ut in primis; sed loci ultimi Psalmi dicatur, Laudate, Jerúsalem, 153.*

✠. Te ergo, quæsumus, tuis famúlis subveni.

R). Quos pretióso Sanguine redemisti.

*Ad Magnificat, Antiphona*

Habébitis autem hunc diem in monuméntum: et celebrábitis eum solénnem Deo in generationibus vestra cultu sempitérno.

*Oratio* Omnipotens, *supra*.

*Pro commemoratione Festi*  
*Antiphona.*

Quærentes eum tenere, invénérunt turbam, quia non Prophétam eum habebat.

✠. Angelis suis mandávit de te.

R). Ut custódiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

**D**A, quæsumus, Domine



pulo tuo salutem mentis  
corporis, ut bonis operi-  
s inhærendo, tuæ semper  
tutis mereamur protec-  
ne defendi. Per Dómi-  
m.

FERIA SEXTA

ST DOMINICAM TERTIAM  
QUADRAGESIMÆ.

officium

NCTÆ SPINÆ CORONÆ,

(DUPLEX MAJUS.)

AD VESPERAS.

*Antiphona* Diléctus, cum  
liquis de Laudibus.

*Psalmus* Dixit Dóminus,  
m reliquis de Dominica,  
4, et loco ultimi *Psalmus*  
audate Dóminum, omnes  
ntes, 139.

CAPITULUM.

[Capit. c. 3.]

EGREDIMINI, et videte, Fi-  
e Sion, regem Salomónem,  
diadémate quo coronávit  
um mater sua.

HYMNUS.

EXITE, Sion Filiae,  
egis pudicæ virgines,  
hristi coronam cernite,  
uam mater ipsa téxuit.

Horret revulsis crinibus  
pinis cruentatum caput,  
t vultus ille decolor  
ortem propinquam res-  
picit.

Quæ terra sulcis invia,  
humis rigens et sentibus,  
agubre munus protulit?

Quæ sæva méssuit manus?

Christi rubescens sángine  
Acúleos mutat rosis,  
Palmámque vincens frúcti-  
bus,

Spina est triúmphis áptior.

Culpis satæ mortálium  
Te, Christe, spinæ vulne-  
rant:

Evélle nostras córdibus,  
Tuásque nostris insere.

Virtus, honor, laus, gló-  
ria,

Deo Patri, cum Fílio,  
Sancto simul Paráclito,  
In sæculórum sæcula.

Amen.

✠. Flecténtes Corónam de  
spinis.

℞. Posuérunt super caput  
ejus.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Egredimini, et videte, Filiae  
Sion, regem Salomónem in  
diadémate, quo coronávit  
eum mater sua, parans cru-  
cem Salvatóri suo.

ORATIO.

PRÆSTA, quæsumus, omni-  
potens Deus, ut qui in me-  
móriam Passiónis Dómini  
nostri Jesu Christi Corónam  
ejus Spineam venerámur in  
terris, ab ipso glória et ho-  
nóre coronari mereamur in  
cœlis. Qui tecum vivit et  
régnat.

*Pro commemoratione Fe-  
ricæ.*

*Antiphona.*

Omnes qui habébant in-

firmos, ducébant illos ad Jesum, et sanabántur.

✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

℞. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

## ORATIO.

**S**UBJECTUM tibi pópulum, quæsumus, Dómine, propitiatio cœlestis amplifícet, et tuis semper fáciat servíre mandátis. Per Dóminum nostrum.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* — Christum Regem spinis coronátum, \* Venite, adorémus.

*Psalmus* Venite, exultémus, 2.

*Hymnus* Exite, Sion Fíliæ, ut supra.

## IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Erit tanquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, et fructum suum dabit in témpore suo.

*Psalmus* Beátus vir, qui non abiit in consílio impiórum, ut in *Psalterio*, 4.

*Antiphona.*

Convenérunt in unum adversus Dóminum, et adversus Christum ejus.

*Psalmus* Quare fremuerunt gentes, 4.

*Antiphona.*

In tribulatióne dilatásti mihi.

*Psalmus* Cum invocárem, 156.

✠. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

℞. Et constituisti eum super ópera mánuum tuarum.

De Isaia Prophéta.

## LECTIO I.

[Cap. 17.]

**Q**UIS credidit auditui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascendet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti. Non est spécies ei, neque decór: et vidimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum: despectum, et novissimum virorum. Virum dolórum, et sciéntem infirmitatem: et quasi abscónditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputávimus eum. Vere langores nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, et tritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℞. Maledicta terra in ópere hóminis, \* Spinæ et tribulos germinávit Christo.

✠. Quia comédit Adam de ligno, ex quo præcepit Deus ne coméderet.

Spinæ et tribulos.

## LECTIO II.

OMNES nos quasi oves errá-  
vimus, unusquisque in viam  
suam declinávit: et pósuit  
Dóminus in eo iniquitatem  
omnium nostrum. Oblátus  
est, quia ipse vóluit, et non  
périvit os suum: sicut ovis  
ad occisiónem ducétur, et  
quasi agnus coram tondente  
e obmutéscet, et non apé-  
ret os suum. De angústia,  
de iudicio sublátus est:  
generaciónem ejus quis enar-  
rabit? Quia abscissus est  
de terra vivéntium: prop-  
ter scelus pópuli mei per-  
ssi eum.

R. Appáruit Móysi Dómi-  
nus in flamma ignis de médio  
thorni: \* Et vidébat quod ru-  
s ardéret, et non combu-  
rétur.

V. Dixit ergo Móyses, va-  
n et vidébo visionem hanc  
gloriam.

Et vidébat.

## LECTIO III.

reddabit impios pro sepul-  
chro, et divitem pro morte  
sua: eo quod iniquitatem non  
cogitavit, neque dolus fúerit in  
corde ejus. Et Dóminus vóluit  
tribuere eum infirmitate: si-  
cut ierit pro peccato ani-  
mæ suæ, vidébit semen  
suum, et volúntas Dó-  
mini in manu ejus dirigé-  
bitur. Pro eo quod laborá-  
vit anima ejus, vidébit, et  
retribuetur: in sciéntia sua  
glorificabitur justus servus

meus multos, et iniquitates  
eorum ipse portábit.

R. Ecce ignis et ligna: Deus  
providébit sibi \* Victimam  
holocáusti.

V. Levávit Abraham ócu-  
los suos: viditque post ter-  
gum arietem inter vepres hæ-  
rentem.

Victimam.

Glória Patri.

Victimam.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Dómine, ut scuto bonæ  
voluntátis tuæ coronásti me.

*Psalmus* Verba mea áu-  
ribus percípe, ut in *Psalte-  
rio*, 64.

*Antiphona.*

Minuisti eum paulo minus  
ab Angelis, glória et honóre  
coronásti eum.

*Psalmus* Dómine, Dómi-  
nus noster, 5.

*Antiphona.*

Peccatóres intendérunt ar-  
cum, paravérunt sagittas  
suas in pháretra, ut sagittent  
justum.

*Psalmus* In Dómino con-  
fido, 8.

V. Posuisti, Dómine, super  
caput ejus.

R. Coronam de lapide pre-  
tioso.

Sermo sancti Bernárdi Ab-  
bátis.

## LECTIO IV.

[Serm. 2. in Epiph. Dom.]

EGREDIMINI, Filie Sion: vo-





ant eum, qui inaccessibilis  
est principatibus, terribilis  
inter reges terræ.

R. Accépit regnum decó-  
s \* Et diadéma speciéi.

Ÿ. Deus exaltávit illum,  
dedit illi nomen, quod  
est super omne nomen.

Et diadéma speciéi.

## LECTIO VI.

Hæc propterea mihi in ore  
requenter, sicut vos scitis,  
et in corde semper, sicut  
Deus scit, hæc stylo meo  
in modum familiaria, sicut ap-  
prehet: hæc mea sublimior in-  
ter philosophia, scire Je-  
sum, et hunc crucifixum.  
non requiro, sicut sponsa,  
in cubet in meridie, quem  
deus amplector mea inter  
vera commorantem. Non  
requiro ubi pascat in me-  
ridie, quem intueor Salva-  
torem in Cruce. Illud su-  
perius, istud suavius: pa-  
ra illud, hoc lac: hoc vis-  
ta reficit parvulorum: hoc  
lactat ubera matrum, et ideo  
inter ubera mea commorabi-  
tur. Hunc et vos, dilectissi-  
me, tam dilectum fasciculum  
colligite vobis, hunc medul-  
la insérte cordis, hoc mu-  
sica aditum pectoris, ut et  
inter ubera commoré-  
tur. Si enim ante oculos ha-  
beritis quem portatis, pro-  
prie videntes angustias Dó-  
mini, levius vestras portabi-  
t ipso auxiliante Ecclesiæ  
Christo, qui est super omnia

Deus benedictus in sæcula.  
Amen.

R. Arcam de lignis Setim  
deaurabis auro mundissimo  
intus et foris: \* Faciesque  
supra coronam auream per  
circulum.

Ÿ. Pones in arcam testifi-  
cationem, quam dabo tibi.

Faciesque.

Glória Patri.

Faciesque.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Ingressus sine mácula, et  
operatus justitiam coronatus  
est in monte sancto tuo.

*Psalmus* Dómine, quis  
habitabit, ut in *Psalterio*,  
10.

*Antiphona.*

Super caput ejus coronam  
de lapide pretioso posuisti,  
Dómine.

*Psalmus* Dómine, in vir-  
tute tua, 16.

*Antiphona.*

Adversus eos, qui tribu-  
lant me, impinguasti in óleo  
caput meum.

*Psalmus* Dóminus regit  
me, 35.

Ÿ. Coróna aurea super  
caput ejus.

R. Expressa signo sancti-  
tatis.

Lectio sancti Evangelii se-  
cundum Joannem.

## LECTIO VII.

[Cap. 13.]

In illo tempore, Apprehén-

dit Pilátus Jesum et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbátis.

[Ex Serm. 3o de divers.]

**V**IDETE, Filiae Sion, regem Salomónem. Non dicit Ecclesiásten, aut Ididam. Nam et his nomínibus appellátus est rex ille: et significat Jesum Christum, nostrum verum Salomónem, qui est Sálomon, id est, pacíficus in exílio, Ecclesiástes, id est, concionátor in iudicio, Idida, id est, diléctus Dómini in regno, ubique rex. In exílio mansuétus, in iudicio justus, in regno gloriósus. In exílio amábilis, in iudicio terribilis, in regno adorábilis. In diadémate, quo coronávit eum mater sua. Est autem hæc coroná miséricórdiæ, et in hac imitábilis. Coronávit eum et novérca coroná misériæ, et in hac contemptibilis. Synagógam loquor, quæ se ei non matrem exhibuit, sed novércam.

**R**. Fácies altáre ad adoléndum thymiáma de lignis Sethim: \* Fáciesque ei coronam auréolam per gyrum.

**V**. Ponésque altáre contra velum coram propitiatório.

Fáciesque.

LECTIO VIII.

**C**ORONABIT eum familia sua

coróná justitiæ; et in hac terribilis: coronat eum Pater suus coroná glóriæ; et in hac desiderábilis. Videat ergo eum peccatóres in coroná misériæ, id est, spinæ, et compungántur: videant eum filiae Sion, animæ affectuósæ, in coroná misericórdiæ, et imiténtur: videbunt eum impii in coroná justitiæ, et peribunt: videbunt eum sancti in coroná glóriæ, et perpetuáliter gaudebunt. Coronántur quidem et alii imitatóres ipsius; sed hoc ex industria adjúti per grátiam. Solus iste a matre coronátus est, quia solus cum ordinátiis affectiónibus tanquam sponsus e thálamo processit ex útero matris.

**R**. Christus sciens dolorem, et infirmitatem, spinis coronátus, \* Ipse est qui coronat vos in misericórdia et miseratióibus.

**V**. Vulnerátus propter iniquitates nostras, attritus propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus.

Ipse est.

Glória Patri.

Ipse est.

*Lectio nona dicitur de Homilia Feriæ.*

**AD LAUDES**

**ET PER HORAS**

*Antiphona.*

**Diléctus meus cándidus et**

ubicundus, comæ capitis  
ejus sicut purpura regis  
vincta canalibus.

*Psalmus* Dominus regnā-  
vit; cum reliquis de Domi-  
nica, 19.

*Antiphona.*

Requievit super eum spi-  
ritus timoris Domini: co-  
rona sapientiae et exultatio-  
nis decoravit illum.

*Antiphona.*

Induit eum Dominus ves-  
timētis salutis et indumento  
justitiae, quasi sponsum de-  
coratum corona.

*Antiphona.*

Fasciculus myrrhae dilēc-  
tus meus mihi, inter ūbera  
mea commorabitur.

*Antiphona.*

Rex aeternae gloriæ pro  
nobis coronatus, benedicet  
coronæ anni benignitatis suæ.

CAPITULUM.

[Cant. c. 3.]

**E**GREDDIMINI, et videte, fi-  
liae Sion, regem Salomōnem  
in diademate, quo coronā-  
vit illum mater sua.

HYMNUS.

**L**EGIS figuris pingitur  
Christi corona nōbilis:  
Implēxa spinis victima,  
Ardēnsque testatur rubus.

Arcam corona cinxerat,  
Mensæque sacrum circulum;  
Arāmque thure fūmidam,  
Corona nectit ambiens.

Christi dolorum conscia,

Salve, corona gloriæ,  
Gemmis et auro pulchrior,  
Vincens coronas siderum.

Virtus, honor, laus, glō-  
ria,  
Deo Patri cum Filio,  
Sancto simul Paráclito  
In sæculorum sæcula.

Amen.

Ÿ. Eris corona gloriæ in  
manu Domini.

Ŧ. Et diadema regni in  
manu Dei tui.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Exivit Jesus portans spi-  
neam coronam et purpureum  
vestimentum.

ORATIO.

**P**ræsta, quæsumus, omni-  
potens Deus, ut qui in me-  
mōriam Passiōnis Domini  
nostri Jesu Christi, coronam  
ejus spineam venerāmur in  
terris, ab ipso gloria et ho-  
nōre coronari mereāmur in  
cœlis. Qui tecum vivit et reg-  
nat.

*In commemoratione Fe-  
riæ.*

*Antiphona.*

Aquam, quam ego dēdero,  
si quis biberit ex ea, non si-  
tiet in ætēnum.

Ÿ. Angelis suis Deus man-  
davit de te.

Ŧ. Ut custodiant tē in om-  
nibus viis tuis.

ORATIO.

**J**EJUNIA nostra, quæsumus,  
Dōmine, benigno favōre pro-  
sequere, ut, sicut ab alimēn-





phéta es tu : patres nostri in monte hoc adoravérunt.

✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

R). Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

## ORATIO.

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui in tua protectione confidimus, cuncta nobis adversántia, te adjuvánte, vincámus. Per Dóminum.

~~~~~

## FERIA SEXTA

POST DOMINICAM QUARTAM  
QUADRAGESIMÆ.

officium

SACRARUM QUINQUE PLAGARUM  
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

(DUPLEX MAJUS.)

## AD VESPERAS.

*Antiphona* Verelanguóres,  
*cum reliquis de Laudibus,*  
cccxl.

*Psalmus* Crédidi cum reliquis  
ut in Vesperis Feriæ  
quintæ in Cæna Domini,  
294.

## CAPITULUM.

[Isaïæ, c. 53.]

**C**HRISTUS vulnerátus est propter iniquitates nostras, attrítus est propter scélera nostra, cujus livóre sanátus sumus.

## HYMMUS.

**P**ANGE lingua gloriósi  
Láuream certáminis,  
Et super Crucis trophæa

Dic triúmphum nóbilem :  
Quáliter Redémptor orbis  
Immolátus vicerit.

De Paréntis protoplásti  
Fraude Factor cóndolens,  
Quando pomi noxiális  
In necem morsu ruit :  
Ipse lignum tunc notávit,  
Damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salútis  
Ordo depopóscerat,  
Multifórmis proditóris  
Ars ut artem fálleret ;  
Et medélam ferret inde,  
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri  
Plenitúdo témporis,  
Missus est ab arce Patris  
Natus, orbis Cónditor ;  
Atque ventre Virgináli  
Carne amíctus pródiit.

Vagit infans inter arcta  
Cónditus præsépia :  
Membra pannis involúta  
Virgo Mater álligat ;  
Et Dei manus pedésque  
Stricta fingit fáscia.

Sempitérna sit beátæ  
Trinitáti glória :  
Æqua Patri, Filióque :  
Par decus Paráclito :  
Unius Triníque nomen  
Laudet univérstas.

Amen.

✠. Vidébunt in quem  
transfixérunt.

R). Et dolébant super eum  
ut in morte primogéniti.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Dum in Cruce pendéret

Unigénitus Dei Filius, et ab ómnibus subsannarétur, Mater ejus Virgo María ipsum verum Deum et hóminem cóndolens venerabátur.

ORATIO.

DEUS, qui Unigéniti Filii tui passióne, et per quinque vúlnera ejus Sánguini effusióne, humánam natúram peccáto pérditam reparásti: tribue nobis, quæsumus, ut qui ab eo suscepta vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosissimi Sánguini fructum conséqui mereámur in coelis. Per eúndem Dóminum.

*Pro commemoratione Ferie.*

*Antiphona.*

Prophéta magnus surréxit in nobis, et quia Deus visitávit plebem suam.

†. Angelis suis Deus mandávit de te.

℞. Ut custódiat te in ómnibus viis tuis.

ORATIO.

POPULI tui, Deus, institútor et rector, peccáta, quibus impugnátur, expélle, ut semper tibi plácitus, et tuo munimine sit secúrus. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

*Invitorium.* Christum in Cruce confixum, quinque plagis vulnerátum, \* Venite, adorémus.

*Psalmus* Venite, exultémus, 2.

*Hymnus* Pange lingua glóriosi, ut supra.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Quis est qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra?

*Psalmus* In Dómino confido, 8.

*Antiphona.*

Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcántium in torculari?

*Psalmus* Dómine, quis habitábit, 10.

*Antiphona.*

Tórcular calcávi solus, et de Géntibus non fait vir mecum.

*Psalmus* Dómini est terra, 33.

†. Foderunt manus meas et pedes meos.

℞. Dinumeravérunt ómnia ossa mea.

De Isaia Prophéta.

LECTIO I.

[Cap. 53.]

QUIS crédidit auditui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? et ascendet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti. Non est spécies ei neque decor, et vídimus eum, et non erat aspéctus? et desiderávimus eum, despéctum et novíssimum virórum, Virum dolórum et sciéntem infirmitátem, et quasi absconditus vultus ejus et despéctus. unde nec reputávimus eum

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Et nos putavimus eum quasi leprorum et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

R. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo: \* In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus, in remissionem peccatorum.

Ÿ. Ecce venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terras.

In quo habemus.

#### LECTIO II.

OMNES nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondeute se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia et de iudicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussus eum. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et

Dominus voluit contedere eum in infirmitate.

R. Nos, qui aliquando eramus longe, facti sumus prope per Sanguinem Jesu Christi: \* Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.

Ÿ. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

Ipse est pax.

#### LECTIO III.

[Cap. 63.]

QUIS est qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudinem fortitudinis suae. Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de Gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo et conculcavi eos in ira mea, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi: dies enim ultionis in corde meo, annus Redemptionis meae venit: circumspexi, et non erat auxiliator, quaesivi et non fuit qui adjuvaret.

R. In primogenito ex mortuis complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum. \* Pacificans per Sanguinem Crucis

ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.

R. Ipse est caput corporis Ecclesiæ, in omnibus primatum tenens.

Pacificans.

Glória Patri.

Pacificans.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

*Psalmus.* Deus, Deus meus, respice in me, 35.

*Antiphona.*

A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

*Psalmus.* Jubilate Deo, omnis terra, psalmum, 84.

*Antiphona.*

Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

*Psalmus.* Notus in Judæa Deus: \* in Israel, 96.

✠. Vere languores nostros ipse tulit.

R. Et dolores nostros ipse portavit.

De Sermone S. Bernárdi Abbátis.

LECTIO IV.

[Lib. de Pass. Dom. c. 41.]

CAPTUS est Jesus post plurimas illusiones tam Judæorum quam Géntium, post Sanguinis plures effusiones, clavis in mîtibus manibus simul et pedibus perforatur, et configitur ligno Crucis

Salvator noster mitissimus Jesus. Intuere et respice rosam Passiõnis sanguine quomodo rubet in indicium ardentissimæ charitatis. Contendunt passio et charitas: ista ut plus ardeat, illa, ut plus subeat.

R. Per mortem destruxit Jesus eum qui mortis habebat imperium, \* Ut liberaret eos qui timore mortis obnoxii erant servituti.

✠. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.

Ut liberaret.

LECTIO V.

VIDE quomodo hoc flos rosæ floruerit optima et nostra rubicundus Jesus. Vide totum corpus, scilicet rosæ sanguineæ florem invenias. Inspice unam et alteram, si florem rosæ non invenias in utraque. Inspice pedem unum et alterum, numquid non rosam? Inspice lateris aperturam quia nec illa caret rosâ quamvis ipsa sub rubra propter mixturam aquæ quia, sicut narrat Evangelista: cum unus militum et cetera latus ejus perforatus exivit sanguis et aqua.

R. Per hominem mortuorum: \* Et sicut Adam omnes peccaverunt ita in Christo omnes justificabuntur.



✠. Novissime autem inimica destruetur mors.

Et sicut.

Ex eodem D. Bernárdo.

LECTIO VI.

[Serm. de Pass. Dom.]

**R**ESPICE, Dómine Sancte Pater, de Sanctuário tuo et de excélso cœlorum habitáculo: et intuere hanc sacrosanc-tam Hóstiam quam tibi of-fert magnus Póntifex noster, sanctus puer tuus Dóminus Jesus, pro peccátis fratrum suórum, et esto placábilis super multitudíne malítiæ nostræ. Cognósce, Pater, tú-nicam filii tui Joseph. Heu! fera péssima devorávit eum, et conculcávit in furóre suo vestiméntum ejus. Ecce quin-que scissúras lamentábiles in eo reliquit.

R. Vidémus Jesum, prop-ter passiónem mortis, glória et honóre coronátum, \* Ut pro ómnibus gustáret mor-tem.

✠. Decébat eum, qui mul-tos filios in glóriam addúxe-rat, auctórem salútis eórum per passiónem consummári.

Ut pro ómnibus.

Glória Patri.

Ut pro ómnibus.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum?

*Psalmus* Cantáte Dómino cánticum novum, \* cantáte,

117.

*Antiphona.*

His plagátus sum in do-mo eórum, qui me diligé-bant.

*Psalmus* Dóminus regná-vit, exúltet terra, 113.

*Antiphona.*

In amaritúdine sermo meus est, et manus plagæ meæ aggraváta est super gémitum meum.

*Psalmus* Cantáte Dómino cánticum novum \* quia mi-rabilia, 113.

✠. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras.

R. Attritus est propter scélera nostra.

Lectio sancti Evangélii se-cúndum Joánnem.

LECTIO VII.

[Cap. 10.]

**I**N illo témpore, Sciens Je-sus quia ómnia jam con-summáta sunt, ut consum-marétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilia sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini.

[Lib. 12 Comm. in Joann.]

**C**UM ab immánibus Judæis omnis in Christum expléta esset impietas, nec quidquam jam ad summam crudelitá-tem reliquum esset, ad ex-trémum Caro Christi Sanc-tíssima próprium quiddam ac naturále rursus pátitur. Multis enim ac váriis doló-ribus exsiccáta, siti torqué-tur. Graves síquidem doló-



**Opuli sui, et percussuram  
Ius sanavit.**

*Antiphona.*

**Omnis, qui transibit, stu-  
ebit super omnes plagas  
Ius.**

*Antiphona.*

**O vos omnes qui transi-  
s per viam, attendite et vi-  
ete si est dolor sicut dolor  
Ius.**

*Capitulum* Christus vul-  
eratus, ut supra.

HYMNUS.

**IUSTRA sex qui jam perégit,  
Tempus implens corporis,  
ponte libera Redemptor  
passióni deditus.**

**Agnus in Crucis levatur  
immolandus stipite.**

**Felle potus ecce languet:  
Spina, clavi, lancea  
Mite corpus perforarunt,  
Unda manat, et cruor:  
Terra, pontus, astra, mun-  
dus,  
Quo lavantur flumine!**

**Crux fidelis, inter omnes  
Arbor una nobilis:  
Silva talem nulla profert  
Fronde, flore, germine:  
Dulce ferrum, dulce lig-  
num,  
Dulce pondus sustinent.**

**Flecte ramos arbor alta,  
Tensa laxa viscera,  
Et rigor lentescat ille,  
Quem dedit nativitas;  
Et superni membra Regis  
Tende miti stipite.**

**Sola digna tu fuisti  
Ferre mundi victimam;  
Atque portum præparare  
Arca mundo naufrago,  
Quam sacer cruor perunxit  
Fusus Agni corpore.**

**Sempiterna sit beatæ  
Trinitati gloria,  
Æqua Patri, Filioque,  
Par decus Paráclito:  
Unius Trinique nomen  
Laudet universitas.**

Amen.

**Ÿ. Vidébunt in quem  
transfixerunt.**

**R. Et dolébunt super eum,  
ut in morte primogéniti.**

*Ad Benedictus, Antiphona.*

**Unus militum lancea latus  
ejus aperuit, et continuo  
exivit Sanguis et aqua.**

ORATIO.

**DEUS, qui unigéniti Filii tui  
passione, et per quinque  
vulnera ejus sanguinis effu-  
sione humanam naturam  
peccato perditam reparasti,  
tribue nobis, quæsumus, ut  
qui ab eo suscepta vulnera  
veneramur in terris, ejus-  
dem pretiosissimi sanguinis  
fructum consequi mereamur  
in cœlis. Per eundem Dó-  
minum.**

*Pro commemoratione Fe-  
ricæ.*

*Antiphona.*

**Lázarus amicus noster  
dormit, eamus, et a somno  
excitemus eum.**

R. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

OBATIO.

**D**EUS, qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis, præsta, quæsumus, ut Ecclesia tua et æternis proficiat institutis, et temporalibus non destituatur auxiliis. Per Dominum.

AD PRIMAM.

*Antiphona* Vere languores.

*Ad absolutionem Capituli dicitur Capitulum Nonæ Tradidit Christus, ut supra.*

AD TERTIAM.

*Antiphona* Ipse autem.

*Capitulum* Christus vulneratus, ut supra.

R. *breve.* Foderunt manus meas \* Et pedes meos. Foderunt.

Y. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

R. Et pedes meos.

Glória Patri. Foderunt.

Y. O vos omnes, qui transitis per viam.

R. Attendite, et videte dolorem meum.

AD SEXTAM.

*Antiphona* Alligavit Dominus.

CAPITULUM

[Isaie c. 50.]

**F**ACIEM meam non averti

ab increpantibus, et conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus.

R. *breve.* Vere languores nostros \* Ipse tulit. Vere.

Y. Et dolores nostros ipse portavit.

R. Ipse tulit

Glória Patri.

Vere languores.

R. Disciplina pacis nostræ super eum.

Y. Et livore ejus sanati sumus.

AD NONAM.

*Antiphona* O vos omnes.

CAPITULUM.

[Isaie c. 53.]

**T**RADIDIT Christus in morte animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

R. *breve.* Ipse vulneratus est \* Propter iniquitates nostras. Ipse.

Y. Attritus est propter scelera nostra.

R. Propter.

Glória Patri. Ipse vulneratus.

Y. Oblatus est, quia ipse voluit.

R. Et non aperuit os suum.



*In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

**E**go sum vestra Redemptio: manus meæ, quæ vos fecerunt, clavis confixæ sunt: propter vos flagellis cæsus sum, spinis coronatus sum, aquam petii pendens, et acetum porrexerunt, in escam meam fel dederunt, et in latus lanceam; mortuus et sepultus resurrexi; vobiscum sum, et vivo in æternum.

*Pro commemoratione Ferie.*

*Antiphona.*

Dómine, si fuisses hic, Lázarus non esset mortuus: ecce jam foetet quatríduanus in monumento.

✠. Angelis suis Deus mandavit de te.

℞. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

**D**A nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus. Per Dóminum nostrum.

FERIA SEXTA

POST DOMINICAM IN ALBIS.

officium

DE LANCEA ET CLAVIS  
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

(DUPLEX MAJUS.)

AD VESPERAS.

*Antiphona.*

Hasta Regem glóriæ, cum

*reliquis de Laudibus cccxlix.*

*Psalmus Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi, psalmus Laudate, Dóminum omnes gentes, 139.*

CAPITULUM.

[Cap. 23.]

**S**UMET Dóminus scutum inexpugnabile, æquitatem: acuēt autem duram iram in Lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

HYMNUS.

**P**ANGE, lingua, gloriósæ  
Lanceæ præcónium,  
Quæ reclusit pretiósæ  
Cataractæ flúvium,  
Passo Christo doloróse  
Pro salute Géntium.

Hasta gazis præoptata  
Mundi pandit pretium,  
Cordis tactu præparata  
Fit sagitta fórtium:  
Arma Clavi sunt beata  
Contra vires dæmonum.

Dulcis Hasta, Dei latus  
Spoliasti ságuine:  
Dulces Clavi, qui reátus  
Expurgástis flúmine,  
Ut sit mundus emundátus,  
Et sanátus vulnere.

Hasta fulcit viatóres,  
Et tímētes ánimat,  
Et osténso bellatóres  
Cordis succo róborat:  
Clavus firmat et dat rores,  
Pusillósque récreat.

Jesu, victor inferórum,  
Qui triúmphas Lancea,  
Et virtute qui Clavórum



R). Tuam gloriósam Passiónem recólimus. Alleluia.

De libro secúndo Paralipómenon.

## LECTIO I.

[Cap. 5.]

**F**ECIT igitur rex Salómon ducéntas hastas áureas de summa sexcentórum aureórum, qui in singulis hastis expendebántur. Trecénta quoque scuta áurea trecentórum aureórum, quibus tegebántur singula scuta: posuitque ea Rex in armamentário, quod erat cónsítum némore.

R). Vidéte gloriósa loca Clavórum, et latus meum Láncea perforátum pro salute mundi: \* Palpáte, et vidéte, quia ego ipse sum. Alleluia, alleluia.

✠. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.

Palpáte.

De libro Sapiéntiæ.

## LECTIO II.

[Cap. 3.]

**E**t accípiet armatúram zelus illius, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam; et accípiet pro gálea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnábile, æquitátem. Acuet autem duram iram in lánceam, et pugnábit cum illo orbis terrárum contra insensátos.

R). Latus ejus apérui. Al-

leluia. Patefécit óstium vitæ. \*

Alleluia, alleluia.

✠. Ingrediámur illud.

Alleluia, alleluia.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

## LECTIO III.

[Cap. 6.]

**I**NDUITE vos armatúram Dei, ut possitis stare advérsus insídias diaboli, quóniam non est nobis colluctátio advérsus carnem et ságuinem, sed advérsus príncipes et potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiae, in coeléstibus. Propterea accípíte armatúram Dei, ut possitis resistere in die malo, et in ómnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritáte, et indúti lorícám justítiae, et calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis, in ómnibus suméntes scutum fidei, in quo possitis ómnia tela nequissimi ignea extinguere: et gáleam salutis assúmite, et gládium spíritus, quod est verbum Dei.

R). Inter Clavos Christus in Cruce separátus est. \* Alleluia, alleluia, alleluia.

✠. Et in sancta resurrectióne mundus in ejus láudibus vigilávit.

Alleluia.

Glória Patri.

Alleluia.

Ÿ. Mucro gemmis infinitis  
sanguine vernantibus.

Alleluia.

LECTIO VI.

Quid enim vulnere et plagis  
huiusmodi sanctius? Quid  
eis salubrius, ex quibus sa-  
lus nostra processit, et in  
quibus assidue se possunt  
curare animæ devotorum?  
Licet igitur lancea et clavi  
prædicti: aliaque ipsius pas-  
sionis salutaria instrumén-  
ta, sint a cunctis fidelibus  
Christi ubilibet veneranda,  
et de ipsa etiam Passione  
in eadem Ecclesia solém-  
nia annis singulis Officia  
celebrantur et fiant, dignum  
tamen et conveniens reputá-  
mus, si de ipsius Passionis  
specialibus instrumentis, et  
præsertim in partibus, in  
quibus instrumenta ipsa di-  
cuntur haberi, solémne ac  
speciale festum celebretur et  
fiat: nosque illos fideles  
Christi, qui aliqua ex instru-  
mentis ipsis habere se gau-  
dent, in eorum devotione  
divinis Officiis atque mu-  
neribus specialiter foveá-  
mus.

Ÿ. Jesu nostra spes suavis  
ab ubéribus. Alleluia, \* al-  
leluia, alleluia.

Ÿ. Pro nobis fossus clavis  
in palmis atque pedibus.

Alleluia.

Glória Patri.

Alleluia.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Tu, Christe, nostrum gáu-  
dium, de lanceato latere da  
oris mellicidium ardenti cor-  
de sugere. Alleluia.

*Psalmi* Cantate, Dómi-  
no, canticum novum, \* can-  
tate; Dóminus regnavit, exúl-  
tet; Cantate Dómino canticum  
novum, \* quia mirabilia, *ut*  
*in Communi Virginum*, cxviij.

Lectio sancti Evangelii se-  
cundum Joannem.

LECTIO VII.

[Cap. 19.]

In illo tempore, Sciens Je-  
sus quia omnia consummata  
sunt, ut consummarétur  
Scriptúra, dixit: Sitio. Et ré-  
liqua.

Homilia sancti Augustini  
Episcopi.

[Trac. 120, in Joan.]

Unus militum lancea latus  
ejus aperuit, et continuo exi-  
vit sanguis et aqua. Vigilanti  
verbo Evangelista usus est,  
ut non diceret, latus ejus  
percussit, aut vulneravit, aut  
quid aliud; sed aperuit: ut  
illic quodammodo vitæ ós-  
tium panderétur, unde Sa-  
cramenta Ecclesiæ manavé-  
runt, sine quibus ad vitam,  
quæ vera vita est, non intrá-  
tur. Ille sanguis in remissió-  
nem fusus est peccatorum.  
Aqua illa salutare temperat  
poculum: hæc et lavacrum  
præstat et potum. Hoc præ-





in ea, qua crucifixus est,  
carne venturus.

Te Deum laudamus, 18.

### AD LAUDES

ET PER HORAS.

#### *Antiphona.*

Hasta regem glóriæ Chris-  
tum cruentavit, dum Crucis  
in árbore Dóminus regnavit.  
Allelúia.

*Psalmus* Dóminus regná-  
vit, cum reliquis de Domi-  
nica, 18.

#### *Antiphona.*

Hanc tremendam Láncea-  
am, omnes adorémus, et in  
ejus láudibus semper jubilé-  
mus. Allelúia.

#### *Antiphona.*

Unus militum láncea la-  
tus ejus aperuit, et continuo  
exívit sánguís et aqua. Alle-  
lúia.

#### *Antiphona.*

Fui mórtuus, et ecce sum  
vivens, in sæcula sæculórum.  
Allelúia.

#### *Antiphona.*

Sempitérna gáudia Chris-  
tus tunc donávit, cum Clavis  
et Láncea mortem superávit.  
Allelúia.

### CAPITULUM.

[Cap 5.]

**S**UMET Dóminus scutum  
inexpugnábile, æquitátem,  
ácuét autem duram iram in  
lánceam, et pugnábit cum  
illo orbis terrárum contra in-  
sensátos.

### HYMNUS.

**V**ERBUM supérnum pródiens  
Salváre quod perierat,  
Hasta Clavisque móriens  
Complévit ad quod vénerat.

O Gloriósa Láncea,  
Timor tremórque dæmo-  
num?

Regina pandit sidérea,  
Per sanctæ necis méritum.

De Clavórum stigmátibus  
Emánat mundi prétium,  
E cunctis aromátibus  
Spirans odórem cœlicum.

In corde Christi mérgi-  
tur

Mucro leóne sævior:  
De forti fons exóritur,  
Cibúsque melle dúlcior.

In natum Pater phíalam  
Effúndit iracúndiæ,  
Ut nobis cœnam máximam  
Gratis suæ det glóriæ.

O Christe, nostrum gáu-  
dium,

De vulneráto látere  
Da lac et vinum dépluum  
Ardénte corde súgere.

Precámur, Auctor ómni-  
um,

Tu nostra sis reféctio:  
Tuórum quoque méritum  
Armórum sis protéctio.

Amen.

✠. Per sanctam Lánceam  
de inimícis nostris. Alle-  
lúia.

℟. Libera nos, Deus noster.  
Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

O felix et omni laude dig-  
na, Láncea Salvatóris, quæ

pertransiens latus ejus, chi-  
rographum peccati affixit pa-  
tíbulo Crucis. Allelúia.

## ORATIO.

**D**EUS, qui in assumptæ car-  
nis infirmitate, Clavis affigi  
et Lancea vulnerari promun-  
di salute voluisti, concède  
propitius, ut qui eorúndem  
Clavorum et Lanceæ solém-  
nia venerámur in terris, de  
glorioso victoriæ tuæ triúm-  
pho gratulémur in cœlis. Qui  
vivis et regnas cum Deo.

## AD PRIMAM.

✠. *In responsorio brevi  
dicitur* qui vulnerátus es pro  
nobis.

## AD TERTIAM.

*Antiphona* Hanc tremen-  
dam Lanceam.

*Capitulum* Sumet Dómi-  
nus.

℞. *Breve.* Apprehénde arma  
et scutum. \* Allelúia, alle-  
lúia. Apprehénde arma.

✠. Et exúrge in adiutorium  
mihi.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Apprehénde.

✠. Foderunt manus meas  
et pedes meos. Allelúia.

℞. Dinumeraverunt óm-  
nia ossa mea. Allelúia.

## AD SEXTAM.

*Antiphona* Unus militum.

## CAPITULUM.

[Apoc. c. 1.]

**G**RATIA vobis et pax ab  
eo qui est, et qui erat, et  
qui venturus est; et a Jesu

Christo, qui est testis fidélis,  
primogénitus mortuórum, et  
princeps regum terræ: qui  
dilexit nos, et lavit nos a  
peccátis nostris in sánguine  
suo.

℞. *breve.* Foderunt manus  
meas et pedes meos. \* Alle-  
lúia, allelúia. Foderunt.

✠. Dinumeraverunt ómnia  
ossa mea.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Foderunt.

✠. Quem tu percussisti  
persecuti sunt. Allelúia.

℞. Et super dolórem vul-  
nerum meórum addiderunt.  
Allelúia.

## AD NONAM.

*Antiphona* Sempiterna  
gáudia.

## CAPITULUM.

[Apoc. c. 1.]

**E**co sum primus et novissi-  
mus: et vivus, et fui mór-  
tuus: et ecce sum vivens in  
sæcula sæculórum.

℞. *breve.* Quem tu percus-  
sisti, \* persecuti sunt. Alle-  
lúia, allelúia. Quem.

✠. Et super dolórem vul-  
nerum addiderunt.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Quem.

✠. Ipse vulnerátus est  
propter iniquitátes nostras.  
Allelúia.

℞. Attritus est propter scé-  
lera nostra. Allelúia.

*In secundis Vesperis om-*

*nia ut in primis, et loco ultimi Psalmus Credidi, 128.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Collaudemus Christi clementiam, qui per gloriosos Clavos et Lanceam dat Ecclesiæ de inimicis victoriam, et in cælo vitam et coronam perpetuam. Alleluia.

*Oratio* Deus, qui in assumptione Carnis infirmitate.

~~~~~

### DOMINICA TERTIA

POST PASCHA.

officium

PATROCINII S. JOSEPH,

confessoria

(DUPLEX SECUNDÆ CLASSIS.)

### AD VESPERAS.

*Antiphona* Jacob autem, cum reliquis de Laudibus.

*Psalmus* Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, 134, et loco ultimi, *Psalmus* Laudate Dominum, omnes gentes, 139.

### CAPITULUM.

[Gen. c. 49.]

**B**ENEDICTIONES Patris tui confortatæ sunt benedictionibus Patrum ejus: donec veniret desiderium collum æternorum: fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.

### HYMNUS.

**T**E, Joseph, celebrent ægmina Cœlitum,  
Te cuncti resonent Christiani  
dum Chori,

Qui clarus meritis junctus es  
inclytæ

Casto fœdere Virgini.

Almo cum tumidam germenine conjugem

Admirans, dubio tangeris  
anxius,

Afflatus superi flaminis Angelus

Conceptum puerum docet.

Tu natum Dominum stringis, ad exteras

Ægypti profugum tu sequeris  
plagas,

Amissum Solyimis quæris,  
et invenis,

Miscens gaudia flëtibus.

Post mortem reliquos mors  
pia consecrat,

Palmamque emeritos gloria  
suscipit:

Tu vivens Superis par, frueris Deo,

Mira sorte beâtior.

Nobis, summa Trias,  
parce precantibus,

Da Joseph meritis sidera  
scandere;

Ut tandem liceat nos tibi perpetim

Gratum promere canticum.

Amen.

✠. Constituit eum Dominum domus suæ. Alleluia.

R). Et principem omnis possessionis suæ. Alleluia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Alleluia.



## ORATIO.

**D**EUS, qui ineffabili providentia beatum Joseph Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es, præsta, quæsumus, ut, quem Protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Qui vis et regnas.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* Laudemus Deum nostrum, \* In veneratione beati Joseph Protectoris nostri. Alleluia.

*Psalmus* Venite, exultemus, 2.

*Hymnus* Te, Joseph, ut supra.

## IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Alleluia.

*Psalmi primi Nocturni de Communi Confessoris non Pontificis.*

✠. Confitebor nomini tuo. Alleluia.

R. Quoniam adjutor et Protector factus es mihi. Alleluia.

De libro Genesim.

## LECTIO I.

[Cap. 39.]

**I**CITUR Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, Princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum,

a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens: habitavitque in domo domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia quæ gereret, ab eo dirigere in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei, a quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, et universa quæ ei tradita fuerant. Benedixitque Dominus domui Ægypti propter Joseph, et multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus substantiam: nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vesceretur. Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu.

R. Clamavit populus ad Regem alimenta petens: Quibus ille respondit: Ite ad Joseph. Alleluia.

✠. Salus nostra in manu tua est: respice nos tantum, et læti serviemus Regi.

Quibus ille.

## LECTIO II.

[Genes. cap. 41.]

**P**LACUIT Pharaoni consilium et cunctis ministris ejus, locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid sapientiorum et consimilium

tui invenire pótero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet: uno tantum Regni sólio te præcedam. Dixitque rursus Phárao ad Joseph: Ecce constitue te super universam terram Ægypti. Tulitque ánnulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus: vestivitque eum stola byssina, et collo torquem áuream circumpósuit: fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflécterent, et præpósitum esse scirent universæ Terræ Ægypti.

R. Fecit me Deus quasi Patrem Regis, et Dóminum universæ domus ejus: \* Exaltávit me, ut salvos fáceret multos pópulos. Allelúia.

✠. Venite ad me, et ego dabo vobis ómnia bona Ægypti, ut comedátis medúllam terræ.

Exaltávit me.

## LECTIO III.

[Gen. c. 45.]

Dixit quoque Rex ad Joseph: Ego sum Phárao: absque tuo império non móvêbit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitque nomen ejus, et vocávit eum lingua Ægyptiaca, Salvatórem mundi. Deditque illi uxórem Ase-

Vern.

neth, filiam Putíphar Sacerdótis Heliopóleos. Egréssus est itaque Joseph ad terram Ægypti, (triginta autem annórum erat, quando stetit in conspéctu Regis Pharaónis) et circúvit omnes regiónes Ægypti. Venitque fertilitas septem annórum, et in manipulos redáctæ ségetes congregatæ sunt in hórrea Ægypti. Omnis étiam frugum abundántia in singulis úrbibus cóndita est. Tántaque fuit abundántia trítici, ut arénæ maris coæquarétur, et cópia mensúram excéderet.

✠. Jam lætus móriar, quia vidi fáciem tuam, et supérstitem te relinquo. Non sum fraudátus aspéctu tuo: \* Insuper osténdit mihi Dóminus semen tuum. Allelúia.

R. Qui pascit me ab adolescéntia mea, benedícat púeris istis: et invocétur super eos nomen meum.

Insuper.

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum et Matrem ejus, et vade in terram Israel: defúnti sunt enim qui quærébant ánimam púeri. Allelúia.

*Psalmi secundi Nocturni de Communi Confessoris non Pontificis, lxcij.*

✠. Réspice de cœlo, et vi-

de, et visita vineam istam.  
Alleluia.

R. Et perfice eam. Alleluia.

Sermo S. Bernardini Senensis.

LECTIO IV.

[Ser. 1 de S. Joseph.]

**O**MNIUM singularum gratiarum alicui rationabili creaturæ communicatarum generalis regula est, quod, quandocumque divina grátia eligit aliquem ad aliquam grátiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet, quæ illi personæ sic electæ, et ejus officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant. Quod maxime verificatum est in sancto Joseph, putativo Patre Domini nostri Jesu Christi, et vero Sponso Reginae mundi et Dominae Angelorum, qui ab æterno Patre electus est fidelis Nutritius, atque Custos principalium thesaurorum suorum, scilicet Filii ejus et sponsæ suæ: quod officium fidelissime prosecutus est. Cui propterea Dominus ait: Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.

R. Dedisti mihi protectionem salutis tuæ, et dextera tua suscepit me: \* protector meus; et cornu salutis meæ et susceptor meus. Alleluia.

V. Ego protector tuus sum, et merces tua magnanimis.

Protector meus.

LECTIO V.

**S**I compares eum ad totam Ecclesiam Christi, nonne iste est homo electus et specialis per quem, et sub quo Christus est ordinatus et honeste introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitor est quia per eam Christum suscipere digna facta est; sic profecto post eam huic debet grátiam et reverentiam singularem. Ipse enim est clavis veteris Testamenti, in qua Patriarchalis et Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Porro hic est solus, qui corporaliter possedit, quod eis Divina dignatio repro-misit. Mérito igitur figuratur per illum Patriarcham Joseph, qui populis frumenta servavit. Sed et hic illum præcellit, quia non solum Aegyptiis panem corporalis vitæ, sed omnibus electis panem de cælo, qui cœlestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit.

R. Statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur; protegetur sub tegmine illius a fervore: \* Et in glória ejus requiescet. Alleluia.

V. Sperate in eo, omnis congregatio populi: effundite coram illo corda vestra. Et in glória.



## LECTIO VI.

**P**ROFECTO dubitandum non est, quod Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum ágeret in humanis, tanquam filius Patri suo in cœlis úti- que non negávit, quin pó- tius complévit et consummá- vit. Unde non immérito in verbo propósito a Dómino subinfértur: intra in gáu- dium Dómini tui. Unde, licet gáudium æternæ beatitudinis in cor hóminis intret, máluit tamen Dóminus ei dicere: Intra in gáudium, ut mystice innuátur, quod gáudium illud non solum in eo sit intra, sed úndique illum cir- cúmdans et absórbens, et ipsum velut abyssus infinita submérgens. Meménto igitur nostri, beáte Joseph, et tuæ oratiónis suffrágio apud tuum putatívum Fílium intercéde; sed et Beatíssimam Virginem Sponsam tuam no- bis propítiam redde, quæ Mater est ejus qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

R). Si consistent adversum me castra, non timebit cor meum, \* Si exúrgat advér- sum me prælium, in hoc ego sperábo. Allelúia.

✠. In te cantatio mea sem- per: quóniam tu adjutor fortis.

Si exúrgat.

Glória Patri.

Si exúrgat.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Consúrgens Joseph accé- pit púerum et Matrem ejus, et venit in terram Israel, et habitávit in civitate quæ vocatur Náza-reth. Allelúia.

*Psalmi ut in Communi Confessoris non Pontificis, lxxvj.*

✠. Invocávi Dóminum Pa- trem Dómini mei. Alle- lúia.

R). Ut non derelinquat me in die tribulatiónis. Alle- lúia.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII.

[Cap. 3.]

In illo témpore, Factum est autem cum baptizárétur omnis pópulus, et Jesu bap- tizáto, et oránte, apértum est cœlum. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Episcopi.

[Lib. 2. de Cons. Evang.]

**M**ANIFESTUM est illud, quod ait, Ut putabátur filius Jo- seph, propter illos dixisse qui eum ex Joseph, sicut álii hó- mines nascúntur, natum ar- bitrántur. Quos autem movet, quod álios progenitóres Mat- thæus enúmerat, descéndens a David usque ad Joseph, álios



autem Lucas ascéndens a Joseph usque ad David, fáci-  
le est, ut advértant, duos Pa-  
tres habére potuisse Joseph:  
unum a quo génitus, áltérum  
a quo fúerit adoptátus. An-  
tiqua est enim consuetúdo  
adoptándi étiam in illo pó-  
pulo Dei, ut sibi filios fáce-  
rent, quos non ipsi genuis-  
sent. Unde intelligitur Lucas  
Patrem Joseph, non a quo  
génitus, sed a quo fúerat  
adoptátus, suscepisse in  
Evangélio suo, cujus pro-  
genitores sursum commé-  
morat, donec exíret ad Da-  
vid.

℞. Joseph, fili David, noli  
timére accipere Mariam cón-  
jugem tuam, quod enim in ea  
natum est, de Spiritu Sancto  
est: páriet autem filium,  
\* Et vocábis nomen ejus Je-  
sum. Allelúia.

℣. Ipse enim salvum fáci-  
et pópulum suum a peccátis  
eórum.

Et vocábis.

#### LECTIO VIII.

**CUM** enim necesse sit, utró-  
que Evangelista vera nar-  
ránte, et Matthæo scilicet et  
Luca, ut unus eórum ejus  
Patris originem tenéret, qui  
genúerat; alter ejus, qui adop-  
táverat Joseph, quem pro-  
babílius intelligimus adop-  
tántis originem tenuisse,  
quam eum, qui nóluit Jo-  
seph génitum dicere ab illo

cujus eum filium esse narra-  
bat? Matthæus autem dicens.  
Abraham génuit Isaac, Isaac  
génuit Jacob, atque ita in  
hoc verbo, quod est génuit,  
persevérans, donec in úl-  
timo diceret, Jacob autem  
génuit Joseph, satis expré-  
sit ad eum Patrem se per-  
duxisse originem generán-  
tium, a quo Joseph non adop-  
tátus, sed génitus erat.  
Quamquam si étiam Lucas  
génitum diceret Joseph ab  
Heli, nec sic nos hoc verbum  
perturbáre debéret, ut áliud  
crederémus, quam ab uno  
Evangelista gignéntem, ab  
áltéro adoptántem Patrem  
fuisse commemorátum. Ne-  
que enim absurde quisque  
dicitur non carne, sed cha-  
ritáte genuisse, quem filium  
sibi adoptáverit. At vero  
étiam nos, quibus dedit  
potestátem filios ejus fieri,  
de natúra atque substantia  
sua non nos génuit, sicut  
únicum Filium, sed útique  
dileccióné adoptávit.

℞. Surge, et áccipe pue-  
rum et Matrem ejus, et fuge  
in Ægyptum: \* Et esto ibi,  
usque dum dicam tibi. Al-  
lelúia.

℣. Ut adimplerétur quod  
dictum est a Dómino per  
Prophétam dicéntem: Ex  
Ægypto vocávi filium meum.

Et esto ibi.

Glória Patri.

Et esto ibi.

*Nona Lectio dicitur de  
Fomilia Dominicæ tertiæ.*

## AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Antiphona.*

Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Allelúia.

*Psalmus* Dóminus regnabit, cum reliquis de Domini-  
a, 18.

*Antiphona.*

Missus est Angelus Gábriel Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Náza-reth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph. Allelúia.

*Antiphona.*

Ascendit autem Joseph Galilæa de civitate Náza-reth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur bethlehem. Allelúia.

*Antiphona.*

Et venerunt festinantes, et invenérunt Mariam, et Joseph, et infántem positum in præsepio. Allelúia, allelúia.

*Antiphona.*

Et ipse Jesus erat inciens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. Allelúia.

CAPITULUM.

[Gen. c. 49.]

BENEDICTIONES Patris tui confortatæ sunt benedictionibus Patrum ejus, donec

veniret desiderium cõllium æternorum; fiant in capite Joseph, et in vértice Nazaræi inter fratres suos.

• R. Deo grátias.

HYMNUS.

COELITUM, Joseph, decus,  
atque nostræ

Certa spes vitæ, columénque  
mundi,

Quas tibi læti cánimus, be-  
nignus

Suscipe laudes.

Te Sator rerum státuit pu-  
dicæ

Virginis sponsum, voluitque  
Verbi

Te Patrem dici, dedit et mi-  
nístrum

Esse salutis.

Tu Redemptórem stábulo  
jacéntem,

Quem chorus Vatum cécinit  
futúrum,

Aspicias gaudens, humilisque  
natum

Numen adóras.

Rex Deus regum, Domi-  
nátor orbis,

Cujus ad nutum tremít in-  
ferórum

Turba, cui pronus famulá-  
túr æther,

Se tibi subdit.

Laus sit excelsæ Triadi pe-  
rénnis,

Quæ tibi præbens súperos  
honóres,

Det tuis nobis méritis beátæ  
Gáudia vitæ.

Amen.



desideráveram, sedi. Allelúia.

R. Et fructus ejus dulcis gútturi meo. Allelúia.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Fili, quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Allelúia.

## OFFICIUM

## SANCTI IGNATII

per annum.

PRO MENSIBUS

MARTIO ET APRILI.

*Omnia sumuntur de Comuni Confessoris non Pontificis, præter ea quæ sequuntur.*

## ORATIO.

**D**EUS, qui ad majórem tui nóminis glóriam propagándam, novo per beátum Ignátium subsidio, militántem Ecclesiám roborásti, concede ut ejus auxilio et imitatione certántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

R. Amen.

*In primo Nocturno Lektionen de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.*

## LECTIO IV.

[In Orat. de sancto Philog.]

**BEATI** Ignátii dies, cujus

festivitátem celebrámus, ad ipsius recte factórum enarratióem linguam nostram evocávit: síquidem Beátus iste ad tranquillam, omnisque perturbatióis expértem vitam tránsiit: eóque navigium áppulit, ubi deinceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatióem, aut dolórem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni moléstia ánimi, cum Paulus homínibus adhuc in hac vita degéntibus loquens dicat: Semper gaudéte, sine intermissione oráte?

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam.

✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit illi.

## LECTIO V.

**Q**UOD si hic, ubi morbi, ubi insectatióes, ubi præmatúrae mortes, ubi calúmniæ, ubi invidiæ, ubi perturbatióes, ubi iræ, ubi cupiditátes, ubi innumerábiles insidiæ, ubi quotidianæ sollicitúdines, ubi perpétua, sibi que succedéntia mala sunt, innúmeros ex omni parte dolóres afferéntia, Paulus dixit, fieri posse, ut semper gaudeámus, si quis páululum ex rerum mundanarum flúctibus eréxerit ca-



put vitámque suam recte composúerit : multo magis, postquam hinc demigravérimus, fáciie cómpotes érimus ejus boni, cum hæc ómnia subláta fúerint, advérsa valetúdo, morbi, peccáandi matéria, ubi non est meum ac tuum, frigidum illud verbum, et quidquid est malórum in vitam nostram invehens, innuméraque gignens bella.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronávit eum.

Y. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

#### LECTIO VI.

**Q**UAMOBREM maximópere grátulor hujus Sancti felicitáti, quod, quanquam translátus est, atque hanc, quæ apud nos est, civitátem reliquit, tamen in álteram adscriptus est civitátem, nempe Dei : et digressus ab hac Ecclésia, ad illam pervénit, quæ est primogenitórum descriptórum in cœlis, ac relictis hisce festis, tránsiit ad celebritátem Angelórum. Etenim quod et civitas sursum sit, et Ecclésia, et célébritas, audi Paulum dicentem : Accessistis ad civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cœlestem, et Ecclesiám primitivórum, qui conscripti sunt in cœlis, et

ad multórum millium Angelórum frequéntiam.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus: et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : \* Quia te vidi justum coram me et ómnibus géntibus.

Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

#### LECTIO VII.

[Cap. 10.]

**I**N illo témpore, Designávit Dóminus et álios septuaginta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum, quo erat ipse ventúrus. Et reliqua.

De Homilia sancti Gregórii Papæ.

[Ex. Hom. 17. in Evang.]

**M**ISSIS autem Prædicatóribus, quid dicat, audiamus. Messis quidem multa, operárii autem pauci. Ad messem multam operárii pauci sunt, quod sine gravi moróre loqui non póssumus : quia etsi sunt qui bona áudiunt, desunt tamen qui dicant. Ecce mundus Sacerdótibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operátor : quia

officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implémus. Sed pensáte, Fratres charíssimi, pensáte, quod dicitur: Rogáte Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Vos pro nobis pétite, ut digna vobis operári valeámus, ne ab exhortatióne lingua tórpeat, ne postquam prædicatiónis locum suscipimus, apud justum júdicem nostra nos taciturnitas addicat.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: \* Ipse intercedat pro peccátis ómnium populórum.

V. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábs-tinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.

Ipse intercedat.

#### LECTIO VIII.

Sed útinam, si ad prædicatiónis virtútem non sufficimus, loci nostri officium in innocéntia vitæ teneámus. Nam súbditur: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Multi autem, cum regíminis curam suscipiunt, ad lacerándos súbditos inardescunt. Terrórem potestátis éxhibent, et quibus prodésse debúerant, nocent. Et quia charitátis viscera non habent, Dómini vidéri appetunt. Patres se esse mínime

recognóscunt, humilitátis locum in elatióne dominatiónis immútant. Etsi quando extrínsecus blandiúntur, intrínsecus sæviunt. De quibus álias Véritas dicit: Véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: \* Et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

V. Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.

Et vos.

Glória Patri.

Et vos.

#### LECTIO IX.

CONTRA quæ ómnia considerándum nobis est, quia sicut agni inter lupos mittimur, ut sensum servántes innocéntiæ, morsum malitiæ non habeámus. Qui enim locum prædicatiónis súscipit, mala inférre non debet, sed toleráre: ut ex ipsa sua mansuetúdine iram sæviéntem mítiget, et peccatórum vúlnera in áliis, ipse afflictiónibus vulnerátus, sanet. Quod tunc bene rector éxhibet, cum se ipsum diligere per amórem privátum nescit: cum nulla, quæ mundi sunt, appetit; cum terrénæ cupiditátis, onéribus nequáquam mentis colla suppónit. Unde



oricam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

## LECTIO VI.

**U**NDE igitur laudatióem illius auspicábimur? An a Magistrátu, quem Spíritus illi tradidit grátia? Nam mundáni magistrátus nequáquam possunt Christianórum demonstráre virtútes, quin pótius frequénter habent accusatióem malitiæ: quam ob causam? Quóniam et sollicitú-dines amicórum, et circumcursatióes, et adulatióes, aliaque permulta, his fædióra, magistrátus solent conciliáre. Céterum, ubi Deus suo suffrágio designárit aliquem, incorrúptum suffrágium, aliénium ab omni suspicióne iudícium, indubitáta fúerit delécti comprobátió, propter ejus, qui delégit auctoritátem.

R. Iste homo perfécit omnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: \* Quia ego vidi justum coram me ex omnibus géntibus.

✠. Iste est qui contémpnit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélíi secúndum Lucam.

## LECTIO VII.

[Cap. 10.]

**I**N illo témpore, Designávit Dóminus et álios septuaginta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum, quo erat ipse ventúrus. Et reliqua.

De Homilia S. Gregórii Papæ.

[Ex Hom. 17 in Evang.]

**P**RÆDICATORI tanta debet in Deo esse fidúcia, ut præséntis vitæ sumptus, quamvis non provídeat, tamen sibi hos non deesse certissime sciat, ne dum mens ejus occupátur ad temporália, minus áliis provídeat æténa, quæ, si quis verba étiam per allegóriam velit intélligi, in sácculo pecúnia clausa est: pecúnia vero clausa, est sapiéntia occúlta: qui igitur sapiéntiæ verbum habet, sed hoc erogáre próximo négligit, quasi pecúniam in sácculo ligátam tenet. Unde scriptum est: Sapiéntia abscondita, et thesáurus occúltus, quæ utilitas in utrisque?

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: \* Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

✠. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere



malo, et permanens in innocentia sua.

Ipsa intercédatur.

## LECTIO VIII.

ECCE autem qui peram et sacculum portare prohibuit, sumptus, et alimenta ex eadem prædicatione concédit: nam subditur: In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt: ut ab eis terræ stipendia consequamur, quibus præmia vitæ cœlestis offerimus. Unde etiam Paulus hæc ipsa pro minimo suscipiens, dicit: Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si vestra carnalia metamus? Et notandum, quod subditur: Dignus est operarius mercede sua, quia jam de mercede sunt operis ipsa alimenta sustentationis, ut hic merces de labore prædicationis inchoetur, quæ illic de veritatis visione perficitur.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

Et vos.

Glória Patri.

Et vos.

## LECTIO IX.

SED quid nos, quod tamen

sine dolore dicere non possumus, quid nos, o Pastores, agimus, qui et mercedem consequimur, et tamen operarii nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minime in prædicatione laboramus. Pensamus cujus damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus? sed numquid pro animabus fidelium laboramus? Illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt: nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis, ut dignum est, insudamus.

Te Deum laudamus, 18.

## OFFICIUM

S. FRANCISCI XAVERII.

per annum.

*Officium de Communi Confessoris non Pontificis, exceptis quæ hic propria notantur.*

*In Hymno non mutatur tertius versus.*

## ORATIO.

DEUS, qui Indiaram gentes beati Francisci prædicatione et miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti, concede

propítius, ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exéempla. Per Dóminum nostrum.

*Lectioes primi Nocturni de Scriptura occurrente.*

*Lectioes secundi Nocturni possunt semper dici quæ sequuntur, sed melius eædem quæ in officio sancti Ignatii per annum assignantur.*

## LECTIO IV.

**F**RANCISCUS in Xavério Diocesis Pampelonensis nobilibus paréntibus natus, Parisiis sancto Ignatio sese cómitem et discipulum junxit. Ipso Magistro eo brevi devénit, ut in rerum divinárum contemplatione defixus, a terra aliquándo sublimis elevarétur: quod illi sacrificánti coram pópuli multitudíne aliquóties evénit. Has ánimi delicias magnis sui córporis cruciátibus merebátur. Nam interdícto sibi non carnis solum, et vini, sed panis quoque tritícei usu, vílibus cibis vesci sólitus, per bíduum subinde, triduúmque omni prorsus aliménto abstínuit. Férreis in se flagéllis ita sæviit, ut sæpe copióso cruóre diffliúeret; somnum brevíssimum humi jacens carpébat.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, \* Et dedit illi claritátem ætérrnam.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Et dedit.

## LECTIO V.

**V**ITÆ austeritáte ac sanctitáte Apostólico múnere jam matúrus, cum Joánnes Tértius, Lusitániæ rex, áliquot nascéntis Societátis viros a Paulo Tértio pro Indiis postuláset, sancti Ignatii hortátu ab eódem Pontífico ad tantum opus cum Apostólici Núntii potestáte deligitur. Eo appúlsus, illico variárum géntium difficíllimis et váriis linguis divínitus instrúctus appáruit. Quin eum quandóque único idiómate ad divérsas gentes concionántem unaquæque sua lingua loquéntem audívit. Provinciás innúmeras pédibus semper, et sæpe nudis, peragrávit. Fidem Japóniæ, et sex áliis regiónibus invéxit. Multa centéna hóminum millia ad Christum in Indiis convértit, magnósque Príncipes, Régésque complúres, sacro Fonte expiávit. Et cum tam magna pro Deo ágeret, ea erat humilitáte, ut sancto Ignatio, tunc Præpósito suo, flexis génibus scriberet.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

LECTIO VI.

**H**UNC dilatandi Evangelii ardorem, multitudinem et excellentiam miraculorum Dominus roboravit. Cæco visum reddidit. Tantum marinæ aquæ signo Crucis convertit in dulcem, quantum quingentis vectoribus, qui siti adgebantur ad mortem, diu suffecit; qua in varias quoque regiones asportata, ægri plurimi subito curati sunt. Plures mortuos revocavit ad vitam, inter quos pridie sepultum eruijussu e tumulo suscitavit, duosque alios, dum efferrantur, apprehensa eorum manu, parentibus e feretro vivos restituit. Prophetiæ spiritu passim afflatus, plurima, et loco, et tempore remotissima enuntiavit. Demum in Sanciâno Sinarum insula, die secunda decembris obiit plenus meritis, laboribusque confectus. Demortui cadaver viva calce per multos menses bis obrutum, sed penitus incorruptum, odore et sanguine manavit; et, ubi Malacam delatum est, pestem sævissimam confestim extinxit. Denique ubique terrarum novis, maximisque fulgentem miraculis, Gregorius decimus quintus Sanctis adscripsit.

¶. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in

requiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

¶. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna.

Quia te.

Glória Patri.

Quia te.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

LECTIO VII.

[Cap. 16.]

**I**N illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangelium omni creaturæ. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

[Hom. 19. in Evang. post init.]

**P**OTEST omnis creaturæ nomine omnis natio gentium designari. Ante etenim dictum fuerat, in viam gentium ne abiéritis: nunc autem dicitur: Prædicáte omni creaturæ: ut scilicet prius a Iudæa Apostolorum repulsa prædicatio tunc nobis in adiutorium fieret, cum hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. Sed cum discipulos ad prædicandum Veritas mittit, quid aliud in mundo facit, nisi grana seminis spargit? Et pauca grana mittit in semine, ut multarum messium fruges recipiat ex nostra fide.



℞. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est; et de omni corde suo laudavit Dominum: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua.

Ipse intercedat.

## LECTIO VIII.

NEQUE etenim in universo mundo tanta fidelium messis exurgeret, si de manu Domini super rationabilem terram illa electa grana predicantium non venissent. Sequitur: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim, quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.

℞. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nes-

citis qua hora Dominus vester venturus sit.

Et vos similes.

Glória Patri.

Et vos similes.

## LECTIO IX.

SIGNA autem eos, qui credituri sunt, hæc sequuntur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocēbit: super ægros manus impōnent, et bene habebunt. Numquidnam, fratres mei, quia ista signa non facitis, minime creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia et nos cum arbusta plantamus, tãmdin eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus: et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguae in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.

Te Deum laudamus, 18.

## OFFICIUM

SANCTI ALOYSII GONZAGÆ,  
per annum.

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis.*

## ORATIO.

COELESTIUM donorum distributor Deus, qui in angē-



lico júvene Aloysio miram vitæ innocentiam, paricum pœnitentia sociásti, ejus méritis et précibus concéde ut, innocentem non secúti, pœnitentem imitémur. Per Dóminum.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

**A**LOYSIUS, Ferdinándi Gonzágæ Castelliónis Stiverórum Marchiónis filius, festinátio propter vitæ periculum baptismo, prius cœlo quam terris nasci visus, primam illam grátiam tam constánter retinuit, ut in ea confirmátus crederetur. A primo ratiónis usu, quo se Deo statim obtulit, vitam duxit quotidie sanctiorem. Novénis Florentiæ ante aram Beátæ Virginis, quam Parentis loco semper hábuit, perpétuam virginitatem vovit, eamque insigni Dei beneficio, nulla mentis aut corporis pugna tentatam servávit. Réliquas animi perturbatiónes cœpit ætate illa tam fórtiter comprimere, ut ne primo quidem eárum motu deinde incitaretur. Sensus etiam, óculos præcipue, ita cohibuit, ut non modo illos nunquam in faciém inténdit Mariæ Austriacæ, quam plures annos inter honorários Hispaniá-

rum Principis ephēbos fere quotidie salutávit; sed a matris etiám vultu contineret. Homo propterea sine carne aut Angelus in carne mérito appellátus.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritatem ætérnam.

**Y.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.

*Et dedit illi.*

LECTIO V.

**A**DJECIT sensum custodiæ corporis cruciatum. Tria singulis hebdomadis jejúnia, eaque plerúmque módico pane et aqua tolerábat. Quamquam perpétuum fuisse per id tempus ipsius jejúnium vidéri potest; cum ejus prándia ferme vix únciam æquarent. Sæpe etiam ter in die se fúribus, aut caténis crucentábat: flagella quandoque canum loris, cilicia equórum calcáribus supplévit. Mollem lectulum clam injéctis ásserum fragmentis asperábat, eo etiam, ut citius ad orándum excitaretur. Magnam quippe noctis partem, summa etiam hyeme, solo tectus indúsio; póstitis humi génibus, vel præ languóre jacens, ac pronus in cœlestium contemplationem traducébat. Interdum quoque tres, quatuor,

quinque horas in ea perstabat immotus, donec unam salutem animo nusquam distracto percurrisset. Cujus constantiæ præmium fuit stabilitas mentis inter orandum alio non vagantis, imo perpétua velut éxtasi in Deo defixæ. Ei demum, ut únice adhæreret, victo post triennále acerrimum certámen patre, et aviti Principátus jure in fratrem translato, Societáti Jesu, ad quam cœlesti voce Matriti fúerat accitus, Romæ se adjúnxit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronávit eum.

Y. Induit eum Dóminus, lorícá fidei, et ornávit eum.

Et ad portas.

#### LECTIO VI.

**I**n tyrocínio ipso virtutum ómnium Magister haberi cœpit. Exactissima in eo erat legum étiam minimárum custódia, mundi contemptus singularis, implacábile odium sui; Dei amor tam ardens, ut corpus étiam sensim absumeret. Jussus propterea mentem a divinis rebus tantisper avértere, occurrentem sibi ubique Deum irritó conátu fugiébát. Mira étiam próximos charitáte amplexus, in públicis, quibus alácriter ministrábat, nosocomíis contagiósam luem traxit. Qua

lente consúptus, die, quem prædixerat, undécimo kalendas júlii, ætátis anno quarto et vigésimo jam inchoáto, cum flagéllis cædi, atque humi stratus mori postuláset, migrávit in cœlum. Ibi eum S. María Magdaléna de Pazzis tanta frui glória, Deo monstránte, vidit, quantam vix esse in cœlo credidisset, ipsúmque sanctimónia insignem, et charitáte Mártirem incógnitum fuisse prædicávit. Multis étiam magnisque cláruit miraculis. Quibus rite probátis, Benedictus Decimustértius Sanctorum fastis Angélicum Juvénem adscripsit, atque innocentíæ et castitátis exémpa, simul et Patrónum studiósæ præsertim juventúti dedit.

R. Iste homo perfécit omnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

Y. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cœlestia regna.

Quia te vidi.

Glória Patri.

Quia te vidi.

#### IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio S. Evangélii secundum Matthæum.

#### LECTIO VII.

[Cap. 1.]

**I**n illo témpore, Respóndens

Jesus ait Sadducæis : Errátis , nesciéntes Scriptúras , neque virtútem Dei : in resurrectione enim neque nubent, neque nubéntur , sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Et réliqua.

[ Homilia S. Joann. Chrys. de Virg. ]

**V**IRGINITAS est bona : id ego quoque fáteor. Atqui núptiis étiam mélior , et illud tibi asséntior : ac si libet, illud adjúngam , tanto núptiis eam præstáre, quanto cœlum terræ , quanto homínibus Angeli antecéllunt ; ac , si quid prætèrea audéndum est , étiam magis. Nam , si neque nubunt Angeli , neque uxórem ducunt ; non enim carne et ságuine coagmentátisunt : in terris prætèrea non commorántur ; non cupiditátum , aut libídinum perturbatióibus sunt obnoxii ; non cibi indigent , aut potus ; non sunt ejúsmodi , ut eos dulcis sonus , aut cantus mollis , aut præclára spécies possit allícere ; nulla dénique ejus géneris illécebra capiúntur.

ñ. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est , et de omni corde suo laudávit Dóminum ; \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum.

✠. Ecce homo sine queréla , verus Dei cultor , ábstinens se ab omni ópere malo , et pérmanens in innocentia sua.

Ipse intercédát.

#### LECTIO VIII.

**A**T humánum genus , cum natúra beátis illis méntibus inférius sit , omni vi , studioque conténdit , ut , quoad ejus fieri potest , illas assequátur. Quómodo ? non nubunt Angeli : at neque étiam virgo. Assisténtes illi semper ad Deum , eidem inserviunt ; et illud ipsum Virgo. Quod si Virgines , quándiu córporis ónere deprimúntur , quemádmódum Angeli in cœlum néqueunt ascéndere ; illud eo vel máximo solátio compénsant , quod modo spiritu et córpore sancti sint , cœli regem recipiunt. Vidésne Virginitátis præstántiam ? quómodo terrárum incolas sic afficiat , ut , qui córpore vestiti sunt , eos incorpóreis méntibus exæquet ?

ñ. Sint lumbi vestri præcincti , et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : \* Et vos similes homínibus expectántibus dóminum suum , quando revertátur a núptiis.

✠. Vigiláte ergo , quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.

Et vos.

Glória Patri.

Et vos.

#### LECTIO IX.

**Q**UA enim , quæso , re differébant ab Angelis Elias , Eliséus , Joánnes , veri hi Virgi-



nitatis amatores? Nulla nisi quod mortali natura constabant. Nam cetera si quis diligenter inquirat, hi nihilominus affecti reperiuntur, quam beatæ illæ mentes: et id ipsum, quod inferiore conditione videntur esse, in magna est eorum laude ponendum. Ut enim terrarum incolæ, et ii, qui essent mortali natura, possent ad illam virtutem vi et contentione pervenire; vide quanta eos fortitudine, quanta vitæ ratione præditos fuisse oporteat.

Te Deum laudamus, 18.

## OFFICIUM

## DE SS. SACRAMENTO.

*Quod Feria Quinta cujusque Hebdomadæ extra tempus Adventus, Quadragesimæ, et Vigiliarum, non impedita Officio novem Lectorum, etiam translato, fieri potest sub ritu Simiduplici, ex concessione Clementis undecimi, Pontificis Maximi.*

## AD VESPERAS.

*Antiphona.*

Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech, panem et vinum obtulit. Alleluia.

*Psalmus Dixit Dominus, 134.*

*Antiphona.*

Miserator Dominus escam dedit timéntibus se in me-

móriam suorum mirabilium. Alleluia.

*Psalmus Confitebor, 135.*

*Antiphona.*

Cálicem salutáris accipiam, et sacrificábo hóstiám laudis. Alleluia.

*Psalmus Credidi, 139.*

*Antiphona.*

Sicut novellæ olivárum, Ecclesiæ filii sint in circúitu mensæ Dómini. Alleluia.

*Psalmus Beati omnes qui timent, 142.*

*Antiphona.*

Qui pacem ponit fines Ecclesiæ, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus. Alleluia.

*Psalmus Lauda Jerúsalem, 153.*

## CAPITULUM.

[I Cor. c. 11.]

**F**RATRES, ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis: quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens, fregit, et dixit: Accípite, et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem.

## HYMNUS.

**P**ANGE, lingua, gloriósi  
Córporis mystérium,  
Sanguinisque pretiósi,  
Quem in mundi prétium  
Fructus ventris generósi,  
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus  
Ex intácta Virgine,





**Qua** Christus créditur agnum  
et ázyna

**Dedisse** frátribus, juxta le-  
gítima

Priscis indúlta pátribus.

Post agnum typicum, ex-  
plétis épulis,

**Corpus** Dominicum datum  
discípulis,

**Sic** totum ómnibus, quod  
totum singulis,

Ejus fatémur mánibus.

Dedit fragilibus córporis  
férculum,

Dedit et tristibus sánguinis  
póculum,

**Dicens**, Accipite quod trado  
vásculum,

Omnes ex eo bíbite.

**Sic** sacrificium istud insti-  
tuit,

**Cujus** officium commítte vó-  
luit

**Solis** Presbyteris, quibus sic  
cóngruit,

**Ut** sumant, et dent céteris.

**Panis** Angélicus fit panis  
hóminum;

**Dat** panis coelicus figúris tér-  
minum :

**O** res mirábilis, mandúcat  
Dóminum

Pauper, servus et húmilis.

**Te** trína Déitas únaque  
póscimus,

**Sic** nos tu visita sicut te có-  
limus :

**Per** tuas sémitas duc nos quo  
téndimus,

**Ad** lucem quam inhábitas.

Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

*Antiphona* Fructum salu-  
tiferum gustándum dedit Dó-  
minus mortis suæ témpore.  
Allelúia.

\* *Psalmi* Beátus vir, 4; Cum  
invocárem, 156; Consérva  
me, Dómine, 11.

✠. Panem cœli dedit eis.  
Allelúia.

℟. Panem Angelórum man-  
ducávit homo. Allelúia.

Pater noster.

*Absolutio* Exáudi, Dó-  
mine.

✠. Jube, Domne.

*Benedictio* - Benedictione  
perpétua.

*In primo nocturno, Lec-  
tiones de Scriptura occur-  
rente.*

℟. j. Immolábit hædum  
multitúdo filiórum Israel ad  
vésperam Paschæ: \* Et edent  
carnes, et ázynos panes. Al-  
lelúia.

✠. Pascha nostrum immo-  
látus est Christus: itaque  
epulémur in ázymis sinceri-  
tátis et veritátis.

Et edent.

*Benedictio* Unigénitus Dei  
Filius.

℟. ij. Comedétis carnes, et  
saturabimini pánibus: \* Iste  
est panis quem dedit vobis  
Dóminus ad vescéndum. Al-  
lelúia.

✠. Non Móyses dedit vo-  
bis panem de cœlo, sed pa-  
ter meus dat vobis panem de  
cœlo verum.

véntes, et excitáti. Nam si Judæi stantes, et calceaménta in pédibus habéntes, et báculos mánibus gestántes, agnum cum festinátione comedébant, te multo magis opórtet esse solértem. Nam illi quidem in Palæstinam erant profectúri, et propterea viatórum figúram habébant; tu vero debes in cœlum migráre. Quaprópter in ómnibus opórtet te vigiláre, nec enim parva pœna propónitur indigne suméntibus. Cógita quantum advérsus proditórem indignáris, et contra eos, qui illum crucifixerunt: itaque considera, ne tu quoque sis reus corpóris et ságuinis Christi. Illi sanctíssimum corpus occidérunt, tu vero pollúta súscipis ánima post tot beneficia. Neque enim illi satis fuit hóminem fieri, cólaphis cædi, et crucifigi: verum et semetipsum nobis commíscet; et non fide tantum, verum et ipsa re nos suum éfficit corpus.

℣. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávít, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo ságuine: \* Hoc fácite in meam commemoratiónem. Allelúia.

℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea.

Hoc fácite.

*Benedictio Ignem sui amoris.*

## LECTIO VI.

Quo non opórtet igitur esse puriórem, tali fruéntem sacrificio? quo solári rádio non splendidiórem manum, carnem hanc dividéntem? os quod igni spiritali replétur, linguam quæ treméndo nimis ságuine rubéscit? Cógita quali sis insignítus honóre, quali mensa fruáris. Quod Angeli vidéntes horréscunt, neque libere audent intuéri propter emicántem inde splendórem; hoc nos páscimur, huic nos unímur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciat omnes laudes ejus? Quis pastor oves próprio pascit cruóre? Et quid dico, pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolóres, filios áliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus: sed ipse nos próprio ságuine pascit, et per ómnia nos sibi coagméntat.

℣. Ego sum panis vitæ: patres vestri manducáverunt mannain déserto, et mórtui sunt: \* Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. Allelúia.

℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descénderé: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum.





## LECTIO VI.

**A**UDIAMUS igitur et sacerdotes et subditi, quali esca facti sumus digni: audiāmus et horreāmus. Sanctis cáribus suis nos dedit impleri, semetipsum appósuit immolatum. Quānam igitur erit nobis excusatio, cum talibus pasti talia peccemus, cum lupi fiamus Agnum comedentes, cum tanquam oves pasti more leonum diripiāmus? Hoc enim mysterium non a rapina tantum, verum et ab omni vel tenui inimicitia purum esse penitus jubet: est enim pacis mysterium. Judæis quidem annuatim propriorum monumēta beneficiōrum solemnitates Deus alligavit: tibi vero singulis diēbus, per hęc mysteria. Nullus itaque Judas hanc mensam petat, nullus Simon. Hi namque duo propter avaritiam perierunt: hoc igitur bārathrum fugiāmus.

Ego sum panis, ccclxxv.

IN TERTIO NOCTURNO.

*Antiphona.*

Introibo ad altāre Dei: sumam Christum, qui renovat juventutem meam. Allelúia.

*Psalmi* Júdica me, Deus, 76; Exultáte Deo, 105; Quam dilécta tabernacula, 106.

✠. Edúcas panem de terra. Allelúia.

℟. Et vinum lætíficet cor hóminis. Allelúia.

Pater noster.

*Vern.*

*Absolutio A vinculis.*

℟. Jube, domne.

*Benedictio Evangélica* lectio.

## MENSE APRILI.

Lectio sancti Evangélii secundum Joānnem.

## LECTIO VII.

[Cap. 6.]

**I**N illo tēpore, Dixit Jesus turbis Judæorum: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et reliqua.

Homilia sancti Augustíni Episcopi.

[Tract. 27 in Joann.]

**D**IXIMUS, fratres, hoc Dóminum commendasse in manducatione carnis suæ, et potatione sanguinis sui, ut in illo maneāmus, et ipse in nobis. Manemus autem in illo, cum sumus membra ejus: manet autem ipse in nobis, cum sumus templum ejus. Ut autem simus membra ejus, unitas nos compáginat: ut compáginet unitas, quæ facit, nisi cháritas? Et cháritas Dei unde? Apóstolum interroga. Cháritas, inquit, Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

℟. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, \*In me manet, et ego in eo. Allelúia.

✠. Non est alia nátio tam

patres nostri omnes sub nube fuérunt, et omnes mare transiérunt, et omnes per Móysen baptizáti sunt in nube, et in mari: et omnes eámdem escam spirítalem manducavérunt. Spirítalem itique eámdem, nam corporálem áleram: quia illi nanna, nos áliud: spirítalem vero, quam nos: sed patres nostri, non patres illórum, quibus nos símiles sumus, non quibus illi símiles fuérunt. Et adjúngit: Et omnes eúmdem potum spirítalem bíberunt. Aliud illi, áliud nos: sed spécie visibili quídem, tamen hoc idem significánte virtúte spiritali. Quónodo enim eúmdem potum? Bíberant, inquit, de spiritali sequénte eos petra: petra autem erat Christus. Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in verbo, et in carne. Et quónodo bíberunt? Percússa est petra de virga bis. Géminia percússio, duo ligna crucis significat.

R. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sanguinem, \* In me manet, et ego in eo. Alleluía.

✠. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquánte sibi, sicut Deus noster adest nobis.

In me manet.

*Benedictio* Divinum auxilium.

## LECTIO VIII.

**N**ORUNT fideles corpus Christi, si corpus Christi non négligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spíritu Christi. De Spíritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Intelligite, fratres mei, quid dixerim. Homo es, et spíritum habes, et corpus habes. Spíritum dico, quæ ánima vocátur, qua constas quod homo es: constas enim ex ánima et corpore. Habes enim spíritum invisibilem, corpus visibile. Dic mihi, quid ex quo vivat? Spíritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spíritu tuo? Respóndet omnis qui vivit: qui autem hoc non potest respondére, nescio si vivit. Quid respóndet omnis qui vivit? Corpus útique meum vivit de spíritu tuo meo. Vis ergo et tu vivere de Spíritu Christi? In corpore esto Christi.

R. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: \* Et qui mandúcat me, vivet propter me. Alleluía.

✠. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus.

Et qui mandúcat.

Glória Patri.

Et qui mandúcat.

*Benedictio* Ad societatem.

## LECTIO IX.

**N**UMQUID enim corpus meum vivit de spíritu tuo? Meum



**Da robur , fer auxilium.**

Uni, trinóque Dómino  
**Sit sempiterna glória :**  
**Qui vitam sine término**  
**Nobis donet in pátria.**

**Amen.**

✠. Pósuit fines tuos pacem. Allelúia.

℞. Et ádipe fruménti sátiat te. Allelúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi : si quis manducáverit ex hoc pane vivet in ætérnum. Allelúia.

ORATIO.

**D**EUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos Córporis et Sanguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptionis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

**AD PRIMAM.**

℞. *breve.* Christe Fili.

✠. Qui natus es de María virgine.

**AD TERTIAM.**

*Antiphona* Angelórum esca.

*Capitulum* Fratres, Ego enim, ut supra.

℞. *breve.* Panem cœli dedit eis. \* Allelúia, allelúia. Panem.

✠. Panem Angelórum manducávit homo.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Panem.

✠. Cibávit illos ex ádipe fruménti. Allelúia.

℞. Et de petra, melle saturávit eos. Allelúia.

**AD SEXTAM.**

*Antiphona* Pinguis est panis.

CAPITULUM.

[I Cor. c. 11.]

**Q**UOTIESCUMQUE enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℞. *breve.* Cibávit illos ex ádipe fruménti. \* Allelúia, allelúia. Cibávit.

✠. Et de petra, melle saturávit eos.

℞. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Cibávit.

✠. Edúcas panem de terra. Allelúia.

✠. Et vinum lætificet cor hóminis. Allelúia.

**AD NONAM.**

*Antiphona* Vincénti dabo manna.

CAPITULUM.

[I Cor. c. 11.]

**Q**UICUMQUE manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indigne, reus erit córporis et sanguinis Dómini.

℞. *breve.* Edúcas panem de terra. \* Allelúia, allelúia. Edúcas.

✠. Et vinum lætificet cor hóminis.



*Versiculis et Responsoris additur Allelúia.*

IN PRIMO NOCTURNO.

✠. Spécie tua, et pulchritudine tua. Allelúia.

℞. Inténde, prospere procéde, et regna. Allelúia.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

✠. j. Concépta est beáta virgo Maria ex progénie David, \* Per quam salus mundi credéntibus appáruit, cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo. Allelúia.

✠. Conceptionem beátæ Mariæ virginis cum gáudio celebrémus.

Per quam.

*Benedictio.* Ungénitus Dei Filius.

℞. ij. Beatissimæ virginis Mariæ Conceptionem devotissime celebrémus, \* Ut ipsa pro nobis intercédât ad Dóminum Jesum Christum. Allelúia.

✠. Cum jucunditáte Conceptionem beátæ Mariæ virginis devotissime celebrémus.

Ut ipsa.

*Benedictio* Spiritus Sancti grátia.

℞. iij. Gloriósæ virginis Mariæ Conceptionem dignissimam recolámus, \* Cujus Dóminus humilitatem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi. Allelúia.

✠. Beatissimæ virginis Ma-

riæ Conceptionem devotissime celebrémus.

Cujus.

Glória Patri.

Cujus.

~~~~~

## MENSE APRILI.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

LECTIO IV.

[Serm. 8 de Sanctia.]

**E**xultat María, et matrem se læta mirátur, et de Spíritu sancto se peperisse gaudet: nec quia péperit innupta, terrétur: sed quia genuerit, cum exultatione mirá-  
tur. O fœmina super fœminas benedicta, quæ virum omnino non novit, et virum suo útero circumdedit! Circumdat virum María Angelo fidem dando, quia Eva perdidit virum, serpenti consentiéndo. O felix obediéntia, o insignis grátia! quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in se opíficem corporávit. Hinc promérui glóriam, quam ipsa póstmodum hausit. Ecce, ait, ex hoc beátam me dicent omnes generatió-  
nes.

℞. Concéptio gloriósæ virginis Mariæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David, \* Cujus vita inclyta cunctas illústrat Ecclésias. Allelúia.

✠. Concépta est beáta vir



**N**on ergo putemus Evangelistam Prophætæ esse contrarium, ut quod ille impossibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione divinitatis, hic de incarnatione est dictum. A carnalibus autem cœpit, ut per hominem Deum discere incipiâmus. Filii David, filii Abraham. Ordopræpósterus, sed necessário commutatus. Si enim primum posuisset Abraham, et póstea David, rursus ei repetendus fúerat Abraham, ut generatiónis séries texeretur.

R. Beátam me dicent omnes generatiónes; \* Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Allelúia.

Ÿ. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Quia fecit mihi.

## LECTIO VIII.

**I**deo autem céteris prætermisissis, horum filium nuncupávit: quia ad hos tantum facta est de Christo repressio. Ad Abraham: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes Gentes, quod est Christus. Ad David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Notándum in genealogia Salvatóris nullam sanctarum assúmi mulierum, sed eas quas Scriptura repre-

héndit: ut qui propter peccatóres vénerat, de peccatóribus nascens, ómnium peccáta deléret. Unde et in consequéntibus Ruth Moabitis pónitur, et Bethsábee uxor Uriæ.

R. Felix namque es sacra virgo María, et omni laude digníssima: \* Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster. Allelúia.

Ÿ. Ora pro pópulo, intervéni pro Clero, intercède pro devóto fœmíneo sexu: sentiant omnes tutum juvâmen, quicúmque célebrant tuam sanctam Conceptionem.

Quia ex te.

Glória Patri.

Christus.

## LECTIO IX.

**J**acob autem genuit Joseph. Hunc locum objécit nobis Juliánus Augústus de dissonántia Evangelistarum, cur Evangelista Matthæus Joseph dixerit filium Jacob, et Lucas eum filium appellárit Heli, non intélligens consuetudinem Scripturarum, quod alter secúndum naturam, alter secúndum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Móysen Deo jubénte præceptum, ut si frater, aut propínquus absque liberis mórtuus fúerit: álius accípiat uxórem ad suscitándum semen frâtris vel propínqui sui. Joseph virum Mariæ. Cum virum audieris, suspício tibi non

nim sacerdotális virga, dum  
ine radice flóruit : hanc  
bedeónis vellus, dum in mé-  
io siccæ arénæ máduit : hanc  
Ezechiélis visióné Orien-  
ális porta, quæ nulli un-  
uam páuit, præsignábat.

R. Concéptio tua, Dei  
énitrix virgo, gáudium an-  
untiávit univérso mundo :

Ex te enim ortus est sol  
istitiæ. Christus Deus nos-  
ter : \* Qui solvens maledic-  
iónem, dedit benedictió-  
em : et confúndens mortem,  
donávit nobis vitam sempi-  
érnam. Alleluia.

Ÿ. Benedicta tu in mulié-  
ibus, et benedictus fructus  
ventris tui.

Ex te.

Glória Patri.

Qui solvens.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii se-  
cúndum Matthæum.

LECTIO VII.

[Cap. 1.]

LIBER generatiónis Jesu  
Christi filii David, filii Abra-  
ham. Abraham génuit Isaac.  
Isaac autem génuit Jacob.  
Et reliqua.

Homilia sancti Hilárii Epis-  
copi.

[Comm. 1 in Matth. cap. 6.]

Non refert quis in originis  
número atque ordine collo-  
cetur, dummódo universó-  
rum familia cœpta esse intel-  
ligatur ab uno. Itaque cum

ejúsdem tribus sit Joseph et  
María, dum profectus esse  
ex Abrahæ genere Joseph  
osténditur, profecta quoque  
docetur et María. Hæc enim  
in lege râtio servata est, ut  
si mórtuus sine filiis familiæ  
princeps esset, defuncti uxó-  
rem postérieur frater ejúsdem  
cognatiónis acciperet, sus-  
ceptósque filios in familiam  
ejus, qui mórtuus esset, re-  
ferret, manerétque ita in  
primogénitis successiόnis or-  
do, cum patres eórum, qui  
post se nati essent, aut nó-  
mine haberéntur, aut genere.

R. Beátam me dicent om-  
nes generatiόnes : \* Quia fe-  
cit mihi Dóminus magna qui  
potens est, et sanctum no-  
men ejus. Alleluia.

Ÿ. Et misericórdia ejus a  
progénie in progénies timén-  
tibus eum.

Quia fecit.

LECTIO VIII.

SEQUENS illud est, ut quia  
diximus secúndum rerum  
fidem generatiόnis istius ór-  
dinem nec número sibi, nec  
successiόne constáre, hujus  
quoque rei râtio afferatur.  
Non enim levis causa est, ut  
áliud in narratiόne sit, áliud  
fúerit in gestis : et áliud refe-  
ratur in summa, áliud vero  
teneatur in número. Namque  
ab Abraham usque ad David  
quatuórdecim generatiόnes  
numerátæ sunt : et a David  
usque ad transmigratiόnem





**intercedat** ad Dóminum Je-  
**sum** Christum. Allelúia.

## CAPITULUM.

[Ecl. c. 24.]

**AB** iníto, et ante sæcula  
**creáta** sum, et usque ad futú-  
**rum** sæculum non désinam,  
**et** in habitatióne sancta co-  
**ram** ipso ministrávi.

*Hymnus* O gloriósa Vir-  
ginum, clxxxvij.

✠. Concéptio sanctæ Ma-  
riæ virginis. Allelúia.

℞. Cujus vita ínclýta cunc-  
tas illústrat Ecclésias. Alle-  
lúia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Conceptionem perpétuæ  
virginis genitrícis Dei Mariæ  
solémniter celebrémus, qua  
celsitúdo throni procéssit,  
Allelúia.

## ORATIO.

**FAMULIS** tuis, quæsumus,  
Dómine, cœléstis grátiae mu-

nus impertire : ut quibus  
beátæ Virginis partus éxstitit  
salútis exórdium, pia Con-  
ceptionis ejus commemorá-  
tio pacis tríbuat incremén-  
tum. Per Dóminum.

*Per Horas, Antiphonæ  
Laudum, Capitulum, et  
Responsoria brevia ut in Of-  
ficio B. Maride in Sabbato,  
clxxij.*

*In secundis Vesperis om-  
nia ut in primis, ccclxxxj.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Concéptio tua, Dei gé-  
nitrix virgo, gáudium an-  
nuntiávit univérso mundo :  
ex te enim ortus est sol jus-  
titiæ, Christus Deus noster,  
qui solvens maledictiónem,  
dedit benedictiónem : et con-  
fúndens mortem, donávit  
nobis vitam sempitérnam. Al-  
lelúia.

*Et fit commemoratio Do-  
minicæ.*





## PSALMORUM INDEX.

<b>Ad Dominum, cum trib.,</b>	<b>139</b>	<b>Credidi propter quod,</b>	<b>139</b>
<b>Ad te, Domine, clamabo,</b>	<b>53</b>	<b>Cum invocarem,</b>	<b>156</b>
<b>Ad te, Domine, levavi,</b>	<b>33</b>	<b>De profundis,</b>	<b>143</b>
<b>Ad te levavi oculos,</b>	<b>141</b>	<b>Deus auribus,</b>	<b>70</b>
<b>Afferte Domino, filii Dei,</b>	<b>53</b>	<b>Deus deorum,</b>	<b>75</b>
<b>Attendite, popule meus,</b>	<b>97</b>	<b>Deus, Deus meus, ad te,</b>	<b>19</b>
<b>Audite hæc, omnes gentes,</b>	<b>74</b>	<b>Deus, Deus meus, respice,</b>	<b>35</b>
<b>Beati immaculati in via,</b>	<b>26</b>	<b>Deus, in adjutorium,</b>	<b>91</b>
<b>Beati omnes,</b>	<b>142</b>	<b>Deus in nomine tuo,</b>	<b>24</b>
<b>Beati quorum,</b>	<b>56</b>	<b>Deus, judicium tuum,</b>	<b>93</b>
<b>Beatus qui intelligit,</b>	<b>69</b>	<b>Deus, laudem meam,</b>	<b>129</b>
<b>Beatus vir, qui non abiit,</b>	<b>4</b>	<b>Deus misereatur nostri,</b>	<b>19</b>
<b>Beatus vir, qui timet,</b>	<b>135</b>	<b>Deus noster, refugium,</b>	<b>72</b>
<b>Benedic anima ... Do-</b>		<b>Deus, quis similis,</b>	<b>106</b>
<b>mine Deus,</b>	<b>122</b>	<b>Deus, repulisti,</b>	<b>83</b>
<b>Benedic ... et omnia,</b>	<b>121</b>	<b>Deus stetit in synagoga,</b>	<b>106</b>
<b>Benedicam Dominum,</b>	<b>57</b>	<b>Deus, venerunt gentes,</b>	<b>100</b>
<b>Benedictus Dominus,</b>	<b>151</b>	<b>Deus ultionum,</b>	<b>112</b>
<b>Benedixisti, Domine,</b>	<b>107</b>	<b>Dilexi quoniam,</b>	<b>138</b>
<b>Bonum est confiteri,</b>	<b>118</b>	<b>Diligam te,</b>	<b>12</b>
<b>Cœli enarrant,</b>	<b>15</b>	<b>Dixi, Custodiam,</b>	<b>67</b>
<b>Cantate ... cantate,</b>	<b>113</b>	<b>Dixit Dominus,</b>	<b>134</b>
<b>Cantate ... laus ejus,</b>	<b>21</b>	<b>Dixit injustus,</b>	<b>60</b>
<b>Cantate... quia mirabilia,</b>	<b>117</b>	<b>Dixit insipiens, I,</b>	<b>9</b>
<b>Confitebimur tibi, Deus,</b>	<b>96</b>	<b>Dixit insipiens, II,</b>	<b>79</b>
<b>Confitebor... in consilio,</b>	<b>135</b>	<b>Domine, clamavi ad te,</b>	<b>149</b>
<b>Confitebor tibi... narrabo,</b>	<b>7</b>	<b>Domine Deus meus, in te,</b>	<b>5</b>
<b>Confitebor ... quoniam,</b>	<b>147</b>	<b>Domine, Deus salutis,</b>	<b>109</b>
<b>Confitemini ... invocate,</b>	<b>123</b>	<b>Domine Dominus noster,</b>	<b>6</b>
<b>Confitemini... dicant qui,</b>	<b>126</b>	<b>Domine, exaudi,</b>	<b>115</b>
<b>Confitemini... dicat nunc,</b>	<b>25</b>	<b>Domine... clamor meus,</b>	<b>120</b>
<b>Confitemini, ... quis lo-</b>		<b>Domine, in virtute tua,</b>	<b>16</b>
<b>quetur,</b>	<b>125</b>	<b>Domine ne ... miserere,</b>	<b>5</b>
<b>Confitemini ... quoniam,</b>	<b>146</b>	<b>Domine ne ... quoniam,</b>	<b>62</b>
<b>Conserva me, Domine,</b>	<b>11</b>	<b>Domine, non est exaltat.,</b>	<b>143</b>





Vocemea ... et intendit, 97	Usquequo, Domine, 9
Voce mea ... deprecatus, 150	Ut quid, Deus, repulisti, 95

## CANTICORVM INDEX.

Audite, cœli, 131	Ego dixi : In dimidio, 77
Benedicite, omnia, 20	Exultavit cor meum, 88
Benedictus Dominus, 23	Magnificat, 138
Cantemus Domino, 103	Nunc dimittis, 146
Confitebor tibi, 65	Quicumque vult, 27
Domine, audivi, 115	Te Deum laudamus, 18

## KALENDARIVM SANCTORVM

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

PARS VERNA.

Beatorum Martyrum Pauli, Joannis et Jacobi, Martyrum Japonum ( <i>Duplex majus</i> ). cclvij	mo, confessoris ( <i>Duplex</i> ). cclxxxij
Beatorum septem fundatorum ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis ( <i>Duplex</i> ). cclix	Sancti Isidori agricolæ, confessoris ( <i>Duplex</i> ). cclxxxiv
Sanctæ Catharinæ de Ricciis ( <i>Duplex</i> ). cclxij	Sancti Joannis Nepomuceni, Martyris ( <i>Duplex</i> ). cclxxxvj
Sanctæ Margaritæ de Cortona ( <i>Duplex</i> ). cclxiiij	Sancti Felicis a Cantalicio, confessoris ( <i>Duplex</i> ). cclxxxix
Sanctæ Coletæ, Virginis ( <i>Duplex</i> ). cclxvij	Sancti Desiderii, Episcopi et Martyris ( <i>Duplex</i> ). ccxciiij
Sancti Gabrielis Archangeli ( <i>Duplex majus</i> ). cclxviij	Beatæ Mariæ Virginis, titulo Auxilium Christianorum ( <i>Duplex majus</i> ). <i>ibid</i>
Beati Nicolai de Flue, confessoris ( <i>Duplex</i> ). cclxxvij	Sancti Gregorii Septimi, Papæ et confessoris ( <i>Duplex</i> ). ccclij
Sancti Benedicti a S. Philadelphio, confessoris ( <i>Duplex</i> ). cclxxx	Sancti Ivonis, Presbyteri, confessoris ( <i>Duplex</i> ). <i>ibid</i>
Beati Francisci de Hyeronimo, confessoris ( <i>Duplex</i> ). cclxxxij	Sanctæ Angelæ de Mericis, Virginis ( <i>Duplex</i> ). ccclvj

## FESTA MOBILIA.

<b>Feria sexta post Dominicam primam Quadragesimæ, Festum Sancti Sindonis D. N. J. C. (<i>Duplex majus</i>).</b>	<b>Coronæ D. N. J. C. (<i>Duplex majus</i>).</b>
cccviij	cccxxvi
<b>Feria sexta post Dominicam secundam Quadragesimæ, Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. (<i>Duplex majus</i>).</b>	<b>Feria sexta post Dominicam quartam Quadragesimæ Festum Quinque Plagarum D. N. J. C. (<i>Duplex majus</i>).</b>
cccxvj	cccxxv
<b>Feria sexta post Dominicam tertiam Quadragesimæ, Festum Sanctæ Spineæ</b>	<b>Feria sexta post Dominicam in Albis, Festum SS. Luce et Clavorum D. N. J. C. (<i>Duplex majus</i>).</b>
	cccxli
	<b>Dominica tertia post Pascha Patrocinium Sancti Josephi (<i>Duplex 2 classis</i>).</b>
	ccc

## OFFICIA VOTIVA.

<b>Sancti Ignatii, per annum.</b>	<b>Commemoratio SS. Corporis Christi.</b>
ccclix	ccclxx
<b>Sancti Francisci Xaverii, per annum.</b>	<b>Commemoratio Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis</b>
ccclxiv	ccclxxxij
<b>Sancti Aloysi Gonzagæ, per annum.</b>	
ccclxvij	

